
ERVNT NVTRICES
REGINÆ
TVÆ
COLL
REG
OXON
ROBERTVS
CLERICVS
EGLESFIELD

CAROLI PASSAGLIA

E SOCIETATE JESU

IN ROMANO COLLEGIO THEOLOGIAE PROFESSORIS

COMMENTARIUS

DE

PRAEROGATIVIS BEATI PETRI

APOSTOLORUM PRINCIPIS

AUCTORITATE DIVINARUM LITTERARUM COMPROBATIS

RATISBONAE MDCCCL.

SUMPTUS FECIT G. JOSEPHUS MANZ

VENDUNT IN ITALIA ROMAE J. SPITTHOEVER, IN GALLIA PARISIIS F. KLINCKSIECK,
IN BELGIO BRUXELLIS C. MUQUARDT, IN BRITANNIA LONDINI D. NUTT.

AD COMMENTARIUM

DE

PRAEROGATIVIS BEATI PETRI

APOSTOLORUM PRINCIPIS

PROLEGOMENA

PROLEGOMENA

Quum ea exponenda, tuendaque aggredior, quae de Petri praerogativis, singulari dignitate, eximiaque praestantia in divinis litteris continentur; probe sentio, eam a me provinciam suscipi, quam plurimorum iampridem curae [1] non occupaverint modo, verum etiam solerter adornarint. Ne tamen mentem, cogitationemque perficiendi operis exuerem, ac trito obsequens proverbio, quo cavetur, *ne actum agas*, studia mea alio converterem; neque pauca, neque ea prorsus levia adfuerunt, quae suaderent.

Ac suadebat imprimis eruditorum exemplum, qui sibi hanc legem minime dictam arbitrari videntur [2], ut ab iis abstineant, quae aliorum diligentia occupaverit. Suadebat deinde quod Augustinus de divina Trinitate post Athanasium, utrumque Gregorium, nazianzenum et nyssenum, Basilium, pictaviensem Hilarium et Ambrosium mediolanensem scripturus litterarum monumentis consignavit [3]:

[1]) Hos inter, qui innumeri sunt, speciminis gratia commemorabo Baronium in Annalibus, Bellarminum in libris de Romano Pontifice, Hosium in opusculo de auctoritate Pontificis Rómani, Polum in libro de Summo Pontifice, Lindanum in Panoplia, Eckium in Enchiridio, Stapletonum Doctrinal. Fid. Lib. VI. Controv. II. Panvinium de Primatu Petri, Caietanum in Opusculis, Canisium in Enchiridio, Maldonatum ad Matth. XVI. et Joh. XXI., Pighium de Ecclesiast. Hierarchia, Campegium de Potestate Romani Pontificis, Sanderum de Visibili Ecclesiae Monarchia, Perronium in Respons. ad Jacobum Angliae regem, Cotonum in Catholica Institutione, Coeffeteau contra Marcum Antonium de Dominis, Du-Val de suprema Romani Pontificis auctoritate, Gregorium de Valentia in Resolutione Fidei, Boverium in Demonstratione Fidei, Gautierium in Tabulis Chronographicis, Camum de Primatu s. Petri, et Kempeneers, qui in diss. de Rom. Pontificis primatu catalogum texit eorum, qui hanc controversiam recentiori aetate luculentius habuerunt.

[2]) Nullum est theologiae, nullum philosophiae, historiae, philologiae, criticae, archaeologiae, geographiae, chronologiae caput, quod alicuius momenti sit, quodque singulis aetatibus plures non denuo expenderint, novoque examini subiecerint. Exemplis non utor, est enim id notius, quam ut confirmari exemplis debeat.

[3]) De Trinit. lib. I. cap. III. n. 5: „Non tamen propterea (lector) putet me tacere debuisse, quia non tam expedite ac dilucide quam illi quos intelligit, eloqui potui. Neque enim omnia quae ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniunt; et fieri potest, ut nonnulli qui etiam haec nostra intelligere valent, illos planiores non inveniant libros, et in istos saltem incidant. Ideoque utile est, plures a pluribus fieri diverso stilo, non diversa fide, etiam de quaestionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat; ad alios sic, ad alios autem sic.“

expedire, ut eadem multorum studiis, vigiliisque tractentur, quum neque singulorum opera in omnium manus veniant, neque idem omnibus sit gustus, sed alii aliis, quemadmodum saporibus, ita commentariis, lucubrationibusque delectentur. Accedebat rei, quam versandam, expoliendamque suscipiebam, summa gravitas, atque incredibilis ubertas, quarum illa omnium postulare operam videbatur, haec autem eum aperiebat campum, e quo, sin minus quae meteres, suppeterent tamen quae deflorares ac relegeres. Neque postremo omiserim, inde quoque erigendi, confirmandique animi occasionem mihi aliquam esse obortam, quod suspicarer, et summi ponderis veritates pleniori quadam luce perfundi posse, et salebrosas quaestiones manifestius complanari, nonnulla vero in medium proferri, quae aut pressa silentio, aut levissime solum perstricta, digna tamen erant, quae et considerarentur intimius, et validius stabilirentur. Praesertim quum novorum interpretum conatus [4], ac praeposterae Raetze [5], Alexandri Mueller [6], Bretschneider [7], Paulus [8] et Kuinoel [9] expositiones, neque infringi penitus, neque aliter profligari funditus posse videantur. Quare σὺν θεῷ exequar, quod animo destinavi, et praeceptam mente, delineatamque tabulam coloribus excitabo, contendamque, ut sin minus elegans ac venusta, non omnino saltem deformis inspicientium oculis subiiciatur.

CAPUT I.

Fontes tractationis aperiuntur: — Vincentii lerinensis, et consona reliquorum Patrum, ac Thomae aquinatis suffragia indicantur: — de divinis litteris nominatim agitur, deque cura, qua contenta iisdem testimonia expendi debent atque adhiberi.

1. Etsi multa animo succurrerent, eaque non prorsus incommoda, quibus commentarium hunc meum de praerogativis Petri, ac suprema eiusdem potestate auspicarer; reliquis tamen omnibus praeferenda existimavi quae de ratione habendi theologicas controversias Vincentius lerinensis iam inde a quinto ecclesiae saeculo accuratissime definivit. Sunt enim apprime luculenta, ad catholicam regulam perfectissime expressa, et maiorum auctoritate ac traditione ple-

[4]) De his confer disserentem Augustinum De Roskovany in opere *De Primatu Romani Pontificis* cap. I. §. 2.

[5]) In opere inscripto: Das Suchen nach Wahrheit. Leipzig 1823.

[6]) In opere: Preussen und Bayern im Concordate mit Rom. Neustadt a. d. O. 1824.

[7]) Handbuch der Dogmatik der lutherischen Kirche. 3. Auflage. Leipzig 1828.

[8]) Philologisch-kritischer und historischer Commentar über das N. T. Evang. Matth.

[9]) In comm. ad Matth. XVI. et Joh. XXI.

nissime comprobata. Quod ne cui dubium sit, illa ipsa reddam, cuiusmodi in priori Commonitorio [1] leguntur. „Saepe magno consilio et summa attentione perquirens a quamplurimis sanctitate et doctrina praestantibus viris, quonam modo possim certa quadam et quasi generali ac regulari via catholicae fidei veritatem ab haereticae pravitatis falsitate discernere; huiusmodi semper responsum ab omnibus fere retuli: quod sive ego, sive quis alius vellet exsurgentium haereticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, et in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam, Domino adiuvante, deberet: primo scilicet divinae legis auctoritate, tum deinde ecclesiae catholicae traditione."

2. Ac fidos omnino testes, et quibus merito crederet, nactus est Vincentius, quum ne unum quidem reperire liceat vetustissimorum patrum, qui pro opportunitate hanc ipsam regulam, qua veritates divinitus revelatae cognoscantur, et ab haereticorum corruptelis secernantur, non proposuerit, ac vero etiam strenue vindicaverit. Illam proposuit, vindicavitque Irenaeus [2], et eodem quo Irenaeus saeculo, Tertullianus [3], quos veluti duces atque ὁδηγοὺς ii omnes imitati sunt [4], qui nobilissima Patrum appellatione honestari solent, quique recentiori aetate eam excoluerunt theologiae formam, quam σχολαστικὴν dicere mos est, et e quibus Thomas omnium consensione princeps statuit [5]: „Sacra doctrina utitur auctoritatibus canonicae scripturae proprie ex necessitate argumentandi, auctoritatibus vero aliorum doctorum ecclesiae [6], quasi argumentando ex propriis, sed probabiliter [7]. Innititur enim fides nostra revelationi apostolis et prophetis factae [8], qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi si quae fuit aliis doctoribus facta."

[1]) Cap. I.

[2]) Adver. haeres. lib. III. capp. I. seqq.

[3]) Passim in aureo de Praescriptionibus libello.

[4]) Pluribus id, ac more suo, elegantissime ostendit Petavius in Prolegomenis ad opus Theologicorum Dogmatum, capp. I—II.

[5]) S. I. p. q. I. art. VIII. ad 2.

[6]) Supple, dum iidem non consentiunt, ac in varias distracti sententias opinantur potius quam id referunt, quod traditione nunquam interpellata acceperunt.

[7]) Atqui non probabilia, sed certa ac prorsus ἀναντίῤῥητα sunt argumenta, quae ex unanimi Patrum sententia colliguntur. Unde Melchior Canus de Locis Theolog. lib. VII. cap. III. hanc quinto loco conclusionem ponit: „In expositione sacrarum litterarum communis omnium sanctorum veterum intelligentia certissimum argumentum theologo praestat ad theologicas assertiones corroborandas: quippe cum sanctorum omnium sensus Spiritus sancti sensus ipse sit." Quod ergo Thomas docet, ad Patres referri debet, quum seorsum et κατὰ μέρος considerantur. De quibus altero loco ita Canus statuit: „Unius aut duorum sanctorum auctoritas, etiam in his, quae ad sacras litteras et doctrinam fidei pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest; firmum vero non potest."

[8]) Quapropter fideles dicuntur Ephes. II. 20. a Paulo ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν, ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ.

3. Hactenus Thomas, et ea quidem verborum gravitate, sententiarumque constantia, ut perspicue appareat, non nova neque dubia, sed prisca atque rata esse quae tradit, quaeque Scholae theologis custodienda praescribit. Ex his autem, a quibus ne lato quidem ungue praestantissimos quosque theologos aliquando discessisse constat, pronum est arbitrari, qua veritatis specie, quave fronte affirmare Lutherus potuerit: „Scholasticam theologiam esse eam, quae a parisiensium Sorbona mixtione quadam ex divinis eloquiis et philosophicis rationibus, tanquam ex centaurorum genere, biformis disciplina conflata est.“ Tum facile intelligitur, iure ne, an satius ut caussae, cui patrocinabatur, inserviret, Hieronymus Angestus relatam Lutheri descriptionem exploserit [9], atque hanc illi sufficiendam esse contenderit: „Scholastica theologia est divinarum scripturarum peritia, recepto, quem ecclesia approbat, sensu, non spretis orthodoxorum doctorum interpretationibus et censuris, ac interdum aliarum disciplinarum non contempto suffragio.“

4. In qua descriptione principem, supremumque locum divinis litteris deferri nemo mirabitur, qui secum reputet, cuiusmodi sint quaestiones, quas sibi theologi enodandas, dirimendasque proponunt, quam viam catholici patres inierint, quae ipsis divinis litteris dotes insint ac ornamenta conveniant. Itaque eo pertinent theologorum studia, ut argumentis ad persuasionem creandam idoneis vel *δογματικῶς* statuant, quae de revelatis coelitus arcanis tenenda sunt, vel *πολεμικῶς* subvertant et *ἀγωνιστικῶς* refutent, quae de iisdem homines male sani, proprioque iudicio [10] condemnati, in dies comminiscuntur. Sed ab hoc, quem praefixum habent *σκοπῷ* vehementissime aberrarent, nisi ad divinam revelationem, coelestiaque oracula se inprimis reciperent, eorumque se clypeo tuerentur. Sunt autem Scripturae, quae *κατ' ἐξοχὴν* audiunt [11] *λόγια τοῦ θεοῦ*, et quibus supernae [12] *ἀποκαλύψεις καὶ φανερώσεις* continentur. Nihil ergo esse antiquius theologo debet, quam ut totus e Scripturis pendeat: has, si sapit, iugiter consulet, hisce insistet, et quae consignata eisdem sunt superna oracula sollicito opere perscrutabitur.

5. A quo ne cesset, auctores illi erunt, adhortatoresque gravissimi ecclesiae patres, quorum libri totidem sunt argumenta, quibus necessitas adeundi, conferendique Scripturas validissime persuadetur. Ecquem enim eos inter primum, quem postremum nominem? Justinum ne martyrem, doctoremque nobilissimum? sed utraque eiusdem apologia, ac prolixus, optimaeque frugis refertus dialogus cum Tryphone, nonnisi texturam praeferunt sententiarum, quas ipse e Scripturis apte depromsit, idoneisque commentariis exornavit. Athenagoram ne? sed apologia, quam pro tuenda re christiana ad Imperatores exhibuit, et *ἀποσπάσματα* quae adhuc sunt reliqua illius disputationis, qua *δόγμα τῆς ἀνα-*

[9]) In libro de Accademiis adversus Lutherum capp. II—III.

[10]) Tit. III. 11.

[11]) Rom. III. 2, Hebr. V. 12, I. Petr. IV. 11, et Act. VII. 38, ubi *λόγια ζῶντα* nuncupantur.

[12]) II. Cor. IV. 2, Rom. XVI. 25, Gal. I. 12 — *δι' ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ*.

στάσεως defendit, egregia sunt *παραδείγματα* illius Scripturarum usus, quem commendamus. Tacitus praetereo auream *τοῦ ἀνωνύμου* epistolam ad Diognetum, libros Theophili antiocheni ad Autolycum, Clementis alexandrini *στρώματα καὶ βιβλία τοῦ παιδαγωγοῦ*, Origenis *τόμους*, Irenaei, Tertulliani, Methodii, ac reliquorum, qui innumeri sunt, opera ad nos usque transmissa; ac uno verbo, quod res est, quodque exploratum merito habetur, confirmo: eos sibi de Patrum imitatione frustra blandiri, qui versandis, excutiendisque Scripturis non se totos dederint, et quorum libelli ad omnem paginam Scripturarum doctrinam, eruditionemque non referant.

6. Quam si qui neglexerint, hi neque legentium utilitatibus, neque operum quae edunt pretio, admodum consuluisse existimandi sunt. Etenim quaenam tandem sunt, a quibus utrumque non iniuria speretur? doctrina, opinor, quae nulla labe taminetur, valida errorum reprehensio, luculenta veritatis confirmatio, et verborum sanitas cum pietate coniuncta. Atqui dotes istae sunt Scripturarum, neque in theologorum libros aliunde, quam ex earumdem fonte permanare, refundique possunt.

7. Apposite Paulus, qui [13] scripturis antiqui foederis, quas *τὰ ἱερὰ γράμματα* ***sacras litteras*** vocat, principio tribuit, ut sint *δυνάμενά σε σοφίσαι εἰς σωτηρίαν διὰ πίστεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, ea virtute praedita, qua possint eam edocere et commonstrare [14] salutem, quae fide in Christo Jesu comparatur. Tum ea continuo subiicit [15], quibus eximia plane ratio continetur, qua factum est, ut antiqui foederis scripturam ellogio *τῶν ἱερῶν γραμμάτων* ipsemet ornarit, eidemque insignem adeo *δύναμιν*, cuiusmodi est *σοφίσαι εἰς σωτηρίαν*, incunctanter asseruerit. Videlicet ea de caussa antiqui foederis scripturae *τὰ ἱερὰ γράμματα* nuncupantur et sunt, quod *πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος* Scriptura omnis inspirata divinitus est, ac ab iis profecta, qui non ex humana sententia scripserint, sed ut auctor est Petrus [16], coelestia oracula ediderint *ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι* sancto Spiritu acti atque instincti: idest, Theophilo in altero ad Autolycum libro interprete, *πνευματόφοροι*, vel ut in maiori apologia Justinus loquitur, *θεοφορούμενοι τῷ πνεύματι προφητικῷ*. Omnis autem Scriptura, pergit Apostolus, quae *θεόπνευστος* est [17], eadem ad designandam salutis viam egregie idcirco confert, quod *καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ· ἵνα ἄρτιος*

[13]) II. Tim. III. 15.

[14]) *Σοφίσαι*, quasi *ὁδηγῆσαι*, uti subiecta materies postulat, analogia exigit doctrinae apostolicae, ac sententia prorsus gemina ad Gal. III. 24. seqq. ostendit, e qua intelligimus, librorum veteris foederis hanc esse proprietatem ac ferme naturam, ut viam consequendae salutis per fidem in Christo edoceant atque praemonstrent.

[15]) Ibid. vv. 16—17.

[16]) II. Petr. I. 21.

[17]) Erunt qui existiment, *θεόπνευστος* ***subiectum*** esse, ut logicis mos est dicere, non autem ***praedicatum***, atque adeo verbum *ἐστὶ* inter *θεόπνευστος* et *καὶ* inseri debere. Ab his ego non acrius dissentiam, praesertim quum Syrus, Vulgatus, Patresque bene multi haud aliter censuisse videantur.

ἦ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος, utilis etiam [18] est ad doctrinam, ad probationem argumentis minime dubiis suffultam, ad emendationem, institutionemque iustitiae, omniumque virtutum [19], eum in finem [20], ut homo Dei, cuius egregiae in Scripturis occurrunt periphrases [21], sit ab iis omnibus plenissime instructus, quibus theoria verae religionis continetur, quaeque curam, studiumque iustitiae inducunt ac promovent.

8. Jamvero neque hac florum pulchritudine nitescent, neque hac fructuum suavitate theologorum tractationes animos delinient, nisi diurna iidem, nocturnaque manu Scripturas versaverint, ac ex iis, tanquam e divite vena, plenis haustibus desumpserint, quae communi deinde utilitate dispensent. Scripturae ergo sunt, e quibus theologi repetant necesse est [22] λόγον ὑγιῆ, ἀκατάγνωστον verbum sanum, irreprehensibile, et e quibus vim, facultatemque mutuentur, qua valeant [23] παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν adhortari in doctrina sana, ac eos qui obnituntur, arguendo convincere.

[18]) Licet particula καὶ desit apud aliquos veteres interpretes, patresque non omnino paucos: et licet expungi illam oportere Millius putaverit; critici tamen plerique omnes illi suffragantur, illamque uti sinceram, germanamque tuentur. Vim autem induit potestatemque inferendi. Quamquam enim utrumque adiectivum, θεόπνευστος et ὠφέλιμος, appositum sit, et ad commune ὑποκείμενον, quod est πᾶσα γραφή, referatur; nihilominus alterum appositum, ὠφέλιμος, cum priore αἰτιατικῶς copulatur. Idcirco enim πᾶσα γραφή, summa librorum, quae γραφὴ universim audiebat, quamque τὰ ἱερὰ γράμματα, et Rom. III. 2. λόγια θεοῦ Paulus dicit, ὠφέλιμός ἐστι, quod θεόπνευστος a Deo inspirante proficiscitur.

[19]) Sicut verbis, πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, pars religionis θεωρητική; ita verbis, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, pars eiusdem πρακτικὴ efferri videtur.

[20]) Sic verto, quod putem, particulam ἵνα adhiberi τελικῶς.

[21]) Cuiusmodi istae sunt, quibus homines Dei appellantur I. Thess. I. 9. δουλεύοντες θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ: Ephes. VI. 24. ἀγαπῶντες θεόν: II. Tim. II. 22. ἐπικαλοῦντες τὸν κύριον: et ibidem v. 19. ὀνομάζοντες τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου.

[22]) Tit. II. 8.

[23]) Ibid. I. 9.

CAPUT II.

Potior necessitas expendendi, adhibendique Scripturas in hac quam versamus de praerogativis Petri controversia: — eius origo aperitur, et proposito, explanatoque discrimine inter δόγματα quae una Traditione, quaeque Traditione simul ac Scripturis comprobantur, uberius illustratur: — doctrinam de praerogativis Petri ad alteram pertinere δογμάτων classem ostenditur: — et necessitas conferendi Scripturas denuo inculcatur.

9. Etsi quae de necessitate conferendi, adhibendique Scripturas antecedenti capite breviter disseruimus, sint generatim verissima, neque adduci in dubitationem ab iis possint, qui theologi munus probe noverint [1]; longe tamen veriora et sanctius custodienda videri debent, si ad hanc, quam de praerogativis Petri agitamus quaestionem, propius referantur. Sed quanam de caussa, et quibus potissimum rationum momentis haec potior necessitas stabilitur? ut aequissimae interrogationi respondeam, animadvertendum puto: δόγματα et christianae revelationis decreta, si cum praesidiis comparentur, quorum auctoritate demonstrantur, non esse uniusmodi, sed in duplici differentia versari. Quum enim nonnulla ex iis sint, quae sola divina Traditione, eaque συστατικῇ, comprobantur [2]; alia, eaque multo plura instrumento non minus Scripturarum, quam suffragio Traditionis, quae propterea ἐξηγητικὴ καὶ ἑρμηνευτικὴ audit, asseruntur. Exempla, quibus ad obscuritates depellendas nihil accomodatius, sententiam paucis comprehensam illustrabunt.

10. Itaque fas mihi sit percontari, cuiusmodi ad praesidia demonstrationis relata censeri δόγματα debeant, quibus vel indubitatum credimus bibliorum canonem a tridentinis patribus sancitum, vel Deiparam ἀειπαρθένον, et rata ac valida sacramenta profitemur, quae penes haereticas factiones, servata Christi institutione, administrantur? dubio procul ad priorem ex iis classibus revocabuntur,

[1]) Theologi enim prae ceteris haec sibi dicta existimare debent, quae in quarta Catechesi Cyrillus hierosolymitanus habet: Δεῖ γὰρ περὶ τῶν θείων καὶ ἁγίων τῆς πίστεως μυστηρίων μηδὲ τὸ τυχὸν ἄνευ τῶν θείων παραδίδοσθαι γραφῶν, μηδὲ ἁπλῶς πιθανότησι, καὶ λόγων κατασκευαῖς παραφέρεσθαι. Plura eodem pertinentia dabunt Petavius in Proleg. cap. I. et Thomassinus Dogmatt. Theologic. T. III. Tract. I. cap. VIII.

[2]) Cum hac partitione conferri altera debet, qua δόγματα, si ad vim insitam, facultatemque rationis referantur, dispesci ita possunt, ut alia sint ἁπλῶς νοητά, alia ἁπλῶς ὑπερνοητά, et alia impervia quidem priusquam revelentur, sed omnino pervia, si semel manifestata fuerint. Ad hanc tertiam, postremamque classem illud spectat, quo Petri primatus continetur.

quas innuimus, eorumque catalogo inscribentur, quae quum certissima sint, suam tamen certitudinem non ex instrumento Scripturarum, sed ex una, eaque constanti Traditione derivant. Contra vero si petatur, unde constet, divinum Verbum esse Patri ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον, et in Eucharistia non nuda nobis symbola tribui, sed verum Christi corpus, verumque sanguinem incredibili quadam caritate donari; citra omnem tergiversationem respondebitur, inde constare, quod testimonia Scripturarum diserta, et cum iis ad harmoniam concinentia Traditionis effata utramque veritatem luculentissime praeferant. Respondebitur, inde constare, quod Verbi cum Patre ὁμοουσιότης, et realis praesentia corporis Christi, ita auctoritate bibliorum asserantur, ut Traditione item, quae biblia explanat, suaque luce perfundit atque adeo ἐξηγητικὴ est, uberius confirmentur. Quare perspicuum est quod assignavimus δογμάτων discrimen, si cum praesidiis ea contendantur, quibus asseri, vindicarique debent.

11. Ac ne quid eorum omittam, quae ad rem facere videntur, vulgatissimam recolam penes iuris doctores [3] caussarum, quae in disceptationem veniunt, partitionem, e quibus aliae comparatae ita sunt, ut solis *instrumentis* [4], aliae vero, ut *instrumentis* simul *testibusque* [5] dirimantur. Nemo hactenus, quod noverim, hanc distributionem negavit, aut neglexit: quin potius sollicitos de ea semper fuisse patronos, ac ne perturbaretur, diligenter cavisse, constat quam quod maxime. Sed, nisi mea me opinio fallit, neque minutus, neque λεπτολόγος videbor, si duplicem δογμάτων classem cum duplici, eaque respondente caussarum specie contulerim, adeo ut quae δόγματα Traditione dumtaxat comprobantur, eadem caussis respondeant, quibus cognoscendis, iudicandisque soli suppetunt *testes:* quae contra Scripturis iuxta ac Traditione, eaque ἐξηγητικῇ, adstruuntur, eadem ab iis caussis non discrepent, quibus et instrumenta et testes patrocinantur.

12. Ex hoc autem discrimine alterum prodit neque leve, neque eiusmodi, quod insuper haberi impune possit. Sicut enim caussae, quarum probatio ex instrumentis aeque ac testibus repetitur, defendi nequeunt, nisi illa cum hisce in unam eandemque mentem conspirare demonstrentur; ita conclamata eorum defensio δογμάτων, quae e Scriptura ac Traditione Scripturam explanante dependent, censenda foret, nisi una eademque utroque ex fonte sententia deflueret. Ecquo enim recideret ἐξηγητικὴ Traditio, si ab eiusdem sententia bibliorum significatio dissita aut diversa ostenderetur? quo reciderent Irenaei, utriusque Dionysii, romani et alexandrini, Theognosti, Pierii, Gregorii thaumaturgi, ceterorumque Patrum suffragia de Verbo cum Patre ὁμοουσίῳ, e Scripturis deducta,

[3]) Hos inter videsis Cuiacium in parat. π. lib. XXII. tit. I. §. III.

[4]) Instrumenti vocem, quae usurpata laxius ea omnia denotat (l. 1. π. de fid. instrument.), quibus instrui caussa potest, heic pressius accipimus, et ad scripturas quibus vis insit probandi (l. 1. C. de dilat.), coercemus.

[5]) Negotia enim aequo iure testibus et instrumentis expediri traditur l. 15. C. de fid. instrum. et l. 5. π. sub eodem titulo.

Scripturis innixa, quaeque nihil praeterea sunt, quam Scripturarum commentarii et explanationes, si sociniani ac remonstrantes voti tandem compotes evincerent[6], aut ab ea doctrina alienissimas esse Scripturas, aut inania certe esse, quae ad eam tuendam e Scripturis colliguntur? quo reciderent monumenta omnia Traditionis a Cardinali Perronio, et ab iis deinde collecta, qui opus de perennitate fidei pro reali praesentia ediderunt, si zwinglianis, calvinianisque liceret serio, graviterque contendere, neque verbis Christi, quibus Eucharistiae institutio continetur[7], neque eiusdem sermone ab Johanne descripto[8], neque Pauli effatis[9] id exprimi, quod ad asserendam realem praesentiam dominicae carnis requiritur et sufficit? haec omnia, et quotquot his sunt similia[10], veluti corruptelae, quas Petrus[11] indoctis *καὶ ἀστηρίκτοις* tribuit, quasque violentas detorsiones appellat, reiicienda forent, atque e probationum albo expungenda. Quare si *δόγματα*, quae examini subiiciuntur, quaeque sunt argumentis confirmanda ad eorum spectent ordinem, quae cum instrumento Scripturarum, et Traditione Scripturas explanante cohaerent; hoc curandum inprimis est, ut Scripturarum oracula neque seiuncta et aliena a sententia Traditionis, neque eidem, quod esset longe deterius, opposita demonstrentur: enitendum deinde est, ut conspiratio ac propemodum *ἁρμονία*, quae utraque devincit, suo in lumine collocentur.

13. Jamvero doctrinae caput, cuius vindicias, confirmationemque suscipimus, non eorum comprehenditur *δογμάτων* ambitu, quae una Traditione consistunt, quaeque ad nos usque unius Traditionis praesidio ac veluti tramite devenerint; sed ad eorum spectat numerum, quae ita e Scripturis apta, nexaque

[6]) Arduum enim illis non foret concludere: non magis fidendum Patribus esse dum testium, quam dum interpretum munere funguntur. Eos autem falli, ac in transversum abripi dum Scripturas interpretantur. Nihil ergo impedire, quominus in errorem lapsi etiam dum testes agunt, existimentur.

[7]) Matth. XXVI. 26—29. coll. Marc. XIV. 22—26, Luc. XXII. 14—20.

[8]) Joh. VI. 48—60.

[9]) I. Cor. XI. 23 seqq.

[10]) Patet enim haec animadversio latissime, et ad ea omnia se porrigit christianae fidei decreta, quae conspirante Traditionis et Scripturarum auctoritate demonstrantur.

[11]) II. Petr. III. 15—17: *Καθὼς καὶ ὁ ἀγαπητὸς ἡμῶν ἀδελφὸς Παῦλος, κατὰ τὴν αὐτῷ δοθεῖσαν σοφίαν* (supple, *διὰ πνεύματος ἁγίου*) *ἔγραψεν ὑμῖν, ὡς καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἐπιστολαῖς, λαλῶν ἐν αὐταῖς περὶ τούτων· ἐν οἷς ἐστι δυςνόητά τινα, ἃ οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι στρεβλοῦσιν, ὡς καὶ τὰς λοιπὰς γραφάς, πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν.* Quorum occasione verborum menti occurrit, quod theologus eruditissimus Henr. Klee, katholische Dogmatik, I. Band. pagg. 259—260 edit. Mainz, an. 1839. docet: testimonio eorum, quae apostoli et evangelistae scripserint, ne unius quidem libri ad N. T. pertinentis divinam originem, auctoritatemque canonicam ostendi posse. Atqui Petrus inter *λοιπὰς γραφὰς* recenset Pauli epistolas, de Scripturis vero testatur, non humano instinctu, sed Spiritus afflatu eas esse conscriptas.

sunt, ut nihil ad ea adprobanda Traditio suggerat, quod cum effatis bibliorum non sit consertum, et penitissime colligatum. Equidem non me fugit, innumera de praerogativis Petri, ac illius prae apostolis ceteris eximia, et consortii, societatisque exsorte auctoritate, testimonia suppetere, quae vel patres dixerint, vel synodi pronunciarint, vel iam inde ab antiquissima aetate romani praesules tulerint: neque me fugit, eodem plura pertinere sive liturgicis comprehensa monumentis, sive historiae annalibus consignata: praeclare etiam intelligo ad tuendas Petri dotes, auctoritatemque principalem tot, tantaque consentire, ut arduum non minus sit illis abuti, quam in periculum ἀξίωμα adducere omnibus, qui humanitatem non exuerint, probatum [12]: admitti caussam oportere, cuius effectus negari non possunt. Verum mihi pariter compertum est, quaecumque tandem omnia pro huius caussae patrocinio adducantur in medium, cum bibliorum testimoniis ita cohaerere, ut nonnisi speciem, faciemque referant expositionum, quibus illa aperiuntur liquidius, ac manifestius declarantur. Quod ego, uti par esset, accurate exequerer, et singula quaeque expendendo patefacerem, nisi res eiusmodi foret, quae et sua se luce proderet, eoque splendore nitesceret, quo omnes dubitationis umbrae funditus depellerentur.

14. Consulantur enimvero quae plurima extant de Petro, eiusque ornamentis edita opera, neque minora solum, et quae informandis primum theologiae alumnis inserviunt, sed maxima ac potissima, quotquot in Roccaberti Bibliotheca pluribus, iisque praegrandibus voluminibus continentur: his addantur quae publici fecerunt iuris Emmanuel Schelstrate, Cardinalis Orsi, Mamachius in quinto de Originibus tomo, Zaccaria in utroque distincto opere, cum latino, tum italico, quod Anti-Febbronium inscripsit, Gerdilius in Dissertationibus, Bolgenium in libris de Episcopatu: ac prae reliquis [13] Petrus Ballerinius de vi et ratione Primatus; tum inspiciatur sedulo, et summa qua fieri cura potest, animadvertatur,

[12]) Puto enim ecclesiasticam historiam non minus arcte cum Petri primatu cohaerere, quam historia graeca cum Alexandri victoriis, et romana cum triumphis Caesaris copuletur. Sicut ergo incolumi utraque historia, graeca et romana, neque Alexandri victoriae, neque Caesaris triumphi negari possunt; ita, quin tota subvertatur ecclesiastica historia, nefas est de Petri primatu dubitare. Etenim non aliter eorum quae graeca et romana refert historia, *sufficiens ratio* victoriis Alexandri, Caesarisque triumphis continetur; quam gestorum, quibus ecclesiastica historia constat, Petri primatu contineatur.

[13]) Alios enim, eosque omnino plurimos possem recensendo memorare, Andream Duvallium, De suprema Rom. Pontificis in ecclesiam potestate: Antonium Charlas, De primatu iurisdictionis adv. Lud. Ellies Dupin: Coelestinum Sfondrati, Gallia Vindicata: Nicolaum Dubois in Disquisitione theologico-iuridica ad episcopos Galliae: Hermannum Damen in Orat. de cathedra Petri, ut est regula fidei, secundum antiquam et continuam doctrinam theologorum lovaniensium: Barruel, Du Pape et de ses droits religieux: Alphonsum Muzzarellium in Opusculis: Hyacinthum Serry, De Rom. Pontifice in ferendo de fide, moribusque iudicio falli et fallere nescio: ac postremo De Maistre, Du Pape.

constare ne sibi ista possint, vigere, inditasque exserere vires, si quae e bibliis depromuntur, et ad omnem prope paginam laudantur, ad rem non faciant, vel etiam ipsi rei, quod protestantes contendunt, plus minusve refragentur. Aut caecus plane sum, et in via licet expedita turpiter offendo: aut suffragium Traditionis non leviter periclitatur, si quae doctrina eo asseritur, dissita ab illa sit, illive opposita, quam bibliorum testimonia exhibent ac repraesentant. Sane audio magnum Leonem [14] his verbis de Petri auctoritate, eximiisque dotibus disertissime perorantem: „Huius muneris [15] sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro apostolorum omnium summo principaliter [16] collocarit, et ab ipso, quasi quodam capite, dona sua velit in corpus omne manare, ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hunc enim [17] in consortium individuae unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari dicendo [18]: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam:* ut aeterni templi aedificatio mirabili munere gratiae Dei in Petri soliditate consisteret." Sed qui possem huic doctrinae assensum adiungere, si quae Christi promissiones a Matthaeo referuntur, alium et ab eo diversum funderent sensum, quam ille sit, quem Leo exprimit, et cui Leonis sententia unice incumbit? quae autem de Leone moneo, ad eum sic spectant, ut ad caeteros item omnes spectare censenda sint. Spectant ad Tertullianum [19], Origenem [20], Cyprianum [21], Optatum [22], Pacianum [23], Ambrosium [24], Hieronymum [25]: ac uno verbo, ad omnes [26] spe-

[14]) Epist. X. al. LXXXIX. cap. I.

[15]) De munere loquitur, quod in evangelio praedicando, exstruendaque ecclesia impenditur.

[16]) Duplici significatione auctoritas extruendae, regendaeque ecclesiae Petro *principaliter* tributa dicitur: tum quod ipse *primus* plenitudinem illius potestatis acceperit: tum quod ipse *unus* illam acceperit independentem, et tanquam ceterorum caput ac rector. Cf. Bolgenium, L' Episcopato, cap. I. nn. 4—19, et cap. II. nn. 14. seqq.

[17]) Particula *enim*, qua Leo utitur, aperte ostendit, propositum illi fuisse, quae de Petri praerogativis affirmaverat, Christi verbis et auctoritate demonstrare. Sed quaecumque subdit, lusus forent, non demonstratio, si Christi verba eum funderent sensum, qui ad Petri dotes nullatenus referretur.

[18]) Matth. XVI. 18.

[19]) De Praescriptt. capp. XXII—XXXVI, de Pudicit. cap. XXI.

[20]) In Matth. Tom. XII. n. XV. Tom. XIV. n. XXXI, et in Exposit. Ps. I. apud Eusebium H. E. lib. VI. cap. XXV.

[21]) Epistt. XXXVII — LV — LXXI — LXXIII. pagg. 74 — 104 — 194 — 201 — 203. edit. Oxon. 1682.

[22]) De schismat. Donat. lib. II. cap. II, lib. VII. cap. III.

[23]) Epist. III. Tom. III. Concil. Hispan. pag. 89. edit. Rom. 1694.

[24]) Enarrat. in Ps. XI. n. XXVIII, de Virginit. cap. XVI. n. CIII.

[25]) In evang. Matth. cap. XVI. lib. III. pag. 74. edit. Martianaei, adver. Pelag. lib. I. pag. 49. et adver. Jovinianum lib. I. pag. 168.

[26]) Pluribus id demonstratum habes

ctant, quia omnes nunquam de singulari Petri auctoritate loquuntur, quin ad Scripturas provocent, suam ex illis doctrinam repetant, luculenterque significent, se interpretum munere fungi, partesque explanatorum obire.

15. Fuit ergo cur initio praesentis tractationis monerem, nihil theologis potius, nihil esse antiquius debere, quam ut sedulo exquirant, quid de Petri insignibus ac suprema auctoritate Scripturae doceant, quid exhibeant, quidve tenendum esse demonstrent. His enim rei summa constat, atque huc totius contentionis caput redit. Traditionem vereor, non aspernor historiam, neque cetera tuendae veritatis praesidia contemno: sed singulis proprias adscribo sedes, interna vincula, quibus probationum adminicula mutuo cohaerent, aperio; tum, quid praestandum sit, ac pro virili urgendum, absolvendumque profiteor.

CAPUT III.

Difficultas ex iis oborta quae praemisimus: — enodatur primum suffragio catholicorum, a quibus protestantes non dissident: — tum eorumdem censura, qua in eos animadvertunt, qui Petri praerogativas ita vindicant, ut Scripturarum testimonia vel negligant, vel male etiam detorqueant: — plenior difficultatis solutio, ac praestitutae doctrinae confirmatio.

16. Quamquam neque obscura sint, neque ad intelligendum difficilia quae praemisimus; dissimulari tamen non debet, quod sponte veluti sua animum subit: vix ea probari penitus posse, quin canon momenti omnino maximi, et regula theologis certissima in manifestum discrimen adduci videatur. Regula autem haec est: in exponendis, enarrandisque definitionibus, quas vel ipsa tulerint oecumenica concilia, rem definitam, et qua summa ac iudicii caput continetur, ab iis probationum momentis distingui sedulo oportere, quibus eadem comprobatur atque statuitur. Definitionem enim indubitatam esse, et assensionem fidei propriam illi deberi: sed probationes neque indubitatas prorsus esse, neque ad eiusmodi auctoritatis culmen pertingere, ut citra crimen violatae fidei tentari, oppugnarique nequeant. Quod Melchior Canus in opere de Locis theologicis [1] ea perspicuitate tradit, eaque exemplorum, argumentorumque copia tuetur et confirmat, ut omnium suffragia, adprobationemque obtinuerit.

apud Mamachium, Origg. et Antiquitt. Christian. lib. IV. pagg. 286. seqq.

[1]) Lib. V. cap. V. q. IV. tradit: „Quae in Conciliorum vel Pontificum decretis, vel explicandi gratia inducuntur, vel ut obiectioni respondeatur, vel etiam obiter et in transcursu praeter institutum praecipuum, de quo erat potissimum controversia; ea non pertinere ad fidem, hoc est, non esse catholicae fidei iudicia.“ At vero docet ne Canus, ad fidem non pertinere eam bibliorum interpretationem, quam Concilia et Pontifices non tum edunt solum, quum *directe*, expressisque verbis

17. Quum itaque in ipsis etiam conciliorum iudiciis atque sententiis alia *sit* definitionis ratio, et alia eorum, quae antecedendo, comitando, vel subsequendo definitionem communiunt; sinemus ne ut haec distinctio, quum de doctrina Traditionis agitur, inconsulto ac temere negligatur? sinemus ne ut eodem habeantur numero, hinc quod unanimi Traditione asseritur, inde vero quod ad conciliandam unanimi sententiae fidem adhibetur? atque adeo sinemus, ut eadem sententiae ac probationum existimetur auctoritas, ita ut si harum forte vis defecerit, illius quoque robur ac firmitas iaceat? praepostera haec foret rerum dissitarum perturbatio, non minus viro theologo indigna, quam periculi plenissima. Subvertimus ergo quaecumque omnia eo consilio disputavimus, ut intestinum vinculum ostenderemus, quo cum Traditionis sententia de praerogativis Petri, eiusque suprema auctoritate, certa quaedam bibliorum expositio cohaeret: tum quae ea mente praestituimus ut doceremus, quae suffragio Traditionis rata esse videntur, eadem dubia ac etiam falsa duci oportere, si fallax fuerit bibliorum interpretatio, e qua colligebatur.

18. Difficultatem exposui, nec eorum quidquam tacitus praeterii, quae ad illam amplificandam, roborandamque conducerent. Sed ne commovear, et ab ea, quam complexus sum, sententia discedam, sua faciunt auctoritate theologi, iique non pauci, sed plerique omnes, neque minorum dumtaxat gentium, sed principes quoque ac nobilissimi. Nemo enim eorum est, qui in versanda de primatu, ornamentisque Petri controversia, non omnes intenderit vires, ut illa e Scripturis erueret, et Scripturarum auctoritate inprimis stabiliret. Hanc profecto iniere viam Caietanus in disputationibus, quas de b. Petro, romanisque praesulibus edidit, Canus in sexto de Locis, Gregorius de Valentia in commentariis, qua partem secundam secundae partis Summae Theologicae exornavit, Franciscus Suarius in egregio opere defensionis pro fide catholica, Bellarminus et

definiunt, alicui effato certam quamdam significandi potestatem inesse; verum tum etiam *oblique* proponunt, quum argumenta ex eodem ducto id confirmant, quod forte in controversiam venerit? hoc neque docet, neque fieri poterat ut doceret. Nam, quae est cl. Patritii (De interpret. litter. sacr. lib. I. cap. V. n. 103.) animadversio, quoties Concilia, Pontifices, Patres „dogma aliquod verbis *αὐθεντικῶς* tradunt, non illud veluti quid novum effingunt, sed vel ex scripturis sacris colligunt vel ex doctrina a maioribus tradita, quorum prius ut citra errorem faciant, necesse est, ut verborum sensus certo ab iis teneatur, ideoque, quum dogma a se propositum prolatis sacrorum auctorum testimoniis vel confirmant, vel confirmari posse pronuntiant, tantumdem praestant, ac si expresse horum testimoniorum sensum definirent.“ Atqui in hac quam de praerogativis Petri agitamus controversia, Patres uno ore, concordique sententia ad eas tuendas, confirmandasque certis bibliorum testimoniis utuntur. Declarant ergo significationem iis subesse, qua Petri praerogativae comprobentur. Sed constans atque universalis de interpretatione bibliorum a Patribus edita declaratio fallax esse non potest. Probatio ergo praerogativarum Petri e bibliis desumpta declaratione, Patrumque suffragio firmissime stabilitur.

strenuus Bellarmini vindex Gretserus in singulari de Romano Pontifice concertatione, Nicolaus Coeffeteau in evulgatis pro sacra Monarchia adversus Rempublicam Marci Antonii de Dominis libris apologeticis, Froehlich in opere, Quis est Petrus, Zallinger in Jure publico ecclesiastico, Stattler in Demonstratione Catholica, Veith de Primatu et infallibilitate Romani Pontificis, ac ne plures memorem [2], ii prorsus omnes, qui in hac tuenda catholica veritate eximiam sibi eruditionis, scientiaeque famam pepererunt. Tantae vero adhibendae contentionis haec fuit ratio, quod a se satius prodi, quam caussam defendi viri doctissimi intelligerent, nisi omni qua possent ope, Scripturarum testimonia vindicarent. Sed nonne praesto erat Traditio? suppetebat enimvero, sed talis, cuius vis non aegre infringeretur, si de praepostera [3] bibliorum interpretatione, e qua pendebat, semel constitissit.

19. Quod illi non re solum ipsa ac opere, sed perspicuis quoque verbis, repetitisque iudiciis significarunt. Etenim huc omnino pertinent, quae ex Johanne Roffensi contra Lutherum perorante Emmanuel Schelstratius [4] refert: „Adesto et tu Luthere cum lutheranis omnibus tuis, et omnia studia vestra in unum conflate; numquam efficietis quin vera praedixerit Christus, nempe, quod super petram, hoc est Petrum, aedificaturus esset ecclesiam: stat contra vos haec auctoritas invicta, quae etiam de vobis triumphat et triumphabit.“ Huc faciunt quae in eamdem sententiam de necessitate tuendi commendatam Traditionis suffragio bibliorum interpretationem habent Schelstratius, cuius modo meminimus, et Zaccaria in altera ex dissertationibus [5], quibus opus Anti-Febronii vindicati continetur. Sed insignia prae reliquis sunt quae Petrus Ballerinius animadvertit. Is enim propositionem quintam, quam propugnandam aggreditur, sic [6] effert: „Divinum ius, quo primatum praecipuae iurisdictionis et personalem [7] s. Petri ...... constitutum diximus, *praecipua* habet *fundamenta*

[2]) Alios sane multos semel ac iterum superius laudavi.

[3]) Unde enim ea vis Traditionis repetitur, quae firmandis, statuendisque fidei decretis par est? ex promissionibus, quibus Christus unanimi pastorum, doctorumque sententiae auctoritatem conciliavit. Sed promissiones Christi ad pastores, doctoresque inprimis referuntur, dum Scripturas uno ore, unaque mente interpretantur. Si ergo tradita ab iis concordi voce interpretatio errori obnoxia ostenderetur, nihil ab iis profectum eorum numero haberi posset, quae propter testium auctoritatem creduntur.

[4]) Antiquit. illustrat. Diss. II. c. VI. art. I.

[5]) Cap. III. §. II.

[6]) De vi et ratione Primatus, cap. V.

[7]) Primatus Petri duplici, diversaque ratione esse ac dici *personalis* potest. Atque hac inprimis, ita illius fuisse proprium, ac eiusdem personae addictum, ut cum eo plane desierit. Tum hac, sic illi convenisse, ut aliis communis non fuerit. Quod priori significatione *personale* audit, *reali*, *perennique* opponitur: posteriori vero ei opponitur, quod est *commune*, et pluribus *ἀδιαφόρως* inest.

Jamvero Montanistarum fuit adversus catholicos, quos per summam contemptionem psychicos appellabant, contendere, ornamenta Petri ea significatione fuisse

in iis evangelicis testimoniis, quae de s. Petro .... totius ecclesiae primate passim recitantur." Audis, *praecipua fundamenta* peti aliunde non posse, quam ex solemnibus de Petro evangelicis testimoniis? repones fortasse, hisce praesidiis non eo usque Petri praerogativas constare, ut eae periclitentur, si illa dilabantur et corruant. Adesse praeterea Traditionem, cuius robore Petri caussa validissime stabiliatur. Omnino falleris, pergit Ballerinius [8]: „Cum enim in ipsis Traditionis textibus eadem evangelica testimonia, tamquam primatus fundamenta, referantur; si quis haec ad primatum praecipui iuris et personalem statuendum nihil valere contenderet, ipsam quoque Traditionem iisdem testimoniis subnixam eo nihil conferre existimet necesse est: quod idem esset ac divinam institutionem omnino subvertere." E quibus deducendo infert: „Stet itaque in evangelicis testimoniis de s. Petro insignibus contineri debere praecipuum ac personale illius ius, quo praecipuae atque personalis iurisdictionis primatus a Christo eidem collatus .... constituitur."

20. Neque protestantes secus opinantur, utpote qui, diversa licet de caussa, in eamdem tamen cum orthodoxis sententiam concesserint. Sicut enim hi omnia sollicite quaerunt, quae tuendae bibliorum interpretationi auctoritate Traditionis comprobatae inserviunt, atque adeo „omnes, ac parisienses vel maxime, uti Bossuetus testatur [9], adversus haereticos primatum apostolicum pro-

personalia, quam initio commemoravimus. Testis est hac de re locuples Tertullianus, qui pro cataphrygibus pugnans catholicum doctorem his verbis (de Pudicit. cap. XXI.) compellat: „De tua nunc sententia quaero, unde hoc ius (peccata quaecumque remittendi) ecclesiae usurpes. Si quia dixerit Petro Dominus, *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*, *tibi dedi claves regni coelestis*, *vel quaecumque alligaveris*, *vel solveris in terra*, *erunt alligata*, *vel soluta in coelis*, idcirco praesumis et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem, idest ad omnem ecclesiam Petri propinquam, qualis es evertens, atque commutans manifestam Domini intentionem *personaliter* hoc Petro conferentem? *super te*, inquit, *aedificabo ecclesiam meam*, et *dabo tibi claves*, non ecclesiae; et *quaecumque solveris vel obligaveris*, non quae solverint vel alligaverint."

Sed altera acceptio, qua *personale* idem sonat ac *proprium*, unanimi Patrum consensione statuitur, qui primatum uni Petro constantissime vindicant. Qua de re conferri prae ceteris possunt quae habet Origenes in cap. XVIII. Matth. n. 31, Firmilianus epist. LXXV. inter Cyprianicas, Cyrillus hierosolymitanus Catech. XI. n. 3, Hilarius de Trinit. lib. VI. n. 37, comm. in Matth. cap. XV. n. 17, Ambrosius in Luc. lib. VI. nn. 93—97, Pacianus epist. III. ad Sympronianum, Asterius homil. in ss. Principes Apostol. n. 2, Basilius seleuciensis homil. in s. Andream, et Beda homil. in die s. Matthaei.

[8]) Ibid. n. 1.

[9]) In dissert. quae defensioni Cleri Gallicani praemittitur. Ceterum de hoc opere, et an illud merito Bossueto tribuatur, lege quae disserunt Zaccaria in isagoge ad opus italicum, L'Anti-Febbronio, et Cardinalis de Bausset, Histoire de Bossuet, Tome deuxieme, Pieces justificatives du livre sixieme, n. 1.

bant ex his locis: *Tu es Petrus*, et, *Confirma fratres tuos*, et, *Pasce oves meas*; ita illi suarum esse partium censent nihil non moliri, quod huic labefactandae probationi conducere posse arbitrentur. Notissimi sunt presbyterianorum conatus, et paullo eruditiores non ignorant studia eodem pertinentia, quibus lutherani, anglicani, zwingliani, arminiani, ac sectae omnino omnes ab unitate catholica seiunctae operam dederunt, ut testimonia evangelica ad rem non facere, et aliter prorsus ac orthodoxi existiment, accipienda esse persuaderent. Abunde fuerit [10] vel ex iis nonnulla legisse, quae Chamierius, Spanhemius, Turrettinus, Salmasius, Lightfootus, Episcopius, Rivetus atque Limborchius litteris consignarunt: sic enim comparata sunt, ut hanc protestantibus omnibus insedisse mentem perspicue ostendant, victoriam penes eos futuram, qui suam evangelicorum textuum interpretationem aptius, validiusque confirmarint. Ut enim Marcus Antonius de Dominis auctor est [11], sperari non potest, ut Traditione vincant, qui bibliorum auctoritate superentur: neque sperari potest, ut Traditionis doctrina vim suam teneat, firmitatemque tueatur, si bibliorum significatio, e qua pendet, vel dissita, vel illi opposita certis argumentis, de quibus sibi protestantes blandiuntur, conficiatur.

21. Hinc si qui catholicorum licentius sibi forte permiserint, vel Scripturarum testimonia secus ac par foret, interpretari, vel non iis potissimum fidere, atque in iis princeps caussae momentum collocare, in bonorum omnium offensionem venerunt, a qua ut semetipsos eximerent, non satis illis fuit contestari, indubitatas sibi esse Petri dotes, illasque se uberrima Traditione communire. Quod Launoii, Dupinii, Febbronii, Tamburinii, aliorumque eiusdem notae scriptorum exemplis apertissime comprobatur. Pugnabant illi adversus protestantes, ius Petri singulare, ac eiusdem decora tuebantur, nullumque faciebant finem congerendi Traditionis suffragia, quibus veritatis hostes premerent atque ad

[10]) Incredibile dictu est, qua se facilitate a testimoniis Patrum de primatu Petri tum protestantes expediant, quum sibi demonstrasse visi sunt, nihil in bibliis contineri, quod ad eum asserendum conducat. Notant enim quaecumque tandem de Petro insigniter dicta apud Patres reperiantur, non alio accipi sensu posse, quam qui cum bibliorum doctrina conspiret. Ad hanc Patres iugiter provocare, ad hanc semet recipere, huic insistere, atque hanc normae instar, quam sequantur, complecti. E quibus liquet, quae, quantaque sit necessitas eam tuendi bibliorum interpretationem, quae cum catholica veritate consentit.

[11]) De Republ. Christ. lib. I. cap. VI. Et re sane vera, inquit Turrettinus Loco XVIII. q. XVII. §. XXIII, si semel ea bibliorum interpretatio obtinuerit, quam unice veram, germanamque esse protestantes defendunt; id erit consequens, „testimonia Patrum, quibus interdum vocant Petrum caput et principem apostolorum, non intelligi ratione oecumenici pontificatus, vel monarchiae, sed ratione primatus ordinis et dignitatis, sive propter dotes, quibus prae caeteris eminebat, quo sensu II. Cor. XI. Apostolus vocat quosdam τοὺς ὑπὲρ λίαν ἀποστόλους, et alibi Gal. II. στύλους.“

incitas redigerent. Nihilominus una omnium vox propemodum insonuit [12], quae illos susceptae caussae non assertores et vindices, sed proditores infensissimos declaravit. Cuius acerbissimae reprehensionis haec potissima ratio extitit, quod evangelica testimonia negligerent, eorum vim, potestatemque probandi attenuarent, ac de parietibus et imponendo fastigio solliciti, fundamentum ipsum imprudentes labefactarent.

22. Atque his quidem ita obiectam dilui difficultatem puto, ut inculcandam rursum non esse pro certo habeam. Nisi illam inculcare fortassis pergant, qui licet incisos eiusdem nervos sentiant, nondum tamen enucleate vident, qui contingere possit citra ἐξηγητικῆς Traditionis periculum, ut illius probandi vis e bibliorum interpretatione [13] dependeat. Quibus ego ut faciam satis, tria ex ordine proponam, et maiori, qua fieri brevitate poterit, explanabo.

[12]) Cf. Ballerinium, De vi et ratione Primatus, cap. V. nn. 4—6, et Zaccariam, Anti-Febbron. Vindicat. diss. II. cap. III. n. 7.

[13]) Ut quo ista spectent, cognoscatur evidentius, iuverit animadvertere: I. Traditionem *subjective*, ut loquuntur, acceptam describi aptius non posse, quam si *manifestatio* dicatur *illius conscientiae, quam de universo christianae institutionis deposito pastores, doctoresque ecclesiae praepositi non citra Numinis tutelam fovent atque custodiunt.* E qua conscientia illud prodit, ut una semper eademque fuerit ecclesiae fides, nullusque christianae professionis articulus designari possit, quem ecclesia aliquando ignorarit. Porro II. non pauca ex iis articulis, quibus summa Traditionis continetur, sancti Dei homines, supernoque afflati Spiritu litteris consignarunt. Factum propterea est, ut eiusmodi δόγματα duplici veluti e fonte Traditionis et Scripturae propagarentur. Haec autem III. cum iis collata, quae scripta numquam fuerunt, quaeque sola Traditione innotescunt, caussam praebuere theologis, ut Traditionem ipsam bifariam dispescerent, illamque dicerent ἐξηγητικήν, qua δόγματα comprehensa bibliis nitidius proponuntur, eam contra συστατικήν, quae δόγματα refert, quorum in Scripturis mentio desideratur. Huius partitionis IV. iam inde a saeculo XVI. multo est apud theologos frequentior recordatio, expolitio uberior ac plenior defensio: quod protestantium erroribus tribui debet. Ut enim V. Traditiones ἀγράφους theologi diligentius defenderent, protestantium effecit πρῶτον ψεῦδος, quo universam christianam doctrinam eorum ambitu concludebant, quae divinis litteris consignata leguntur. Ut autem ἐξηγητικαῖς Traditionibus acriori studio prospicerent, referri in acceptis debet eorumdem temeritati, qua singulorum libidini enarrationem bibliorum permiserunt. Cura ergo, ne depositi integritas, sinceraque bibliorum interpretatio perverteretur, stimulos catholicis adiecit, ut omnia adhiberent, quae ad utramque Traditionis speciem tutandam conferre posse arbitrarentur.

Verum VI. si ita se res habet, consentaneum esse videtur, Traditionis ἐξηγητικῆς vim, auctoritatemque e bibliis minime pendere; refellendis vero, profligandisque praeposteris novatorum commentariis sat esse, si contra illos eiusdem Traditionis auctoritate praescribatur. Cui consequutioni VII. ne calculum adiiciam, non auctoritate minus, quam perspicuis adigor rationum momentis. Nemo enim

Sit autem istud primum, quodnam ipsi de propositione iudicium ferrent, qua abrupte affirmaretur: „potiora quae e bibliis adduci testimonia consueverunt, ac ea nominatim, quae penes Matthaeum, Lucam et Johannem habentur, talia esse, ut operam manifestissime perdant, qui illorum ope ac praesidio summam, eamdemque singularem Petri auctoritatem stabilire contenderint.“ Dubio procul iudicarent, his contentam verbis propositionem a nota temeritatis et perniciosissimi erroris subduci non posse. Cur enimvero? quod eiusmodi propositionis auctores non violarent modo quaecumque omnia legitimae interpretationi praeesse debent, sed praeterea, quod multo est gravius, in eam offenderent sanctionem, qua [14] tridentina synodus „ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium sacram scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam scripturam sacram interpretari audeat“. Tum quod rei fierent spreti iuramenti, a singulis theologiae doctoribus e Pii IV. praescripto in haec verba concipiendi: „Sacram scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum scripturarum admitto, nec eam umquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.“ Recte omnino et ad normam catholicae professionis accommodate. Sed quo pacto obviam irent reponenti, argumenta adesse minime dubia e certis ducta hermeneuticae regulis,

a) Tertulliano validius praescriptione usus est, ac nemo pluribus contendit, ad disputationem de Scripturis ne admitti quidem haereticos oportere. Nihilominus adversus Praxeam pugnans e re esse duxit (cap. II.) adnotare: „Salva praescriptione, utique tamen propter instructionem et munitionem quorumdam, dandum esse etiam retractationibus locum: vel ne videatur unaquaeque perversitas, non examinata, sed praeiudicata damnari, maxime haec, quae se existimat meram veritatem possidere.“ Ad haec b) quotquot sunt reliqua Patrum opera, actaque conciliorum, tot eloquentissima habentur argumenta, quibus de officio monemur ostendendae consensionis, qua in unam eamdemque sententiam Scripturae et ἐξηγητικὴ Traditio concurrunt. Quare c) initio Theologicae Summae, et librorum adversus Gentiles Thomas edicit, *eiusdem esse unum contrariorum prosequi, et aliud refutare.* Et merito d), quum permitti protestantibus nequeat, quod de demonstrato dissidio Scripturas inter Traditionemque ἐξηγητικὴν iactitant, quin Traditionis ipsius auctoritas *oblique* convellatur. Aut enim λογικῶς eam spectas, et eodem vinculo cum bibliorum interpretatione cohaeret, quo consequens cum antecedente copulatur. Aut illam spectas θεολογικῶς, et fieri nullatenus potest, ut iis tuto fidas testantibus, qui dum interpretantur, a veritate discedunt. Cum itaque theologi sit ad ἁρμονίαν, consensionemque redigere, quae in christiana doctrina faciem, speciemque oppositionis referre videntur; eius item erit cognationem ostendere, qua Scripturae et ἐξηγητικὴ Traditio devinciuntur.

[14]) Sess. IV. Decret. de edit. et usu sacrorum librorum.

quibus ostenditur, evangelicorum textuum interpretationem unanimi Patrum consensione receptam a sincero, germanoque Scripturarum sensu abhorrere? profecto non hominis petulantiam retunderent, sed animos illi adderent, quibus ferocius insaniret, si permissa quae obiicitur ἀντιλογίᾳ, nudum Traditionis nomen repetendo ingeminarent. Intelligerent ergo duplici se munere obstringi, quo primum confictam ἀντιλογίαν exploderent, deinde vero ἁρμονίαν, consensionemque patefacerent, qua interpretatio e certis hermeneuticae regulis desumpta ne hilum quidem ab ea dissidet, quae ad nos usque universali Traditione defluxit.

23. Huc autem redit quod docemus: vim Traditionis, quae ad biblica testimonia refertur, non obscure periclitari, nisi duo demonstrentur; ac initio, sententiae Traditionis oracula bibliorum non adversari, tum vero haec eadem ad certas interpretandi leges exacta unam eamdemque cum Traditione sententiam referre.

Sane, ut ad alterum ex iis veniam, quae promisi, ratio ac veluti ingenium Traditionis, quae σχέσει ac respectu cum biblicis testimoniis cohaeret, huiusmodi est, ut ea sit, dicaturque ἐξηγητική. Hoc theologi monent, atque rei ipsius natura confirmat. Porro ἐξηγήσεως conditio haec est, ut vi careat omni, si ab instrumento discrepet, neque aliunde quam a consensione cum instrumento [15] probandi auctoritatem mutuetur. Quoties ergo de Traditione disseritur, quae cum bibliis nexa est, et ad ἐξήγησιν propterea revocatur, toties necesse est, cum ea refellere, quibus ἀντιλογία Scripturam inter Traditionemque obiicitur, tum utriusque concentum, conspirationemque demonstrare.

24. Quod mihi videor paullo etiam aliter explanare posse atque edisserere. Itaque nonnullae ex iis definitionibus [16] memoria recolantur, quibus tridentina synodus declaravit, certum aliquod doctrinae caput auctoritate perennis Traditionis assertum indubiis pariter Scripturae testimoniis comprobari. Ac ut evidentior sit, lucidiorque tractatio, animo reputetur decretum [17], quo edicitur, δόγμα

[15]) Haec neque ἁπλῶς, neque ea mente dico, ut insitam, nativamque auctoritatem Traditioni ἐξηγητικῇ detraham; sed ὑποθετικῶς affirmo, eoque animo ut significem, constare sibi Traditionis auctoritatem non posse, si eiusdem dissidium a sincera bibliorum enarratione admittatur. Profecto ad Traditionem ἐξηγητικὴν pertinent, quae milevitani concilii praesules ad Innocentium I. scribunt (Epist. CLXXVI. al. XCII. inter Augustin.): singularem Petri primatum *e sanctarum scripturarum auctoritate depromi*. Et ad eandem spectant Traditionem, quae his verbis Gregorius (Lib. IV. epist. XXXII.) docet: „Cunctis evangelium scientibus liquet, quod voce Domini sancto et omnium apostolorum principi Petro totius ecclesiae cura commissa est.“ Sed haec, et quae his sunt similia vim omnem probandi amitterent, si neque sanctae scripturae, neque evangelia supremam regiminis potestatem Petro deferrent.

[16]) Eas puta quae habentur Sess. V. Decret. de peccat. orig. §§. 2—4. coll. Rom. V. 12: Sess. XIV. de sacram. poenit. can. III. coll. Joh. XX. 22—23: et ibid. de sacram. extrem. unct. cann. I—III—IV. coll. Jacob. V. 14—15.

[17]) Sess. VII. de baptismo, can. II: „Si quis dixerit, aquam veram et naturalem

Traditionis suffragio stabilitum de aqua ad baptismi ritum, uti opus est, administrandum necessaria, verbis item referri, quibus Nicodemum Christus compellavit, inquiens [18]: ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ δύναται εἰςελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. Ex hac oecumenici concilii declaratione duae nascuntur conclusiones, quarum prior est, auctoritatem catholicae Traditionis non sinere, ut nomen ὕδατος, quo Christus utitur, ἀκύρως intelligatur: posterior vero sic habet, nulla ex hermeneuticis ducta regulis proferri posse, quae propriam, nativamque τοῦ ὕδατος acceptionem oppugnent, immo quaecumque omnia ex iis apte colligantur, eo pertinere, ut obviam, propriamque significationem confirment. Sed quid propterea? illud profecto, viro theologo, ac tridentinae sanctionis vindici istud muneris incumbere, ut quod primum commemoravimus, constantissime profiteatur; alterum vero, detectis adversariorum technis, argumentisque prolatis, conficiat atque defendat. Sunt haec omnino evidentia, et quibus nemo iure refragetur. At ea item sunt, quibus nihil ad id persuadendum quod volumus, accommodatius.

25. Ecquid enim significamus quum dicimus, doctrinae caput aliquod, cuiusmodi est Petri in auctoritate primatus, unanimi Traditione, eaque cum Scripturis conserta vindicari? istud, credo, Scripturarum effatis, ad quae Traditio refertur, interpretationem subesse, qua suprema Petri auctoritas declaratur: tum, nonnisi παραλογισμοὺς texi, ac ψευδερμηνείας adhiberi posse, ut sincera Scripturarum expositio a doctrina Traditionis seiuncta, vel eidem contraria demonstretur. Quare duae sunt eorum partes, qui secumipsis [19] decreverint, pri-

non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*, ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit."

[18]) Joh. III. 5. ubi Vulgatus legit, καὶ πνεύματος ἁγίου. Sed quid tandem de Traditione, eaque ἐξηγητικῇ, cui tridentina definitio innititur, existimandum esset, si quod cum Tellero (im Wörterbuch des N. T. sub voce *geboren*) protestantes bene multi contendunt, demonstraretur, eam esse orationis seriem penes Johannem, ut verba ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος reddi debeant, *ex aqua spirituali*, seu *evangelio?* alterutrum iudicandum foret, vel Traditionem ἐξηγητικὴν esse fallacem, vel quae certa ratione comprobantur, iis adversari quae Traditio testatur. Quorum illud Traditionem ipsam pervertit; hoc vero dissidium inducit omnium perniciosissimum, quodque divinam sapientiam secumipsam committit. Reliquum est ergo, ut σφάλματα detegantur, quibus a propria significatione vocabula ὕδατος καὶ πνεύματος protestantes detorquent: ostendatur deinde, nullum esse canonem legitimae interpretationis, qui obviae, propriaeque acceptioni non patrocinetur. Quamquam ergo ἐξηγητικὴ Traditio nativa polleat auctoritate, illique prae Scripturis triplex insit ἐξοχή, *temporis*, quo Scripturas antevertit, *facilitatis*, qua promptius innotescit, et *evidentiae*, qua splendidius refulget; nihilominus quum de veritate agitur πολεμικῶς asserenda, necesse omnino est, ut illius cum Scripturis consensio valide, diligenterque comprobetur.

[19]) Nescio an non haec illustrari ex iis possint, quae de allegatis in N. T. an-

matum Petri suffragio Traditionis comprobare. Principio enim ostendant oportet, expositiones bibliorum a sententia Traditionis alienas eo esse indignas nomine, ac iure merito inter corruptelas haberi: tum ostendere et illud debent, interpretationem eo dignam nomine afferri aliam non posse, nisi quae cum doctrina Traditionis adamussim consentiat.

26. Qui utramque obierint partem, hi solum censeri possunt Traditioni, Scripturis, fidei deposito, atque ipsi adeo veritati prospexisse: atque hi solum sibi non iniuria pollicentur, eo argumento a se caussam defendi, quod omnium longe validissimum, nemine dissentiente, existimetur. Huius argumenti usus frequens est apud Patres, et quale illud sit, non uno in loco Tertullianus declarat. Huc enim ista pertinent [20]: „Ex ipso ordine manifestatur, id esse dominicum et verum quod sit prius traditum; id autem extraneum et falsum quod sit posterius immissum.“ Tum haec, quibus exsultantem [21] Marcionem compescit: „Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei praescribens auctoritatem, quod antiquius reperiatur, et ei praeiudicans vitiationem, quod posterius revincetur?“ Unde Hieronymus [22]: „Cur post quadringentos annos docere nos niteris quod ante nescivimus?“ et Caelestinus [23] eadem mente: „Corripiantur huiusmodi, non sit illis liberum habere pro voluntate sermonem. Desinat incessere novitas vetustatem.“ Neque aliter Sixtus [24] huius nominis tertius: „Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati.“

Quum itaque tanta sit antiquitatis dignitas, et tam valida quae ex temporum ordine praescriptio dirigitur; quinam, quaeso, ad vetustatem provocabunt confidentius, ac temporis praescriptione utentur securius, quam ii, qui certis, exploratisque rationibus patefecerint, doctrinam Traditione acceptam nihil prae-

tiqui foederis testimoniis contra socinianos, remonstrantes et rationalistas vindicantur. Profecto siqui id sibi oneris imponunt, ut ἀρμονίαν inter utrumque pactum, christianamque demonstrationem eruere inde possint, necesse est demonstrent: I. refelli haud aegre posse quae congeruntur, ut significatio effatis subiecta V. T. ab ea diversa ostendatur, quae adhibetur in novo: tum II. idonea praesto esse argumenta, quibus suadeatur, acceptionem in N. T. usurpatam cum ea consentire, quae obtinet in veteri. Sed nonne decretoria est, et par fidei faciendae auctoritas, qua scriptores N. T. pollent? nemo est orthodoxorum, qui ea de re litem moveat. Nihilominus quaecumque tandem existimetur, vel funditus convulsa iaceret, vel tuendae interpretationi eorum, quae ex antiquo foedere allegantur, impar foret; si sociniani, remonstrantes et rationalistae merito contenderent, argumenta e legibus accuratae interpretationis desumpta, quibus utuntur, talia esse, ut eludi quidem possint, infringi et refutari non possint. Qua de re praeclare disserit Godofredus Hegelmaier in Commentatione historico-theologica de recta ratione interpretandi quae e V. T. in novo allegantur.

[20]) De Praescriptt. cap. XXXI.

[21]) Con. Marc. lib. IV. cap. IV.

[22]) Epist. ad Pammach. et Oceanum.

[23]) Epist. ad episcopos Galliae.

[24]) Epist. ad Johannem antiochenum.

terea esse, quam sinceram Scripturarum explanationem? non una ergo necessitas, sed eximia cum necessitate coniuncta utilitas mihi stimulos subiecit, ut praerogativas Petri, propriaque illius iura patrocinio et Scripturarum auctoritate comprobanda susciperem.

CAPUT IV.

De testimoniis agitur, quae ad praesentem caussam rite cognoscendam, dirimendamque referuntur: — cuiusmodi ea sint, et quo modo se ad invicem habeant: — alia potiora sunt, et alia iis obnoxia, atque ita comparata, ut lucem ex illis, firmitatemque mutuentur: — Dupinii, aliorumque error notatur.

27. Videmur nobis, quantum satis est, necessitatem explicasse conferendi, expendendique ea bibliorum testimonia, quae ad Petri praerogativas, singularesque dotes asserendas, tuendasque pertinent: neque necessitatem explicasse solum, verum etiam intento ferme digito fontem aperuisse, e quo ea proficiscitur ac dimanat. Quare illud iam sequitur, ut quae sint huiusmodi testimonia, ad quae caussae iudicium exigi debet, proferantur in medium, diligenterque memorentur. Quod quum fieri dupliciter possit, universim atque in summa, tum *εἰδικῶς* atque seorsum; accuratior disserendi ratio postulare videtur, ut tum *κατὰ μέρος* et enucleate recenseantur, quum de singulis enarrandis, vindicandisque sermo habebitur, in antecessum vero per summa, ut aiunt, capita, et quodam veluti compendio repraesententur.

28. Itaque si Stagiritae obsequimur in primo Nicomachorum edicenti: *ἕκαστος κρίνει καλῶς, ἃ γινώσκει, καὶ τούτων ἐστὶν ἀγαθὸς κριτής*: putabimus, Scripturarum effata, quae ad praesentem disceptationem referuntur, non iis absolvi quae apud Matthaeum [1], Lucam [2] et Johannem [3] leguntur, sed multo patere latius, eaque omnia complecti, quae sive in evangeliis, sive in apostolorum actis atque epistolis consignata prostant. Etenim sapientissimis hac de re arbitris, eximiaeque famae theologis, Cardinali Perronio in opere, quo Jacobo Angliae regi respondit, Bellarmino in controversia de primatu Petri, Bossueto [4],

1) Matth. XVI. 15—20.

2) Luc. XXII. 31—33.

3) Joh. XXI. 15—18.

4) Cuius ista sunt in serm. sur l'unité, 1re partie: „Pierre paroît le premier en toutes manières; le premier a confesser la foi; le premier dans l'obligation d'exercer l'amour; le premier de tous les apôtres, qui vit le Sauveur ressuscité des morts, comme il en avoit été le premier témoin devant tout le peuple; le premier quand il fallut remplir le nombre des apôtres; le premier qui confirma la foi par un miracle; le premier à convertir les Juifs; le

Petitdier in tractatione theologica de auctoritate et infallibilitate Pontificum, Mamachio in quinto de christianis antiquitatibus volumine, De Simeonis in libris, quibus supremam iudiciariam auctoritatem Petro asserit, Klee in historia dogmatum, et in theologicis praelectionibus, haec insedit non opinio, sed firma sententia [5], Christi voluntatem de Petri dotibus, praecipuisque ornamentis e solemnibus evangeliorum oraculis ita colligi oportere, ut fas minime sit negligenti quodam silentio praeterire quae eodem spectantia sive alibi in ipsis evangeliis, sive in gestis, litterisque apostolicis continentur. Nullum enim ius sinere, nullamque enarrandis instrumentis praefinitam legem pati, ut institutoris voluntas pluribus consignata monumentis, ac pluries, neque eodem semper modo, iisdemque formulis declarata, ex uno solum, alterove loco, insigni licet ac praeclaro deducatur: sed singula quaeque expendi oportere, neque *absolute* modo et *ex sese*, verum etiam *comparate* et *ad invicem*, ita ut omnes sentiant non prius latum iudicium, quam ea omnia fuerint examini subiecta, e quibus illius aequitas, veritasque penderet.

29. Ceterum illi ipsi, qui ne apicem quidem omittendum iubent, quique adiuncta singula consideranda praescribunt, unanimes monent, non eadem esse testimonia, quae in divinis instrumentis de propriis Petri iuribus habentur; sed esse alia aliis evidentiora ac validiora, adeo ut, ad vim quod attinet probandi,

premier à recevoir les gentils; le premier partout. Mais je ne puis tout dire; tout concourt à etablir sa primauté; oui, tout." Quibus ad ea respicit, quae habentur Matth. IV. 18, X. 2, XIV. 28. seqq. XV. 15. seqq. XVII. 1. seqq. XVIII. 21, XIX. 27, XXVI. 37—40; Marc. III. 16, VIII. 29. seqq. IX. 1. seqq. XIV. 33—37, XVI. 7; Luc. VI. 14, VIII. 45—51, IX. 20—28—32, XII. 41, XVIII. 28, XXIV. 12; Joh. I. 42, XIII. 6, XX. 2. seqq. XXI. 2. seqq.; Act. I. 13. seqq. II. 14. seqq. III. 1. seqq. IV. 8. seqq. V. 3. seqq. VIII. 14. seqq. IX. 32. seqq. X. 2. seqq. XI. 2. seqq; Paul. ad Galat. I. 18.

[5]) Huic tamen sententiae sibi necessario adhaerendum non existimavit cl. Kempeneers in diss. dogmatico-canonica de romani pontificis primatu, eiusque attributis. Etenim cap. III. §. 12. laudatis textibus Matth. XVI. 18. seq. Luc. XXII. 32, Joh. XXI. 15. seqq. subdit: „Praeter hos tres textus utrum alii in Scriptura sint, qui de iurisdictione conferenda aut collata ab ipsomet Christo agant, cum multis, doctisque viris sine temeritate ambigi licet." Sed si pugnandum auctoritate sit, multo sane plures, iisque doctissimi commemorari possunt, qui ea de re minime dubitaverint. Sin autem internis argumentis dirimi controversia debeat, ea nobis praesto esse videntur, quae neque necessariam, neque prudentissimam hanc iudicii ἐποχὴν ostendant. Cf. Onuphrium Panvinium, De Primatu Petri, lib. I. capp. II—III, quibus haec lemmata praefigit: „Primatum in persona b. Petri apostoli in ecclesia a Christo institutum fuisse, aliquot evangeliorum testimoniis explicatis ostenditur; Primatum in persona b. Petri apostoli institutum fuisse probatur XVII. evangelistarum testimoniis." Et cap. XII: „Quod Petrus primatus potestatem sibi a Christo traditam actu in ecclesia exercuerit, ex aliquot actuum apostolorum locis probatur."

non *coordinata*, sed *subordinata* merito existimentur. Eminere inter ea probandi perspicuitate atque robore quae referunt Matthaeus [6], Lucas [7], et Johannes [8]; cetera subsequi veluti astra minora, quae splendore quidem non careant, nec tamen sic luceant, ut ex iis seorsum atque divisim meridianus fulgor emicare possit: illis, ut periti iuris loquuntur, *probationes* contineri, ex his vero coniecturas, praeiudicia, exceptiones, aliaque huius generis adminicula repeti, quibus caussae defensio non mediocriter iuvatur.

30. Quum igitur talis sit mutuus textuum habitus, et σχετικὴ ὑπόταξις, minime dubito, quin omnes concessuri sint, cavendum naviter esse, ne potiora posthabeantur infirmioribus, aut etiam penitus negligantur. Id enim citra caussae discrimen, supremamque perniciem, vix aut ne vix quidem contingere posse videtur. Etenim sin minus in se atque ὄντως, ad iudicium saltem quod spectat nostrum, aestimationemque legentium caussa periclitatur, si argumentis solum imbecillis, vel praepostere delectis, neque apte distributis et ἀκριβῶς expensis [9] communitur. Nescio enim quo pacto accidat, quod accidere tamen certissime novi, ut de caussae qualitate ex iis vulgo arbitremur, quae ad illius tutelam promuntur; adeo ut bonam ac etiam optimam eam habeamus, quam bonis, optimisque argumentis confirmari cernimus, malam contra vel etiam pessimam illam iudicemus, quam tricis, ineptisque argumentis adprobari experimur. Unde tritum illud extitit: *caussa patrocinio non bona peior erit.*

31. Quem scopulum non omnes feliciter declinasse, eorum quae legimus opera, et gravissimorum theologorum querelae abunde patefaciunt. Legatur sane quarta Dupinii de Antiqua Ecclesiae Disciplina dissertatio, et quem ipse habuerit probationum delectum, quas praetulerit, quasve neglexerit, paullo intimius consideretur. Apparebit, eum illis vix fidere, quae a Matthaeo [10], Luca [11] et Johanne [12] narrantur; sed totum in eo esse, ut testimonia inculcet, quibus vel omnium primus memoratur Petrus, vel absolute, simpliciterque πρῶτος nuncupatur: in his consistere, atque ex his caussae iudicium repetendum confirmare. Inepte omnino ac periculose, quum ineptum sit, hasta seposita, pugnis, baculoque congredi; periculo autem non vacet, summi ponderis veritatem, et gravissimum catholicae professionis articulum iis armis protegere, a quibus adversarii non sibi admodum timeant. Quare Petrus Ballerinius [13] id Dupinio vitio vertit, serioque monuit, eiusmodi σφάλματα multo esse periculosiora, quam prima fronte videantur. Quod ne sibi excidisse potius, quam re penitus inspecta a se affirmatum crederetur, continuo animadvertit, descriptisque Dupinii verbis demonstravit,

6) Matth. XVI. 15—20.

7) Luc. XXII. 31—33.

8) Joh. XXI. 15—18.

9) Qui enim ita se gerunt, hi sane probam non faciunt caussam iudici, atque adeo ne probant quidem.

10) Matth. XVI. 15. seqq.

11) Luc. XXII. 31. seqq.

12) Joh. XXI. 15. seqq.

13) De vi et ratione Primatus, cap. V. nn. 4—6.

eo tandem argutando illum devenisse, ut meri, nudique honoris primatum [14] Petro detulerit. Quod quum flagitium sit manifestum, et minime dubia caussae praevaricatio, ipsum praeterea Dupinium secum committit, eumque prodit, qui pugnantia et *ἀσύστατα* docuerit. Ex ordine enim docuit: I. propria et singularia Petri iura Scripturarum inprimis auctoritate esse stabilienda: II. harum testimoniis non alium Petri primatum valide ostendi, quam quo primus honore atque ordine aequales inter apostolos extiterit: ac III. ad catholicam fidem pertinere, ut Petrus primatu iuris, potiorisque auctoritatis divina ordinatione instructus habeatur. Quod tertium, postremumque caput a prioribus sic abhorret, ut constare sibi illius veritas non possit, quin priorum alterutrum repudietur. Sed bene habet, pugna enim, sententiarumque *ἀντιλογία* non postremam inter ea indicia sedem habet, quibus error manifestatur.

32. Interea liquet, neque frustra delectum praecipi, solertemque probationum dispositionem, neque eos iniuria coargui, qui eiusmodi delectum neglexerint, statamque dispositionem perturbarint. Quae quidem, si eo quo decebat loco, Febbronius, Tamburinius, Guadagninius, iique omnes habuissent, qui praeterito labente saeculo, ac eo, quod iam medium est, ineunte, rem christianam intra ipsum ecclesiae sinum commoverunt, neque ad eumdem offendissent lapidem, in quem Dupinius impegit, neque Zaccariae, Muzzarellii,

[14]) A quo ne acerbiores quidem catholicae veritatis hostes admodum abhorrent. Hinc illa Francisci Turrettini, Loco XVIII. de primatu Petri, q. XVII. §. II: „Circa statum quaestionis observamus, non quaeri de primatu quocumque, vel *ordinis* et *vocationis*, vel *aetatis*, vel *dignitatis*, et *donorum*. Non negamus enim primatum istum Petro posse competere, sive quia primus vocatus erat a Christo, ut liquet ex Matth. IV. 18, et sic *ordine* primus erat, ut saepe fieri solet inter eos qui potestate sunt pares ad vitandam confusionem: quo sensu dicitur *primus* Matth. X. 2; sive ratione *donorum* et *dignitatis*, quomodo Nicodemus vocatur *ἄρχων τῶν Ἰουδαίων*, Joh. III. 1, non quod Judaeis imperaret, sed quia magna erat illi apud Judaeos auctoritas; sic Gamaliel dicitur *τίμιος παντὶ τῷ λαῷ*, Act. V. 34. Cum ergo Petrus donis aliis praestaret, et potissimum illo animi fervore, quo primus ad respondendum pro ceteris impellebatur, non abs re primum locum occupabat. Unde non semel a patribus *princeps apostolorum* dicitur, id est, primus et praecipuus, ut princeps oratorum Cicero, poetarum Virgilius, qui tamen in oratores aut poetas nullum habebant imperium, sed ratione dignitatis. Sed agi de primatu *auctoritatis* et *iurisdictionis:* an datus fuerit gradus aliquis auctoritatis et iurisdictionis in Petro supra ceteros apostolos, per quem constitutus fuerit pontifex oecumenicus, vicarius Christi, et caput ecclesiae, cum absolutissima potestate, ut singuli fideles, et apostoli ipsi cum ceteris tamquam subditi obnoxia capita ei submittere debuerint. Quod contendunt pontificii: Bellarm. lib. I. de R. P. cap. X.: *Affirmant catholici, Petrum apostolum fuisse totius ecclesiae caput et principem, loco Christi ab ipso Christo institutum.* Orthodoxi constanter negant.“

Bolgenii, Gerdilii iustos contra se clamores excitassent, eamque nominis infamiam sibi conscivissent, qua spes nulla affulget fore ut tandem aliquando purgentur.

CAPUT V.

Modus ac ratio interpretationis definitur: — aliquot eiusdem canones proponuntur et illustrantur: — ac ille inprimis, qui textuum ὁμοφωνίᾳ et ἁρμονίᾳ continetur.

33. Non admodum ad caussae cognitionem, iudiciumque conferret instrumenta novisse, e quibus repeti utrumque debet, si eorum quae sit sincera interpretatio ignoraretur, vel quod deterius longe foret, ea praepostere corrumperetur. Quare recensitis testimoniis, quae tam defendenda sunt quam moenia, compertoque ordine, quo se mutuo excipiunt; nihil esse theologo antiquius debet, quam de modo legitimae expositionis inquirere, regulasque praefinire, quarum directus ope ne tantillum quidem ab ea devius aberret. Eo vel magis, quod, ut verissime Arndtius [1] monet: „ea iam est sacrarum litterarum conditio, ut ne unius quidem fere versiculi interpretatio probari possit, nisi conciliata prius fuerit supina illa et fastidiosa iudicatrix, quae criticae sublimioris nomine cathedram sacram insedit, suaque placita (somnia potius dixeris) pro effatis divinis vendit.“ Verum si candide agimus, studioque partium seposito, unius veritatis amore tenemur, neutrum nobis vel arduum erit, vel eiusmodi quod pluribus indigeat. Liquet enim neque alium interpretandi modum recipi oportere, quam qui ad certas, ratasque leges fuerit expressus, neque alias adhibendas esse leges, quam quae ad enarrandas rite Scripturas [2] unanimi eruditorum suffragio commendantur. Quas ego quum possim, ac iure etiam debeam lectoribus meis compertas, exploratasque censere; propterea earum solum aliquot compendio referam, quarum usus frequentior deinceps erit, ac opportunitas maior.

34. Itaque illa primum recolenda est, qua cavetur „ne in determinanda phrasium, vocumque significatione, ab ea animus avocetur, quam receptus loquendi usus [3] praemonstrat, subiectaque orationi materies efflagitat [4], vel prae

[1]) De loco, qui extat apud Jesaiam cap. XXIV—XXVIII vindicando. Hamburgi. 1826.

[2]) De his legibus confer accurate disserentem Franciscum Xaverium Patritium, De interpret. Scriptt. sacr. lib. I.

[3]) Quanti facienda sit *ratio loquendi*, non male ab Jahn declaratum habes in Enchirid. §. VII, qui tamen nobis minime probatur quum docet: „Usum loquendi esse primum et summum hermeneuticae principium, a quo omnes regulae interpretandi pendent.“

[4]) Jahn, Enchirid. §. XX.

reliquis commendat". E quibus, quod prius est nisi firmissime custodiatur, nulla erit interpretandi ars, nihilque erit quod exsculpi e quopiam non possit: alterum vero tam est perspicuum, ut omnium professione comprobetur. Ecquid enim luculentius, quam *propositionis subiecto* vim, potestatemque appositorum temperari atque circumscribi? hunc canonem dialectici saepissime repetunt, exempla vero pulcherrime confirmant. Unum afferam e disputatione cum socinianis de vera Christi satisfactione [5] depromptum. Ad hanc asserendam, solemne catholicis erat, iis uti bibliorum oraculis, quibus Christus *propter peccata nostra*, vel *pro peccatis nostris* crucem, mortemque subiisse [6] perhibetur. Ne victas daret manus Socinus, excepit eiusmodi testimoniis rem minime confici, quum particula *pro* finalem exprimat caussam, non efficientem: particula vero *propter* caussam quidem efficientem designare possit, sed quae talis sit *καταχρηστικῶς*, atque adeo *occasioni* potestate respondeat. Sic ille [7] non uno in loco. Quem ut plenissime refellas, nihil eo canone accommodatius, de quo loquimur. Quaecumque enim particulis *pro* et *propter* vis insit, quum nude atque seorsum adhibentur, illud est perfecta exemplorum inductione comprobatum, toties iis antecedentem, efficientemque caussam efferri, quoties ad aliquem referuntur, qui *pro peccatis*, vel *propter peccata* mortem oppetiisse memoratur. Unde in Socinum de punctis atque apicibus vitiligantem apte quadrant elegantes versiculi:

> Tibi, quod intristi, exedendum est: sic vetus verbum iubet,
> Compedes, quas ipse fecit, ipsus ut gestet faber.

35. Ad alteram venio, qua saepissime utemur, quaeque concipi his verbis non incommode potest: „Si plura de eodem subiecto legantur in bibliis, *ἀναλόγως* atque *ἁρμονικῶς* accipienda sunt, neque ferri expositiones debent, quibus eorum conspiratio, concentusque perturbentur." Sibi enim constat Deus, eaque sunt eloquia divina, in quae, ut Paulus loquitur [8], non cadit *ναὶ καὶ οὔ*, sed eodem iugiter spectant, et eamdem constanter mentem, sententiamque [9] praeseferunt. Quod quum Patres et revelatae doctrinae vindices probe intellexerint, hoc propterea *ἀναλογίας* canone usi frequenter sunt, ut subnascentes quotidie errores comprimerent. Ne omnimodam gratiae necessitatem ad singulos quosque pietatis actus pelagiani confiterentur, nonnulla e bibliis decerpebant, quibus insitam arbitrii libertatem contra necessitatem superni auxilii arroganter extolle-

[5]) Cf. Hugonis Grotii Defensionem fidei catholicae de satisfactione Christi adversus Faustum Socinum, cap. I.

[6]) Cf. Gerardi Johannis Vossii ad iudicium Hermanni Ravenspergeri de Grotii libro responsionem, capp. XVI—XIX.

[7]) Praelectt. theologic. cap. XX. De Servatore, Part. II. capp. VII—X.

[8]) II. Cor. I. 18.

[9]) „In omni documento, scribit Wesenbecius, Digest. lib. XXII. Tit. III. n. 12, ea sumetur interpretatio, ut actus valeat, non pereat. Quare quoad eius fieri potest, iudex etiam dissidentes in speciem probationes conciliare, et in unam redigere harmoniam debet. Cod. de fide instrumentorum."

rent. Sed superbam Scripturarum corruptelam Innocentius, Zosimus, Gelasius, Hieronymus, Augustinus, Orosius, africanae synodi inde validissime repulerunt, quod ea probata, textuum *ὁμολογία* subverteretur. Ut duas Christi *ὑποστάσεις* confirmaret Nestorius, ea congerebat, quae non aliam Verbum inter, assumptamque carnem significare *ἕνωσιν* viderentur, quam quae *σχετικὴ* esset, et ad honoris consortium, voluntatumque conspirationem pertineret. Sed interpretationis labem Cyrillus detexit, iisque mutuo collatis quae de unitate Christi Scripturae docent, patefecit, nestorianam *ἑρμηνείαν* reiici omnino debuisse, ne illarum *ἁρμονία* in dissonum strepitum converteretur. Hoc eodem innixus canone scribit [10] Jahn: „Omnia illa artificia, quibus recentiores quipiam, qui rationalistae [11] dici amant, donum linguarum extraordinarium in ordinarium mutare conati sunt, vana esse apparet, si diversa loca [12] conferantur.“ Et mox: „Ita quoque, si omnia loca, in quibus Jesus de sua propria dignitate loquitur, conferas [13], miraberis esse posse, qui divinitatem eius impugnant, et loca quoque apostolorum de hac ipsa agentia pervertere student.“

36. Huic autem regulae e re fore puto tertiam subiicere, quae cum ea intime nectitur, atque efferri sic potest: „Inspiciendum sedulo esse, utrum e pluribus, quae de eodem subiecto continentur in bibliis, unum alterumve sit, quod ceteris perspicuitate atque amplitudine antecellat, ac palmare et omnium evidentissimum merito existimetur. Id enim si contigerit, opus esse, ut illud normae instar habeatur, ad quam reliqua quotquot sunt omnia, revocentur.“ Cuius canonis auctor est Augustinus [14], qui totius Scripturae lectionem idcirco praecipit, „ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur

[10]) Enchirid. §. XXVII.

[11]) Videtur mihi nemo manifestius rationalistis praelusisse quam Ludovicus Meyer in Exercitatione paradoxa, quam edidit anno 1666, et cui titulum fecit: *Philosophia Scripturae interpres.* Hanc exercitationem acerbissime insectati sunt Reinerus Vogelsang in opusculo inscripto, *Indignatio iusta contra libellum cui titulus, Philosophia s. Scripturae interpres;* et Petrus Serarius in Responsione ad Exercitationem paradoxam, qua philosophia pro infallibili s. litteras interpretandi norma orbi christiano obtruditur.

[12]) Quae plura omnino sunt et perspicua, Marc. XVI. 17, Act. II. 4—12, coll. I. 4—8, X. 44—46, XIX. 6, et I. Cor. XIV. 22.

[13]) Quod Prudentius Maranus in priori parte eruditi operis inscripti, *Divinitas Domini nostri Jesu Christi manifestata in Scripturis et Traditione* affatim praestitit. Semper enim haberi ob oculos debet canon, quem lib. I. contra Severum et Timotheum haereticos, referente Photio, Eulogius sanxit: *Μὴ δεῖν ἐκ μέρους τὰ συγγράμματα κρίνειν, μηδὲ ἀποσπαράγματά τινα λαμβάνοντας, διὰ τούτων τὴν ὅλην τοῦ γράφοντος ἐνδιαβάλλειν διάνοιαν· τοῖς γὰρ τοιούτοις καὶ ὁ προφήτης ἐπαφίησι τὴν ἀράν, Οὐαὶ τοῖς προφητεύουσι, λέγων, ἀπὸ καρδίας αὐτῶν, καὶ τὸ καθόλου μὴ βλέπουσι.*

[14]) De doctr. christ. lib. II. cap. IX.

exempla, et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant."

Sane ne integrum nobis esse arbitremur vel transverso digito ab hoc canone deflectere, ratio inprimis manifesta postulat, qua edocemur, e clarioribus ac plenioribus lucem iis affundi oportere, quae neque tanta claritate fulgent, neque rem undequaque repraesentant: opportunitas deinde exigit, quae omnino maxima videri debet. Quid enim in ea quae adhuc fervet cum sacramentariis controversia, hoc canone opportunius? pugnant illi, non realem Christi carnem in Eucharistia erogari, sed benedictum panem, qui caro et Christi corpus μετωνυμικῶς dicatur, quod Paulus [15] scripserit: ***Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?*** Marcus [16] vero Christum induxerit sic loquentem: ***Jam non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei.*** Non me latet plura catholicis doctoribus argumenta suppetere, quibus ductas ex hisce testimoniis difficultates infringant atque refutent [17]; sed nescio an non illud sit potissimum, quod e verbis penes Matthaeum [18]: ***Hoc est corpus meum***, sua sponte dimanat. Sunt enim nativo lumine splendida, infuscari nequeunt, strophas omnes, tergiversationesque praecidunt, invectamque a sacramentariis textuum apud Paulum et Marcum acceptionem inde manifestae falsitatis coarguunt, quod hac probata, illarum veritas neganda sit.

37. Tribus hisce legibus si ea addatur penes omnes recepta qui de canonibus disserunt ad rite interpretandum necessariis, quamque Cyrillus alexandrinus et Chrysostomus enucleate, subtiliterque enarrant; vix quidquam supererit quod in praesentia velimus summopere animadversum. Itaque eo in opere, quod Thesaurum inscripsit, haec habet [19] Cyrillus: „Primum quidem oportet, ut is qui ad investigandas scripturas sacras accedit, observet tempus, quo aliquid dicitur, et personam, a qua dicitur, propter quid, et de quo dicitur. Ita enim qui recte sentire voluerint, citra ullum errorem quae scripta sunt, intelligent." Et Chrysostomus Cyrillo paulo antiquior, et prae quo neminem aequius de legibus rite interpretandi praecipientem audias, scribit [20]: „Non hunc locum tantum excutiemus: ***Non est in homine via eius:*** sed et contextus omnem seriem, et pro quibus dicta sint omnia, et a quo, vel ad quem, quam ob caussam, quando et quomodo. Non enim sat est dicere, aliquid in Scriptura consignatum repe-

[15]) I. Cor. X. 16.

[16]) Marc. XIV. 25.

[17]) Quod post Baronium et Bellarminum Cardinales, omnium praeclarissime exequuntur auctores operis inscripti, *La Perpetuité de la foi....* T. II. Liv. I—II.

[18]) Matth. XXVI. 26.

[19]) Assert. XX.

[20]) Hom. de verbis Jeremiae, cap. X. Consentit Tertullianus, dum ita pressius scribit, de Pudicit. cap. XVI: „Sed hoc est solemne perversis, et idiotis, et haereticis, iam et psychicis universis, alicuius capituli ancipitis occasione adversus exercitum sententiarum instrumenti totius armari."

riri, neque temere avulsa ac discerpta divinitus inspiratae scripturae membra nuda, et a reliquo textu, serieque sermonis seiuncta sumere, ac nimia licentia, confidentiaque ipsis illudere. Sic enim prava dogmata nostra hac aetate invecta sunt, dum negligentioribus persuasit diabolus, ut oblique detorta Scripturae testimonia proferrent, vel additis, subtractisque nonnullis tenebras veritati offunderent.

COMMENTARII
DE
PRAEROGATIVIS
BEATI PETRI
APOSTOLORUM PRINCIPIS
LIBER PRIMUS

LIBER PRIMUS

CAPUT I.

De norma, ad quam caussae iudicium exigi debet: — atque adeo de vi et ratione caussae ipsius: — ea pertinet ad illarum speciem caussarum, quibus de voluntate et decreto institutoris quaeritur: — indicia ergo omnia huius voluntatis totidem sunt singulares regulae, e quibus controversiae decisio pendet: — quinam characteres hisce indiciis inesse debeant: — unde existat universalis norma, cui supremum iudicium respondet: — discrimen inter universalem normam, legesque singulares: — illustratur: — animadvertitur in protestantes, quod praeposteram μέθοδον delegerint.

1. Quum plura, diversaque sint testimonia [1], quae ad praesentem de Petri praerogativis tractationem referuntur, quaestio primum oboritur, quo in numero haberi illa debeant, quove pacto vel singula seorsum, vel omnia coniunctim ad totius caussae iudicium, definitionemque conducant. Quae dubitatio, si paullo inspiciatur penitius, eiusmodi apparet, ut ab ea non admodum discrepet, qua petitur, quaenam deligenda sit norma, ut ferendum de caussa iudicium cum veritate conspiret, et sapientium omnium suffragium, approbationemque mereatur. Neminem vero fore puto, quem lateat, eiusmodi normam praestitui rite non posse, nisi species innotuerit, qua caussae ratio continetur. Incredibile enim dictu est, quam variae, quamque diversae pro varietate, caussarumque discrimine sint regulae: quamque ii fallantur graviter, qui caussis omnino omnibus unam, eamdemque praefinitam normam arbitrantur. Profecto alia est norma, qua geometricae quaestiones, et alia qua mechanicae et astronomicae dirimuntur: neque idem est κριτήριον, quo de controversiis historicis, et quo de philosophicis iudicamus.

2. Jamvero perspicuum est, eam nobis prae manibus caussam esse, quae illarum specie comprehenditur, quibus postulatur, cuiusmodi censeri debeat institutoris voluntas authenticis instrumentis consignata de praerogativis, quas uni prae aliis ceteroqui paribus contulerit. Huc enim indaginis summa, et contro-

[1]) Proleg. cap. IV.

versiae τὸ κρινόμενον tandem redit: decreverit ne Christus, ut divinae illius missionis ac potestatis [2], quam ipse a Patre accepit, omnes ex aequo participes ii forent, quos seorsum a reliquis [3] apostolos nuncupavit; an potius sanxerit, ut e duodecim unus, isque Simon Johannis filius, et appellativo Cephae nomine insignis, ceteris anteferretur, iis uti caput praeesset, atque eos inter tamquam ἡγούμενος καὶ προστάτης [4] haberetur. Deinde vero qualem eam esse auctoritatem [5] voluerit, qua unum prae reliquis Cepham illustrem reddidit, quemque propterea Cepham inter, ceterosque apostolos *subordinationis habitum* induxerit. Paucis: στάσις ac princeps quaestio est, an Christus reliquis apostolis Cepham dignitate praeposuerit: sed κεφάλαιον εἰδικὸν et quaestio incidens est, qua dignitate [6], quam ampla ac fusa illum praehabuerit, atque ideo quo subordinationis modo reliquos apostolos cum Petro devinxerit.

3. Utraque igitur quaestio, tum quae princeps est, tum quae hanc excipit, ad eam pertinet caussarum speciem, quibus in controversiam adducitur, utrum institutor uni prae reliquis ornamenta aliqua, praerogativasque concesserit. Hae autem caussae tales sunt, quibus rite habendis, illa inprimis seponi debent, quae sunt *communia:* neque enim e communibus prodire discrimen potest; vel eo communia pertinent, ut statutum inter plures discrimen aperiant. Ad ea

[2]) Ad ea respicio quae ex ore Christi profecta Matthaeus describit cap. XXVIII. 18—20: Ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς. πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν· καὶ ἰδού, ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος.

[3]) Matth. X. 2. coll. Marc. III. 14, Luc. VI. 13, Act. I. 2.

[4]) Ex hisce vocabulis alterum biblicum est atque ecclesiasticum, alterum usu solum ecclesiastico receptum. Ad illud ista pertinent Hebr. XIII. 7: μνημονεύετε τῶν ἡγουμένων ὑμῶν, οἵτινες ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ. Ad posterius vero spectant quum alia a Patribus crebro usurpata, tum haec Basilii seleuciensis ex orat. in Davidem, §. XVII: Πέτρος τῶν ἀποστόλων ὁ κορυφαῖος, ὁ τῶν Χριστοῦ μαθητῶν προστάτης.

[5]) Quum multa de voce *auctoritatis* ea mente disputet Bohemerus in Dissert. Juris eccles. antiqui, Dissert. VII. n. III. §. XIV, ut se ab iis expediat testimoniis, quibus discrimen clericos inter atque laicos divino iure, divinaque Christi ordinatione praefinitum ostenditur; aperte profiteor. me ea voce uti, ut ἐξουσίαν, potestatemque regendi, gubernandique significem. Cf. Barnabam Brissonium de verb. significat. ad v. *auctoritas.*

[6]) Si utraque definiatur controversia, vix quidquam investigandum supererit, ut de *forma* constet, qua Christus voluit institutam a se ecclesiam gubernari. Eam enim noluisse, ut δημοκρατικῶς regeretur, omnia probant, verba institutionis, testimonia, gestaque apostolorum, disertissimae Patrum sententiae, ac universa christiani nominis historia. Voluisse autem, ut illius regimen ad unum, supremumque caput revocaretur; ea ostendent quae continenti oratione demonstrabimus.

deinde animus convertendus est, atque in iis defigendus, quae *propria* [7] nuncupamus, et hac quidem lege, ut non unum dumtaxat alterumve *e propriis*, sed omnia et singula exploremus; quum fieri non possit, ut quae agitantur caussae, quemadmodum par est, dirimantur, nisi prius quotquot sunt omnia manifestandae voluntati institutoris utilia seorsum aestimentur, tum iuncta simul, et in quamdam veluti summam redacta ita librentur, ut quid ex iis sit consequens, tandem determinetur. Quare suis deessent partibus theologi, et ab eo quod aequum et iustum est discederent, si de Petri caussa prae apostolis reliquis acturi non singula rimarentur, quae ad aperiendam Christi de eo voluntatem, ordinationemque referuntur. Neque levius peccarent, si mentem in singula sic intenderent, ut a summa avocarent, noxioque silentio non adverterent, caussae arbitrium ita e singulis pendere, ut primum atque potissimum ex omnium summa dependeat.

4. Quod eius esse momenti puto, ut operae pretium existimem paullo id uberius, validiusque confirmare. Itaque arbitrium quod pronunciari de caussa debet, conferri potest vel cum *singulis*, quae ad illam pertinent *indiciis*, vel cum eorum *summa*, quae e singulis iunctis, coordinatisque efflorescit. Ut autem haec comparatio, e qua decisio litis petenda est, apte ineatur, duo sunt praenoscenda, quorum alterum est, cuiusmodi esse *singula* debeant, quae in comparationem veniunt: alterum vero, quo *momento*, quove *gradu* supremum, ultimumque caussae iudicium quum *singulis*, tum *singulorum summae* respondeat. Atqui neutrum obscurum est, vel a communi sentiendi, cogitandique ratione semotum. Quisque enim intelligit, ex omnibus quae in authenticis instrumentis leguntur, ea solum consideranda esse, quae I. propria sint: II. ad praerogativas, singularesque dotes spectent, easque tales, quae III. eximia quadam moderandae ecclesiae auctoritate contineantur. Quarum conditionum si vel una desit, iuvari nullatenus iudicium poterit, quo decernendum est, utrum Petrus fuerit apostolis ceteris praehabitus, quamque ipse prae ceteris dignitatem, auctoritatemque obtinuerit. Singula ergo quae examini subiicienda sunt, ut iudicium de Petri caussa feratur, triplicem [8] postulant conditionem: I. proprietatem: II. excellentiam, atque hanc III. cum potiori regendae ecclesiae potestate coniunctam. Nimirum I. propria esse debent: II. eximia atque praestantia, quum ἁπλῶς et absolute, tum σχετικῶς et comparate: denique III. illorum excellentia e singulari quadam, potiorique Petri auctoritate proficisci debet.

5. Porro quae hisce notis et characteribus distinguuntur, considerari ea

[7]) Id enim iis, quae *propria* dicuntur, convenit, ut distinguant ac secernant.

[8]) Si testimonia quae afferuntur, tribus hisce conditionibus sint praedita, singularis Petri dignitas, quae inde eruitur, ad primatum pertinet, quem auctoritatis et iurisdictionis appellant. Sin autem ex iis aliquot tertia careant proprietate, primatum quidem ostendent aliquem, minime vero primatum singularis iuris, eximiaeque potestatis. Quae praemonenda idcirco erant, ut I. ex singulis testimoniis id deducatur unum, quod illis continetur; ac ut II. intelligatur, longe plura haberi posse, quibus primatus *universim*, quam primatus iurisdictionis nominatim comprobetur.

possunt vel *seorsum* et *singulatim*, vel *simul* atque *coniunctim*. Si illud fiat, tot de caussa existent iudicia distincta et interiecta, modo probabilia, modo probabiliora, neque semel rata etiam et fixa, quot sunt quae per partes et articulatim expenduntur. Sin vero alterum contigerit, iudicium, quod feretur, unicum erit et singulare, ultimum et decretorium, utpote eorum summa determinatum atque expressum, quae ad animum in alterutram partem flectendum conferri poterant atque debebant. Quae quum ita sint, probe cernimus, *ultimum de caussa iudicium* non aliter ad singula *per se ac suapte natura* referri [10], quam ad antecedentes dispositiones, quae sensim et per gradus ita animum occupant, ut viam ad illud insternant atque complanent. Per se enim *ad summam* refertur, et cum indiciorum summa ita nectitur atque cohaeret, ut contra rationis praescriptum aliter, quam comparate ad summam pronuncietur.

6. Profecto nemo non dabit, supremum, ultimumque iudicium cum effectu [11] apte componi, qui e pluribus, iisque particularibus, coordinatisque caussis emergit. Sicut ergo huius effectus *quantitas* neque aestimatur, neque e virtute ultimato definitur, quae singulis seorsum caussis inest: sed aestimatur, atque ex ea virtute ultimato definitur, quae e summa, caussarumque omnium

[9]) Ne qui indicia spernant, quae probabilibus aut probabilioribus iudiciis caussam praebent, in memoriam revocabimus partitionem penes omnes iuris peritos vulgatissimam, qua probationes dispescunt in *plenas*, quae perfectam fidem iudicii de re aliqua faciunt: et *semiplenas*, quae non perfectam fidem, sed opinionem aliquam pariunt. Si imprudentis foret, probationes semiplenas penitus negligere; prudentiae sane adscribi eorum contemptus non poterit, quae quamquam certitudinem non afferant, lumine tamen aliquo probabilitatis refulgent. Nimirum ea solum facessere debent, quae iuris doctores *impertinentia* nuncupant, quaeque nec per se, nec una cum aliis adminiculis ad caussae fidem conferunt.

[10]) His particulis circumscribentibus propterea utor, quod accidere possit, ut unum alterumve seorsim inspectum tale sit, quod ad certum ferendum iudicium sufficiat.

[11]) Addiderim non minus commode cum iudicio conferri posse, quod pluribus auditis testibus, iisque consentientibus pronunciatur. Etenim quum unum, alterumve audis testem, maiori, minorive mentis propensione opinaris; at quum plures simul, eosque conspirantes audiveris, neque assensionem continere, neque anceps atque dubius haerere potes. Alia est ergo constantia iudicii, cui consensio testium praefulget, atque alia eorum iudiciorum firmitas, quae uno, alterove referente teste concipiuntur. Sed quae huius discriminis assignari origo potest? inde ne repetendum est, quod probabilia probabilibus cumulata certitudinem pariant? haud crediderim. Inde ergo desumendum videtur, quod probabilium conspiratione innotescat, non potuisse ea simul, acervatimque confluere, nisi veritas relationi subesset. Singula enim probabilia non male censentur totidem veluti διακριτικά signa, quorum singulis ea vis insit, ut rem quadamtenus aperiant, quae pleno in lumine nonnisi omnium summa et complexione collocetur.

conspiratione prodit; ita ultimi, supremique iudicii ratio et firmitas non e singulis seorsum indiciis, sed ex eorum consensione atque summa aestimari debent atque desumi. Inde vero consectarium fluit, quod citra piaculum praeteriri silentio non potest, quodque ego propterea δακτυλοδείκτως indicabo. Scilicet usuvenire potest, et *suapte natura* debet, ut alia sit ratio, et alia constantia iudicii quod ultimum profertur, quam ratio et eorum iudiciorum firmitas, quae media sunt et interiecta. Illius enim vis e momentorum, indiciorumque summa, horum vero e singulis quibusque momentis, singulisque divisim partibus dimanat. Discrimen ergo, quo summa a partibus distat, rationem quoque et constantiam iudicii ultimi ab ea quae mediis, interiectisque convenit, dividit ac secernit.

7. Quod quidem in arbitriis forensium iudicum luculentissime apparet. Fingamus enim hanc caussae speciem in litem venire: utrum nobilissimus pater familias ab aliquot iam annis vita functus voluerit, ut superstites filii ex aequo, vel inaequaliter potius haereditate potirentur. Quae erunt iudicis officia, quae partes ut sententiam dicat ad testatoris voluntatem expressam? testamentum ipsum accuratissime leget, codicillos, si qui forte adiecti fuerint, diligenter inspiciet; communia seponet; propria cum seorsum distinctis nec fixis omnino iudiciis, tum simul decretorio quodam ratoque iudicio aestimabit, sententiamque feret, quam distincta praecedentia iudicia praeparaverint, sed ultimum, supremumque praeceperit.

Ab hac autem quam finximus controversiae specie, etsi plurimum *materia*, *forma* tamen vix ea differt, quam expediendam aggredimur. In utraque contentio est de voluntate testatoris [12]: in utraque de distributione haereditatis aequali vel inaequali: in utraque de interpretandis instrumentis, quae testatoris dispositionem continent: ac in utraque de iudicio, quod ad instrumentorum normam de decreto testantis proferendum est. Una ergo ac eadem est ratio, conditioque sententiae, qua utraque caussa definiri debet. Sed caussam, quam in exemplum assumpsimus, nonnisi e summa, indiciorumque omnium conspiratione iudex dirimit, et arbitrium, quod de ea tandem profert, firmitate et constantia ab iis distinguitur, quae singula perpendens caussae momenta adhaesione animi pro illorum varietate, maiori minorive identidem pronunciavit. Ergo de ea item caussa, qua quaeritur, quid tandem sanxerit Christus: an ut apostoli ex aequo omnes missionis illius et auctoritatis participes essent, qua ipse instituit, et suis veluti occlusam seminibus ecclesiam gubernavit: vel contra, ut unus, isque Simon Petrus reliquis omnibus auctoritate praecelleret; nonnisi e summa

[12]) Est tamen quod advertatur discrimen non minimi momenti, et e varietate tabularum repetendum. Testamenta enim, quae conduntur, eo per se spectant, ut testatoris voluntatem certis, ratisque formulis declarent. At vero instrumenta bibliorum neque ea mente conscripta sunt, ut omnia Christi consilia explicentur: neque iis formulis constant, quae lege et consuetudine fixae trahi in alienum sensum non possint. Multo est igitur gravior necessitas ita singula quaeque expendendi, ut ne apex quidem neglectus videatur.

momentorum omnium statui debet; singulis vero de ea iudiciis, quae singulis caussae momentis respondent, inhaerendum sic est, ut sententia tamen non aliunde quam e summa repetatur.

8. Quare quum tractationes omnes duplici labe maculari possint, *universali* altera, quaeque a suis primordiis tractationem inficit, ac tum contrahitur, quum praepostera μέθοδος deligitur: altera *particulari*, quaeque veritati tractationis nonnisi identidem obest, ac tum incurritur, quum μέθοδος primum rite delecta animi oscitantia et imbecillitate, vel fraude, doloque malo interdum deseritur; liquidum est, tractationem quoque de praerogativis Petri, deque eiusdem prae apostolis reliquis praestantia atque auctoritate, alterutro flagitio depravari posse atque corrumpi. Et posteriore quidem, eoque minore illorum commentarii laborant, qui praesignatam licet a nobis μέθοδον noverint, illamque sibi sequendam destinaverint; ab ea tamen plus semel devii recedunt, sive quum in singula intenti, a summa oculos avertunt, sive quum ea permiscent quae singulis, quaeque summae conveniunt: illa enim sat est, si gradu probabilitatis aliquo [13] animum inflectant, huic vero competit, ut iudicium ipsum, sententiamque determinet: sive quum eo prolabuntur, ut iudicia quae singulis caussae adminiculis respondent, ab eo non separent, quod ultimum est, et ad summam refertur. Neque propterea quovis penitus fructu eiusmodi commentationes destituuntur: neque paleis ita scatent, ut non plurimum etiam bonae frugis contineant. Eae solum spem nullam faciunt utilitatis, quae e fallaci profectae μεθόδῳ numquam non exerrant, ac per devia rapiuntur. Quarum tot sunt propemodum specimina, quot legimus a protestantibus editos de Petro, eiusque auctoritate libros, in quibus, uti series orationis ostendet, nihil est sani, nihil integri, quum eorumdem auctores, ne caussae valedicerent, cui famulabantur, recto tramite neglecto, et luce veritatis repulsa, per obliqua praecipites iverint, eaque sibi videre visi sunt, quae nuspiam erant, *et solem geminum*, *et duplices se ostendere Thebas*.

[13]) Horum veritas ex iis manifesta est, quae identidem repetivimus. At si vera ista sunt, consequitur: I. ne rationem quidem controversiae iis esse compertam, qui omnia improbant, reiiciuntque argumenta, quae ἀποδεικτικὰ non sint et peremptoria: II. ea solum reiici merito posse, quae ne probabilitatis quidem specie ad asserendum Petri primatum, eiusque prae apostolis eximiam auctoritatem conducunt.

CAPUT II.

Ratio quaestionis iterum exponitur: — decretis conciliorum et Pii VI. declaratione illustratur: — opposita protestantium doctrina: — cui M. Antonius de Dominis patrocinatur: — censura facultatis sorbonicae: — testimonia pro veritate catholica, quae in evangeliis habentur: — ac illud inprimis, quo factum Simoni Cephae nomen, ac illius explicatio continetur: — vis testimonii expenditur et confirmatur.

9. Quamquam videam id e repetitionibus consequi, ut lectoribus fastidium creetur; spero tamen fore, ne in sinistram partem accipiatur, si quo brevius potero, vim, rationemque quaestionis iterum exposuerim. Maximi enim refert, ut animo constanter obversetur, et qualis ea sit, accuratissime intelligatur. Huc itaque redit quod inquirimus: „utrum ex inspiratis divinitus instrumentis [1] constet, Simonem filium Johannis, atque unum e duodecim, ita ceteris fuisse a Christo praehabitum, ut illorum caput et auctoritate principem instituerit.“ Quibus sinceram controversiae rationem explicari, neque catholicis anceps est, neque protestantes inficiantur, adeo ut partes de ea consentiant, quamquam non diversa solum, sed mutuo pugnantia teneant atque tueantur.

10. Sane de catholicorum sententia perspicue ex iis liquet, quae oecumenica concilia decreverunt, e quibus lateranense IV. habitum anno MCCXV, lugdunense II. celebratum anno MCCLXXIV, et florentinum, quo inter utramque ecclesiam, latinam et graecam, anno MCDXXXIX. pax inita fuit, et unitas restituta, in hanc fidei professionem [2] conspirant: „beatum Petrum credendum esse apostolorum principem, verum Christi vicarium, ecclesiae totius caput, et christianorum omnium patrem et doctorem, qui a Domino nostro Jesu Christo plenam regendae, gubernandaeque universalis ecclesiae potestatem acceperit.“

Quam ut Pius eo nomine sextus integram, inviolatamque protegeret, publicis litteris adversus Eybelium datis [3] declaravit: „Super soliditate petrae fundatam a Christo ecclesiam, Petrumque singulari Christi munere prae ceteris electum, qui vicaria potestate apostolici chori princeps existeret, totiusque adeo

[1]) Quibus verbis probationum sedem, locumque circumscribimus, et quantum satis est declaramus, controversiae solutionem e divinis unice litteris repetendam esse.

[2]) Ad haec ipsa conciliorum decreta provocat Pius VI. in Brevi, *Super soliditate*, quibus praemittit quae eadem omnino mente dicta, gestaque fuerant in synodo chalcedonensi, anno CDLI, et in octava generali, anno DCCCLXIX.

[3]) Eybelii liber inscribebatur, *Quid est Papa?* graece vero, *Τί ἐστιν ὁ Πάπας;* Illum Pius damnavit editis, quas laudavimus litteris, *Super soliditate*, anno MDCCLXXXVI.

gregis pascendi, fratres confirmandi, totoque orbe ligandi ac solvendi summam curam, auctoritatemque in successores [4] omni aevo propagandam susciperet, *dogma catholicum esse*, quod ore Christi acceptum [5], perenni Patrum praedicatione traditum ac defensum, ecclesia universa omni aetate sanctissime retinuit, saepiusque adversus novatorum errores summorum pontificum, conciliorumque decretis confirmavit. In hoc apostolicae cathedrae principatu firmum voluisse Christum, constrictumque teneri unitatis vinculum, quo ecclesia per universum mundum propaganda, ex membris quantumcumque dissitis, mutua omnium in uno capite consociatione in unam corporis compagem coalesceret, fieretque adeo, ut huius vis potestatis non tantum ad primae sedis amplitudinem, sed et maxime ad corporis totius integritatem, incolumitatemque valeret. Minime proinde mirum quotquot omnibus retro saeculis extitere, quibus antiquus humani generis hostis hostile suum in ecclesiam odium infudit, in hanc primam sedem irruere consuevisse, qua unitatis firmitas continetur, ut disiecto, si fieri posset, fundamento ac dirempta ecclesiarum cum capite coniunctione, qua potissimum nituntur, vigent ac efflorescunt, ipsammet ecclesiam, fractis viribus misere afflictam ac dilaceratam, libertate spoliarent, qua Christus eam donavit, indignaeque servituti addicerent."

11. Quod autem Pius omnibus retro saeculis factum lamentatur, numquam acerbius contigit, quam quum Luthero vexillum rebellionis praeferente, numerosissimae septemtrionis gentes a catholica societate desciverunt. Tum enim una omnium vox extitit, atque clamor unus: nihil Petro fuisse delatum, quod Christus ceteris quoque apostolis non concesserit. Hanc vocem Lutherus edidit [6], atque hanc ingeminarunt unanimes, et etiamnum ingeminant, quotquot [7] in Gallia, Germania, Anglia, Scotia, Norvegia, Suecia, Dania, et amplissimis Americae regionibus a Luthero, Calvino, Zwinglio, aliisque turbarum auctoribus nuncupantur. His a catholicis transfuga nomen dedit M. Antonius de Dominis, ac ut

[4]) Quae de propagando in successores primatu definiuntur, quamquam indubitata sint, et ad fidem catholicam pertinentia, ad praesentem tamen controversiam non spectant, in qua de *institutione* primatus, minime de eiusdem *propagatione* sumus solliciti.

[5]) His declarat Pontifex, primatum Petri earum veritatum numero comprehendi, quae Scripturis consignatae perenni Traditione uberius explanantur. Declarat propterea: I. defendenda esse bibliorum testimonia, quae ad Petri primatum referuntur: et II. Traditionem, qua ille asseritur, esse ἐξηγητικήν.

[6]) In defensione artic. suorum con. Leonis X. bullam, art. XXV, et in Comm. ad Galat. I.

[7]) Centuriator. Magdeburg. lib. I. cap. IV; Calvin. lib. IV. Instit. cap. VI. n. 6; Johannes Gerardus, Confess. Catholic. T. II. p. 426. edit. Jenae 1661; Fridericus Spanhemius, Chamier contract. lib. XI. cap. IX; Salmasius, de primatu Rom. Pontificis; Salomon Deilingius, Observatt. sacr. Exercit. VI; et Johannes Forbesius, Instruct. histor. theolog. lib. XV. cap. V.

probum se, numerisque omnibus absolutum protestantem demonstraret, defendendum sibi sumpsit [8]: „Disparitatem potestatis inter apostolos esse humanum inventum, in sacris evangeliis, et divinis novi testamenti scripturis minime subsistens.“ Atrocem calumniam non tulit theologica Sorbonae facultas, sibique apprime decorum esse duxit, hominem crimine haereseos turpem reprimere, editoque solemni iudicio declarare, quid de apostolorum aequalitate vel inaequalitate ad praescriptum catholicae professionis existimari debeat. Itaque die XV. Decembris, anno MDCXVII. ea sententia, qua priores quatuor Spalatensis libros de Republica Christiana confixit, propositionem quam retulimus, hac censura [9] notavit: „Haec propositio est *haeretica* et *schismatica*, de iurisdictione apostolica ordinaria, quae in *solo* Petro subsistebat, intellecta.“

12. Quare tam cordi esse nobis debet Petri praerogativas, eximiamque prae apostolis reliquis dignitatem, potestatemque tueri, quam sinceritati fidei, quae haeresi corrumpitur, et ecclesiae unitati, quae haeresi et schismate violatur, prospicere. Illi nimirum unitati, quam profitemur [10] in symbolo, quam Scripturae [11] praecipiunt, quam Christus [12] commendat, pro qua Patrem [13] exoravit, et quam non modo institutae a se ecclesiae, verum etiam suae a Patre missionis [14] notam, et *σημεῖον* omnium luculentissimum fore constituit.

Dubium vero esse non potest, unde defensionis argumenta, et veritatis patrocinium repeti debeant. Argumentorum sedes praefinivit Spalatensis, neque alias ab iis proposuit, quas nos ipsi delegimus, quaeque solum a protestantibus in pretio habentur. „In disputationibus, ita Galliae calviniani [15], ad iudicium et decisionem doctrinae nullus erit locus antiquorum doctorum scriptis.“ Et alibi [16]: „Omnia debent expendi, dirigi, reformari ex scriptura sacra.“ Quae a coryphaeo factionis Calvino didicerant, qui catholicos non citra arrogantem fastum his verbis compellabat [17]: „In Petro volunt papistae ecclesiam fundari: nonnulli ex Patribus [18] ita exposuerunt; sed cum reclamet tota Scriptura [19], quid eorum adversus Deum auctoritas praetenditur?“ Stabimus ergo Scripturis, iisque solum

[8]) Penes Du Plessis d'Argentré, Collect. Judiciorum Eccl. T. I. Part. II. pag. 409.

[9]) Censuram sorbonicam habes apud Franciscum Harlay, archiepiscopum rotomag. Apolog. Evang. pag. 215. edit. Paris. 1725.

[10]) Symbol. nic: *Πιστεύομεν εἰς μίαν ἐκκλησίαν.*

[11]) I. Cor. XII. 12—27; Ephes. I. 22—23, II. 13—16, III. 6, IV. 4—12 —16, V. 23—30; I. Cor. I. 9—13.

[12]) Joh. X. 16.

[13]) Joh. XVII. 20—23.

[14]) Joh. XVII. 21: *Ἵνα ὁ κόσμος πιστεύσῃ, ὅτι σύ με ἀπέστειλας.*

[15]) Libr. de Disciplina, cap. I. art. II, cap. VI. art. IV.

[16]) Confess. gallic. Art. V.

[17]) Instit. lib. IV. cap. VI. n. 6.

[18]) Ita ne vero? atqui quos tu *nonnullos* appellas, hi sunt prorsus *omnes*, adeo ut praeclarius eruditionis tuae specimen desiderari vix possit.

[19]) Notari artificium debet protestantibus solemne, quo ita se gerunt, ut siquae veritas auctoritate bibliorum confir-

utemur, quae a Christo et apostolis dicta, gestaque in Scripturis narrantur: usurpabimus deinde Tertulliani [20] verba: „Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus assignarunt.“ Quibus ista subiiciemus, quae habet [21] Irenaeus: „Non enim per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos, per quos evangelium pervenit ad nos. Quod quidem tunc praeconiaverunt, postea vero [22] per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt fundamentum et columnam fidei futuram.“

13. In evangeliis autem quod primum occurrit ad rem nostram pertinens habetur penes Johannem, quo referente [23], quum Simon Jonae filius [24] studio, curisque Andreae fratris ad Jesum invisendum accessisset, non solum ab eo fuit humanissime exceptus, verum etiam his verbis magnifice recreatus: *Intuitus autem eum* [25] *Jesus, dixit: tu es Simon filius Jona, σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς, ὃ ἑρμηνεύεται Πέτρος, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Propemodum illi diceret: „sublimior est destinatio tua, quam inditum a nativitate Simonis nomen praesignet; tibi enim faciam Cephae appellationem, qua intelligatur, quae tua futura sit dignitas, quae praestantia, quasque sis in sustentanda, continendaque ecclesia, quam aedificabo, partes obiturus.“ In quo commentario nihil omnino esse, quod cum verbis Christi, eiusque mente non apprime consentiat, perspicuum erit, si *quatuor* quae subiicimus, ex ordine considerentur.

14. Ac illud *initio*, verba quae descripsimus, eo in contextu legi, ut nonnisi ad *unum* Simonem referri possint, proindeque *unum* esse Simonem, cui Christus novum nomen, novamque appellationem promiserit. Plures erant discipuli, ac omnino duodecim apostoli, quos Jesus carissimos habuit, eximiisque donis cumulavit. Nihilominus unum delegit Simonem, quem ita novo nomine ornaret, ut recens appellatio in prioris veluti obliteratae locum suffecta videretur.

metur, tum se ad veterum interpretationes recipiant: pugnent vero et bibliorum testimoniis obnitantur, quum Patrum suffragio eadem defenditur. Ne ergo vertigine prope abrepti vagemur iugiter, ac nuspiam consistamus, edici perspicue debet, suum esse singulis locum, neque ferri posse, ut quum e bibliis res agitur, interpositis patribus, tota controversiae ratio perturbetur.

[20]) Praescriptt. cap. VI. Hinc veritates christianae ab Ignatio in epist. ad Magn. §. XIII. dicuntur *δόγματα Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ ἀποστόλων*: et apostoli ab alexandrino Clemente Stromat. lib. III. §. I. nuncupantur *οἱ προπάτορες τῶν δογμάτων*,

[21]) Con. Haeres. lib. III. cap. I.

[22]) Nihil hisce praeclarius ad aperiendam originem Traditionis *ἐξηγητικῆς*.

[23]) Joh. I. 40—42.

[24]) Quemadmodum duo Thaddaei, alter ex apostolorum, ac alter e discipulorum numero, ita plures in N. T. Simones occurrunt, Simon Petrus, Simon Cananaeus. Simon frater Domini, Simon Cyrenaeus, Simon leprosus, Simon Iscariota, Simon coriarius, Simon niger et Simon magus. Quum ergo Simonem deinde appellabimus, non alium quam Simonem Petrum intellectum volumus.

Quod loquendi usus *ecclesiasticus* et *biblicus* ostendit. Ille quidem [26], quum monumenta christiana universa, synodi, liturgiae, homiliae, epistolae, tractatus, commentarii, scholia, inscriptiones non alio ferme nomine quam Petri et Cephae Simonem Johannis filium significent. Biblicus vero, et penes scriptores *θεοπνεύστους* receptus, quum Paulus non semel [27] Cephae nomine [28] Simonem designet; Matthaeus autem [29], reliqui evangelistae [30], ac ipsemet Simon [31] non aliter eo utantur cognomine, ac si Simonis proprium [32] et *διακριτικὸν* extitisset.

15. Sed iam *alterum* spectari debet, et accuratius inspici, quo pertineat oratio Christi Simonem alloquentis: *σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς*. Idem nimirum valet, ac *tu eris Cephas:* quod *συνωνυμία* suadet in bibliis frequentissima verborum *σημαντικῶν καὶ οὐσιωδῶν:* et plane convincit textus [33] huic *ἐκ παραλλήλου* respondens, *σὺ εἶ Πέτρος, tu es*, neque solum diceris, *Petrus*. Unde Chrysostomus [34] de Petro ait: *ἡ κρηπὶς τῆς ἐκκλησίας, ὁ ὄντως Πέτρος καὶ τῷ ὀνόματι καὶ τῷ πράγματι: basis illa ecclesiae, vere Petrus, quum nomine, tum re ipsa* atque proprietate.

16. *Tertium* succedit in eo situm, nomina divinitus promissa atque imposita taciti instar vaticinii habenda esse, quo illius, cui nomen promittitur atque tribuitur, dignitas, excellentia, officium, qualitas, eaque propria adumbrantur. Ac in bibliis profecto, e quibus [35] iudicii nostri ratio sumenda est, vix contingit, ut nova promittantur et conferantur nomina [36], Abrahami, Israelis, Sarae, Jesu, quin praecipua munia, singularesque illorum dotes significentur, qui eum honorem nacti sunt. Ad rem ergo pertinent quae Justinus [37] notat: „Quod unum ex apostolis, mutato nomine, Petrum appellasse dicitur, atque in apostolorum commentariis id quoque refertur; quodque praeterea duos alios fratres filios

[25]) Joh. I. 42.

[26]) Quominus referam nominatim locos duo impediunt, rei prolixitas, eiusque evidentia.

[27]) I. Cor. I. 12, III. 22, IX. 5, XV. 5; Gal. II. 9.

[28]) Abnuit Marcellinus Molkenbuhr in diss. critica, *Quod Cephas, quem Paulus Gal. II. 11. redarguit, non sit Petrus apostolus*, contenditque n. 13. Petrum in libris N. T. numquam Cepham appellari.

[29]) Matth. IV. 18, VIII. 14, X. 2, XIV. 28—29, XV. 15, XVI. 16—18—22—23, XVII. 1—4—24—26, ...

[30]) Marc. III. 16, VIII. 29—32—33, IX. 1—4 ....; Luc. V. 8, VI. 14, VIII. 45—51 ....; Joh. I. 44, VI. 8—69, XIII. 6, XVIII. 10—11—15—16 ....

[31]) I. Petr. I. 1; II. Petr. I. 1.

[32]) Hinc numquam Petri nomen legimus aut audimus, quin de Simone cogitemus.

[33]) Matth. XVI. 18.

[34]) Homil. in h. l. Eodem ista pertinent Cyrilli alexandrini in Joh. I. 40: *Φερωνύμως δὲ ἀπὸ τῆς πέτρας μετωνόμαζε Πέτρον· ἐπ' αὐτῷ γὰρ ἔμελλε τὴν αὐτοῦ θεμελιοῦν ἐκκλησίαν.*

[35]) Unde operam perderent, qui aliunde quam e bibliis hac de re arbitrarentur.

[36]) Insequenti capite expoliemus ista diligentius.

[37]) Dialog. cum Tryph. n. 106. Cum his vero conferri utiliter possunt quae Chrysostomus scribit in Joh. Hom. XIX.

Zebedaei Boanerges, idest, tonitrui filios cognominavit [38]; id argumento erat, ipsum illum esse, a quo Jacobus Israelis, Auses Jesu nomine vocatus est, per quod nomen etiam in terra patriarchis promissa introductus est populus ex his superstes, qui ex Aegypto profecti sunt.“ Cui animadversioni hic subest sensus: unum eumdemque esse Dei *Λόγον*, qui in carne apparuit, qui patriarchis adfuit, ac veterum *οἰκονομίαν* administravit [39]; inde etiam colligere licet, quod non minus in altera quam in illa priore eorum nomina mutaverit, quos apprime insignes, ceterorumque capita ac duces [40] esse decrevit. Nomen ergo Cephae, quod Christus Simoni promisit [41], indicium atque argumentum censeri debet quum virtutis, supremique dominii, quo ipse Christus gaudet, tum dignitatis atque excellentiae, ad quam unum prae ceteris Simonem destinavit.

17. Cuius singularis praestantiae vis atque ratio liquidius innotescet, si *quarto*, postremoque loco animadvertatur, Cephae atque *petrae* appellationem [42] non ultimam ex iis esse, quibus propria Christi ornamenta in Scripturis efferuntur. Huc sane pertinent verba penes Isaiam [43], quae de Christo Petrus etiam [44] ac Paulus [45] accipiunt: „Idcirco haec dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fun-

[38]) His refelli videtur quod affirmavimus, uni Simoni novum nomen promissum a Christo fuisse atque collatum, quum referente Marco cap. III. 17. Zebedaei filios Jacobum et Johannem *βοανεργές, ὅ ἐστιν, υἱοὶ βροντῆς*, ipsemet dixerit. Verum I. quum Zebedaei filii *semel tantum βοανεργὲς* appellentur; Simon contra non alio ferme nomine quam Petri nuncupatur. Ad haec II. appellatio *βοανεργὲς* neque auctoritatem praefert, neque ad ecclesiasticam administrationem refertur; Petri autem nomen et tessera est potestatis, auctoritatemque designat in ecclesia potiorem, quemadmodum vel una metaphora fundamenti prae ecclesia instar templi, civitatisque considerata patefacit. Itaque III. hoc distat nomen *βοανεργὲς* de filiis Zebedaei semel adhibitum ab appellatione Petri Simoni indita, quod haec instar *proprii* nominis fuerit, illud non item; haec potiorem significet in ecclesia regenda auctoritatem, nihil vero eiusmodi eo nomine indicetur; quod haec vera extiterit nominis impositio, illud autem manifestatio potius proprietatis alicuius, quae in Zebedaei filiis refulgeret, quam nominis impositio censeri debeat.

[39]) Non dissimili inferendi ratione ceteri utuntur Patres, Irenaeus, Tertullianus, Origenes, ut unum eumdemque foederis utriusque auctorem, mediatoremque adversus gnosticorum deliria commonstrent.

[40]) Id enim exempla probant quae Justinus adhibet.

[41]) Cui conclusioni vix aliquod inesset robur, si quod Christus praestitit, nuda novi nominis impositione citra rem ipsam significatam contineretur.

[42]) Sumo in praesentia veluti certum, quod opportunius demonstrabo, vocabula *κηφᾶς, πέτραν, πέτρον, λίθον*, significatione aequipollere.

[43]) Is. XXVIII. 16: ubi verba Vulgati, *non festinet*, hebraice sunt, *non timebit*.

[44]) II. Petr. II. 4. seqq.

[45]) Rom. IX. 32—33: ubi duo simul testimonia coniunguntur, Is. VIII. 14, et XXVIII. 16.

damento fundatum, qui crediderit, non festinet.“ Huc quae leguntur in Psalmis [46], quaeque Matthaeus [47], Marcus [48], Lucas [49] et Petrus [50] ad Christum, veluti *ἔκτυπον* referunt: „Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.“ Huc verba [51] Danielis: „Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram.“ Huc quae habentur [52] apud Zachariam: „Ecce enim ego adducam servum meum Orientem. Quia ecce lapis, quem dedi coram Jesu, super lapidem unum septem oculi sunt: ecce ego caelabo sculpturam eius, ait Dominus exercituum, et auferam iniquitatem terrae illius in die una.“ Huc quae scribit [53] Paulus: „Ergo iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei: superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu.“ Dubitari ergo non potest, quin *petrae* nomine Christi decora atque ornamenta utroque in foedere significentur. Idem porro nomen Simoni pollicitus est, illique, uti mox [54] videbimus, Christus contulit. Quid ergo iam restat ut colligamus? videlicet placuisse Christo, ut unus prae reliquis Simon eius dotis, proprietatisque consors evaderet, qua ipse est et petra nuncupatur.

18. Sed quid enimvero si consortium, societatemque finibus nominis, appellationisque concluserit? ne ita arbitremur, postulant: I. divina Christi sapientia, cum qua minus belle consentit, ut nominibus, vocabulisque lusisse videatur: II. *ἀναλογία* Scripturarum [55], qua docemur una cum nominibus subiectas eisdem dotes tribui divinitus consuevisse: diserta tandem III. Christi verba [56], quibus significavit, Simonem dici atque *ὄντως* petram existere. Nihilominus consortium proprietatis, qua Christus petra nuncupatur, non citra distinctionem intelligi debet. Quae enim propria sunt Verbi incarnati, vel omnino *ἀκίνητα* sunt, vel communicari aliter non possunt, quam altero veluti gradu, ac uti loquuntur, *ἀναλόγως*. Porro ut quae *κατ' ἀναλογίαν* fiunt donorum, munerumque participationes apte determinentur, praenoscendum est, quae illis insit virtus, quum ad ***subiectum princeps*** referuntur, et *κυρίως καὶ ἁπλῶς* usurpantur. Constat autem [57], propterea Christum, ut Theodoriti verba [58] adhibeam, *ὑπὸ*

[46]) Ps. CXVII. 22.

[47]) Matth. XXI. 41.

[48]) Marc. XII. 10.

[49]) Luc. XX. 17; Act. IV. 11.

[50]) I. Petr. II. 7: ubi verba Psalmi conseruntur cum Is. VIII. 14.

[51]) Daniel. II. 35.

[52]) Zachar. III. 8—9: ubi quod Vulgatus reddit *Orientem*, hebraice est צֶמַח frons enascens, coll. Is. XI. 1, LIII. 2.

[53]) Ephes. II. 19. seqq.

[54]) n. 20.

[55]) n. 16.

[56]) n. 15.

[57]) n. 17.

[58]) Comm. ad Daniel. II. 34; et ad Zach. III. 9: *Λίθον αὐτὸν ὀνομάζει διὰ τὸ στεῤῥὸν καὶ ἀκαταγώνιστον.*

παλαιᾶς καὶ νέας διαθήκης προςηγορεῦσθαι λίθον, in veteri, novoque testamento fuisse lapidem appellatum, quod insita virtute, divinoque robore [59] opus sustentet quod molitus est, templumque contineat quod extruxit.

19. Non est ergo opus pluribus ut assequamur, quid sibi velit Simonem *ἀναλόγως* esse, dicique petram. Idem namque notat ac eum in communionem venisse quum firmitatis illius, quae Christo principi petrae *κυρίως* inest, tum ad societatem illius muneris provectum esse, quo Christus, fundamentum fundamentorum [60], domum Dei, quae est ecclesia, tuetur atque suffulcit. Apposite Origenes [61]: *Πέτρον δὲ αὐτὸν κληθήσεσθαι εἶπε, παρονομασθέντα ἀπὸ τῆς πέτρας, ἥτις ἐστὶν ὁ Χριστός, ἵν' ὥσπερ ἐκ σοφίας σοφός, καὶ ἅγιος ἐξ ἁγιότητος· οὕτω καὶ ἐκ πέτρας Πέτρος: Petrum autem appellandum ait* (Christus), *nomine desumpto a petra, quae Christus est; ut quemadmodum* [62] *a sapientia sapiens, et sanctus a sanctitate, sic etiam a petra Petrus.* Neque insigniter minus Leo, qui Christi verba Simonem alloquentis hoc commentario [63] explanat: „Cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis qui facio utraque unum, ego fundamentum, praeter quod nemo potest aliud ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.“ Egregie profecto, et ad Christi mentem accuratissime, quemadmodum haec ostendunt [64] ad eumdem Simonem directa: *Ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.* Vel enim nullum plane fundunt sensum, vel hunc omnino: „quum te petram effecero parti-

[59]) Quibus illustrandis ista conducunt Epiphanii in Ancorato, pag. 488: Christum dici petram *διὰ τὸ ἀμετακίνητον*: Cyrilli lib. III. Glaphyr. in Exod. pag. 314: *Πέτρᾳ παρεικάζεται διὰ τὸ ἄθραυστον καὶ ἀκλόνητον*: et Basilii de Sp. sancto, cap. VIII: *Πέτρα, διὰ τὸ ἰσχυρὸν καὶ ἄσειστον, καὶ παντὸς ἐρύματος ἀῤῥαγέστερον εἶναι φυλακτήριον τοῖς πιστοῖς.*

[60]) Cf. Mamachium T. V. Orig. et Antiquit. Christ. lib. IV. pag. 165. seqq.

[61]) In caten. ad Joh. I. 41.

[62]) Quae non de grammatica nominum derivatione, sed de reali proprietatum communione intelligi debent. Unde Hieronymus ad ea capitis VII. Matthaei, *fundata erat supra petram*, inquit: „Supra hanc petram Dominus aedificavit ecclesiam, ab hac petra apostolus Petrus sortitus est nomen.“

[63]) Serm. IV. cap. II.

[64]) Matth. XVI. 18. Quibus verbis Georgius Rosenmüller hoc subiicit scholion: „Petra nec est confessio Petri, nec Christus semetipsum digito vel nutu designans (quas interpretationes nec contextus admittit), sed ipse Petrus. Dominus syriace loquens nulla usus est agnominatione, sed utrobique dixit Cephas, quemadmodum gallicum nomen *Pierre* tam de proprio, quam de appellativo dicitur. Designavit itaque digito aut nutu Petrum; id enim conveniebat proposito reddendae rationis impositi nominis. Ita de Abrahamo dictum: nomen tuum erit Abraham, quia patrem multarum gentium te constitui. Jacobo: Israel erit nomen tuum, nam ut principem te geris apud angelos et homines. Ita Christus: Petrus a me nominatus es, quia eris quasi petra. Promittit autem se aedificaturum esse ecclesiam suam super Petro.“

cipatione meae soliditatis immotam, tum super te erigam, extruamque ecclesiam, quam condendam, aedificandamque constitui."

20. Ceterum appellationem Petri, quam primo praedicationis anno Christus Simoni promiserat, nonnisi altero illi revera contulit, quum [65] secretis e discipulorum numero apostolis, iisque una cum iniuncto docendi munere, potestate tributa, qua morbos curarent, daemoniaque expellerent, *ἐπέθηκε τῷ Σίμωνι ὄνομα Πέτρον*, *imposuit Simoni nomen Petrum*. Hac enim impositione fidem solvit hisce obligatam verbis, *σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς*: tum Simonem eo charactere a ceteris discipulis, apostolisque distinxit, quo tantum illis dignitate praecelleret, quo unus inter omnes ad Christum propius accedebat, illamque in se Christi dotem, proprietatemque referebat, qua is petra est, ac supremum christiani operis fundamentum. Ad rem Tertullianus [66]: „Sed cur Petrum vocavit? si ob vigorem fidei, multae materiae solidaeque nomen de suo accommodarent. An quia et petra et lapis Christus? siquidem et legimus positum eum in lapidem offendiculi et petram scandali: omitto cetera. Itaque affectavit carissimo discipulorum de figuris suis *peculiariter* nomen communicare, puto propius, quam de non suis."

21. Ut vero plenius etiam evidentiusque innotesceret, quo recens nomen pertineret, et cuius dignitatis vaticinium esset ac tessera, illius vim, potestatemque tertio praedicationis anno explanavit Christus, quum acceptis [67] vulgi de se iudiciis, ad apostolos [68] conversus, eorumque postulata sententia, Simonem audivit suam his verbis fidem profitentem [69]: *Σὺ εἶ ὁ Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος*: *tu es Christus filius ille* unigenitus non deorum mortuorum, qui nulli sunt, sed *viventis Dei*, quique suam vitam tum maxime ostendit, quum te ante luciferum genuit. Continuo namque subiecit [70]: *Κἀγὼ δὲ σοὶ λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*: *et ego propterea tibi dico*, eo dicendi modo, qui me Unigenitum Patris, quem tu confessus es, unice decet, et quo facio quae dico, *quod* quum tu sis natura Simon, iam *es* gratia et destinatione *Petrus*, saxumque firmissimum, unde *super hanc petram*, qualem te esse volo, *aedificabo ecclesiam meam*. Quam expositionem obviam, perspicuam, ex ipsa orationis serie ductam, et cum verborum [71] proprietate cohaerentem, ita Hieronymus [72] complexus est: „Quid est, quod ait: *et ego dico tibi?* non sermone casso, et nullum habente opus; sed *dico tibi*, quia meum dixisse, fecisse est; *quia tu es Petrus*, *et super*

[65]) Marc. III. 13—16.

[66]) Con. Marcion. lib. IV. cap. XIII: cum quibus ea iuverit contulisse quae habet Ambrosius de Fide lib. III. cap. V. n. 56.

[67]) Matth. XVI. 13—15.

[68]) Ibid. v. 15.

[69]) Ibid. v. 16.

[70]) Ibid. v. 18.

[71]) Quae in contrariam partem novatores disserunt, ea inferius, suoque loco diligenter excutientur.

[72]) In cap. XVI. Matth. pag. 74. T. IV. P. I. edit. Martianaei.

hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Sicut ipse lumen apostolis donavit, ut lumen mundi appellarentur [73], ceteraque ex Domino sortiti sunt vocabula; ita Simoni, qui credebat in Petram, Christus Petri largitus est nomen, ac secundum metaphoram petrae recte dicitur ei, *aedificabo ecclesiam meam super te.*"

CAPUT III.

Quae sint ex dictis consequentia: — Petri prae apostolis honor et auctoritas singularis: — eiusdem πρωτοστασία et προστασία: — quae veterum effatis, sententiisque confirmantur: — illustratio inde ducta, quod simili prorsus οἰκονομίᾳ Deus cum Abrahamo et Christus cum Petro egerit: — capita παράλληλα indicantur: — comparatio perpolitur: — ac ratio ostenditur, qua certis quibusdam protestantium difficultatibus cumulate satisfiat.

22. Quae praemisimus antecedenti capite, ita sunt comparata, ut totidem veluti principia merito aestimentur, e quibus non pauca controversiae, quam habemus, expediendae opportunissima deducantur. Quum enim ea sint Petri *propria*, illum ab apostolis reliquis secernunt, impediuntque quominus nullo discrimine, et tamquam unus ceterorum Petrus iudicetur. Neque discrimen modo, sed vim etiam, rationemque discriminis, ac unde repeti illud debeat, luculenter aperiunt. Ostendunt namque discrimen, quo ab apostolis Petrus distat, esse *duplex*, honoris alterum et excellentiae, ac alterum iuris, potiorisque auctoritatis: ostendunt deinde utriusque discriminis originem e singulari quadam cum Christo societate, Petrique coniunctione proficisci.

23. Et re sane vera promissio [2] primum, tum vero collatio [3] novi nominis, eiusque excellentissimi, quodque per se ac simpliciter [4] Christo convenit, Simonem a reliquis separat, illumque eximia quadam honoris praerogativa divinitus cohonestatum declarat. At vero subiecta eidem nomini potestas, quam

[73]) Respicitur ad verba Christi, Matth. V. 14: Ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου. Porro Joh. I. 4—9. Christus est qui dicitur τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων, et τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν: de Praecursore vero v. 8. affirmatur, οὐκ ἦν ἐκεῖνος τὸ φῶς, ἀλλ' ἵνα μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ φωτός. Quae ne ab invicem dissidere videantur, tenendum est: I. quae propria sunt Christi, ea cum apostolis participatione communicari: sed ita II. communicari, ut aliter Christo, aliter conveniant apostolis, illi plene et κατὰ φύσιν inesse, his nonnisi quadamtenus et κατὰ χάριν. Nihil propterea III. impedire, quominus ea de apostolis negentur, quemadmodum de Johanne negatur, quod esset τὸ φῶς. Videlicet si non ἀναλόγως, sed, uti dicere mos est, *univoce* usurpentur.

[1]) n. 14.

[2]) n. 13.

[3]) n. 20.

[4]) n. 17.

Christus [5] suo ore explicavit, multo effert sublimius Petri privilegium, illumque iure atque auctoritate apostolis praehabitum ostendit. Si enim Simon petra est ecclesiae, eique *ἀμέσως* post Christum, et *ἀναλόγως* cum Christo [6] vis et proprietas inest fundamenti, cui ecclesiasticum aedificium incumbat; hic exsistet habitus, atque haec Christum inter et Simonem *σχέσις* prodibit: ut quemadmodum Christus ex sese, primum atque potissimum, ita Simon participatione, secundo atque *ἀναλόγως* ad apostolos ceteros referatur, sicut fundamentum ad ea refertur [7], quae super illud exstructa continet, vincit, inditaque sibi firmitate corroborat.

24. Haec autem relatio non honoris duntaxat est praecellentis, verum etiam potioris auctoritatis. Quod *comparate* iuxta ac *ἁπλῶς, simpliciterque* demonstratur. Etenim eodem *ἀναλόγῳ* genere apostoli ad Christum et ad Simonem *petram* referebantur. Ad Christum vero eo habitu referebantur, eaque *σχέσει* subordinationis, qua necesse erat ut illi arctissime [8] adhaererent. Intra idem ergo genus, neque dissimili subordinationis habitu a Simone pendebant, quem in consortium suae firmitatis Christus adscivit. Hunc autem subordinationis habitum si qui e medio sustulerint, ipsam quoque evertent *imaginem*, qua singularem Petri dignitatem adumbratam Christus voluit, locumque praecludent participationi illius dotis, quam cum Simone communicatam, facto illi petrae nomine, Christus significavit. Etenim neque imago fundamenti ea erit, quae in Petrum apte cadat, si nulla apostolis necessitas fuerit cum eo cohaerendi: neque particeps illius dotis, qua Christus petra est et fundamentum, ipse merito existimabitur, si iure caruerit, quo ipsos etiam apostolos ad servandam secum unitatem, coniunctionemque obligare posset. Comparate ergo atque absolute constat, eo nomine, eaque per nomen expressa dignitate Simonem fuisse a Christo donatum, qua unus apostolis omnibus honore et potestate antecelleret.

25. E quibus pronum est concludere, ipsi *πρωτοστασίαν* aeque ac *προστασίαν*, auctore Christo, convenisse: illam quidem quod *honore*, hanc vero quod eum apostolis reliquis *auctoritate* praetulerit. Praetulit honore, quod unum inter omnes eum sibi propius devinxit, ac eiusdem divini nominis communione sociavit: praetulit auctoritate, quum vi impositi nominis declarata, illum ad consortium divini muneris, quo ipsemet supremum est ecclesiae fundamentum, evexit. Atqui *πρωτοστασίας* vocabulum eo pertinet, ut honoris principatum designet: *πρωτοστασία* enim per se, nativaque virtute non alium quam honoris et loci primatum exprimit: unde *πρωτοστάτης* proprie est qui in primo ordine, ac primus in acie consistit, et ab Hesychio dicitur, *ὁ πρῶτος παρὰ τὸ κέρας τῆς παρατά-*

[5]) n. 21.

[6]) nn. 18—19.

[7]) n. 21.

[8]) Eodem pertinet alia Christi comparatio Joh. XV. 5: *Ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος, ὑμεῖς τὰ κλήματα· ὁ μένων ἐν ἐμοί, κἀγὼ ἐν αὐτῷ, οὗτος φέρει καρπὸν πολύν· ὅτι χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν.* Etenim diversa licet imagine, similis tamen coniunctionis necessitas utraque comparatione *fundamenti* et *aedificii*, tum *vitis, palmitumque* significatur.

ξεως τεταγμένος, *qui primus ad cornu aciei locatur.* At vero προστασία, eodem Hesychio interprete, est κυβέρνησις, *gubernatio*, administratio: et προστάτην scholiastes Aristophanis describit τὸν προϊστάμενον τοῦ δήμου, τουτέστι, δημαγωγόν, *praesidem populi, idest, reipublicae administratorem.* Impositione igitur novi nominis, proprietatisque per nomen significatae communione effecit Christus, ut Simon ad πρωτοστασίαν καὶ προστασίαν destinatus, omnium πρωτοστάτης καὶ προστάτης redderetur.

26. Quod cum veteres christiani doctores animadvertissent, crebris, luculentisque sermonibus celebrarunt. Ac Petrum quidem [9], tamquam πρωτοστάτην τῶν ἀποστόλων semel ac rursum praedicat [10] Cyrillus hierosolymitanus, quo cum consentit Gregorius nyssenus [11], a quo Petrus dicitur, ὁ μὲν πρωτοστάτης καὶ κορυφαῖος τῆς ἀποστολικῆς χορείας. Ad eiusdem vero commendandam προστασίαν pertinent, quae Chrysostomus [12] scribit: Ἔκκριτος ἦν τῶν ἀποστόλων, καὶ στόμα τῶν μαθητῶν, καὶ κορυφὴ τοῦ χοροῦ· διὰ τοῦτο καὶ Παῦλος ἀνῆλθέ ποτε αὐτὸν ἱστορῆσαι [13] παρὰ τοὺς ἄλλους. ἅμα δὲ δεικνὺς αὐτῷ, ὅτι χρὴ θαῤῥεῖν λοιπὸν ὡς τῆς ἀρνήσεως ἐξεληλαμένης, ἐγχειρίζεται τὴν προστασίαν τῶν ἀδελφῶν. Tum haec quae habet [14] Oecumenius: ἀνίσταται ὁ Πέτρος καὶ ὡς θερμότερος, καὶ ὡς τὴν προστασίαν τῶν μαθητῶν ἐγκεχειρισμένος: *surgit Petrus et tamquam ferventior, et tamquam is, qui discipulorum praefecturam gereret.*

27. Quam Petri excellentiam, auctoritatemque praecipuam confirmari rursum, et splendidius suaderi posse arbitror, si οἰκονομία qua Deus Abrahamum habuit, cum ea *dextere* componatur, quam Christus cum Petro adhibuit. Dextere, inquam, iisque omnibus apte, solerterque inspectis et explanatis, quae ad retegendam, manifestandamque similitudinem conferre posse videntur. Quod, uti decet, praestari nequit, nisi quaedam προληπτικῶς adnotentur, quibus iter quodammodo communiatur. Praestrui autem ante omnia debet, nihil esse cum veritate coniunctius, quam insigniora quaeque ad novum testamentum pertinentia typis, imaginibus, παραλλήλοις, disertisque vaticiniis [15] praedicta, ac in prisco

[9]) Hanc Petri appellationem antiquis Patribus usitatam pluribus exornat Mamachius Origg. et Antiqq. Christ. T. V. *De titulis honorum b. Petri*, pagg. 531. seqq.

[10]) Catech. IX. n. 19. et Catech. XI. n. 4.

[11]) Laudat. s. Stephani, apud Zaccagnium, pag. 339.

[12]) In Joh. hom. LXXXVIII. al. LXXXVII. n. 1.

[13]) Gal. I. 18: Ἔπειτα μετὰ ἔτη τρία ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα ἱστορῆσαι Πέτρον, ubi codices non pauci, nonnullaeque priscae versiones habent Κηφᾶν.

[14]) In Act. I. 15.

[15]) Non christianorum dumtaxat hanc esse sententiam, sed iudaeorum quoque, tum veterum, quum recentiorum perspicua ostendunt testimonia Aristeae apud Eusebium Praep. Evang. lib. VIII. cap. IX, Josephi Antiquit. Prooem. §. IV, et lib. III. cap. VII, Philonis de Abraham pag. 357, de migrat. Abraham pagg. 402—404, et de Profugis pag. 466. edit. Turnebi 1691,

foedere praefigurata contineri. Huic 'utriusque foederis consensioni fidem sua auctoritate conciliant Christus ipse [16], evangelistae [17], apostoli [18]: tum ecclesiae doctores [19], sive in iis concertationibus, quas cum gnosticis, marcionitis et manichaeis habuerunt, ut eam *ἁρμονίαν*, conspirationemque vindicarent: sive in iis quae edidere, ut veritatem christianae institutionis [20] iudaeis aeque ac gentilibus persuaderent. Demonstrationem enim evangelicam, sin minus omnium plenissimam, nulli certe secundam eam constanter censuerunt, quae ex anticipatione rerum christianarum in veteri pacto solide, graviterque colligeretur. Jam vero quae ad Petrum spectant, talia sunt, ut iis non immerito connumerentur, quae in christiana institutione doctrinaque [21] eminent atque excellunt. Incredibile ergo videri non debet, *σχηματισμὸν* eorum aliquem priscis tabulis consignatum reperiri.

28. Quod si incredibile videri non debet, aestimari ne id poterit probabile, aut etiam certum? certum omnino foret, si auctoritate scriptorum *θεοπνεύστων*, vel unanimi Patrum suffragio eiusmodi praefiguratio doceretur. Fatendum vero est, neutrum nobis suppetere, neque illorum auctoritatem, qua utamur, neque horum suffragium [22], quo sustentemur. Ergo ne ad coniecturas, nudasque suspiciones devenimus? multo esse potiora quae proferri possunt, ultro nobis dabitur, si animo reputetur, *axiomatis* instar haberi posse: „similitudinem consiliorum divinorum tam commode inferri ex iis posse, quae Deus *ἔξωθεν* manifestavit, quam similitudo caussarum ex effectuum similitudine colligitur.“ Sicut enim effectus totidem veluti gradus censentur, quibus ad cognoscendas, distinguendasque caussas attollimur; ita divinae manifestationes ceu totidem sunt indicia, quibus Dei consilia, aeternaque decreta reserantur. Quare si eorum series, quibus Dei cum Abrahamo *οἰκονομία* continetur, simillima illi sit, quam

doctorum gemaricorum, Berachoth cap. V, Josephi Albo, Sepher ikkarim lib. III. cap. XXI, Salomonis Jarchi ad Ps. II, et Ps. LXXI, Davidis Kimchi ad eosdem psalmos, et Abarbenelis, Zebach pesach. f°. 51.

[16]) Joh. V. 39—46; Luc. XXIV. 26—27—45—46; Luc. XXII. 37.....

[17]) Matth. II. 5—6, XXI. 4—42, XXII. 42, XXVI. 56; Marc. IV. 12, XIV. 49; Luc. VIII. 10, XXIV. 26—27—45—46; Joh. XII. 40, XIX. 28—29.

[18]) Gal. III. 16; I. Petr. I. 10—11—12, II. 24; Hebr. I. 3; Rom. XV. 9. seqq.

[19]) Clemens rom. I. ad Cor. n. 12; Justinus in dialogo cum Tryph. n. 68; Irenaeus adv. haeres. lib. IV. cap. XXV. n. 3, cap. XXVI. n. 1; Clemens alex. Stromat. lib. V. nn. 6—8.....

[20]) Tertullianus adv. Marcionem lib. III. capp. VII—XVI, lib. IV. cap. XXXV, lib. V. cap. VII; Eusebius Praeparat. Evang. et Demonstrat. Evang.

[21]) Ex iis enim iudicium pendet, quod de ratione ecclesiae administrandae a Christo instituta ferri debet.

[22]) Unius enim, alteriusve testimonium tanti non est, ut dubitationem omnem praecidat. Abs re tamen non fuerit monuisse, de hac Abrahamum inter Petrumque collatione Bernardum cogitasse de Consid. lib. II. cap. IX.

cum Petro adhibitam scripturae novi testamenti declarant; sua veluti sponte duo consequentur: ac I. utramque *οἰκονομίαν* talem esse, quae iure ad invicem comparetur: et II. e simili *οἰκονομίᾳ* similitudinem consilii, statutique divini idonea conclusione deduci. Atqui hoc est quod contendimus, utramque *οἰκονομίαν* sibi *ἐκ παραλλήλου* respondere, neque aliter Deum cum Abrahamo [23], quam cum Petro Christum se gessisse. Jure ergo et comparationem inimus, et similitudinem divinae destinationis ex ea comprobamus. Quae praemittenda erant, ne posset comparationis opportunitas vel utilitas in dubitationem revocari.

29. His autem praemissis, ut ad ea veniamus capita, quibus utriusque *οἰκονομίας* similitudo et *παραλληλισμὸς* constat, illud primo occurrit, quo Deus [24] multifariam, multisque modis loquens patribus de eo gratiae foedere, quod cum protoparentibus [25] iampridem ferierat, dixit [26] Abramo: ***Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, ... et faciam te in gentem magnam***, וְאֶעֶשְׂךָ לְגוֹי גָּדוֹל. Quum vero [27] novissimis diebus initum foedus implere, et per Filium loqui, suamque voluntatem aperire coepit; Simoni atque Andreae [28] dixit Jesus: ***Venite post me***, *καὶ ποιήσω ὑμᾶς γενέσθαι ἁλιεῖς ἀνθρώπων.* Et Simoni [29] nominatim: *μὴ φοβοῦ· ἀπὸ τοῦ νῦν ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν.*

Vocanti Deo morem gessit [30] Abram: ***Et exiit Abram, sicut locutus est Deus ad eum.*** Vocanti Christo alacri, promptaque voluntate [31] paruit Simon: *καὶ εὐθέως ἀφέντες τὰ δίκτυα αὐτῶν, ἠκολούθησαν αὐτῷ.*

Obedientiam Abrami promissione novi nominis [32] remuneratus est Deus: ***Et non vocabitur ultra nomen tuum*** אַבְרָם, ***sed erit nomen tuum*** אַבְרָהָם. Eodem praemio Simonem Christus [33] honestavit, inquiens: *σὺ εἶ Σίμων ὁ υἱὸς Ἰωνᾶ, σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς.*

Non antea Deus vel dignitatem promisso nomine adumbratam explicavit, vel illam Abrahamo contulit, quam eximium fidei, caritatisque specimen [34] postulavit: ***Et tentavit Dominus Abraham, et dixit ad eum, sume filium tuum*** אֶת־יְחִידְךָ ***unigenitum tuum***, *μόνον σου*, ***quem diligis, et offeres eum in ho-***

[23]) Quibus significatum volumus, curam illi simillimam, quam in efferendo Abrahamo Deus ostendit, a Christo fuisse adhibitam, ut Petrum ornaret.

[24]) Hebr. I. 1.

[25]) Gen. III. 15; de quo vaticinio luculenter disserit Thomas Sherlok in opere inscripto, ***De usu, deque finibus prophetiarum.***

[26]) Gen. XII. 1—2.

[27]) Hebr. I. 2: *Ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν τούτων ἐλάλησεν ἡμῖν ἐν υἱῷ.*

[28]) Marc. I. 16—17. coll. Matth. IV. 18. Luc. V. 10.

[29]) Luc. V. 10.

[30]) Gen. XII. 4.

[31]) Marc. I. 18.

[32]) Gen. XVII. 5.

[33]) Joh. I. 45.

[34]) Gen. XXII. 1—2.

locaustum. Specimen item fidei, praestantiorisque caritatis [35] prius a Simone exegit Christus, quam vel promissi nominis excellentiam aperiret, vel ea Simonem exornaret: *λέγει αὐτοῖς, ὑμεῖς δὲ τίνα με λέγετε εἶναι; — Σίμων Ἰωνᾶ ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων;*

Verum non minus uterque animi constantiam in praestanda fide, exhibendaque caritate demonstravit, quam alacrem obedientiam in sequenda vocatione ostenderit. De Abrahamo namque [36] legimus: *Et extendit Abraham manum suam, et sumsit gladium* לִשְׁחֹט אֶת־בְּנוֹ *ad mactandum filium suum.* Ad Petrum vero ista [37] pertinent: *ἀποκριθεὶς δὲ Σίμων Πέτρος εἶπε· σὺ εἶ ὁ Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος. — Ναί, κύριε, σὺ οἶδας, ὅτι φιλῶ σε.*

Quemadmodum porro obedientiae, qua Deo vocanti uterque paruit, praemium fuit ac merces promissio, novique nominis collatio; ita consequenti eximia fide, singularique caritate permotus Deus dignitatem eo contentam nomine explicavit, explicatamque concessit. Ad rationem explicandae dignitatis ista [38] referuntur: *Apud memetipsum iuravi,* כִּי יַעַן אֲשֶׁר עָשִׂיתָ אֶת־הַדָּבָר *quoniam propterea quod fecisti verbum hoc.* Tum [39] haec: *ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι, ἀλλ' ὁ πατήρ μου ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. κἀγὼ δὲ σοὶ λέγω.*

Ad collatam vero quod pertinet dignitatem, animadverti debet eam esse divinam, ac utrique ita *ἀναλόγως* communicatam, ut I. Abraham propterea origo sit et parens fidelium omnium, Petrus vero eorumdem basis ac fundamentum: ille auctor seminis, quod astris coeli, marisque arenis copia et numero exaequetur; hic ecclesiae petra, quae gentes omnes, tribus, linguasque contineat. *Et multiplicando multiplicabo,* ita [40] de Abrahamo Deus, *semen tuum, sicut stellas coeli, et sicut arenam quae est in littore maris.* De Petro vero his omnino verbis [41] Christus: *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.*

Alterum quod de ea dignitate considerandum est, huc redit: II. impertitam utrique coelitus benedictionem non eam fuisse, quae in illis unice consisteret, et ad eos unice pertineret [42], sed ex illis atque per illos ad universam posteritatem, societatemque credentium extenderetur; adeo ut quotquot ad consummationem usque saeculi futuri erant credentes, per illos benedictionem, stabilitatem, victoriamque adversus hostium impetus, infernasque portas consequerentur. De Abrahamo [43] sunt ista luculenta: *Et expugnabit semen tuum*

[35]) Matth. XVI. 15. coll. Joh. XXI. 15—16—17.

[36]) Gen. XXII. 10.

[37]) Matth. XVI. 16. coll. Joh. XXI. 15.

[38]) Gen. XXII. 16.

[39]) Matth. XVI. 17—18.

[40]) Gen. XXII. 17—18, et XXVI. 4—5.

[41]) Matth. XVI. 18.

[42]) Quibus non negamus, ea ornamenta Abrahae, Petrique *propria* censenda esse; sed hoc unum docemus, sic illis fuisse collata, ut ex iisdem, veluti quodam ex capite in universitatem fidelium, tamquam in subiecta membra redundarent.

[43]) Gen. XXII. 17.

אֶת שַׁעַר אֹיְבָיו *portam inimicorum suorum*. *Et benedicentur* בְזַרְעֲךָ *in semine tuo omnes gentes terrae.* Neque ista minus splendent, quae de Petro[44] dicuntur: *καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.*

Tantae vero excellentiae dignitas, ac posteritatem universam, ecclesiamque fidelium complexa, ipso impositi nominis *ἐτύμῳ* praesignabatur. De Abrahami namque nomine legimus[45]: *Et erit nomen tuum* אַבְרָהָם *Abraham,* כִּי אַב־הֲמוֹן גּוֹיִם נְתַתִּיךָ *quoniam patrem multarum gentium dedi te.* Quibus similia prorsus sunt quae de Petri appellatione[46] dicuntur: *Σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.*

30. Haec autem quum ita se habeant, nihil mihi evidentius est, quam quae de utroque nomine dicuntur, ita posse conferri:

I. וְהָיָה שִׁמְךָ אַבְרָהָם	I. *Καὶ σὺ εἶ Πέτρος.*
II. כִּי אַב־הֲמוֹן גּוֹיִם נְתַתִּיךָ	II. *Καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.*

Ubi haec prae aliis animadverti debent. I. Quemadmodum in altero prioris columnae inciso ratio immutati nominis[47] continetur, ac utrumque propterea in-

[44]) Matth. XVI. 18.

[45]) Gen. XVII. 5.

[46]) Matth. XVI. 18.

[47]) Nominum, quae in bibliis imposita legimus, triplex potissimum ordo ac veluti classis distingui posse videtur. Alia enim, ac omnino frequentissima, sunt *μνημονικά*, eoque spectant, ut ipso quod imponitur nomine rerum gestarum, insigniorumque facinorum recordatio posteritati commendetur. Eiusmodi sunt Gen. X. 25. פֶּלֶג, Gen. XVII. 19, XXI. 3. יִצְחָק, Gen. XXX. 18. יִשָּׂשכָר, Gen. XLI. 52. אֶפְרָיִם, Gen. XLI. 51. מְנַשֶּׁה, aliaque innumera.

Hanc classem altera excipit nominum, quae non male dici posse videntur *δεικτικὰ καὶ σημαντικά*, et quibus haec vis inest, ut ipsamet *γνώρισμα* praeferant, quo ii, quibus imposita sunt, a reliquis distinguuntur. Talia esse censentur Gen. XXV. 26, XXVII. 36. יַעֲקֹב, Gen. XXV. 25. עֵשָׂו, Gen. XXV. 30. אֱדוֹם, Exod. II. 10. מֹשֶׁה, I. Maccab. II. 4. *μακκαβαῖος*, et Marc. III. 17. *βοανεργές*.

Tertia sequitur classis omnium nobilissima, ad quam nomina spectant *προφητικά*, quae ab uno Deo futurorum praescio imponi, indique posse manifestum est. Haec autem non sunt uniusmodi, sed ita commode diribentur, ut eorum pars non tam illorum quibus imponuntur, quam aliorum fata, futurosque eventus praesignet: pars vero destinationem adumbret, eorumque conditionem praemonstret, qui eiusmodi nominibus exornantur. Prioris generis ista sunt Is. VII. 3. שְׁאָר יָשׁוּב, Os. I. 4. יִזְרְעֶאל, *Ἰεζραέλ*, v. 6. לֹא רֻחָמָה, *οὐκ ἠλεημένη*, v. 9. לֹא עַמִּי, *οὐ λαός μου*. Ad posterius autem pertinent Gen. V. 29. נֹחַ, *νῶε*, Num. XIII. 17. יְהוֹשֻׁעַ, Gen. XVII. 15. שָׂרָה, Matth. III. 1. *Ἰωάννης*, יוֹחָנָן, *ἐν ᾧ ἐστιν ἡ χάρις*, et post augustum illius nomen, qui salvum fecit populum suum a peccatis eorum, אַבְרָהָם et כֵּיפָא, quae nec *μνημονικὰ* sunt, utpote ad

cisum non secus cohaeret, quam explanatio et id quod explanatur; ita posterius incisum alterius columnae eodem nexu cum priore devincitur, et nominis eo contenti explicationem, declarationemque praesefert. II. Non aliud Abrahamum inter atque Petrum apparere discrimen, quam quod illius dignitas *patris*, huius appellatione *petrae* significetur. Ceterum III. in eo utrumque convenire, quod sicuti benedictionis Abrahae ii solum consortes esse possunt, qui ad eum, tamquam ad parentem spectant, ac ex eo, *κατὰ πνεῦμα*, quodammodo procreantur; ita non alii in partem veniant constantiae et stabilitatis Petro divinitus concessae, nisi qui arctissime eidem adhaerescunt, et quidvis potius ferre amant, quam ab eo seiungi ac divelli. Quare IV. verborum, quae ad Petrum pertinent commentarius nullus isto commodior afferri potest: „Et ego dico tibi, quod tu es Petrus, ac petram propterea ecclesiae meae te constituam."

31. Sed institutum *παραλληλισμόν*, et paucis interpellatum, persequamur. Quum collata Abrahamo dignitas talis foret, quae illum ad singularem quamdam cum Deo amicitiam eveheret, et consortio divinae paternitatis [48] doctorem, praeceptoremque posteritatis efficeret; propterea illi uni prae reliquis consilia suae voluntatis ea aperire mente consuevit Deus [49], ut per ipsum in notitiam posteritatis universae adducerentur. *Et dixit Dominus: numquid celare potero Abraham, quod ego facturus sum? quia scio, quoniam praecipiet filiis suis, et domui suae post se, ut custodiant viam Domini.* Modo plane simillimo, quum primum voluit Deus, ut evangelii lumine ipsae quoque gentes perfunderentur, id eximia revelatione [50] uni Petro manifestavit: *ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτὸν (Πέτρον) ἔκστασις. τοῦτο δὲ ἐγένετο ἐπὶ τρίς.* Praehabendi autem Petri haec Deo adfuit caussa, quod decrevisset, ut per eum ceteri, ac ipsi etiam apostoli [51] edocerentur, edoctique confirmarentur. *Ἄνδρες ἀδελφοί, ὑμεῖς ἐπίστασθε, ὅτι ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων ὁ θεὸς ἐν ἡμῖν ἐξελέξατο διὰ τοῦ στόματός μου ἀκοῦσαι τὰ ἔθνη τὸν λόγον τοῦ εὐαγγελίου, καὶ πιστεῦσαι. — Καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας, στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.*

Illud denique inter utrumque convenit, quod sicuti Deus Abrahamum, ita Christus Petrum beatum nuncupavit: neque magis Abrahamum Deus, quam Petrum Christus originem ac fontem benedictionis, firmitatisque ceterorum constituerit. Testimonia sunt omnino perspicua, tum haec [52] de Abrahamo: *Benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum* וֶהְיֵה בְּרָכָה *et esto benedictio;* quum

memoriam rei antea gestae propagandam minime imposita; neque *δεικτικά*, utpote quae non ea referantur, ut ornamentum demonstrent, quo iam uterque insignis foret; sed omnino *προφητικά*, ut quae dignitatem adumbrent, ad quam utriusque foederis *ἄρχοντες* ipsa nominis impositione divinitus destinabantur.

[48]) Paternitatem intellige *οὐσιωδῶς*, non *ὑποστατικῶς* acceptam, et propter quam oramus: *Pater noster, qui es in coelis.*

[49]) Gen. XVIII. 17—19.

[50]) Act. X. 10—16.

[51]) Act. XV. 7. coll. Luc. XXII. 32.

[52]) Gen. XII. 2.

haec [53] de Petro: μακάριος εἶ Σίμων βὰρ Ἰωνᾶ... καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.

32. Quae si uno oculorum obtutu in unam redacta summam comprehendantur, id sane efficient, ut gemina potius quam similis *οἰκονομία* Dei cum Abrahamo atque Petro videatur. Conveniunt enim prima, conveniunt media, conveniunt ultima. Uterque vocatus vocantem sequitur: utrique novum, idemque fatidicum nomen promittitur, promissumque confertur: eximia fidei, caritatisque specimina ab utroque postulantur: neuter sibi deest, atque adeo neuter uberiori praemio fraudatur: explicatur Abrahamo propheticum nomen, explicatur et Petro: intelligit Abraham suam in patrem omnium gentium destinationem, intelligit et Petrus, se universae ecclesiae petram praestitui: beatus dicitur Abraham, dicitur et Petrus: revelatur Abrahamo, neminem nisi ex ipso et per ipsum coelestis benedictionis fore participem, revelatur et Petro, omnes ex ipso et per ipsum firmitatem, stabilitatemque consequuturos: posteritas nequit sibi nisi per Abrahamum victoriam de hostibus polliceri, at neque ecclesia de portis inferni nisi per Petrum triumphum aget: denique si Abrahamus, utpote credentium praeceptor institutus, singulari cura divinitus edocetur, singulari item cura eruditur Petrus, quem Christus universitati fidelium magistrum, institutoremque praefecit.

33. Jamvero erunt ne, quorum animos dubitatio subeat, utrum haec sint *propria*, *eximia*, et comparate ad Petrum, cum potiori regendae ecclesiae auctoritate conserta? non putem: *propria* namque esse, evidentissima ratio demonstrat. Nihil enim evidentius quam propria esse, quae de alio quopiam nusquam in bibliis leguntur: quae donum ita sunt, ut vim quoque, rationemque referant praemii, quod pro singulari merito rependitur: quae tandem communia esse non possunt. Sed quae ad Abrahamum et Petrum spectantia retulimus, nusquam de alio quovis repetita legimus, neque magis rationem doni exhibent, quam naturam induant mercedis singularibus utriusque meritis tributae; ita vero comparata sunt, ut communibus accenseri nequeant. Sicut enim fieri non potest, ut Abraham credentium omnium *pater* habeatur, quin credentes quotquot erunt omnes, *filii* prae ipso existimentur; ita fieri nequit, ut Petrus sit, dicaturque ecclesiae *petra* et *fundamentum*, quin omnes qui ad ecclesiam spectant, ac porro spectabunt, ipsi incumbant, atque ex ipso, tamquam dependentes ex eo partes, robur, constantiamque mutuentur.

34. Operam vero in re minime necessaria collocarem, si quae *propria* esse ostendi, eadem eximia, praestantiaque esse pluribus comprobarem. Illorum enim dignitas et excellentia eo splendet fulgore, qui oculos necessario perstringit. Quare satius fore arbitror, si iis rem expediam, quae licet de uno Abrahamo Chrysostomus scripserit [54], ad utrumque tamen ex aequo referuntur:

[53]) Matth. XVI. 17. [54]) In Genes. hom. XXII.

„Abram primum vocabatur, quod est, si [55] interpreteris, *περάτης transitor;* postmodum vero Abraham appellatus, pater omnium gentium factus est, *καὶ ἑνὸς προσθήκη στοιχείου τοσαύτην τῷ δικαίῳ τὴν ἀρχὴν ἐνεχείρισεν*, uniusque litterae additio tantum iusto illi principatum detulit."

De quo principatu uni Petro prae apostolis reliquis tributo quum plura, eaque verissima haberem quae dicerem, iis me in praesentia continebo, quae ex inito *παραλληλισμῷ* insigni quadam consequutione dimanant.

35. Sicut ergo, teste Paulo [56], credentes omnes filii sunt Abrahae, quos ipse non carne, sed spiritu et fide genuit; ita nemo pars est, vel esse pars potest ecclesiastici aedificii, qui Petro, tamquam fundamento, non innitatur. Idem namque Deus, qui Abramo [57] dixit, *et non vocabitur ultra nomen tuum Abram, sed erit nomen tuum Abraham;* dixit et [58] Simoni, non vocaberis Simon, sed *Cephas:* et qui illi [59] dixit, *in te benedicentur omnes familiae terraquei;* Cephae pariter [60] dixit, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.*

Verum qui fit, ut ex Abrahamo, quodam veluti e capite, in credentium universitatem benedictio ac *υἱόθεσις* propagetur? inde fit, quod Abraham iunctus, copulatusque cum magno illo semine ex eo orituro consideratur, e quo primum atque potissimum omnium salus repeti debet: inde fit, quod Abraham illius consors dignitatis participatione redditur, quae extituro ex eo semini *φύσει* atque *οὐσιώδως* inest. Quam explicationem non ipsi comminiscimur, sed a Deo traditam, et a Paulo luculentius enarratam repetimus. Quemadmodum enim legimus [61] Abrahamo dictum, *in te benedicentur omnes gentes terrae;* ita a Deo ipso [62] accipimus, illud בְּךָ *in te, per te*, idem valere ac בְזַרְעֲךָ *in semine tuo, per semen tuum.* Unde [63] Paulus: *τῷ δὲ Ἀβραὰμ ἐῤῥέθησαν αἱ ἐπαγγελίαι, καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ. οὐ λέγει· τοῖς σπέρμασιν, ὡς ἐπὶ πολλῶν, ἀλλ' ὡς ἐφ' ἑνός· καὶ τῷ σπέρματι· ὅς ἐστι Χριστός.* Quare divina verba, *in te benedicentur omnes gentes terrae,* hunc edunt sensum: „quemadmodum tu Filio

[55]) Videtur Chrysostomus אברם *ἀπὸ τοῦ* עבר *trans* deduxisse, quod minus commodum esse eruditi intelligunt.

[56]) Gal. III. 7. *Γινώσκετε ἄρα, ὅτι οἱ ἐκ πίστεως*, idest, *οἱ πιστεύοντες, οὗτοι εἰσιν υἱοὶ Ἀβραάμ.*

[57]) Gen. XVII. 5.

[58]) Joh. I. 45.

[59]) Gen. XII. 3.

[60]) Matth. XVI. 18.

[61]) Gen. XVIII. 18, XXII. 18, XXVI. 4.

[62]) Gen. XXII. 18: ubi e re fore arbitror describere, quae habet Johannes Jahn in Append. hermeneut. Fasc. II. pag. 198: „Ex collatione inter Gen. XII. 3, XVIII. 18, XXII. 18, XXVI. 4, XXVIII. 14. liquet, ultimam Gen. XXVIII. 14. Jacobo datam promissionem esse ceteris uberiorem et clariorem; nam בך *per te* diserte explicatur praeposito vau exegetico per ובזרעך *et*, idest, *nempe per progeniem tuam*, quae expressio etiam in tertia Abrahamo Gen. XXII. 18. facta, et demum in quarta Isaaco Gen. XXVI. 4. repetita promissione substituitur expressionibus בך *per te*, et בו *per eum*, quae in prima et in secunda promissione leguntur."

[63]) Gal. III. 16.

meo unigenito, quem in sinu foveo, carnem imperties, unde Dei simul et Abrahae filius nuncupabitur [64]; sic ille te consortem facit eius dignitatis ac excellentiae, qua sin minus fons, et origo princeps, amplissimus tamen rivus illius benedictionis habearis, quae in gentes omnes refundenda est."

36. Ab hac autem ratione vix ea discrepat, propter quam Petrus petra est ecclesiae, et caussa a Christo proxima illius firmitatis, qua ecclesia ad extremum usque invicta consistet. Idcirco enim petra est ac basis ecclesiae, quod in quamdam veluti unitatem ab eo secum adscitus est, de quo [65] dicitur: ἰδοὺ τίθημι ἐν Σιὼν λίθον ἀκρογωνιαῖον, ἐκλεκτόν, ἔντιμον, καὶ ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ μὴ καταισχυνθῇ: et in quo, Paulo [66] interprete, πᾶσα οἰκοδομὴ συναρμολογουμένη αὔξει εἰς ναὸν ἅγιον ἐν κυρίῳ. Idcirco petra est ecclesiae, quod sicut ipse confessione sua [67] divinitatem fundamenti principis manifestavit, σὺ εἶ Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος: ita ab eo, qui fundamentum est princeps et οὐσιῶδες, nactus est, ut particeps unius, eiusdemque proprietatis [68] redderetur, κἀγὼ δὲ λέγω σοί, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. Nimirum, *tu es Petrus*, unum nempe mecum communicatione muneris et officii, dignitatis atque excellentiae, *ut tu quoque fundamentum sis ecclesiae meae.* E quibus sane liquet, firmitatem Petri firmitatem esse Christi, sicut splendor radii splendor est solis: et dignitatem Petri dignitatem esse Christi, sicut copia rivi copia fontisque ubertas censetur. Si qui ergo minus quam par est, Petri dignitatem vereantur, hi rei violatae Christi maiestatis non immerito traducentur: et si qui hostiles in Petrum animos gerant, ab eoque seiungantur, hi Christo infensi, ab eoque divisi non iniuria videbuntur.

37. Haec autem eiusmodi sunt quae accuratius perspecta modum nobis, rationemque aperiunt expeditissimam, qua iis e protestantium numero occurramus, qui ne dignitatem et ὑπεροχὴν fundamenti Petro tributam fateantur, illud semper in ore habent, dignitatem hanc esse plane divinam, quaeque vim, captumque hominis proprium infinito ferme intervallo praetergrediatur. Quasi vero divina non foret dignitas, quae fidelium omnium paternitate continetur [69], neque

[64]) Quod ex evangeliorum lectione perspicuum est, Matth. I. 1. βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, υἱοῦ Δαυΐδ, υἱοῦ Ἀβραάμ.

[65]) Is. XXVIII. 16.

[66]) Ephes. II. 21.

[67]) Matth. XVI. 16.

[68]) Matth. XVI. 18.

[69]) Hinc illa Christi Matth. XXIII. 9: Καὶ πατέρα μὴ καλέσητε ἐπὶ τῆς γῆς· εἷς γάρ ἐστιν ὁ πατὴρ ὑμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Nihilominus si quid est e bibliorum auctoritate indubitatum, istud profecto censeri debet, divina atque superna in homines abunde conferri. Quid enim divinius Sancto-Spiritu? et tamen scriptum est Joh. XIV. 16: Καὶ ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα, καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα. Quid adoptione filiorum excelsius? et tamen dicitur Rom. VIII. 15: Ἐλάβετε πνεῦμα υἱοθεσίας, ἐν ᾧ κράζομεν· ἀββᾶ, ὁ πατήρ. Quid locupletius cohaereditate cum Christo? et tamen legimus Rom. VIII. 17: Εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι· κληρονόμοι μὲν

vim, captumque hominis praerogativa excederet, qua quis auctor benedictionis in gentes omnes refundendae perhibetur. Nihilominus et eam dignitatem Abrahamo concessam, et hanc ei praerogativam tributam, nemo nostrum est qui inficietur. Ad divinas ergo quod attinet dotes, secerni diligenter debet earumdem plena ac nativa possessio a participatione, quae intra certos fines et *ἀναλόγως* conferatur. Illa *ἀκίνητος* est, neque fieri potest ut supellex sit creaturae: haec *κινητὸς* est, ac prout visum Deo fuerit, adhibetur. Quid enim ab homine remotius quam *θεότης*? et scriptum tamen [70] legimus: *ego dixi, dii estis.*

Neque vehementius commovere nos alterum debet, munus fundamenti sublimius esse, quam ut exspectari ab homine possit, ac rursum gravioris esse momenti, quam ut hominis curae, studiisque prudenter permittatur. Quasi vero aut minor esset praestantia, aut minor in eo difficultas, ut ex uno homine in universitatem gentium benedictio diffunderetur. Itaque spectari homo debet, sed simul cum Deo [71], non seorsum a Deo, divino sustentatus numine, non propriae imbecillitati permissus. Quis porro ambigat, utrum homo cum Deo, eiusque numine confirmatus obire vices possit fundamenti, easque explere partes, quae fundamenti propriae sunt, et quibus aedificii unitas constat? videor ergo mihi affirmare concludendo posse, inde potissimum contra Petri *ὑπεροχήν*, dignitatemque fundamenti difficultates [72] proficisci, quod non satis ad supernaturalem ordinem divinitus institutum, iugemque Christi praesentiam, qua ecclesiae prospicit, animus advertatur.

θεοῦ, συγκληρονόμοι δὲ Χριστοῦ. Quid Dei ipsius visione sublimius? et tamen testatur I. Cor. XIII. 12. Paulus: *Βλέπομεν γὰρ ἄρτι δι' ἐςόπτρου ἐν αἰνίγματι, τότε δὲ πρόςωπον πρὸς πρόςωπον.* Quid ad admirationem ciendam validius potestate remittendi peccata? et tamen haec ipsa apostolis conceditur Joh. XX. 23: *Ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς.* Quid virtute edendi miracula ab hominum imbecillitate seiunctius? et tamen confirmat Christus Joh. XIV. 12: *Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ, τὰ ἔργα ἃ ἐγὼ ποιῶ, κἀκεῖνος ποιήσει· καὶ μείζονα τούτων ποιήσει.* Videlicet cum eo supernaturali ordine, quem Deus primum delegit, et ad quem lapsos homines per Unigenitum revocavit: cum ea Christi *οἰκονομίᾳ*, qua Joh. XV. 9. apostolos dilexit, sicut ipse diligebatur a Patre, qua eos v. 15. non *δούλους*, sed *φίλους* nuncupavit, et qua cap. XVII. 22. eam *δόξαν* illis impertiit, quam ipsemet a Patre acceperat; participatio, supernorumque munerum communio arctissime cohaeret.

[70]) Ps. LXXXII. 6. coll. Joh. X. 34: *Ἐγὼ εἶπα, θεοί ἐστε.*

[71]) Matth. XXVIII. 20: *Ἐγώ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος.*

[72]) Sane nihil crebrius, confidentiusve opponitur quam illud I. Cor. III. 11: *Θεμέλιον γὰρ ἄλλον οὐδεὶς δύναται θεῖναι παρὰ τὸν κείμενον, ὅς ἐστιν Ἰησοῦς Χριστός.* Quasi vero aut aliud a Christo fundamentum censeri posset, quod a Christo ipso praeiactum est, ac unius Christi virtute consistit: aut inauditum esset, et a bibliorum consuetudine alienum, ut quae Christi propria sunt, eadem cum hominibus sint participatione communia.

CAPUT IV.

Cardinalis Baronii iudicium de ea veterum aliquot opinione, qui Κηφᾶν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς inflexisse videntur: — protestantium declamationes ac tragoediae: — excutiuntur, et quantum illi ab antiquorum mente aberrarint, ostenditur: — exempla quae ad rem faciunt: — Petri ἐξοχή, et potior auctoritas confirmantur.

38. Nolim hanc de Cephae nomine tractationem prius dimittere, quam eorum inter veteres opinionem paucis expenderim, qui visi sunt existimasse, *Κηφᾶν* esse graecum vocabulum, *ἀπὸ τῆς κεφαλῆς* ductum atque inflexum. De hac opinione disserit in Annalibus [1] Baronius, deque ea sic statuit: „Sunt ex nostris scriptoribus complures, et primus omnium Optatus milevitanus [2], qui nomen Cephas, non a syra lingua, sed a graeca *ἀπὸ τῆς κεφαλῆς*, caput interpretantur; nec quidem reprehendendi: eiusmodi enim interpretandi modum ab aliis nonnullis, quorum in ecclesia Dei est memoria celebris, usurpatum scimus, dum hebraicam vocem in graecam significationem transire fecerunt. Gregorius enim nazianzenus [3] hebraicum nomen Phase cum sciret in Pascha mutatum, aliam ex eo mysterio congruam dedit interpretationem: ut quod in hebraeo significat transitum, apud graecos *πάσχειν* interpretetur. Idipsum cum plures alii praestiterint, hoc etiam et de nomine Christi Justinum martyrem [4] fecisse constat; quod et ante hos omnes saepius factitatum a septuaginta interpretibus, Origenes dum agit de prino et schino arboribus, scribens ad Africanum, testatur. Alia sunt de his exempla in divina scriptura; ut cum nomina siderum non secundum voces hebraicas, sed secundum graecam nomenclaturam [5] sunt posita, idque ob notiorem significationem. Observat hoc ipsum ex Photio in quaestionibus ad Amphilochium episcopum Cyzici [6] Turrianus. Unde apposite, quod apud syros petram solidam sonat nomen Cephae, apud graecos caput significat: ac sic divina quadam dispensatione factum videtur, ut una eademque voce, duabus linguis, Petri principatus exprimeretur."

39. Sed quod reprehensione vacare Baronius censuit, quodque laude dignum existimavit, stomachum fecit protestantibus, et catholicis etiam aliquot non mediocriter displicuit. Ipsi inprimis Magdeburgenses Pseudo-Anacletum, qui in tertia ex epistolis ea vocis derivatione usus erat, turpis inscitiae verbis acerbissimis accusarunt, neque Turriani [7] defensio tanti habita est, ut conse-

[1]) Ad annum XXXI. n. XXVII.

[2]) Con. Parmen. lib. II. cap. II.

[3]) De Paschate, Orat. II.

[4]) Orat. ad Gentes.

[5]) Job. IX, Amos V.

[6]) Adver. Magdeburg. c. III.

[7]) Loco superius laudato.

quutos protestantes reddiderit modestiores. Quare Mericus Casaubonus, ne Optatum, quem subiectis notis explanabat, eidem reprehensioni obnoxium fateretur, nihil opportunius fore duxit, quam incisi ex eiusdem libris [8] desumpti Optatum auctorem negare, illudque imperitis librariis tribuere, qui id e codicum margine in textum transtulerint. Ecquid enim evidentius, inquit, quam eiusmodi incisum Optato esse indignissimum, quum fugere neminem possit, Cepham syriacam vocem esse non graecam? Quam coniecturam ipse quoque Franciscus Balduinus [9] recepit scribens: „Quod paulo ante legitur in Optato, Petrum, quia apostolorum caput fuerit, appellatum esse Cepham, dixi alibi soloecismum esse hominis somniantis vocem syriacam, quae significat petram, esse graecam κεφαλὴ quae caput significat. Sed suspicor haec verba, *unde et Cephas appellatus est*, esse ineptae alicuius glossae ad marginem temere ascriptae, et deinde abs librariis contextui insertae. Certe Optatus libro septimo [10] simpliciter ait, Petrum fuisse caput apostolorum, neque praeterea quicquam adiicit."

40. Quum vero neque codices, neque editiones huic suspicioni patrocinarentur, idcirco Philippus Priorius [11] nodum aliter expediendum censuit, deque re tota sic statuit: „Norunt omnes vel mediocriter eruditi, nomen Cephas esse syriacum; Optatus tamen a graecis derivat, *ἀπὸ τῆς κεφαλῆς*, in quo a Baronio ad annum XXXI. summopere laudatur. Sed quis ei non succenseat, quis non rideat praeposterum Baronii iudicium? quicumque e Patribus et scriptoribus antiquis linguarum notitiam aliquam habuerunt, syriacum esse omnes agnoverunt. Ludere equidem videtur Optatus in nomine, laudem vero mereri nullam puto, qualis ei affingitur. Addo etiam puerile esse et nullius iudicii commentum, ac parum christianum. Christus enim Jesus Petrum vocavit Cepham, ut petram esse demonstraret, *ὁ ἑρμηνεύεται Πέτρος, quod Petrum significat.* Joh. I. 43. Hic vero repudiata veritate, falsis potius interpretationibus adhaeret, et nugatoriis, quam verbis Christi Domini. Quod etiam affert eodem in loco, ut deliria sua et aegri somnia intrudat, s. Gregorium nazianzenum pascha derivare *ἀπὸ τοῦ πάσχειν*, ut et quod de Justino martyre nugatur, quid aliud esse potest, quam errorem errore defendere?"

41. Quam ego controversiam vix commemoratione dignam existimassem,

[8]) Idipsum quoque negavit Marcellinus Molkenbuhr in dissertatione, *An Cephas, qui a Paulo reprehensus, sit s. Petrus*, scribens n. 33: „Si id, quod hic parenthesi interpositum est, s. Optati textui indocta manu non sit additum, dicendum foret, hunc Patrem nominis *Kephas* originem duxisse a voce graeca *κεφαλή*, idest, *caput*; cum tamen radix vocis Kephas a Christo prolatae sit vox syriaca *Kapha*, idest, *petra*. Ita auctor libri de Primatu Romani Pontificis latine et gallice editi anno 1770. Dictae crisi subscribo."

[9]) Annotatt. in librum secundum Optati.

[10]) Optati verba libro septimo ista sunt: „Potuit utique caput apostolorum ita se gubernare, ut nihil incurreret quod doleret: sed ideo in uno titulo (in uno peccato) eius multa videntur errata, ut possit ostendi bono unitatis omnia debere Deo servari."

[11]) In subiecta adnotatione.

nisi tantos de ea strepitus protestantes edidissent, repetitisque sententiis [12] declarassent, persuasum sibi esse, doctrinam de ὑπεροχῇ Petri non minimum ex ea pendere, eamque propterea ab orthodoxis sollicita cura defendi. Verum, quod summopere cuperem a protestantibus animadversum, prudentiores sunt catholici, quam ipsi opinentur, et doctrina de Petri primatu penes eos maioris est momenti, quam ut putent, etymologiis, fluxisque originationibus comprobari illam oportere. Quare sepositis dicteriis, quae asperare animos possunt, iuvare veritatem non possunt, de re quaeramus ipsa, et quid sentiendum de ea sit, investigemus.

42. Quatuor autem omnino sunt, de quibus quaeri posse intelligo, quaeque ex ordine propono: I. sit nec ne Κηφᾶς syriacum nomen, graecis dumtaxat exaratum litteris, leviterque deflexum: II. possit nec ne cum graeco κεφαλῇ componi: III. an ἀμέσως eadem sit utriusque nominis, Κηφᾶς καὶ κεφαλή, significandi potestas: ac tandem IV. utrum spectata orationis serie [13] penes Matthaeum, una, eademque utriusque vocis significatio, sin minus ἀμέσως, saltem ἐμμέσως haberi possit.

E quibus quaestionibus prior ac postrema eiusmodi sunt, quae difficultatis speciem referre vix posse videntur. Quod enim ܟܐܦܐ nomen sit syriacum, et a Christo dialectum syriacae geminam adhibente prolatum, perspicuum est adeo, ut putidius sit id nescire, quam praeclarum et magnificum cognoscere. Neque consentaneum idcirco est, inspecta orationis serie, unam eamdemque, ἐμμέσως saltem, utriusque vocis, ܟܐܦܐ et κεφαλή, significationem aestimari non posse. Quum enim Simon, qui ܟܐܦܐ dicitur, *persona* sit, et ܟܐܦܐ dicatur τῆς ἐκκλησίας, *societatis* nimirum *christianae;* manifestum est, ideo lapidem, fundamentum, petramque nuncupari, quod ecclesiam regat, sustentet, ac tueatur. Sed dotes istae sunt *capitis*, quum ad morale corpus, societatemque refertur, quae illius virtute dirigitur atque continetur. Una ergo eademque est ἰδέα, quae utroque vocabulo effertur, et discrimen, quod inter utrumque existit, ad σχήματος et metaphoricae repraesentationis varietatem revocatur.

43. Jamvero hac utriusque nominis significandi ἰσοδυναμίᾳ summa ipsa quaestionis praeciditur, clamoresque protestantium compescuntur. Quod enim est, quod ipsi vehementius improbant, et de quo acerbius conqueruntur? quod praepostera derivatione Petro asseratur dignitas *capitis*, eiusque ὑπεροχὴ confirmetur. Sed in tuto ista sunt, licet inter ܟܐܦܐ et κεφαλὴν nullum [14] existat

[12]) Sicut inter ceteros declaravit Georgius Pasor in lexico graeco-latino in N. T. ad vocem Κηφᾶς, non improbante Christiano Schoettgenio.

[13]) Matth. XVI. 18. coll. Joh. I. 45.

[14]) Quod enim metaphora *capitis* significatur, idipsum *fundamenti* metaphora effertur. Quamquam enim utraque metaphora distare ab invicem summopere videatur; ratio tamen et notio non decst,

affinitatis vinculum. Est igitur, cur mitius agant protestantes, conviciis parcant, sibique non res ipsas, sed rerum umbras ludibrio fuisse confiteantur. A qua confessione ne nimium abhorreant, de altera, tertiaque quaestione brevissime dicam.

44. Videor autem mihi contendere posse, ad unum stipitem, eamdemque originem voces eas omnes merito redigi, quae licet terminatione, signisque vocalibus discrepent, litteris tamen, quas *radicales* vocant, plene consentiunt. De hoc canone concors est philologorum sententia, illum esse verissimum, utiliterque adhiberi, ut in tanta linguarum varietate, quantam esse novimus, *ἁρμονία*, consanguinitas, et quaedam veluti propaginis unitas ostendatur. Comparentur porro syriacum ܩܦܠܐ, graecum *κεφαλή*, latinum *caput*, sanscritum *kapâlas*, gothicum *haubith*, germanicum *Haupt* vel *Kopf*, anglicum *cop*, antiquius gallicum *kef*, recens *chef*, italicum *capo:* quid, obsecro, luculentius, quam vocabula haec omnia iisdem radicalibus litteris, levissime interdum permutatis, constare? ad unum ergo, eumdemque pertinent stipitem, et ex una, eademque radice sobolescunt. Quis vero ea mutuo conferri damnet, quae ex una, eademque origine [15] proficiscuntur? nemo prorsus, inquient, si tamen grammatica solum structura, non logica item significatio consideretur. Bene habet, et quando ad tertiam iam quaestionem venimus, animadverto, non in diversis solummodo linguis, sed in una pariter eademque usuvenire, ut derivatae, inflexaeque voces potestatem induant ab ea quae radicis propria est, longissime remotam, adeo ut res sit curarum, laborisque plena multiplices veluti gradus designare, per quas ad illam denuo assurgamus. Stephani, Forcellinii, et Gesenii thesauri [16] ingentem exemplorum vim suppeditabunt. Insolens ergo videri non debet, vocibus ܩܦܠܐ et *κεφαλή*, quamquam ex eodem themate profectis, diversam tamen significandi potestatem *ἀμέσως* subesse. In id potius

in qua ambae consentiant. Est autem ratio et notio eius, e quo totum pendet, et quo totum continetur.

[15]) Ceterum haec ad rei summam non faciunt; ac probe intelligo non defuturos qui aliter de horum vocabulorum cognatione statuendum esse arbitrentur.

[16]) Unum ego, alterumve proponam. Itaque considerentur vocabula: דּוּר = circuivit = pila, rogus; דּוֹר = aetas, saeculum; תּוּר = exploravit; תֹּר = recurrens series; *δαρός*, *δηρός* = diuturnus; duro; *τορέω*, *τράω*, *τιτραίνω*, *τόρνος* et *torqueo*. Profecto nemo neget, omnibus et singulis unam esse eamdemque radicem. Neque propterea expeditum est, notionem aliquam designare, e qua ceterae defluxisse non immerito videantur. Attamen si animus paullo intendatur, non alienum fortasse a veritate apparebit, eam esse notionem *rotunditatis*.

Considerentur deinde voces: *αὐρέω*, *αἴρω*, *μαίρω*, *μαρμαίρω* = splendeo; *ἀμαυρός* = non-splendidus; *αὔριος* = crastinus; aura, aer; *ἆμαρ* = dies; *αὖρον* = aurum; *αὔριος ὥρα* = aurora; אוֹר = lux; אוּר = ignis; et latinum *uro*. De unitate originis non est cur dubitetur. Sed neque dubitandum videtur, ad notionem *splendoris* ceteras omnes non incommode revocari.

incumbendum est, ut ratio comperiatur aliqua, qua inter diversas significationes *ἀναλογία* tamen non penitus interiisse declaretur. Quae quidem ratio neque admodum in praesentia obscura est, neque longius arcessenda. Quae enim in re architectonica est *σχέσις fundamenti* prae aedificio, eadem in animalibus est relatio *capitis* prae membris, et in societate relatio *principis* prae iis, qui imperio reguntur. Convenit ergo inter utramque vocem, atque ita convenit, ut orthodoxis nullatenus caussa defuerit, qua utramque simul vocem ܟܐܦܐ et *κεφαλὴν* compararent.

45. Quamquam ad iustam veterum patrum defensionem haec minime necessaria esse pro certo habeo. Res enim est sexcentis comprobata testimoniis, etymologiis atque allusionibus plus semel Patres abuti, non quod ignorarent, vel illas cum sincera derivationum ratione minus belle consentire, vel ex iis sumi argumenta non posse; sed quod aliis de caussis ad eiusmodi collationes, allusionesque sectandas permoverentur. Hae autem potissimum erant: I. studium, quo nullam praeterlabi occasionem sinebant fovendae pietatis, eaque *δόγματα* inculcandi, quibus christiana professio continetur: tum II. persuasio, qua sibi in animum induxerant, bibliorum interpretem non eo usque grammaticae regulis constrictum esse oportere, ut facultate privetur, qua pro opportunitate, ad alia eaque propinqua et excolendae religioni accommodata digrediatur.

Paucis, non aliae Patribus fuerunt caussae paullo licentius etymologiis et allusionibus obsequendi, quam eas venandi interpretationes, quas a grammatica significatione plus minusve discedentes, *κατὰ κόλλησιν* et *accommodatas* dicere mos est. Impudentissimos vero se ostenderent, qui harum expositionum caussam levitati atque imperitiae adscriberent. Sed exemplis res fiet illustrior.

46. Sciebat profecto Hieronymus, *Pauli* nomen esse latinum, et idem sonare quod *pusillum* [17] et corpore parvum. Nihilominus dum epistolam ad Philemonem commentariis explanat, Paulum interpretatur [18] *admirabilem*, ac si vox esset ex hebraica פֶּלֶא *admirabilis*, deducta. Sciebat *Romam* nomen esse graecae originis [19], idemque sonare ac *ῥώμην, robur, virtutem.* Nihilominus in altero contra Jovinianum libro scribit: „Urbs apostoli voce laudata interpretare tuum nomen; *fortitudinis* est apud *graecos*, *celsitudinis* apud *hebraeos.*" Sciebant Patres *πάσχα* vocem esse *ἄκλιτον,* originis hebraicae, idemque notare ac פֶּסַח *transitum.* Justinus tamen in dialogo cum Tryphone, Tertullianus adversus Judaeos, aliique nomen illud *passionem* reddunt, ac si graecum foret, et *ἀπὸ τοῦ πάσχειν* detortum. Quorum quidem omnium manifestam ex sese caussam, et a nobis paullo ante commemoratam, multo reddit lucidiorem

[17]) Cf. Barthium in Advers. lib. VII. cap. IV.

[18]) Etiam Hesychius scribit: *Παῦλος· θαυμαστὸς ἢ ἐκλεκτὸς σύμβουλος.*

[19]) Nisi forte praeferenda videatur origo, quam Livius, Dionysius halicarnassensis, Plutarchus et Plinius proponunt: Romam ab eiusdem conditore Romulo dictam fuisse.

Gregorius nazianzenus, qui [20] commendandae fidelium religionis inde occasionem sumit, quod *ad fructum pietatis*, quaedam hebraica vocabula, atque haec inter *paschatis* nomen e graeco fonte exornaret. Quo pietatis amore factum item censeri debet, ut Epiphanius, cui probe compertum erat, *Ἰησοῦν* esse [21] hebraicum nomen יְהוֹשֻׁעַ, *σωτῆρα*, *salvatorem*, illud tamen e graeca origine *ἀπὸ τῆς ἰάσεως* derivarit, et *ἰατρὸν* *medicum* reddiderit.

47. Haec autem, aliaque bene multa prorsus similia, quae congeri nullo negotio possent [22], argumento esse debent protestantibus, eiusmodi apud Patres originationum, allusionumque caussam a levitate atque imperitia diversam quaeri oportere. Quam si modeste, diligenterque inquisierint, illam ipsam comperient, quam nos primum innuimus, ac suffragio deinde Nazianzeni confirmavimus: eas originationes, allusionesque usurpari a Patribus consuevisse, non ut dubia demonstrarentur, sed ut certa, rataque pro opportunitate repeterentur, et in audientium animos altius imprimerentur. Unde factum reor, ut Optatus adversus donatistas [23], qui pro libidine *in particula Africae, et in angulo parvae regionis* [24] amplitudinem ecclesiae concludebant, scripserit: „Ubi ergo proprietas catholici nominis, cum inde dicta sit *catholica*, quod sit *rationabilis* et ubique diffusa?" Ignorabat ne Optatus distare ab invicem *καθολικὸν* et *καταλογικόν*? immo probe noverat, sed vicinitate illectus, ut acrius adversarios pungeret, ea allusione abusus est, qua ecclesia duplici dote *rationabilitatis* et *universalitatis* ab haeresi et schismate distinguitur: ab haeresi quidem, ut quae veram, rationique consonam doctrinam profiteatur: ab schismate vero, ut quae non parte finiatur aliqua, sed totum occupet.

48. Ex his interim duo consequuntur, quae censuram protestantium temeritatis convincunt, catholicorum vero caussae de primatu Petri egregie suffragantur. Exagitandi namque Patres inde illi ansam sumebant, quod dialecti syro-chaldaicae imperitia nomen Cephae e graecis rivulis deduxerint. Atqui adscribi id imperitiae non debuit, sed tribuendum omnino fuit sollicitudini, qua operam dabant, ut certa, et ad christianam fidem maxime pertinentia quo frequentius possent, in lucem proferrent, suisque lectoribus commendarent. Quod si ita se res

[20]) De Paschate, Orat. II.

[21]) Haeres. XXIX. Quo spectant graeca glossaria penes Alberti pag. 10: *Ἰησοῦ· σωτήρ, ἢ σώζας, ἢ σώζων*: et pag. 199. e codice Coisliniano XXIV: *τὸ Ἰησοῦς ὄνομα οὐκ ἔστιν ἑλληνικόν, ἀλλὰ τῇ ἑβραίων φωνῇ οὕτω λέγεται. ἑρμηνεύεται γὰρ Ἰησοῦ ἡ σωτηρία.* Et nulla sane interpretatio ea illustrior desiderari potest, quae habetur Matth. I. 21: *Αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν.*

[22]) Passim enim in Suiceri Thesauro recurrunt.

[23]) Lusus non dissimilis exemplum extat penes Eusebium, dum ista refert H. E. lib. VII. cap. X. Dionysii alexandrini verba de Macrino orthodoxorum hoste, et generalibus fisci rationibus praeposito: *Ὃς πρότερον μὲν ἐπὶ τῶν καθόλου λόγων λεγόμενος εἶναι βασιλέως, οὐδὲν εὔλογον, οὐδὲ καθολικὸν εὐφρόνησε.*

[24]) Con. Parmen. lib. II. cap. I.

habet, singulare exinde emolumentum catholicorum caussae accedit. Eccur enim audito Cephae nomine, Patribus in mentem continuo venit, ut illud cum κεφαλῇ componerent, et Simonem ideo Cepham nuncupatum docerent, quod omnium caput esset institutum? notionum [25], quae se mutuo ita exciperent, haec una afferri caussa potest, quod vulgatissima penes omnes doctrina esset, Petrum apostolorum caput et principem, Christo auctore, fuisse, atque hanc illius nobilissimam destinationem ipso Cephae nomine praemonstrari. Allusio ergo ad nomen *κεφαλήν*, quae minus dextere cessisse Patribus videri potuit, eo revera spectat, ut certa illis de praerogativis Petri, deque dignitate capitis sententia plenissimo in lumine collocetur.

49. Ac me sane fugit, an secus accipi verba possint, quibus Optatus [26] Parmenianum alloquitur, et e quibus praesens controversia potissimum oborta est: „Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum *caput* Petrus, *unde et Cephas* appellatus est, in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur [27], ne ceteri apostoli singulas sibi quisque defenderent, et iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.“ Scilicet quod doctrina esset ne donatistis quidem anceps et dubia [28], Petrum fuisse apostolorum *caput*, factum est, ut utramque simul ideam Cephae et capitis Optatus copularet. Illius enim non minus quam christianorum omnium animos occupave-

[25]) Quae censeri item caussa debet earum interpretationum, quas *accommodatas* nuncupamus. Idcirco namque familiares erant Patribus, quod familiaria illis et trita essent δόγματα, ad quae Scripturarum effata utcumque alludere videbantur.

[26]) Con. Parmen. lib. II. cap. II.

[27]) Cum qua dicendi formula in libro septimo frequenter repetita, si conferantur 1) quae Hieronymus epistt. LVII — LXIII. scribit: *Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, idest, cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam ecclesiam scio;* 2) quae habet Ambrosius in Ps. L. n. 30: *Ubi ergo Petrus, ibi ecclesia;* 3) quae Pacianus epist. III. docet: *Ipso referente Matthaeo paulo superius ad Petrum locutus est Dominus, ad unum ideo, ut unitatem formaret ex uno;* 4) quae Cyprianus epistt. LXX — LXXIII. affirmat: *Super Petrum aedificavit Dominus ecclesiam suam, unde unitatis originem et instituit et ostendit;* manifestissimum erit, verba Irenaei con. Haeres. lib. III. cap. III: *Ad hanc enim ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles:* usu loquendi ecclesiastico circumscripta sic esse et definita, ut de alio intelligi conventu nequeant, quam eiusdem fidei et communionis.

[28]) Quare ne ab ecclesia avulsi separatique viderentur, Romam ea mente pseudo-episcopum miserunt, ut quoties ab orthodoxis vehementius urgerentur, deque sua cum Petri successore communione interrogarentur, respondere possent, sibi communionis litteras ex Urbe redditas non deesse. Huiusce fraudis testis est Optatus lib. II. cap. IV, qui donatistis, quum catholicis responderent, haec verba tribuit: *Sed et habere vos in urbe Roma partem aliquam dicitis.*

rant quae Hieronymus [29] scribit: „Propterea inter duodecim unus eligitur, ut, *capite* constituto, schismatis tollatur occasio.“ A quibus dividi non debent, quae in ephesina synodo, nemine dissentiente, Philippus romanae sedis legatus his verbis [30] complexus est: „Nulli dubium, immo saeculis omnibus notum est, quod sanctus, beatissimusque Petrus, *ὁ ἔξαρχος καὶ κεφαλὴ τῶν ἀποστόλων* princeps et *caput* apostolorum, fidei columna, *καὶ θεμέλιος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας* et ecclesiae catholicae fundamentum a Domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis ac Redemptore claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit, et iudicium exercet.“ Quum itaque mira omnium consensione nomen et dignitas *capitis* Petro deferretur, videri insolens non debet, quod de allusione Cepham inter et *κεφαλὴν* cogitaretur, ac utraque simul appellatio, quemadmodum e Philippi verbis eruere licet, coniungeretur. Ac tales profecto sunt, ut quoties *μεταφορικῶς* accipiuntur, toties in unam, eamdemque significationem duplici imagine expressam manifestissime recidant. Quod enim ܟܐܦܐ significat prae ecclesia, quae cum *templo*, *domo* et *civitate* comparatur; idipsum *κεφαλὴ* exprimit, si ecclesia instar *corporis*, *societatisque* consideretur. Quare *fundamenti* et *capitis* appellationes potestate aequipollent, et qui ܟܐܦܐ interpretati sunt *κεφαλήν*, locutioni metaphoricae locutionem metaphoricam eiusdem potestatis suffecerunt. Unde illud postremo confirmatur, quod nobis propositum erat ostendere, non caussae gravitate, sed partium studio incitatos protestantes nihil non movisse, ut allusio ܟܐܦܐ inter et *κεφαλὴν* merito improbata, reiectaque videretur.

CAPUT V.

Nova recensentur ornamenta, quibus Petrus a Christo auctus in evangeliis traditur: — eo potissimum spectant, ut Petrus ad munus, dignitatemque universalis, supremique fidelium doctoris ac magistri destinatus videatur: — potiora quae huc faciunt testimonia, Matth. XVII. 1—10, XXVI. 36—40, et Marc. V. 37. expenduntur atque vindicantur.

50. Simonem, quem Christus prophetici nominis [1] promissione, eiusque [2] impositione e ceterorum apostolorum numero secreverat, ita ornare, quamdiu mortalem vitam degit, novisque in dies cumulare dotibus perrexit, ut

[29]) Con. Jovin. lib. I. n. 26.

[30]) Act. III. pag. 1478. edit. Harduini.

[1]) n. 30.

[2]) n. 20.

non declaraverit modo sine poenitentia [3] esse dona Dei, verum etiam apertissime ostenderit, ratum sibi esse, quem primum delegerat, ceterisque praetulerat, eum ad officium supremi magistri, dignitatemque universalis fidelium doctoris [4] extollere ac provehere. De qua voluntate, susceptoque consilio nemini dubium erit, si iis erga Simonem partibus Christum perfunctum constiterit, quibus futurum universalem credentium doctorem excoli, effingique decuit. Hae autem, re diligentius inspecta, duo potissimum flagitare videntur: pleniorem inprimis eorum, quibus christiana disciplina constat, institutionem: singularem deinde eorum notitiam, quibus coelestis origo christianae disciplinae comprobatur. Si quis enim utraque probe tenuerit, ab iis omnibus instructus merito existimabitur, quae ad munus, dignitatemque magistri postulantur.

51. Jamvero horum nihil reliquum fecit Christus, eaque omnia erga Simonem praestitit, quibus ad officium, auctoritatemque supremi ecclesiae doctoris [5] eum destinatum significaret. Et re sane vera quamquam innumera prope sint, quae christiana institutio propriis finibus comprehendit; ea tamen omnia comparata ita sunt, ut ad duo veluti suprema fastigia, quorum alterum *θεολογίας*, alterum *οἰκονομίας* nomine efferri solent, non incommode revocentur. Utuntur hac partitione [6] veteres ecclesiae patres, eaque talis est, ut ad eam quoque nominatim doctrinam apte referatur, quam de Christi persona profitemur. Quum enim duplex in Christo [7] *μορφὴ* distinguatur, altera sempiterna, quam *μορφὴν θεοῦ* Paulus dicit, altera [8] novissimis assumpta temporibus, quam *μορφὴν δούλου* idem appellat, et in qua factus obediens usque ad mortem, effusione [9] sanguinis ecclesiam sibi acquisivit, omniaque [10] pacificavit *εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς*: perspicuum est, illam christianae institutionis partem, quae circa *μορφὴν θεοῦ* versatur, *θεολογίαν*, illam vero, quae *μορφὴν δούλου* contemplatur, eaque perpendit, quae in hac assumpta forma Unigenitus Patris perfecit, *οἰκονομίαν* aptissime nuncupari.

52. Universae porro christianae institutionis, sive quae ad *θεολογίαν*, sive quae ad *οἰκονομίαν* pertinet, coelestis origo, indubitataque veritas duplici maxime argumentorum genere comprobatur; quum alia ex impletis vaticiniis, alia ex editis signis, patratisque miraculis repetantur. Hanc formam christianae demonstrationis ipse primum ostendit Christus [11], sectati deinde

[3]) Rom. XI. 29.

[4]) n. 31.

[5]) Unde Chrysostomus hom. LXXXVIII. al. LXXXVII. in Joh. n. 1. Petrum dicit *τῆς οἰκουμένης διδάσκαλον*, qui ab hierosolymitano Cyrillo catech. XI. n. 3. vocatur *ὁ πρωτοστάτης τῶν ἀποστόλων, καὶ τῆς ἐκκλησίας κορυφαῖος κήρυξ*.

[6]) Cf. Henrici Valesii notas ad Eusebii H. E. lib. I. cap. I, et Suiceri Thesaurum ad utramque vocem.

[7]) Philipp. II. 6—7.

[8]) De qua Joh. I. 14: *Καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο.*

[9]) Act. XX. 28.

[10]) Coloss. I. 20.

[11]) Frequentissima sunt in evangeliis testimonia, quibus constat, Christum editis

sunt[12] apostoli, et post apostolos, quicumque omnes[13] in christiana societate nominis, eruditionisque fama claruerunt.

Quae quum ita sint, facile intelligimus, ab eo, qui doctor et magister christianae religionis futurus sit, ea probe tenenda esse, quae ad *θεολογίαν καὶ οἰκονομίαν*, quaeque ad impleta oracula, editaque signa referuntur. Atqui unum ex omnibus Petrum Christus elegit, cui singulari quodam, eximioque pacto arcana *θεολογίας καὶ οἰκονομίας* aperiret, quemque eorum faceret *αὐτόπτην*, quibus universae christiani institutioni fides atque auctoritas conciliatur.

53. Sane quum omnia sint in evangeliis praeclarissima, vix tamen quidquam ad manifestandam *θεολογίαν* et *οἰκονομίαν*, ac utriusque veritatem comprobandam accommodatius proferri posse videtur[14] ea Christi *μεταμορφώσει*, qua illius facies refulsit *ὡς ἥλιος*, cui Moises et Elias adfuerunt, qua Pater iniunctum Unigenito munus patefecit, eaque edita voce, *οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ εὐδόκησα· αὐτοῦ ἀκούετε*, declaravit, eum iam advenisse prophetam, qui *ὁ προφήτης* esset[15] *κατ' ἐξοχήν*, quemque in Horeb per Moisem[16] praenunciaverat. Ecquid enim his non continetur? continetur pluralis divinarum hypostaseon numerus, Patre et Filio compellatis: continetur fides de vera Filii natura, qua non *θέσει* filius est, uti Moises[17] et Elias, sed omnino *οὐσίᾳ*, utpote a Patre genitus, et cum Patre *ὁμοούσιος*: continetur eiusdem missio, et missionis ratio eo pertinens, ut novo sancito foedere, novaque lege instituta, complerentur inchoata, rudia vero et imperfecta expolirentur atque perficerentur: continetur legis, prophetarumque obsignatio[18], e quibus illam Moises, hos Elias repraesentat: continetur miraculum omnium nobilissimum: continetur tandem solemne praeceptum, quo a Patre edicitur, ut omnes Filio morem

signis, allegatisque vaticiniis doctrinae, quam tradebat, fidem conciliasse.

[12]) Testimonia non refero, utpote notissima.

[13]) Justinus Apolog. I. n. 39, Athenagoras Legat. n. 32, Theophilus ad Autolyc. lib. III. nn. 13. seqq, Origenes con. Celsum lib. I. nn. 3—68, lib. III. nn. 25—28, Arnobius adv. Gent. lib. I. n. 43, et Chrysostomus adversus gentiles et iudaeos Demonstratio.

[14]) Matth. XVII. 1—9.

[15]) Quemadmodum *ὁ προφήτης* item nuncupatur Joh. VI. 14, VII. 40. Unde mihi vehementer ratio probatur, qua Isidorus pelusiota Epistolar. lib. III. epist. XCIV. dextere conciliat quae in evangelio de iis narrantur, qui Hierosolymis missi ad Johannem Baptistam, quum illum interrogassent, an Joh. I. 21. esset *ὁ προφήτης*, respondentem audierunt, *οὔ*, quamquam Zacharias de eo vaticinatus Luc. I. 76. cecinisset, *καὶ σύ, παιδίον, προφήτης ὑψίστου κληθήσῃ*. Nimirum, subdit Isidorus, *προφήτης μὲν γάρ ἦν, ὁ προφήτης δὲ οὐκ ἦν*. Tanta interdum articulis vis inest.

[16]) Ex. XX. 1—19. coll. Deut. XVIII. 15—18.

[17]) Hinc Moises *servus* dicitur Hebr. III. 5—6, et prophetae omnino omnes infinito intervallo separantur a Filio, Hebr. I. 1—2.

[18]) Qua de re in commentario ad hunc locum praeclarissime Chrysostomus disserit.

gerant, eidemque obsequantur. Affirmari ergo non immerito potest, tot tantaque esse quae in hanc coelestem revelationem conspirarunt, ut illis summa, ac veluti ἀνακεφαλαίωσις christianae institutionis comprehensa videatur.

54. At vero non antea ad τὸ ὅραμα describendum accedit Matthaeus [19], quam praemittat: „Et post dies sex assumit Jesus *Petrum* et Jacobum et Johannem fratrem eius, et ducit illos in montem excelsum κατ' ἰδίαν seorsum atque privatim.“ Ab ea ergo singulari institutione apostolis reliquis seclusis, Petrum delegit, quem plenius, accuratiusque erudiret.

Sed nonne una cum Petro Zebedaei quoque filios, Jacobum et Johannem coniunxit, eodemque honore cumulavit? quod cum Petro Zebedaei filios [20] sociaverit, non nego: quod autem illos eodem cum Petro numero habuerit, affirmari non posse contendo. Etenim a) non illi, sed Petrus *primus* memoratur, neque heic dumtaxat [21], sed constanter [22]: παραλαμβάνει ὁ Ἰησοῦς τὸν Πέτρον καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην. Illi b) natali suo distincti nomine intersunt, at Simon adest [23] fatidica *Petri* appellatione insignis, παραλαμβάνει τὸν Πέτρον, qua inter eos, tamquam futurum caput eminebat. Illi c) tacent, unus est Petrus [24] qui loquitur, ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Πέτρος. Neque d) loquitur solum, sed [25] omnium nomine loquitur, καλόν ἐστιν, ἡμᾶς ὧδε εἶναι, ut qui destinatione dux esset ceterorum. Quare e) ille nominatim [26], Jacobus vero et Johannes nonnisi infinite compellantur, ac veluti Petri comites, quibus ille praecelleret, ὁ δὲ Πέτρος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ. Igitur quod tribus fuisse *commune* videri potest, ita tamen contigit, ac ita ab evangelistis narratur, ut Petrus extet, ac primas sortitus appareat.

55. Quas tum etiam sortitus est, quum id quod erat potius in suscepta οἰκονομίᾳ, multo quam antea luculentius Christus manifestavit. Eo enim ingruente tempore, quo suas mediatoris partes obiret, ac semet ostenderet [27] servum illum iustum, qui multorum iniquitates aboleret, quum [28] dixisset discipulis, κα-

[19]) Matth. XVII. 1.

[20]) Quod propterea factum arbitror, ut praeclarissimi facinoris idoneus testium numerus haberetur. Sicut enim futura Christi gloria I. Joh. V. 7—8. tres habere debuit de coelo testes, ac de terra totidem; ita et hoc eius gloriae rudimentum tres quasi de coelo testes habuit, Deum Patrem, Moisem, Eliam: tres pariter de terra, Petrum, Johannem et Jacobum. Confer quae Chrysostomus et Damascenus scribunt in Catena Nicetae episcopi Serrarum ad Matth. XVII. 1.

[21]) Matth. XVII. 1. coll. Marc. IX. 2, Luc. IX. 28.

[22]) De qua veluti lege Petrum anteferendi, paullo diligentius suo loco disputabimus.

[23]) Matth. XVII. 1.

[24]) Ibid. v. 4.

[25]) Ibid. v. 4. Unde appellatio Patribus solemnis, qua Petrum dicunt στόμα τῶν μαθητῶν. Quod scilicet illis praepositus, eorumque destinatione caput omnes repraesentaret.

[26]) Luc. IX. 32: Ὁ δὲ Πέτρος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἦσαν βεβαρημένοι ὕπνῳ.

[27]) Is. LIII. 11.

[28]) Matth. XXVI. 36. coll. Joh. XVIII. 1.

θίωσατε αὐτοῦ, ἕως οὗ ἀπελθὼν προςεύξωμαι ἐκεῖ, assumens [29] continuo *τὸν Πέτρον καὶ τοὺς δύο υἱοὺς Ζεβεδαίου, ἤρξατο λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν*, coepit contristari et gravissime angi. Ubi plura necessaria esse non credo, quibus Christi studium adprobetur, quo singulari Petri institutioni consuluit, illumque ceteris apostolis, ipsisque Zebedaei filiis anteposuit. Etenim a) is est, qui *primus* recensetur [30], *παραλαβὼν τὸν Πέτρον καὶ τοὺς δύο υἱοὺς Ζεβεδαίου*. Is b) qui eximio Petri nomine instructus adest, *παραλαβὼν τὸν Πέτρον*. Ac is c) qui reliquorum praeses et caput habetur. Quum enim Christus primum orasset, inquit [31] Matthaeus, *ἔρχεται πρὸς τοὺς μαθητάς, καὶ εὑρίσκει αὐτοὺς καθεύδοντας, καὶ λέγει τῷ Πέτρῳ· οὕτως οὐκ ἰσχύσατε μίαν ὥραν γρηγορῆσαι μετ' ἐμοῦ;* sed quorsum illa numeri *ἐναλλαγή*, *dicit Petro*, *sic non potuistis?* quod in Petro, tamquam designato capite, omnes continerentur. Quorsum reprehensio Petri, omnium reprehensio existimatur? quod castigentur membra quum in caput animadvertitur. Liquet ergo non reliquis modo apostolis, sed ipsis quoque Zebedaei filiis tum Petrum fuisse praehabitum, quum ea evidentius declarata Christus voluit, quae ad *θεολογίαν*, susceptamque *οἰκονομίαν* pertinerent.

56. Est autem praeceptoris et magistri non ea solum probe nosse quae sit traditurus, verum etiam in numeratis argumenta habere, quibus illa persuadeat ac demonstret. Inter argumenta vero christianae demonstrationis nullis secunda sunt, quae ex editis portentis, patratisque miraculis desumuntur. Si ergo Christi consilium fuit, ut Petrus universalis, supremique fidelium doctoris munere fungeretur, ac dignitate praestaret; omnino decuit, ut quem plenius erudierat, eumdem singulari, eximiaque ratione illorum testem [32] redderet, quibus christianae doctrinae veritas comprobatur. Quod nullatenus praetermisit. Quum enim insigni portento filiam archisynagogi ad vitam esset [33] revocaturus, *οὐκ ἀφῆκεν οὐδένα αὐτῷ συνακολουθῆσαι, εἰ μὴ Πέτρον καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάν-*

[29]) Matth. XXVI. 37.

[30]) Matth. XXVI. 37.

[31]) Ibid. vv. 39—40. Quod autem in Petro, tamquam futuro capite, apostoli omnes continerentur, pluribus explanat Ambrosius in Lucam lib. IV. n. 70, et in Hexameron lib. V. cap. VI.

[32]) Ad hanc testis proprietatem declarandam ista pertinent II. Petr. I. 16—19: *Non enim doctas fabulas* (*σεσοφισμένοις μύθοις* fabulas ad decipiendum callide excogitatas, quae est vis *τοῦ σοφίζειν*, sensu deteriori) *secuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et praesentiam* (*δύναμιν καὶ παρουσίαν*, idest, *παρουσίαν δυνατήν*, oeconomiam miraculis insignem), *sed speculatores* (*ἐπόπται* idem heic quod *αὐτόπται*, oculati testes) *facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam* (cuius Joh. XII. 28. ista sunt verba, *ἐδόξασα, καὶ πάλιν δοξάσω*), *voce delapsa ad eum huiuscemodi a magnifica gloria: hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus* (quibus verbis testem se declarat *αὐτόπτην καὶ αὐτήκοον*) *de coelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.*

[33]) Marc. V. 35—43.

νην τὸν ἀδελφὸν Ἰακώβου. En Petrus cum filiis Zebedaei apostolis reliquis antefertur, tum ipsis quoque Zebedaei filiis praehabetur. Nam et primus memoratur, et semper adest suis ornatus insignibus, proprioque nomine, propriaque destinatione secretus.

57. E quibus *quatuor* esse video, quae minime dubia ratione consequuntur. I. Non pauca in evangeliis referri, quae Christus Petro contulit, quaeque apostolis ceteris denegavit. II. Nihil in iisdem contineri ceteris tributum apostolis, quod una cum illis Petrus non acceperit. III. Illa ipsa, quae omnibus *ἀδιαφόρως* apostolis tributa videntur, eximio quodam modo Petro convenire; quum ipse inter apostolos non tamquam unus e pluribus, sed ut omnium destinatione [34] caput interesset. Denique IV. vel initam a Christo agendi rationem haberi non posse instar normae, qua de Petri dignitate ac destinatione statuamus; vel fatendum esse, eum ceteris fuisse antepositum, et supremum, universalemque credentium doctorem institutum.

CAPUT VI.

De iis quae habentur Matth. XVII. 24—27: — Petri ἐξοχὴ ostenditur: — quae uberius testimonio comprobatur penes Matthaeum, cap. XVIII. 1—4: — eodem pertinent quae narrantur Luc. XXII. 24—31: — quae in hac narratione spectari potissimum debeant: — ea ad quatuor capita revocantur: — ac tandem infertur, Petrum comparate μείζονα credi oportere, ἁπλῶς vero simpliciterque μέγαν καὶ πρῶτον, et ecclesiae caput atque ἡγούμενον.

58. Si viam prosequimur, a qua ne transversum quidem unguem discedere nobis hactenus permisimus, spes est, eo nos perventuros quo contendimus, novaque tum indicia, quum argumenta reperturos, quibus Petri *ὑπεροχὴν* comprobemus. Enimvero quae de exactoribus [1] didrachmatis Matthaeus [2] narrat, quaeque de iis subdit, quae Christus ea occasione et dixit et fecit, deque vectigali eius nomine et auctoritate persoluto, talia sunt, quae nisi negligentissime praetereantur, ornamenta Petri, singularemque dignitatem in aperto collocant. Primum enim exactores [3] describit, ut qui ad Petrum accesserint, illum-

[34]) Intererat enim *Petri* appellatione insignis. Atqui scribit Chrysostomus hom. III. de Poenitentia: *Πέτρον δὲ ὅταν εἴπω, τὴν πέτραν λέγω τὴν ἀῤῥαγῆ, τὴν κρηπῖδα τὴν ἀσάλευτον, τὸν ἀπόστολον τὸν μέγαν, τὸν πρῶτον τῶν μαθητῶν.*

[1]) Cf. legem latam Exod. XXXVIII. 25—28, et Josephum, Antiquitt. lib. XVIII. cap. IX. n. 1.

[2]) Matth. XVII. 24—27.

[3]) Matth. XVII. 24.

que his verbis compellarint: *ὁ διδάσκαλος ὑμῶν οὐ τελεῖ τὰ δίδραχμα;* audis, *ὑμῶν*, atque adeo plurium, non autem *tui*, atque adeo unius? sed si plures aderant discipuli, quaenam caussa exactores impulit, ut omissis reliquis, unum Petrum convenirent, eoque, tamquam nuncio ad Magistrum uterentur? quod satis innotuisset, eo in collegio Petrum eminere, et a Christo ceteris omnibus anteferri. Hanc caussam ipsa rei narratio sponte suggerit: hanc viderunt Patres, e quibus Chrysostomus [4] ait: *ἐδόκει δὲ τῶν μαθητῶν πρῶτος εἶναι ὁ Πέτρος, αὐτῷ προςέρχονται*, quum primus inter discipulos Petrus videretur, illum idcirco conveniunt. Praeter hanc vero vix aut ne vix quidem aliam repereris, quae aliqua se probabilitatis specie commendet. Ea igitur erat Christi cum apostolis agendi ratio, ut vulgo appareret, principem locum Petro deferri.

59. Quod multo ex iis deprehenditur evidentius, quae narrare Matthaeus pergit. Postquam enim [5] exactoribus percontantibus respondit Petrus, *ναί*, illisque significavit, praeceptori sanctum esse statuta omnia, legesque Moisis custodire; domum repetens [6], ab eo qui iam omnia pro sua infinita sapientia noverat [7], quum alia ad ipsius excitandam fidem [8]. opportunissima, tum haec [9] audivit: *ἵνα δὲ μὴ σκανδαλίσωμεν αὐτούς, πορευθεὶς εἰς τὴν θάλασσαν, βάλε ἄγκιστρον, καὶ τὸν ἀναβάντα πρῶτον ἰχθὺν ἆρον· καὶ ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ, εὑρήσεις στατῆρα.* E quibus perspicuum est, Petri fidem, uti Scripturae loquuntur, tentari, novumque de ea periculum sumi. Ecquid enim ad egregium fidei experimentum accommodatius, quam illi edicere, ut piscatum iret extracturus indubitanter piscem, in cuius ore staterem reperiret? fieri non poterat ut huic imperio adquiesceret, nisi in ea, quam ediderat [10] fidei professione, *tu es Christus Filius Dei vivi*, immotus permansisset. Ac permansit sane, obtemperavit Christo, atque ex ore piscis staterem eduxit. Quid porro? quod expectandum omnino erat, ut singularem Petri fidem et obedientiam [11] singulari

[4]) In Matth. hom. LVIII. al. LIX. n. 1.

[5]) Matth. XVII. 24—25.

[6]) Ibid. v. 25.

[7]) Hanc Christi praenotionem, quam Chrysostomus perpendit, et suspicit, significat Matthaeus his verbis: *Προέφθασεν αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς.*

[8]) Cuiusmodi ista sunt Matth. XVII. 25: *Τί σοι δοκεῖ, Σίμων; οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς ἀπὸ τίνων λαμβάνουσι τέλη ἢ κῆνσον; ἀπὸ τῶν υἱῶν αὐτῶν, ἢ ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων; λέγει αὐτῷ ὁ Πέτρος· ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων. ἔφη αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ἄραγε ἐλεύθεροί εἰσιν οἱ υἱοί. ἵνα δὲ μὴ σκανδαλίσωμεν κ. τ. λ.* Quibus, Chrysostomo interprete, significatum istud voluit, *ἐλεύθερος μὲν εἰμι τοῦ δοῦναι κῆνσον.* Et propterea ab hoc onere solutus et liber, quod filius sim *γνήσιος καὶ ἴδιος* non terreni regis, sed coelestis. Interim pergit ille: *Σὺ δέ μοι σκόπει κἀκεῖνο, πῶς τὴν ἀποκαλυφθεῖσαν τῷ Πέτρῳ γνῶσιν καὶ ἐντεῦθεν βεβαιοῖ.*

[9]) Matth. XVII. 27.

[10]) Matth. XVI. 16.

[11]) Dignum est animadversione, praeclariora quaeque in Petrum collata, instar praemii rependi, quod ille eximia fide promeruerit. E quo colligimus: I. Christum ab ipsa umbra illius flagitii abhorruisse, quod *personarum acceptionem* Scripturae nominant. II. Absurde quae Petro tribuuntur, ceteris quoque *communia* exi-

praemio Christus cohonestaret. Quod quidem praemium non distulit, immo continuo exhibuit [12] subdens: *ἐκεῖνον (στατῆρα) λαβὼν, δὸς αὐτοῖς ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ.*

60. Sed quid est, *ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ?* nimirum *mea, tuaque* [13] *vice.* Sibi ergo Petrum Christus associat, et quo propius associat, eo prae ceteris altius, sublimiusque extollit. Unde Chrysostomus [14] exclamat: *εἶδες τὸ ὑπερβάλλον τῆς τιμῆς, vides honoris excellentiam.* Cuius ut originem aperiat, subdit [15]: *διὸ καὶ τῆς πίστεως αὐτὸν ἀμειβόμενος συνῆψεν ἑαυτῷ κατὰ τὴν τοῦ φόρου δόσιν, ideo in mercedem fidei, in solvendo tributo sibi illum* (Christus) *coniunxit.* Tum iubet [16] ut Petri philosophiam demiremur: *τοῦτο γὰρ οὐ φαίνεται Μάρκος ὁ τούτου φοιτητὴς γεγραφηκὼς τὸ κεφάλαιον, ἐπειδὴ πολλὴν ἐδείκνυ τὴν εἰς αὐτὸν τιμήν· ἀλλὰ τὴν μὲν ἄρνησιν καὶ αὐτὸς ἔγραψε, τὰ δὲ ποιοῦντα αὐτὸν λαμπρὸν, ἀπεσίγησεν. nam Marcus qui huius discipulus erat, hoc capitulum* [17] *non scripsit, quia hinc illi honor ingens accedebat. Sed negationem eius scripsit, quae vero conspicuum illum reddebant, tacuit, ἴσως τοῦ διδασκάλου παραιτουμένου τὸ μεγάλα περὶ αὐτοῦ λέγειν, fortasse instante magistro ne magna de illo diceret.* Ac tanta sane huius facti eloquentia est, ut commentario vix opus esse videatur, quo constet, Petrum omnibus anteponi, altero post se gradu a Christo collocari, familiaeque a se iam collectae, et deinceps colligendae praefici tamquam [18] *πιστὸν οἰκονόμον καὶ φρόνιμον, ὃν καταστήσει ὁ κύριος ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ, τοῦ διδόναι ἐν καιρῷ τὸ σιτομέτριον.*

61. Quorum quidem intelligentia neque Patres latuit, qui ea legerunt, neque apostolos, qui ea propriis auribus, oculisque usurparunt. De Chrysostomo non est cur quidquam addatur, prae quo tamen non minori perspicuitate loquuntur [19] Gregorius nazianzenus, Ambrosius [20], Hieronymus [21], antiquus auctor quaestionum e veteri, novoque testamento [22], et qui his omnibus vetustate prae-

stimari. Ac III. toto eos coelo falli, qui Petri decora, dignitatemque vel in *aetatem provectiorem*, vel in *vocationis primatum* refundunt.

[12]) Matth. XVII. 27.

[13]) Quae est frequentissima particulae *ἀντὶ* potestas, qua alexandrini hebraicum תַּחַת reddere solent.

[14]) In Matth. hom. LVIII. al. LIX. n. 2.

[15]) Ibidem.

[16]) Ibidem. De Marci autem evangelio, deque Petro, qui illud probaverit, ecclesiisque legendum tradiderit, conferenda sunt quae scribit Eusebius H. E. lib. II. cap. XV, quaeque testimoniis confirmat Clementis alexandrini, et Papiae episcopi hieropolitani; quibus addi possunt quae habent Tertullianus con. Marcion. lib. IV. cap. V, Hieronymus de Scriptt. ecclesiast. in Marcum, et Anastasius T. II. pag. 3. edit. Blanchinii.

[17]) De hac acceptione vocis *κεφαλαίου* lege disserentem Joannem Croium, Part. I. Observatt. in N. T. cap. VI.

[18]) Luc. XII. 42.

[19]) Orat. IX. pag. 157. T. I. opp. edit. Coloniae 1690.

[20]) In Lucam, lib. IV. n. 70.

[21]) Comm. ad h. l.

[22]) Quaest. LXXV.

cellit Origenes [23], cuius haec sunt verba: „Cum ergo maximo ab Jesu Petrum honore affectum (discipuli) existimarent, qui maiorem eum ceteris suis discipulis iudicasset; id quod suspicabantur, Jesum interrogando, responsionemque eius audiendo exploratum habere voluisse mihi videntur, an, quemadmodum coniiciebant, eum seipsis maiorem iudicasset: simul etiam sperabant futurum ut caussam cognoscerent, cur ceteris discipulis Petrus antelatus fuisset. Cum haec igitur significare vellet Matthaeus his verbis: *illum sumens*, staterem videlicet, *da eis pro me et te*, subiunxit: *in illo die* [24] *accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: quis putas maior est in regno coelorum?* inde autem fortasse dubitatio eorum orta est, quod tres in transfiguratione antepositi fuissent; quis autem trium illorum maior a Domino iudicatus fuisset, ea vero de re dubitabant; nam Johannes in eius pectus prae amore recubuit, et multa ante coenam singularis honoris [25] in Johannem ab Jesu collati argumenta vidisse eos inde licet existimare: Petrus autem in confessione beatus appellatus est propter illud: *tu es Christus Filius Dei vivi:* rursus autem propter istud: *vade post me Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea quae Dei sunt*, *sed ea quae sunt hominum*, animo erant incerto ac dubio, an is fortasse maior non esset, sed alter e filiis Zebedaei.“

62. In quo Origenis commentario illud est verissimum, sensisse apostolos sibi omnibus unum Petrum anteferri. Descriptis enim verbis [26] Christi, *δὸς ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ*, pergit [27] evangelista: *ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ προςῆλθον οἱ μαθηταὶ τῷ Ἰησοῦ, λέγοντες· τίς ἄρα μείζων ἐστὶν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν; in illa hora*, continenterque *accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes, quinam* eos inter *maior*, idest, usitata graduum permutatione, maximus *futurus esset* in ecclesia, quae *regni coelorum* nomine adumbratur? At enimvero quaenam illis esse caussa potuit, propter quam, nulla interiecta mora, percontarentur, *τίς ἄρα μείζων ἐστὶν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν;* si Scripturis potius et sermonum, eventuumque *ἀκολουθίᾳ*, quam praeconceptis obsequi opinionibus velimus, reponemus, quae tum Christus dixerat, quaeque fecerat apostolis prope aculeos subiecisse, quibus conciti inquirerent, quinam ex iis principem locum, potioremque auctoritatem esset consequuturus. Quare non possum non suffra-

[23]) In Matth. T. XIII. n. 14: *Δοκεῖ οὖν μοι ὅτι μεγίστην νομίσαντες ταύτην εἶναι ὑπὸ τοῦ Ἰησοῦ πρὸς τὸν Πέτρον τιμήν, κρίναντος αὐτὸν μείζονα τῶν λοιπῶν γνωρίμων, ἐβούλοντο ὅπερ ὑπενόουν ἀκριβῶσαι, διὰ τοῦ πυθόμενοι τοῦ Ἰησοῦ ἀκοῦσαι περὶ αὐτοῦ, εἰ, ὡς ὑπελάμβανον, μείζονα κέκρικε τὸν Πέτρον αὐτῶν· ἅμα δὲ ἤλπιζον καὶ τὴν αἰτίαν εἴσεσθαι τοῦ προκεκρίσθαι τὸν Πέτρον τῶν λοιπῶν μαθητῶν. κ. τ. λ.*

[24]) Notat Origenes, *κατά τινα τῶν ἀντιγράφων* legi, *ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ*: at vero secundum alia, *ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ.*

[25]) Omnia sus deque miscet Origenes, et quae consequuta deinceps sunt, veluti illorum caussam refert quae antecessere.

[26]) Matth. XVII. 27.

[27]) Matth. XVIII. 1. coll. Marc. IX. 33—37, Luc. IX. 46.

gari Chrysostomo [28] aienti: „Humanum quidpiam passi discipuli sunt, quod et evangelista significat dicens, *in illa hora*, ὅτε πάντων αὐτὸν προετίμησε, quando prae omnibus illum (Petrum) honore affecit. Nam cum ex Jacobo et Joanne alter primogenitus [29] esset, nihil simile pro illis fecit. Hinc pudore affecti animi sui commotionem confessi sunt, neque aperte dicunt, τίνος ἕνεκεν τὸν Πέτρον ἡμῶν προετίμησας; cur Petrum nobis praetulisti? num ille maior nobis est? non audebant enim, sed indefinite interrogant, *quis maior est?* nam cum tres viderunt praeferri ceteris, nihil simile passi sunt; cum autem unus tantum honorem tulit, tunc dolore sunt affecti. Neque hoc solum sed et alia multa congerentes accensi sunt. Nam [30] dixit illi, *tibi dabo claves*, et, *beatus es Simon Bariona*, et hic, *da ipsis pro me et te;* itemque fiduciam eius et loquendi libertatem videntes pungebantur." Illorum ergo. interrogatio sin minus ῥητῶς, certe δυνάμει hanc significationem praeferebat: „evidentius etiam, disertiusque edicito, utrum Petrus in ecclesia, atque adeo nos inter μείζων ac princeps futurus sit." Quapropter quod non satis animadvertisse videbantur, quum Christus propheticum nomen [31] Simoni promisit, promissumque contulit; id e facto Christi perspicue deduxerunt, sibique Petrum anteferri iniquiori animo passi sunt.

63. Quid vero ad ista Christus? interrogationem ne ita repulit, ut doceret, neminem ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν futurum μείζονα, sed unam omnium eamdemque conditionem, dignitatem, potestatemque extituram? nihil minus, sed [32] damnata ambitione, et necessitate animi semet demittentis inculcata, orationem ita temperavit ac inflexit, ut futurum aliquem, qui ceteris praecelleret, non omnino obscure significaverit. Subiecit [33] enim: ὅστις οὖν ταπεινώσῃ ἑαυτὸν ὡς τὸ παιδίον τοῦτο, οὗτός ἐστιν (idest, *erit*, frequenti temporum commutatione) ὁ μείζων ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. Non exclusit ergo τὸν μείζονα e regno coelorum, sed qualis esse ille oporteret, declaravit atque praecepit. Quae multo erunt splendidiora, si cum iis comparentur, quae Lucas de altera apostolorum contentione litteris consignavit.

64. Refert enim [34] obortam inter apostolos controversiam, τίς αὐτῶν δοκεῖ εἶναι μείζων, quis eorum maior esse videretur. Adeo illorum animos nondum Dei Spiritu repletos cura adurebat excellentioris gradus: atque adeo persuasum illis erat [35], non penitus τὸν μείζονα a Christo fuisse exclusum, sed

[28]) In Matth. hom. LVIII. al. LIX. n. 2.

[29]) Quibus ad eam opinionem Chrysostomus respicit, quam paullo ante exposuerat, δίδραχμα fuisse pro primogenitis persolvenda. De qua opinione non est cur pluribus in praesentia dicam.

[30]) Matth. XVI. 17—18.

[31]) Joh. I. 42. coll. Matth. XVI. 18.

[32]) Matth. XVIII. 2—6.

[33]) Ibid. v. 4.

[34]) Luc. XXII. 24.

[35]) Neque enim hoc tempore primum, sed iam antea, uti evangeliorum collatio ostendit, de praestantia honoris, auctoritatisque disceptaverunt. Cf. Matth. XVIII. 1—5, Marc. IX. 33—37, Luc. IX. 46—48. ....

destinatum potius ac praefinitum. Sequitur Lucas [36], et Christum inducit, qui modum contentioni his verbis imponit: *Οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν κυριεύουσιν* [37] *αὐτῶν· καὶ οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν, εὐεργέται καλοῦνται. ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως· ἀλλ' ὁ μείζων ἐν ὑμῖν, γενέσθω ὡς ὁ νεώτερος· καὶ ὁ ἡγούμενος, ὡς ὁ διακονῶν. τίς γὰρ μείζων, ὁ ἀνακείμενος, ἢ ὁ διακονῶν; οὐχὶ ὁ ἀνακείμενος; ἐγὼ δέ εἰμι ἐν μέσῳ ὑμῶν ὡς ὁ διακονῶν. ὑμεῖς δέ ἐστε οἱ διαμεμενηκότες μετ' ἐμοῦ ἐν τοῖς πειρασμοῖς μου. κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου βασιλείαν, ἵνα ἐσθίητε καὶ πίνητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μου ἐν τῇ βασιλείᾳ μου· καὶ καθίσησθε ἐπὶ θρόνων, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραήλ.*

65. Quatuor autem sunt, quae in hac Christi oratione spectanda prae ceteris videntur. I. Quae silentio premantur, etsi dictu opportunissima censeri possent: II. quae affirmentur, sin minus totidem verbis, non obscura tamen dictorum consequutione: III. quae ad illustrationem adhibeatur comparatio: et IV. quaenam sint, quae Christus damnat atque reiicit.

Quamquam ergo semel iterumque [38] apostoli de primatu et quaesierint et

[36]) Luc. XXII. 25—31.

[37]) Pro verbis *κυριεύω* et *ἐξουσιάζω* in gemino Matthaei loco cap. XX. 25. occurrunt verba *κατακυριεύω* et *κατεξουσιάζω*. Quamquam vero contendere nolim, numquam *κατὰ* in compositione redundare, ac propterea numquam verbis *κατακυριεύω* et *κατεξουσιάζω* eamdem subesse potestatem ac simplicibus *κυριεύω* et *ἐξουσιάζω*: nihilominus e re fuerit adnotasse, a) usitatius in deteriorem partem utrumque compositum verbum accipi, iisque dominatum significari cum fastu, iactantiaque coniunctum: b) usitatiorem potestatem non solum a praesentis orationis contextu non abhorrere, sed cum eo potius praeclare consentire: quapropter c) *κατακυριεύω* et *κατεξουσιάζω* heic usurpari, quemadmodum I. Petr. V. 3: *Μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων.*

[38]) Video inferri exinde posse, verba Christi de Petro, eaque etiam quae habentur Matth. XVI. 18—20. non eiusmodi visa esse apostolis, quae Petrum ad singularem *προστασίαν* destinatum ostenderent. Sed 1) evangeliorum lectione constat, ne clarissima quidem et evidentissima ab illis saepius fuisse intellecta. Evidenter sane Luc. XVIII. 31—34. suam iis passionem Christus praenunciaverat; et nihilominus, evangelista teste, v. 34, *αὐτοὶ οὐδὲν τούτων συνῆκαν*. Quod ergo apostoli non senserint quo Christi verba pertinerent, argumentum esse non potest, quod obscura illa fuerint ac perplexa. Praeterea 2) nihil proclivius, quam in oppositam partem telum reflectere. Video enim in id protestantes incumbere, ut persuaderent, Christum Matth. XVIII. 1—5, XX. 20—28, Marc. IX. 33—37, X. 35—45, Luc. IX. 46, XXII. 24—31. verbis omnino disertissimis confirmasse, neminem in ecclesia extiturum, qui reliquis omnibus auctoritate praeesset. At si apostolorum intelligentia ceu norma habeatur perspicuitatis, quae Christi verbis inesset, ea fuisse obscurissima existimari oporteret, quum illi semel atque rursum de praerogativa dignitatis contenderint. Ceterum 3) sin minus e nudis verbis, ex iisdem saltem cum factis cohaerentibus praesensisse apostolos, unum aliquem, eumque Simonem Petrum omnibus anteferri; iis ostenditur, quae hactenus exposuimus.

contenderint; numquam tamen aperte Christus declaravit, ratum sibi esse, neminem ceteris anteponere, neminem tamquam ἡγούμενον constituere, qui ceteris honore et auctoritate praestaret. Rei autem gravitas, Christi sapientia, et profusus in discipulos et ecclesiam amor, tum agendi ratio illi consueta postulare omnino videbantur, ut siquidem nullum honore et auctoritate potiorem esse ceteris voluisset, id candide aperiret, semina contentionum extingueret, omnemque aditum ambitioni obstrueret. Sane [39] de re agebatur neque tenui, neque mediocri, sed omnino maxima, quippe quae secumipsis apostolos committeret, concordiae adversaretur, eoque pertineret, ut divinum consilium de regimine ecclesiae, deque illius administrandae forma in periculum adduceretur. Erat autem sapientis institutoris tot, tantorumque malorum caussas praecidere; quod multo etiam vehementius Christum decebat, quem [40] Patris Sapientiam esse credimus, et de cuius in apostolos, ecclesiamque amore dubitare non possumus.

66. Cuius amoris, sollicitaeque curae non minimum ex eo capi indicium potest, quod soleant evangelistae [41] Christum exhibere modo dubia, quae forte inciderint, explanantem, modo obscura, perplexaque expedientem, modo obliqua discipulorum iudicia corrigentem, ac modo quaestionum, iurgiorumque caussas diligentissime amputantem. Quod ut exemplo ad rem praesentem accommodato illustrius faciam, animo preces reputentur [42], quibus mater filiorum Zebedaei a Christo petiit, ne praecipere gravaretur, *ἵνα καθίσωσιν οὗτοι οἱ δύο υἱοί μου, εἷς ἐκ δεξιῶν σου, καὶ εἷς ἐξ εὐωνύμων σου, ἐν τῇ βασιλείᾳ σου.*

Quid enim Christus? tacuit ne, an apertissimis contra verbis inanem fastum compescuit? e vestigio [43] respondit: *τὸ δὲ καθίσαι ἐκ δεξιῶν μου καὶ ἐξ εὐωνύμων μου, οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται ὑπὸ τοῦ πατρός μου.* Silentium igitur Christi in iis quae consideravimus adiunctis rerum, argumento esse debet, non eam fuisse divinam ordinationem, ut apostoli omnes aequales essent, ac nemo eos inter maiori honore atque auctoritate potiretur.

67. Cui ego silentio, quamquam eloquentissimo, non penitus fiderem, neque illud summopere urgerem, nisi a Christo adiecta, dictorumque consecutione significata intelligerem, quae futuram unius praepositi institutionem non ambigue referunt. Recolantur [44] enim Christi [45] verba: *οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν*

[39]) Putarem hanc disserendi rationem non improbandam esse lutheranis, ut qui eam usurpent adversus calvinianos, quum e Joh. VI. 48—60. veritatem carnis Christi in Eucharistia tuentur. Solent enim argumentum non ultimum inde repetere, quod si Christi verba, *ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα, καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἔχει ζωὴν αἰώνιον*, accipi *μεταφορικῶς* deberent, metaphoram Christus explanasset, cuius sapientia atque bonitas nullatenus pati posse viderentur, ut offensionis occasio auditoribus praeberetur.

[40]) I. Cor. I. 23—24: *Κηρύσσομεν Χριστὸν ...., θεοῦ δύναμιν καὶ θεοῦ σοφίαν.*

[41]) Exempla sunt obvia.

[42]) Matth. XX. 20—22.

[43]) Ibid. v. 23.

[44]) n. 64.

[45]) Luc. XXII. 25—27.

κυριεύουσιν αὐτῶν· καὶ οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν εὐεργέται καλοῦνται. ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως· ἀλλ' ὁ μείζων ἐν ὑμῖν, γενέσθω ὡς ὁ νεώτερος· καὶ ὁ ἡγούμενος, ὡς ὁ διακονῶν.

Quo, quaeso, postrema pertinent, *qui maximus in vobis erit, ita gerere semet debet, ac si foret auctoritate* [46] *minor; et qui praefectus* [47] *ceteris erit, non aliter agat ac si minister esset?* talia ista sunt, quae omnino includunt, atque hanc propositionem virtute complectuntur: *vestrum aliquem extiturum μείζονα καὶ τὸν ἡγούμενον.* Effata namque Christi, *ὁ μείζων ἐν ὑμῖν, γενέσθω ὡς ὁ νεώτερος*, et, *ὁ ἡγούμενος ἐν ὑμῖν, γενέσθω ὡς ὁ διακονῶν:* resolvi ita possunt, atque e regione disponi:

I. *Ἐν ὑμῖν ἐστίν τις, ὅς ἐστιν ὁ μείζων.*	I. *Ὅς ἐστιν ὁ μείζων, γενέσθω ὡς ὁ νεώτερος.*
II. *Ἐν ὑμῖν ἐστίν τις, ὅς ἐστιν ὁ ἡγούμενος.*	II. *Ὅς ἐστιν ὁ ἡγούμενος, γενέσθω ὡς ὁ διακονῶν.*

Sed nulla opus est deductione, artificioque nullo, ut evidentissime deprehendatur, ea Christum oratione usum esse, qua extiturum aliquem ceteris maiorem, eisdemque praepositum significaverit. Quare non *silentio* [48] dumtaxat, verum etiam sententiarum consequutione ostendit Dominus, velle se ut unus aliquis esset, qui in ecclesia ceteris *μείζων*, ac omnium *ἡγούμενος* haberetur.

68. Hinc ambitione repressa [49] filiorum Zebedaei, ne qui forte concluderent, neminem inter apostolos maiorem futurum, iis ad se vocatis [50], hunc habuit sermonem: *Οἴδατε, ὅτι οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν. οὐχ οὕτω δὲ ἔσται ἐν ὑμῖν· ἀλλ' ὃς ἐὰν θέλῃ* [51] *ἐν ὑμῖν μέγας γενέσθαι, ἔσται ὑμῶν διάκονος· καὶ ὃς ἐὰν*

[46]) Talem enim vim induit hoc loco adiectivum *νεώτερος*, quemadmodum ratio oppositionis demonstrat. Haec autem significatio inde illustrari potest, quod I. Tim. V. 1—2. *οἱ νεώτεροι* opponuntur *τοῖς πρεσβυτέροις*, qui *patrum* loco censentur: et alexandrini Gen. XLII. 13—15—20—34, Judd. I. 13, III. 9. ea voce utuntur, ut exprimant hebraicum קָטֹן *parvum, minimum.*

[47]) Licet *ἡγέομαι* proprie sit *duco, dux sum viae*, ac *praecedo*, usu tamen factum est, ut saepissime denotet *praesum, praeficior.* Conferri possunt testimonia Act. VII. 10, Hebr. XIII. 7—17—24, et Matth. II. 6, ubi Christus dicitur *ἡγούμενος*, apud Syrum ܡܕܒܪܢܐ, rex atque ecclesiae princeps.

[48]) n. 66.

[49]) Matth. XX. 22—25.

[50]) Ibid. vv. 25—29.

[51]) Placet huic verbo commentarium Brugensis subiicere: „*Voluerit*, impropria loquutio est, eo quod alloquatur eos qui vellent. Non enim docet apostolos quomodo primatum sibi comparare queant: sed ex onere, quod incumbit primati, docet non ambire primatum: id quod clare intelligitur ex exemplis, antecedente gentium, et consequente Filii hominis. *Voluerit* igitur, supple, quemadmodum vos id vultis; sed accipe pro eo ac si diceretur: sed quicumque fuerit inter vos maior.“

θέλῃ ἐν ὑμῖν εἶναι πρῶτος, ἔσται ὑμῶν δοῦλος· ὥσπερ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε διακονηθῆναι, ἀλλὰ διακονῆσαι, καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν. Scilicet non eam sibi mentem esse declaravit, ut nemo apostolorum μέγας esset καὶ πρῶτος: sed τύπον, formamque proposuit, quam ceteris maior, omniumque primus imitaretur.

69. Qua de re nullus supererit dubitandi locus, si animus ad eam comparationem convertatur, qua Christus sermonem suum explanat atque concludit. Continuo namque [52] subdit: *Τίς γὰρ μείζων, ὁ ἀνακείμενος, ἢ ὁ διακονῶν; οὐχὶ ὁ ἀνακείμενος; ἐγὼ δέ εἰμι ἐν μέσῳ ὑμῶν ὡς ὁ διακονῶν.... κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου βασιλείαν.* Et alibi [53]: *ὥσπερ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε διακονηθῆναι, ἀλλὰ διακονῆσαι, καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν.*

Quibus profecto docemur, eam regendae ecclesiae formam iugiter perduraturam, quae, Christo nobiscum degente, incoepit; ita ut quae tum erat ecclesia, παράδειγμα haberetur, quod eadem ecclesia ad consummationem usque saeculi explicanda et amplificanda constanter referret. Sed opera nostra abuteremur, si conficiendum argumentis assumeremus, quod est testatissimum, quodque sine manifesta impietatis nota negari non potest: Christum, quamdiu mortalis vixit, partes obiise τοῦ πρώτου καὶ τοῦ ἡγουμένου, et in regno coelorum fuisse omnium πρῶτον καὶ ἡγούμενον. Ea igitur est *comparatio*, qua suam Christus orationem explicat, absolvitque, ut fatendum sit, ex apostolis unum ad πρωτείαν καὶ προστασίαν fuisse propterea destinatum, ne ecclesiae ratio atque facies, eo in coelis iam recepto, a semetipsa dissidere videretur.

70. Et re sane vera postremum ex iis consideretur quae [54] proposuimus, et quid illud sit, quod ab ecclesia sua alienum Christus pronunciat, paullo diligentius investigetur. Perspicuum est: I. regnum cum regno conferri, et coelorum regnum [55], quod est ecclesia, cum humanis regnis comparari. Perspicuum deinde est II. *qualitatem*, secundum quam ῥήσει illa, ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως, utrumque regnum mutuo *negative* componitur, non esse caput ac substantiam ipsam προστασίας καὶ ἀρχῆς, sed certum quemdam illius modum, qui auctoritati ac praefecturae sic accidit, ut ab ea possit, ac vero etiam abesse debeat.

Quod quidem a) ostendunt verba κυριεύειν, ἐξουσιάζειν, κατακυριεύειν, κατεξουσιάζειν, εὐεργέται, quae fastum, pompam, ambitionemque designant. Ostendit b) incisum, εὐεργέται καλοῦνται, depraedicantur atque efferuntur tam-

[52]) Luc. XXII. 27—30.

[53]) Matth. XX. 28.

[54]) n. 65.

[55]) Explanandis formulis, βασιλεία θεοῦ, τῶν οὐρανῶν, Χριστοῦ, non mediocriter proderit oracula contulisse Pss. II —XLV—CX; Is. IX—XI—XXV. 8—XXVIII. 5 — XLII. 1. seqq — XLIX. 6 — LII—LIII; Jerem. XXIII. 5—6 — XXX—XXXI—XXXIII. 15. seqq; Ezech. XVII. 22 — XXIX. 21 — XXXVII. 24; Hos. III. 5; Mich. IV—V; Zach. III. 8 — IV. 12 — IX. 9 — XIV. 1. seqq; Mal. III. 1; Dan. IX. 24—27. De his autem oraculis lege quae habet Schoettgenius in Horis Hebr. Vol. II. pag. 143—266.

quam locupletes beneficiorum fontes. Ostendit c) repetita declaratio, qua Christus confirmat, velle se, ut ab ecclesia longissime absit, quod fuerat a suo ministerio alienissimum. Sed sic ille ministravit, ut reiecerit quidem fastum, humanique principatus splendorem, principatum vero ipsum, supremamque potestatem, qua [56] leges ferret, praecepta iniungeret, ritus [57] praefiniret, poenas [58] intentaret, suamque ecclesiam moderaretur, ita retinuerit, ut verissime [59] *ὁ κύριος, καὶ βασιλεὺς βασιλευόντων* diceretur et esset. Ostendunt tandem d) quae penes Johannem [60] a Christo dicta legimus: *ὑμεῖς φωνεῖτέ με, ὁ διδάσκαλος καὶ ὁ κύριος· καὶ καλῶς λέγετε· εἰμὶ γάρ. εἰ οὖν ἐγὼ ἔνιψα ὑμῶν τοὺς πόδας, ὁ κύριος καὶ ὁ διδάσκαλος, καὶ ὑμεῖς ὀφείλετε ἀλλήλων νίπτειν τοὺς πόδας· ὑπόδειγμα γὰρ δέδωκα ὑμῖν, ἵνα καθὼς ἐγὼ ἐποίησα ὑμῖν, καὶ ὑμεῖς ποιῆτε.* Nihil enim evidentius, quam ista ceteris [61] quae expendimus, adamussim respondere; istis vero nihil praeterea vel iniungi quam animi modestiam, demissionisque studium, vel prohiberi quam mentis elationem, fumumque superbiae.

Quum itaque duo sint exploratissima: I. ecclesiam instar regni describi, et cum humano regno comparari: neque II. aliam inter utrumque similitudinem *negando* excludi, quam quae pompa, fastuque continetur; consequens omnino est, caput ipsum, substantiamque *τῆς προστασίας καὶ τῆς ἀρχῆς* non solum non excludi, verum etiam poni, firmiterque stabiliri.

71. Qua sane re nihil ad Petri praerogativas opportunius, nihil validius, quo illius inter apostolos *ὑπεροχή*, potiorque auctoritas comprobetur. Habemus enim propositum fuisse Christo, ut in regno suo, quod est ecclesia, unus aliquis esset, qui *ὁ μέγας, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἡγούμενος* aestimaretur, quique iis partibus *ἀναλόγως* defungeretur, quas ipsemet ad Patrem nondum reversus obierat. Superest ergo ut sollicite inquiramus, quem ipse prae ceteris delegerit, ac omnibus tamquam caput, praepositumque antetulerit. Ne si forte constitutum nobis divinitus praepositum per oscitantiam ignoraremus, neque obedientiam illi debitam deferre, neque Christi institutoris voluntatem explere possemus. Sed quo investigatio suscipitur diligentius, et veritas quaeritur candidius, eo facilius, splendidiusque apparet, unum Simonem Petrum esse, qui *ἡγούμενος* ecclesiae suae a Christo impositus censeri debeat. Is enim est, qui nihil non accepit eorum, quae apostolis reliquis Christus adscripsit: is qui multo sortitus est plura ac excellentiora, quam reliquis delata noverimus: ac is, de quo merito repetuntur, quae Leo [62] scribit: „Multo est dignius ad beatissimi Petri apostoli glo-

[56]) Matth. XXVIII. 18. seqq.

[57]) Marc. XVI. 15, Matth. XXVI. 28, Luc. XXII. 19, I. Cor. X. 17.

[58]) Luc. XII. 8—9, Marc. XVI. 15.

[59]) Ephes. II. 21, IV. 15; Act. XX. 28. ....

[60]) Joh. XIII. 13—16.

[61]) nn. 63. seqq.

[62]) Serm. III. cap. III.

riam contemplandam aciem mentis attollere, ... qui ab ipso omnium charismatum fonte tam copiosis est irrigationibus inundatus, ut *cum multa solus* acceperit, *nihil* in quemquam sine illius participatione transierit.“ Est itaque Petrus [63] auctoritate *ὁ μέγας*, inter apostolos *ὁ πρῶτος καὶ μείζων*, ecclesiae vero Christi conspicuum caput, et princeps *ἡγούμενος*.

CAPUT VII.

Comparatio Christum inter ac Petrum paucis indicata uberius expolitur: — duplex Christi erga ecclesiam munus, institutoris et supremi moderatoris: — quae inde ecclesiae forma atque ratio prodierit: — ea permanere iugiter debuit: — colligitur destinatio Petri ad eas obeundas conspicui, supremique rectoris partes, quas Christus adhuc mortalis explevit: — confirmatur: — iique refelluntur qui Petri praerogativas ad primatum nudi honoris atque ordinis revocandas esse contendunt.

72. Quae postremo loco [1] brevissime complexi sumus, eo pertinebant ut Christi consilium aperiretur quo statuit, eas regendae, administrandaeque ecclesiae partes Petro deferre, quas ipse adhuc mortalis obierat; adeo ut non aliter ille *τοῦ πρώτου καὶ τοῦ ἡγουμένου* iura exerceret, quam ipsemet antea exercuisset. Sed probe sentio, hoc doctrinae caput adeo invisum esse [2] protestantibus, ut secundis curis excoli debeat, et tractatione haud paullo pleniore confirmari. Quare *tria* mihi prae ceteris sumo, quae et exponam enucleatius, et firmius stabiliam. E quibus illud esse *primum* volo, Christum in ecclesiam, quam [3] pusilli instar gregis collegerat, quaeque erat deinceps apostolorum curis

[63]) Ex hac bibliorum loquendi ratione repetendum arbitror, Petrum mirifica quadam consensione penes nobilissimos ecclesiae patres dici: I. *Τὸν καρτερὸν καὶ μέγαν τῶν ἀποστόλων*: II. *τὸν τῶν ἀποστόλων ἀκρότην*: III. *τῶν πάντων κορυφαῖον καὶ κορυφαιότατον*: IV. *πρωτοστάτην*: V. *ἡγούμενον*: ac tandem VI. *ἔξαρχον*. Cf. Euseb. H. E. lib. II. cap. XIV, Gregorium nyssenum in Cantic. hom. XV, Gregorium nazianzenum Orat. XXXIX, Athanasium in Ps. V. n. 8, Chrysostomum in Joh. hom. XXIII. n. 3, Isidorum lib. I. epist. CCCLVI, Maximum in Script. q. XXVII, et Cyrillum alexandrinum Fest. Paschal. hom. VIII.

[1]) n. 71.

[2]) Quod tamen minus eisdem invisum accidere deberet post ea, quae de communicata cum Petro eximia *petrae* praerogativa superius demonstravimus.

[3]) De primis ecclesiae sub Christo originibus confer quae habentur Joh. VII. 31—39—49; XII. 42. ....

ubivis gentium[4] amplificanda, *duplici munere* functum esse, *institutoris auctorisque*, tum *ducis*, *capitis*, *supremique moderatoris*.

73. Ac de priori quidem munere[5] res est manifestior, quam ut testimoniis, argumentisque persuaderi debeat. Ipse enim et credenda patefecit, et ritus ac sacramenta instituit, et ministerium determinavit, quo tutelae, incrementisque ecclesiae prospectum foret. Munera scilicet partesque omnes *institutoris* absolvit. Quare tum ab apostolis, quum passim ab omnibus *magister*, et *doctor* et *praeceptor*[6] salutabatur. Unde inter ceteras ecclesiae appellationes illa eminet, qua *ἐκκλησία Χριστοῦ*, a Christo[7] nimirum profecta, ab eoque instituta nuncupatur.

74. Sed non ea minus praestitit, quae *capitis* propria sunt, et ad praepositi dignitatem, auctoritatemque referuntur. Lectione namque evangeliorum edocemur, nihil eorum praetermisisse Christum, quae necessaria, opportunaque viderentur, ut obscura clarescerent, impedita explanarentur, contentiones plus semel inter discipulos obortae conquiescerent, unitas vero pacisque vinculum inter eos sanctissime custodiretur. Hinc notissima Scripturarum effata, quibus dignitas et potestas *domini*, *regis*, *supremique pastoris* illi deferuntur. Atque hinc imagines *familiae*, *domus*, *civitatis*, *ovilis*, *regni*, quibus ecclesia adumbratur, quaeque Christum illius caput, principem, moderatoremque demonstrant. Indu-

[4]) Joh. IV. 20—24, Matth. XXVIII. 19, Marc. XVI. 15. Unde Paulus Rom. I. 8: *Ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ.* Quibus similia habentur Col. I. 8—23, I. Cor. I. 23, IX. 20.

[5]) Joh. IV. 21, X. 16, Matth. XVI. 18, Joh. III. 5, VI. 54, Luc. XII. 8. ....

[6]) Immo ut munus, partesque institutoris alteri deferri non posse significaret, dixit Christus Matth. XXIII. 8—11: *Ὑμεῖς δὲ μὴ κληθῆτε ῥαββί· εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητής* (al. *ὁ διδάσκαλος*, forte e glossemate), *ὁ Χριστός·* (quae vox e commate decimo huc translata videtur, eaque carent permulti codices, versiones et patres.) *πάντες δὲ ὑμεῖς ἀδελφοί ἐστε. καὶ πατέρα μὴ καλέσητε ὑμῶν* (al. *ὑμῖν*) *ἐπὶ τῆς γῆς· εἷς γάρ ἐστιν ὁ πατὴρ ὑμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. μηδὲ κληθῆτε καθηγηταί· εἷς γὰρ ὑμῶν ἐστιν ὁ καθηγητής, ὁ Χριστός.* Atqui sunt in ecclesia *magistri*, *doctoresque* a Christo ipso instituti, unde Paulus I. Tim. II. 7, II. Tim. I. 11. semet vocat *διδάσκαλον ἐθνῶν*, et Act. XIII. 1, I. Cor. XII. 28—29, Ephes. IV. 11. *doctores* recensentur ab apostolis, prophetisque distincti. Sunt et *patres*, ii videlicet I. Cor. IV. 15. qui nos in Christo per evangelium genuerunt.

Quo igitur pacto ista sibi constare intelligemus? facillime, dummodo animadvertamus, *διδάσκαλον*, *καθηγητήν*, *πατέρα* *dupliciter* accipi, ac primo ut doctrinae *auctor*, deinde ut eiusdem *legitimi propagatores* denotentur. Priori sensu unus Christus est, dicique debet *καθηγητής*, *διδάσκαλος*, *πατήρ*: unde ipsi quoque apostoli sunt *ἀδελφοί*, idest, *συμφοιτηταί*, *condiscipuli*: et quotquot sunt fideles, *edocti a Domino* Joh. VI. 45, I. Thess. IV. 9. perhibentur. At vero posteriori sensu alii sunt *doctores*, *magistri*, *patres*, ii videlicet omnes, quos Christus praeordinavit.

[7]) Cf. Petavium de Incarnat. lib. II. cap. X, et Toletum ad Joh. XIII. annotat. XVI.

bitatum propterea esse debet, habitu, respectuque duplici ad ecclesiam Christum referri, *institutoris*, quo illam condidit [8], supremique *pastoris* [9], quo illam visibiliter rexit atque gubernavit.

75. Succedit ex iis *alterum*, quae nobis [10] confirmanda proposuimus, quodque neque certum minus, neque minus exploratum haberi convenit: characterem esse, dotemque ecclesiae propriam, ut ea sibi semper similis sit, eamdemque constanter faciem, speciemque praeferat, neque alia in suis primordiis, atque alia in consequutis incrementis videatur. Una enim eademque est christianismi et ecclesiae ratio, atque ita se ad invicem habent, ut ecclesia *χριστιανισμὸς αἰσθητός*, christianismus vero *ἐκκλησία νοητὴ* non incommode existimetur. Quare constantia et *ταυτότης* quae illi competunt, deesse ecclesiae nequeunt: et sicut ille a semetipso desciscere, ita haec aliam naturam, aliamque rationem [11] induere non potest.

76. Jamvero, quod *tertium* est, ipsa sibi ecclesia dissimilis foret, et a semetipsa summopere dissideret, si a suis exordiis ac prope incunabulis unius nutu, imperioque visibiliter administrata, eadem deinceps vel nullius supremo iure, quod *independentibus* placet, vel summo iure aut multitudinis, quod *democratici* tuentur, aut praesulum, quod *aristocraticis* videtur, conspicue regeretur. Cuius propositionis veritatem non pervulgatum modo Aristotelis effatum ostendit: immutata regiminis forma, ipsam quoque civitatem immutatam censeri; sed ostendunt praeterea quum indita omnium hominum animis ratio, tum quae ita ecclesiae sunt propria, ut ab ea divelli nullatenus possint.

77. Ac me sane fugit, reperiantur nec ne qui sibi persuaserint, unam eamdemque *οὐσιώδως societatem* permanere, quamquam illius regimen, et gubernationis ratio alia prorsus, diversaque evadat. Profecto administrationis ratio non ea est, quae societati extrinsecus accidat, sed illam contra intrinsecus afficit, atque ita pervadit, ut propterea, non citra habitum ad composita physica, eiusdem *μορφὴ* nuncupetur. Immutari autem *τὸ ὑποκείμενον*, et *οὐσιώδως* immutari, dum quae illi intestina sunt, illudque pervadunt ac determinant, mutationem subeunt; ex ipsis, quibus effertur verbis, compertum esse existimo. Praeterea quum communi eruditorum suffragio ita societates distinguuntur [12], ut aliae *monarchicae*, aliae sint, dicanturque *aristocraticae* vel *democraticae*; unde

[8]) Cf. Bertieri Theolog. dogmat. systemat. §§. 84. seqq.

[9]) Cf. Benedicti Zimmer Theolog. christ. spec. theor. Part. III. §§. 19—82.

[10]) n. 72.

[11]) Quod enim de Christo legimus Hebr. XIII. 8: *Ἰησοῦς Χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτός, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας*, ad eiusdem item corpus, quod est ecclesia, referri *ἀναλόγως* debet.

[12]) De hac distinctione lege pluribus disserentes Nicolaum Mariam Pallavicinium in opere, *Difesa del Pontificato Romano*, Michaelem Mauclerum, *De Monarchia divina, ecclesiastica et saeculari*, Henningium Arnisaeum, *De Republica*, et Cardinalem Orsium, *De Rom. Pontifice*, *lib. VII.*

illarum discrimen repeti censendum est? ex internis credo proprietatibus, quae uni sic insint, ut aliis vicissim desint. Vocabula porro ipsa, quibus societatum distributio exprimitur, talia sunt, quae rationem discriminis e formarum varietate desumptam probant. Pertinet ergo forma ad naturam ipsam, substantiamque societatis; neque haec consistere eadem potest, si illa mutetur.

78. Ceterum finge ita immutatam post Christi obitum regiminis formam, ut destinatus nemo fuerit, qui ecclesiae tamquam supremum caput, et universalis *ἡγούμενος* visibiliter praeesset. Potuisset ne ecclesia sine novis revelationibus, editisque in dies miraculis eam tueri unitatem symboli, liturgiae, corporis, quam Christus veluti eiusdem propriam tesseram [13] determinavit? minime sane, quod et paullo sagacioribus [14] *ἀμέσως* compertum duco, et vel ex eo patet abunde, quod nequeat multitudo ubivis gentium, locorumque diffusa, qualis [15] est ecclesia, in unum convenire, nisi unus adsit qui varium et multiplex ad unitatem redigat, et unitatis veluti forma circumscribat. Unde illud [16] Hieronymi: „Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens tribuatur potestas, tot in ecclesia orientur schismata quot sacerdotes.“ Quum itaque citra disputationis aleam positum sit, eum providentiae ordinem fuisse a Christo delectum, ut ecclesia sine novis revelationibus [17], novisque miraculis, in sua unitate perseveraret; diffiteri non possumus, aliquem ab eo fuisse praesignatum, qui supremo iure ecclesiam regeret, illamque suimetipsius vice unitam, cohaerentemque servaret.

79. Quaeri tandem iure potest, an tempore dumtaxat Christi adhuc mortalis, vel iugiter potius inesse ecclesiae, eidemque *visibiliter* convenire debuerint quae in Scripturis repetita leguntur: illam esse *unum ovile*, *unam domum*, *familiam unam*, *unam civitatem*, ac *regnum unum*. Videlicet talia sunt haec symbola, quae illius statum exhibent non temporarium, sed perpetuum, et e quibus non in primordiis solum, verum etiam in suis progressionibus cognosci illa, secernique debuit. Atqui istis symbolis seorsum aeque ac simul inspectis non alia adumbratur ecclesia quam quae ad unum supremum praepositum, visibilemque principem referatur. Tamdiu ergo uno visibili rectore, eoque supremo ecclesia gubernetur oportet, quamdiu vere affirmari de ea poterit ac debebit, esse illam *unum regnum*, *domum unam*, *unam familiam*, *ovile unum*, et

[13]) Joh. X. 16, XIII. 34—35, XVII. 17—21, Ephes. IV. 3—6. .... Unde Chrysostomus hom. I. in I. ad Corinthios: *Εἰ ἐκκλησία θεοῦ ἐστιν, ἥνωται, καὶ μία ἐστίν, οὐκ ἐν Κορίνθῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ. τὸ γὰρ τῆς ἐκκλησίας ὄνομα οὐ χωρισμοῦ, ἀλλὰ ἑνώσεως καὶ συμφωνίας ἐστὶν ὄνομα.* Nazianzenus autem Orat. XII. ecclesiam vocat *ἄτμητον καὶ ἀμέριστον καὶ ὑφαντὸν δι᾽ ὅλου χιτῶνα.*

[14]) Cf. Leibnitz, epist. VIII. n. 2. edit. Kortholti.

[15]) Quae idcirco *καθολικὴ* nuncupatur, *διὰ τὸ κατὰ πάσης εἶναι τῆς οἰκουμένης, ἀπὸ περάτων γῆς ἕως περάτων*, ut Cyrillus hierosolymitanus Catech. XVIII. loquitur.

[16]) Dialog. cōn. Lucif. n. 9.

[17]) Quod discrimen est non ultimum inter christianam et mosaicam institutionem.

civitatem unam. Scilicet semper illius administratio et regimen [18] ad unum supremum, visibilemque praepositum pertinebit.

80. Sed cuinam id iuris tribuemus, et quem putabimus delectum, ut ἀμέσως post Christum illius vices supremi, visibilisque capitis impleret? ipsi quoque schismatici et protestantes, nisi malint omnino desipere, sponte dabunt, longe esse facilius quemvis e medio praepositum tollere, quam eo probato, illius partes, munus ac iura alteri quam Petro deferre. Scripturae enim si quem secretum a ceteris, praerogativis ornatum, eximiisque a Christo cumulatum donis ostendunt, non alium utique quam Petrum [19] demonstrant. Unde video ipsos etiam heterodoxos alienissimos eos quidem ab ea fidei professione, qua potestatis, summique iuris primatus Petro asseritur, sed in eam sententiam vicissim [20] propensos, qua docetur, unum ex omnibus Petrum honoris atque ordinis primatu excelluisse. Tenebimus ergo, certisque rationum momentis persuasi iudicabimus, Petrum esse quem Christus suimetipsius vicarium instituit, suaeque ecclesiae ducem, rectoremque praeposuit.

81. Ita ne vero, ut quovis potiori iure destitutus, honore solum atque ordine praecelleret? opinio est ista protestantium; sed ne cogitemus de nudo honoris, ordinisque primatu exigunt [21] frequentes sententiae, quibus vanos titulos, inanemque pompam a coelorum regno amandavit Christus atque reiecit. Postulat deinde [22] suimetipsius exemplum, quod illi prae ceteris in se exprimendum iniunxit, qui omnium μείζων καὶ ἡγούμενος futurus erat. Institutio ergo primatus, qui nudis constet honoris, ordinisque phaleris, non minus a Christi verbis, quam ab ethica evangelii doctrina, eiusdemque anima ac veluti spiritu [23] vehementissime abhorret. Nihilominus fas haud est de primatu ambigere [24] quem Christus instituerit. Dandum est igitur eius primatus fuisse auctorem, qui potiori iure, eximiaque potestate contineatur.

82. Quem ob oculos habuisse, et in ecclesia perduraturum significasse, probant *occasio* sermonis [25] quem expendimus, *comparatio duplex* ad eum illustrandum adhibita, *verba ipsa* quae usurpantur, σκοπός denique institutione primatus *consequendus.* Sane habendi sermonis occasio Christo fuit mutua apostolorum contentio [26], quis eorum μείζων esse videretur. Apostolos autem de

[18]) Video hanc consequutionem latius patere, quam praesens de Petri primatu controversia postulare videretur. Sed non idcirco aut coerceri ea debuit, aut silentio veritas premi, quae in lucem sua sponte prodibat.

[19]) Huc faciunt quaecumque omnia hactenus exposuimus.

[20]) Huius rei testes laudatos habes penes Barruel in opere, *Du Pape et de ses droits*, Part. II. chap. V.

[21]) nn. 64. seqq.

[22]) Luc. XXII. 27. coll. Joh. XIII. 12—17.

[23]) Mirum esse debet, de nulla re minus, quam de hoc veluti evangelii charactere cogitasse protestantes, quum de primatu Petri dissererent, illumque ad nescio quam honoris pompam redigerent.

[24]) nn. 67. seqq.

[25]) nn. 65—66.

[26]) Luc. XXII. 24.

praestantia disceptasse, quae auctoritate potissimum constaret, neque vanis titulis absolveretur; vix puto adduci in controversiam posse. De praestantia enim disceptabant, quam mater filiorum Zebedaei[27] his verbis expresserat[28]: εἰπέ, ἵνα καθίσωσιν οὗτοι οἱ δύο υἱοί μου, εἷς ἐκ δεξιῶν σου, καὶ εἷς ἐξ εὐωνύμων σου, ἐν τῇ βασιλείᾳ σου. Phrasis porro, *sedere in regno ad dexteram et ad sinistram*, apud scriptores tam sacros[29], quam profanos[30] denotat, alterum, tertiumque a principe dignitatis, potestatisque gradum nancisci. Apposite[31] Rosenmuellerus: „Dexterae regis assidere, significat locum a rege principem[32] habere. Tertius autem in regno locus consequenter describitur sessione ad *sinistrum* regis latus. Nam ut quisque in regno maior, ita regi in publicis conventibus propior sedebat." Ea igitur occasione locutus est Christus, ut eiusdem sermo de praestantiori auctoritate accipi debeat.

83. Praesertim quum utraque ab eo adhibita comparatio[33] acceptionem aliam non ferat. Non patitur comparatio *negans*, quam inter humanos principes et ecclesiae ἡγούμενον proponit: quidquid enim in humano principatu splendoris est ac pompae, id abesse ab ecclesiae praeposito Christus iubet, cui propterea nonnisi auctoritatem defert, qua fratrum emolumentis prospiciat. Neque commodius patitur comparatio *affirmans*, qua futurum praesidem secumipse confert: non enim titulis, magnisque nominibus, sed summi magisterii iure, supremique rectoris auctoritate et ipse excelluit, et ecclesiam gubernavit. Accedunt vocabula τοῦ πρώτου[34], μείζονος καὶ ἡγουμένου, quibus dignitatem extituri praepositi Christus significavit. Talia enim sunt, quae simul iuncta, et cum orationis serie cohaerentia primatum referunt non umbratilem sed solidum, non honoris specie conclusum, sed eximia inprimis auctoritate praeditum.

84. Sine qua spes omnis abiicienda foret consequendi finis, quem Christus in primatus institutione praefixum habuit. Eo namque spectavit, ut ecclesia sibi semper similis foret, faciemque constanter praeseferret, quam primum induit: tum ut ratio adesset, qua multiplex illius unitas[35] in tuto collocaretur. Neutrum vero tale est, quod nudi honoris, ordinisque primatu comparari possit.

[27]) n. 68.

[28]) Matth. XX. 21; ubi Chrysostomus hom. LXV. al. LXVI. n. 2. sic habet: Ἐβούλοντο δέ, ὥς ἔγωγε οἶμαι, ἐπειδὴ ἤκουον, ὅτι ἐπὶ δώδεκα θρόνους καθεδεῖσθε, τὴν προεδρίαν τῆς καθέδρας ταύτης λαβεῖν· καὶ ὅτι μὲν τῶν ἄλλων πλέον εἶχον, ᾔδεσαν· ἐδεδοίκεσαν δὲ Πέτρον, καὶ λέγουσιν· εἰπέ, ἵνα εἷς ἐκ δεξιῶν σου καθίσῃ, καὶ εἷς ἐξ εὐωνύμων· καὶ κατεπείγουσι λέγοντες, εἰπέ.

[29]) I. Reg. II. 19, Ps. XLV. 9, Hebr. XII. 3.

[30]) Horum testimonia dabunt Grotius et Kuinoel.

[31]) In scholiis ad h. l.

[32]) I. Reg. II. 19.

[33]) n. 69.

[34]) Quum non raro formula, ὁ πρῶτός μου, idem valeat ac, ὁ ἄρχων μου, vel ut alexandrini reddentes hebraicum ראש loquuntur, πρώταρχός μου: existimaverim, heic τὸν πρῶτον non male verti τὸν ἄρχοντα.

[35]) n. 78.

Non illud, quum Christus non tam honore, quam eximia auctoritate, supremoque iure ecclesiae praefuerit, illamque adeo ita primum extruxerit, ut eiusdem regimen ad summam unius potestatem revocaretur. Non alterum, quod ea fulget evidentia, ut illustrari dicendo vix posse videatur. Evidens enim est quam quod maxime, suprema opus esse auctoritate, sive ut dissidia unitati infensa dextere praecaveantur, sive ut eadem iam oborta, ac in dies latius gliscentia refrenentur. Historia, analogia cum civili societate, praeceptaque bene consultae rationis demonstrant, seposita auctoritate [36] supremi capitis temere ac prorsus *ἀλόγως* spem ali fore, ne propria ecclesiae unitas periclitetur. Quibus omnibus conficitur, auctorem fuisse Christum, ut Simon Petrus omnium *πρῶτος* haberetur, inter ipsos apostolos *μείζων* esset, ac suimetipsius vice partes *τοῦ ὑγουμένου* in regno coelorum visibiliter expleret.

[36]) Minime autem audiendi sunt protestantes dum excipiunt, propterea ad tutelam unitatis necessarium non esse supremum visibile caput, quod Christus ecclesiae suo numine adsit. Etenim a) quo pacto voluerit Christus unitati ecclesiasticae consultum, non divinando praesumi, sed certis testimoniis illius consilium praeferentibus statui debet. Testimonia porro Christi consilium praeferentia ostendunt, voluisse illum, ut destinatione atque institutione visibilis, supremique capitis unitati ecclesiae prospiceretur. Ad haec b) analogia fidei, quae negligi numquam debet, in hoc potissimum quaestionum genere interroganda est. Quae si interrogetur, liquebit, ordinem divinitus delectum hunc esse, ut ecclesia *κατὰ φαινόμενον* humano more gubernetur. Eiusmodi autem gubernationis ratio omnino persuadet, tutelam unitatis ecclesiasticae neque e miraculis, neque e novis revelationibus, sed e supremo, conspicuoque praeposito expectandam esse. Postremo c) utraque comparetur institutio, legalis per Moisem, et christiana per Filium. Illa, quamquam et multo angustior, et pleniori instructa codice, et certo tempore desitura, et novis in dies revelationibus, miraculisque sustentanda, auctore tamen Deo, qui omnia fortiter, suaviterque moderatur, supremo non caruit praeside, cuius curae, officioque integritas depositi, societatisque unitas committeretur. Arbitrabimur ne ergo, praesidio supremi, visibilisque praepositi instructam non fuisse ecclesiam, licet et multo synagogâ amplior, et perpetua futura sit, neque codicem habeat tanta subtilitate digestum, neque missis identidem prophetis, editisque portentis erigi, reficique debeat? profecto si qui in hanc irent sententiam, imprudentissimi non iniuria viderentur.

CAPUT VIII.

Verba Christi Luc. XXII. 31 — 33: — ad unum spectant Petrum, eiusque ὑπεροχὴν confirmant: — cuius rationem pressius declarant: — ostenduntque ad primatum maxime fidei pertinere: — quod Patres adnotarunt: — iisque collatis quae habentur Matth. XVI. 18, illustratur: — haec autem illustratio maiorem inde lucem nanciscitur, quod Petrus in societatem venerit singularis cuiusdam dotis, quae Patri, Filio ac Spiritui-sancto προηγουμένως convenit.

85. Vix dum eum sermonem Christus absolverat [1], quo ex apostolis aliquem, eumque [2] Simonem Petrum omnibus *μείζονα*, omniumque *πρῶτον καὶ ἡγούμενον* fore significaverat; quum oratione ad eumdem Petrum conversa, his eum verbis [3] alloquutus est: *Σίμων, Σίμων, ἰδού, ὁ σατανᾶς ἐξῃτήσατο ὑμᾶς, τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον· ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου· καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας, στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.* Constat vero quaecumque omnia hisce continentur, *propria* esse Petri [4], et ad eum unum dirigi atque referri. Quod 1) ostendit phrasis ad innuendos orationis transitus solemnis, *εἶπε δὲ ὁ κύριος.* Confirmat 2) natale Petri nomen non sine emphasi bis repetitum, *Σίμων, Σίμων.* Omnino autem 3) persuadet immutatio personae, quae collatis incisis, *ἐξῃτήσατο ὑμᾶς*, et *ἐδεήθην περὶ σοῦ,* evidenter apparet.

86. Jamvero quae *propria* sunt, si eadem ad excellentiam, dignitatemque pertineant, nequeunt non eorum numero censeri, quibus Petri *ἐξοχὴ* comprobatur. Inquirendum ergo est, utrum horum ambitu comprehendantur, quae Christus uni Petro vel mandat, vel confert, vel pollicetur. Sed ad hanc revera pertinere classem, multiplici ex capite assequimur. Etenim 1) eximium sit ac praestantissimum oportet, quod fructus est ac donum oratione Christi comparatum. Eiusmodi vero esse, quae Petro adscribuntur, ostendunt verba, *ἐδεήθην περὶ σοῦ, pro te, tuique caussa rogavi.* Quo autem 2) oratio spectaverit ad Patrem fusa, his continuo effertur: *ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου, ne victa deficiat* [5] *fides tua.* Sed nihil invicta fide praestantius, quum fides sit donum Dei maximum, et ipsius christianismi *ὑπόστασις* ac fundamentum. Praeterea 3) declarat Christus quid Petro iniunxerit, quodve illi officium demandaverit,

[1]) Luc. XXII. 25 — 31.

[2]) n. 71.

[3]) Luc. XXII. 31 — 33.

[4]) Accuratiorem huius textus commentarium inferius exhibebimus.

[5]) Plenior interpretatio τοῦ ἐκλείπειν pro ratione contextus tum dabitur, quum secundis curis verba Christi expendentur.

inquiens: *στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου, robora*[6] *et confirma fratres tuos*, neque sinito ut tentatione oppugnati, et ad lapsum impulsi subvertantur et concidant. Nemo autem neget stabiliendi officium esse cum dignitate atque auctoritate coniunctum, eumque, cui creditur, illis anteponi, qui ab eodem confirmandi perhibentur. Accedit 4) nexus sane perspicuus, quo haec cum iis devinciuntur, quae Matthaeus[7] refert, quaeque nos superius[8] expendimus. Ita namque sibi manifeste respondent:

Ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.	*Ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου· καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας, στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.*

Sed ratio *τῆς πέτρας*, cui inaedificanda ecclesia incumbat, et a qua suam firmitatem mutuetur, excellentiam refert, singularemque praestantiam. Eodem ergo redit vis et ratio *τοῦ στηρίγματος*, quae heic Petro prae eiusdem fratribus asseritur.

87. Fateor tamen vix aliunde quidpiam ad ornandam Petri *ὑπεροχὴν* colligi accommodatius posse, quam ex iis divinarum litterarum testimoniis, quibus stabiliendi, confirmandique dignitas Patri, Filio, ac Spiritui-sancto *προηγουμένως*[9] vindicatur. Ac Patri sane vindicatur, quum[10] dicitur: *τῷ δὲ δυναμένῳ ὑμᾶς στηρίξαι κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου..... μόνῳ σοφῷ θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας.* Item quum[11] additur: *ὁ δὲ βεβαιῶν ὑμᾶς σὺν ἡμῖν εἰς Χριστόν, καὶ χρίσας ἡμᾶς, θεός.* Neque minus quum[12] subditur: *ὁ δὲ θεὸς πάσης χάριτος, ὁ καλέσας ὑμᾶς εἰς τὴν αἰώνιον αὐτοῦ δόξαν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὀλίγον παθόντας, αὐτὸς καταρτίσει ὑμᾶς, στηρίξει, σθενώσει, θεμελιώσει.*

Ad Christum vero ista[13] pertinent: *ὡς οὖν παρελάβετε τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν κύριον, ἐν αὐτῷ περιπατεῖτε, ἐῤῥιζωμένοι καὶ ἐποικοδομούμενοι ἐν αὐτῷ καὶ βεβαιούμενοι ἐν τῇ πίστει.* Tum[14] haec: *ἀπεκδεχομένους τὴν ἀποκάλυψιν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· ὃς καὶ βεβαιώσει ὑμᾶς ἕως τέλους ἀνεγκλήτους.* Et[15] rursum: *αὐτὸς δὲ ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς..... παρακαλέσαι ὑμῶν τὰς καρδίας καὶ στηρίξαι ὑμᾶς ἐν παντὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ ἀγαθῷ.*

Innumera porro sunt, quibus confirmandi, stabiliendique virtus ac munus Spiritui-sancto defertur. Confirmationis enim, stabilitatisque auctor toties prae-

[6]) Complexam hanc *τοῦ στηρίζειν* notionem series orationis commendare videtur.

[7]) Matth. XVI. 18.

[8]) nn. 21. seqq.

[9]) Idest *κυρίως καὶ προκαταρκτικῶς*, ut Chrysostomus in Matth. hom. LXXII. al. LXXIII. n. 3. interpretatur.

[10]) Rom. XVI. 25—27.

[11]) II. Cor. I. 21.

[12]) I. Petr. V. 10.

[13]) Coloss. II. 6—7.

[14]) I. Cor. I. 7—8.

[15]) II. Thess. II. 16—17.

dicatur, quoties illi adscribitur quod [16] doceat omnem veritatem, inducat [17] in omnem veritatem, eaque [18] in animos revocet, quae Christus tradiderat. Luculentissime vero a Paulo, qui testatur [19] flagitare se a Deo Patre, *ἵνα δώῃ ὑμῖν, κατὰ τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ, δυνάμει κραταιωθῆναι διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον.*

88. Igitur quod augustae Trinitatis proprium est, quodque a Patre, Filio et Spiritu-sancto exspectari *προηγουμένως* potest; id pro ea ratione, quae cadere in hominem potest, voluit Christus, ut ipsi quoque Petro participatione conveniret. Voluit nimirum, ut quem communione [20] illius dotis, qua *πέτρα* est, sibi propius coniunxerat; communione similis dotis, qua una cum Patre et Spiritu-sancto *στήριγμα* est et fidelium *στάσις*, cum divina Trinitate propius coniungeretur. Jamvero siqua norma suppetit excellentiae, dignitatisque aestimandae opportuna, ea sane est, quae e divinarum proprietatum, divinorumque munerum participatione desumitur. Quo ergo constat propius ad Deum hoc participationum genere [21] Petrum accessisse, eo prae ceteris sublimius evectum, ceterisque longius antepositum manifestum esse debet.

89. Eos autem inter ipsos quoque apostolos censendos esse, neque obscurum erit, neque dubium, si attendatur, illis *ἀμέσως*, nominatimque praeponi, qui appellatione [22] *τῶν ἀδελφῶν σου*, ac pronomine *ὑμᾶς* significantur. Hos autem esse apostolos, antecedentia, consequentia, ac totius orationis series demonstrant. Apostolis ergo praefertur Petrus, illos in suam tutelam recipit, neque minus inter illos praestat, quam *τὸ στήριγμα πίστεως καὶ ἡ πέτρα* iis praecellit, qui constantiam, firmitatemque sortiuntur. E quibus vis ac ratio innotescit praefinitae divinitus oeconomiae, qua Christus firmitati ecclesiae, constantiaeque in fide ipsorum apostolorum [23] prospiciendum duxit. Confirmavit primum, invictoque robore Petrum donavit, ut petra fieret immobilis, ac basis fidei inconcussa: tum illi commisit, ut quam acceperat fidei firmitatem, fratribus, idest, apostolis impertiret, per fratres vero atque apostolos cum universa qua late patet ecclesia [24] communicaret.

90. Quae quum ita sint, nihil impedit quominus et rationem dignitatis, qua Petrus claruit, enucleatius exponamus, et vim illius auctoritatis, qua excelluit, pressius definiamus. Quum enim coelestium largitate donorum id Christus

[16]) Joh. XVI. 13. coll. XIV. 17—26.

[17]) Joh. XIV. 16.

[18]) Ibid. v. 26.

[19]) Ephes. III. 16.

[20]) nn. 17. seqq.

[21]) Non possum mihi temperare, quin divinum hunc fontem ornamentorum Petri crebro commemorem, oculisque subiiciam. Pro certo namque habeo potissimam errandi caussam inde protestantibus obortam esse, quod non uti par erat, sinceram primatus caussam animo reputaverint.

[22]) Luc. XXII. 31—32.

[23]) Quae nolim ita accipiantur, ac si Christus *ἐμμέσως* dumtaxat per Petrum, non item *ἀμέσως* per semetipsum stabilitati apostolorum consuluerit.

[24]) Quibus non nego universam ecclesiam a Petro *proxime* sustentari, sed hierarchicam ordinationem repraesento.

perfecerit, ut fidei constantia, et munere tuendae fratrum fidei Petrus emineret; nullo aptius nomine, quam *primatus in fide*, eiusdem ὑπεροχὴ efferri posse videtur. Ecquae enim, peto, ad huius primatus rationem necessaria sunt ac sufficiunt? quo rem scrutabimur intimius, eo perspiciemus luculentius, postulari ac sufficere: 1) ut illius fides, qui eo primatu insignis habetur, constantia excellat: tum 2) ut propriis creditam curis fratrum fidem divinitus acceperit. Sed quid horum Petro defuit? non primum, quum [25] scriptum legamus: ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου. Non alterum, quum Petro dicatur: στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου. Praestantia ergo et dignitas Petri verissimo quodam sensu est, dicique debet *primatus in fide.*

91. Quod sanctissimi ecclesiae patres modo disertis, ac modo significandi potestate aequipollentibus sententiis non infrequenter declararunt. Ad harum classem spectant [26] Prudentii, Cyrilli [27] hierosolymitani, Chrysostomi [28] et ephesinae [29] synodi testimonia, quibus efferendi, laudandique Petri occasionem inde desumunt, quod *summus* fuerit *Dei discipulus*, atque adeo ceterorum omnium magister, *praedicator summus*, cui propterea reliqui omnes aures praeberent, *fidei* autem *firmamentum* [30] et *columna*. Ad priorem vero referri debent quae [31] Ambrosius, Cassianus [32] et [33] Marcianus imperator confirmant, iis a Christo ornamentis Petrum fuisse instructum, ut *primatum fidei*, et *fidei principatum*, et *principatum in episcopatu fidei* obtinuerit. Quibus si honorem, excellentiamque significari contenderem, de ipsa luce ambigere videri non immerito possem. Hac igitur quaestione seposita, illud in medium adducatur utilius, utrum auctoritas, eaque potior iis pariter significetur. Sed in promptu est responsio, ac omnino expeditissima. Primatus enim fidei, et principatus in episcopatu fidei ne cogitari quidem mente possunt, quin simul de munere cogitetur, quo poterat ac debebat Petrus constantiae et integritati communis omnium fidei prospicere. Duo autem sunt cum hoc munere arctissime cohaerentia, *ius* inprimis, eorumque omnium *facultas*, quae eidem explendo, perficiendoque necessaria essent atque opportuna: *officium* deinde, quo reliqui ad unum omnes cum Petro consentire, et unam, eamdemque cum eo fidem profiteri tenerentur. Dignitas ergo

[25]) Luc. XXII. 32.

[26]) Praefat. lib. II. con. Symmachum, vv. 1—2:

Simon, quem vocitant Petrum,
Summus discipulus Dei.....

[27]) Catech. XI. n. 3: Πέτρος ὁ πρωτοστάτης τῶν ἀποστόλων, καὶ τῆς ἐκκλησίας κορυφαῖος κήρυξ.

[28]) Homil. de talentorum decem millium debitore.

[29]) Act. III.

[30]) Quae Patrum loquendi ratio ex iis perspicue deducta est, quibus Paulus de ecclesia loquens I. Tim. III. 15. ait: Ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος, στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας.

[31]) De Incarnat. cap. IV. n. 32.

[32]) De Incarnat. lib. III. cap. XII.

[33]) Epist. LXXIII. inter Leon. edit. Ballerin.

Petri, quae *primatus fidei*, et *principatus in episcopatu fidei* merito nuncupatur, supremo quodam iure postulandae, exigendaeque fidei consensionis potissimum continetur.

CAPUT IX.

De iis quae Christus mortis iam victor erga Petrum gessit: — ac de iis nominatim, quae habentur Marc. XVI. 6—7, Luc. XXIV. 33—35, I. Cor. XV. 3—9: — eo spectant, ut Petrum omnibus praepositum demonstrent: — ea vero cura habitum, quae universalem magistrum, et μέγιστον τῶν ἀποστόλων deceret.

92. Si quae Christus mortalem adhuc vitam vivens erga institutam a se ecclesiam adhibuit, paullo velimus diligentius considerare, facile deprehendemus, his ea capitibus maxime contineri. Scilicet I. coetum, quem coegerat, quemque ecclesiae nomine [1] ornaverat, ipsemet rexit, ac uti visibile caput suprema auctoritate [2] gubernavit. Tum II. ex universo discipulorum numero duodecim [3] secrevit, quibus et *apostoli* appellationem, et promissionem fecit [4] potestatis, qua quaecumque solverent aut ligarent in terris, in coelis item soluta, ligataque censerentur. Quemadmodum vero III. ex omnibus discipulis seorsum duodecim, ita hos inter unum [5] delegit Simonem, cui propheticum Petri nomen indidit, quemque factis, dictisque significavit futurum omnium πρῶτον καὶ ἡγούμενον, auctoritate praestantiorem, primatu fidei insignem, eoque iure pollentem, quo universitatem fidelium in una eademque fidei professione contineret.

93. Porro quum peccati, inferni, mortisque iam victor eo esset Christus [6] rediturus, unde infinita [7] Patris benevolentia ad redimendum, sanandumque hominum genus descenderat, promissiones duodecim factas exsolvit, potestatemque [8]

[1]) Id primum fecit Matth. XVI. 18, ubi simul declaravit, quinam vices conspicui fundamenti esset obiturus.

[2]) n. 74.

[3]) Luc. VI. 13. coll. I. Cor. XII. 28, Ephes. IV. 2.

[4]) Matth. XVIII. 18.

[5]) nn. 13. seqq.

[6]) Joh. XVI. 5—10—16—28.

[7]) Joh. III. 16.

[8]) Matth. XXVIII. 18. coll. Marc. XVI. 14. seqq. Ubi notari petulantia debet Marci Antonii de Dominis in priore de Republica ecclesiastica libro, cap. II. n. 20. scribentis: „Habemus itaque apostolis *nihil aliud* datum, nihil commissum, nisi purum ministerium fidei Christi, per evangelii praedicationem, ministerialiter *et non potestative* propagandae, et per baptismi usum salutarem.“ Ita ne vero? huc ergo redit apostolorum ἐξουσία? quam aliter Chrysostomus, qui de Pauli ordinatione Act. XIII. 2. loquens, ait hom. XXVII. in

universalis magisterii, legiferam [9], iudiciariam [10] et exequentem [11] solemnibus, ratisque verbis adscripsit. Neque aliter cum Petro egit, quem tot antea signis, argumentisque praehabuerat, omniumque caput, ducemque extiturum significaverat. Immo ea redivivus praestitit, eaque dixit, ut de collata eidem principe dignitate, supremoque magistratu dubitationem omnem praeciderit. Potiora quae huc pertinent, maiori, qua potero, perspicuitate explanabo.

94. Inprimis autem se cura offert, studiumque singulare, quo operam Christus dedit, ut primatus fidei Petro tributus, supremique magisterii dignitas eidem collata omnibus exploratissima redderetur. Ecquid enim ad utrumque manifestandum conducere maxime poterat? eiusmodi, credo, rerum, eventuumque dispositio, e qua pateret, electum divinitus fuisse Petrum, cui fidei, religionisque arcana prae ceteris aperirentur. Sed ea sunt evangelicis et apostolicis litteris consignata, quae non sinunt, ut de hac dispositione vel levissime dubitemus. Ut enim hinc ordiar, angelus qui mulieribus [12] apparuit de Christo sollicitis, ac illius corpus in sepulchro anxie quaeritantibus, postquam Christum e mortuis surrexisse his verbis [13] declaravit, *ἠγέρθη, οὐκ ἔστιν ὧδε:* continuo [14] adiecit, *ἀλλ' ὑπάγετε, εἴπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, καὶ τῷ Πέτρῳ, sed ite, dicite discipulis eius, ac Petro.*

95. Quis iamvero tardus sic est, qui coelestem non sentiat curam, ut unus prae omnibus Petrus de divino resurrectionis mysterio erudiretur? profecto quum Petrum e carcere ereptum, vinculisque expeditum his eos verbis, penes quos se primum [15] receperat, alloquentem legimus [16]: *ἀπαγγείλατε Ἰακώβῳ καὶ τοῖς ἀδελφοῖς:* nemo nostrum est qui non intelligat, eximiam iis significari curam, qua Petrus unum prae ceteris Jacobum totius certiorem eventus desiderabat. Sed posteriora haec prioribus illis sunt omnino simillima. Praeterea, quid ea denotat distributio, *εἴπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, καὶ τῷ Πέτρῳ,* qua Petrus e discipulorum numero secernitur? an non ipse etiam Petrus unus erat e discipulis? nemo ambigat. Cur ergo [17], ac si neque ex eorum numero esset, neque communi *discipulorum* appellatione comprehenderetur, seorsum atque nominatim nuncupatur? frustra caussam ab ea diversam quaeras, quam ipsum *Petri*

Acta: *Χειροτονεῖται λοιπὸν εἰς ἀποστολήν, ὥστε μετ' ἐξουσίας κηρύττειν.*

[9]) Matth. XVIII. 18. coll. Joh. XX. 21, Act. XV. 28—41, XVI. 4, XX. 28, Tit. I. 5.

[10]) Matth. XVIII. 17. coll. Joh. XX. 23.

[11]) I. Cor. V. 1—5, II. Cor. X. 6, I. Tim. V. 20, Tit. I. 13, II. 15.

[12]) Marc. XVI. 5.

[13]) Ibid. v. 6.

[14]) Ibid. v. 7.

[15]) Act. XII. 12.

[16]) Ibid. v. 17.

[17]) Eadem de caussa, qua Jacobus, quamquam et ipse *frater* esset, a fratribus tamen accurate distinguitur. Sic enim frater erat, ut simul fratribus praeesset, illorumque episcopus, ut fert constans apud Petavium de Ecclesiast. Hierarchia, lib. I. capp. VII—VIII. traditio, haberetur. Unde illa in apostolic. constitutt. lib. VIII. cap. XXXV: *Ἐπίσκοπος δὲ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ κυρίου, καὶ τῶν ἀποστόλων Ἱεροσολύμων χειροτονηθείς.*

nomen luculentissimam praebet. Erat utique Petrus e discipulorum numero, ac eos inter censebatur, sed suo insignis prophetico nomine, et ad eam praerogativam destinatus, quam illud praemonstrabat. Erat ergo e discipulorum numero, sed non tamquam unus e ceteris, verum uti ceteris quum nomine, tum destinatione praestantior. Quare fuit cur angelus seorsum illum nuncuparet, singularemque de eo curam praeferret.

96. Quam ipse quoque Christus praetulit, illique inter apostolos primum apparuit, eiusdemque testimonio perfecit, ut ancipites ac in varia distracti ceterorum animi tandem conquiescerent. Lucas enim de discipulis [18] Emmaus euntibus, et conspecto iam Domino Hierosolymam repetentibus, sic habet [19]: *καὶ ἀναστάντες αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, ὑπέστρεψαν εἰς Ἱερουσαλήμ· καὶ εὗρον συνηθροισμένους τοὺς ἕνδεκα* [20] *καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς, λέγοντας· ὅτι ἠγέρθη ὁ κύριος ὄντως, καὶ ὤφθη Σίμωνι.* Quorum ego vim, potestatemque non prius declaro, quam propriam particulae *καὶ* significationem in inciso, *ὅτι ἠγέρθη ὁ κύριος ὄντως, καὶ ὤφθη Σίμωνι,* breviter explicaverim. Quum itaque particula *καί*, non secus ac hebraica ו, pro contextuum discrimine omnium propemodum coniunctionum vices subeat, locumque teneat; potestatem non raro induit *caussalem*, idemque valet ac penes latinos, *nam*, *enim*. Exempla affatim suppetunt, quorum aliquot in subiecta adnotatione [21] describam. Jamvero sermonis, quem prae manibus habemus, ea est ratio, partiumque iunctura, ut *καὶ* nonnisi *αἰτιολογικῶς* accipi possit, reddique propterea debeat, *enim*, isque sensus existat: *surrexit Dominus* non *φαινομένως* apparenter, sed *ὄντως* [22] *reipsa, apparuit enim Simoni;* ac eo res iam pervenit, ut non unius Magdalenae verbis, fluxisque coniecturis, sed certa Simonis testificatione comprobetur.

97. E quibus sane est consequens: a) Christum antea Simoni, quam apostolis reliquis se conspiciendum exhibuisse: b) de illius fide, divinorumque *δογμάτων* notitia singularem plane curam demonstrasse: per eum vero c) tamquam principem testem, ac omnino *θεοδίδακτον* effecisse, ut reliquorum fides confirmata erigeretur. Sed quid his ad ostendendas Simonis praerogativas accommodatius, quid ad persuadendum validius, eum fuisse delectum, ut ceterorum esset

[18]) Luc. XXIV. 13.

[19]) Ibid. vv. 33—35.

[20]) Quomodo *τοὺς ἕνδεκα*, quum Joh. XX. 24. Thomas abesset? quod eiusmodi numerus ad collegium potius, quam ad praesentes referretur.

[21]) Cf. Luc. I. 14, Joh. III. 13, I. Cor. XIV. 32, I. Joh. III. 4, Apoc. I. 8; et e veteri testamento, Gen. XXII. 12, Judd. VI. 14, Ps. LX. 13.

[22]) Cui illustrando adverbio conferant quae in Ignatii epistola ad Smyrnaeos, n. 3. legimus: *Ὅτε πρὸς τοὺς περὶ Πέτρον ἦλθεν, ἔφη αὐτοῖς· λάβετε, ψηλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε, ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον ἀσώματον. καὶ εὐθὺς αὐτοῦ ἥψαντο, καὶ ἐπίστευσαν.* Eadem repetuntur in apocrypho libro inscripto, *Doctrina Petri.* Desumta vero esse ex evangelio secundum Hebraeos, testis est locuples Hieronymus in prooemio ad librum XVIII. commentariorum super Isaiam, et in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, n. 27.

πέτρα καὶ στήριγμα, eosque inter primatu fidei emineret? Quo ea pariter referenda sunt, quibus Paulus summam veluti aliquam christianae professionis complexus, ita [23] orditur: παρέδωκα γὰρ ὑμῖν ἐν πρώτοις, ὃ καὶ παρέλαβον. Quidnam vero? ὅτι Χριστὸς ἀπέθανεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν κατὰ τὰς γραφάς· καὶ ὅτι ἐτάφη, καὶ ὅτι ἐγήγερται τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς. Quibus praecipua religionis capita [24] efferuntur, ac illud nominatim de resurrectione Christi, de quo apostolus [25] subdit: εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται, κενὸν ἄρα τὸ κήρυγμα ἡμῶν, κενὴ δὲ καὶ ἡ πίστις ὑμῶν.

Quare quum tanta esset huius articuli gravitas, ut ex eo tota veluti penderet christianae disciplinae veritas; summopere decuit, ut quoad eius fieri poterat, validissime stabiliretur. Quod Paulus non omisit, sed *instrumentis* primum, ac deinde *testibus* [26] confirmavit. Ad confirmationem ex instrumentis ista pertinent: ὅτι ἐγήγερται τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς. Viden quomodo ad Scripturas provocat, iisque, tamquam authenticis instrumentis caussam statuit? sed ad testes e vestigio [27] progressus, subdit: καὶ ὅτι ὤφθη Κηφᾷ, εἶτα [28] τοῖς δώδεκα, ἔπειτα ὤφθη ἐπάνω πεντακοσίοις [29] ἀδελφοῖς ἐφάπαξ, ἐξ ὧν οἱ πλείους μένουσιν ἕως ἄρτι, τινὲς δὲ καὶ ἐκοιμήθησαν. ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ, ἔπειτα τοῖς ἀποστόλοις πᾶσιν· ἔσχατον δὲ πάντων, ὡςπερεὶ τῷ ἐκτρώματι, ὤφθη κἀμοί. ἐγὼ γάρ εἰμι ὁ ἐλάχιστος [30] τῶν ἀποστόλων.

98. E quo Pauli sermone nihil evidentius, quam a) Cepham adduci, ut qui ex apostolis primum Christum conspexerit: b) illum inter testes primum

[23]) I. Cor. XV. 3; ubi munus christiani doctoris praeclarissime descriptum habes. Illius videlicet est primo quidem a praeordinatis testibus *accipere* quod teneat: deinde vero quod *acceperit*, non quod ipse inveniendo excogitaverit, summa fide auditoribus *tradere*.

[24]) Quamquam non minima sit varietas symbolorum, quae in Patrum libris referuntur, quaeque Usserius et Binghamus collegerunt, et quibus addi plurima possent; nihilominus una atque eadem in omnibus *forma*, et articulorum distributio apparet, adeo ut qui unum noverit, omnia novisse non immerito censeatur. Cuius in tanta varietate consensionis inde petenda videtur ratio, quod παράδειγμα veluti aliquod ab ipsis apostolis profectum omnium mentibus praeluxerit.

[25]) I. Cor. XV. 14.

[26]) Ibid. vv. 4—9; ubi rite Bengelius notat, praemissa Scripturarum auctoritate, fidem humanam testimoniis hominum a Paulo iuvari.

[27]) Inversum ordinem sequitur Petrus in altera epistola, cap. I. 18—20.

[28]) Vulgatus legit ἕνδεκα.

[29]) Coniectura Bezae, legendum esse πεντήκοντα, non talis est quae probari possit.

[30]) Ad hanc vocem ita Semlerus scribit: „Ἐλάχιστος, retulerunt iam plures ad nomen latinum *Paulus*; idem certe utrumque significat." Sed neque antecedentia, neque comitantia, neque sequentia eiusmodi allusionem ferunt: immo omnino postulant, ut ἐλάχιστος de *minimo* accipiatur ratione non *quantitatis*, sed *qualitatis*, cuiusmodi est praestantia et dignitas. Idem ferme hoc loco significat Paulus, quod Ephes. III. 8: Ἐμοὶ δὲ ἐλαχιστοτέρῳ, *mihi autem minimo minori, minimissimo.*

censeri, eidemque supremum locum, supremamque auctoritatem deferri: c) censeri *nominatim*, quum reliqui nonnisi *universim* commemorentur: ac tandem d) sin minus disertis verbis, tacite saltem *apostolorum maximum* nuncupari.

Sic enim orationem tribuisse Paulus videtur, ut ex ordine manifestationum praestantiam, dignitatemque eorum collegerit, quibus Christus apparuit. Unde postquam [31] dixit: *ἔσχατον δὲ πάντων, ὡςπερεὶ τῷ ἐκτρώματι, ὤφθη κἀμοί:* continuo, particula *γὰρ* adhibita, inferendoque [32] subiecit: *ἐγὼ γάρ εἰμι ὁ ἐλάχιστος τῶν ἀποστόλων*. Si ergo Paulus inde se apostolorum *ἐλάχιστον* profitetur, quod omnium ultimus Christum viderit; quid, quaeso, ad veritatis speciem propius accedens, quam Cepham propterea apostolorum *μέγιστον* dici oportere, quod ipse omnium primus Christum conspexerit?

99. Quam ego consequutionem non admodum urgerem, nisi Scripturarum, Patrumque auctoritate sustentarer. Sustentor autem bibliorum auctoritate, sive quum propheticum Cephae [33] nomen, quod nomen est supremae auctoritatis, mecum reputo: sive quum animadverto, ipsius Christi ore [34] Petrum apostolorum *πρῶτον, ἡγούμενον, καὶ μείζονα*, idest, *μέγιστον* fuisse praenunciatum. Patrum vero certam, ratamque sententiam ex iis duco luculentis omnino testimoniis, quae in Euchologio [35], in Archieratico [36], et in Tropario [37] graecorum continentur, quaeque alexandrina, quam dicunt Basilii [38] liturgia, similesque syrorum libri [39] repraesentant. In his enim monimentis, incredibile dictu est, quam crebris, perspicuisque sententiis Petrus nuncupetur, modo *ὁ κορυφαῖος τῶν ἁγίων μαθητῶν καὶ ἀποστόλων*, modo *ἔνδοξος καὶ πρωτοκορυφαῖος τῶν ἀποστόλων*, inde eiusmodi laudum ratione desumpta, quod ipse, uti auctor est Nazianzenus in homilia [40] Archieratico inserta, sit *ὕστερον τὸ τῆς ἐκκλησίας ἔρεισμα*, alterum a Christo ecclesiae fundamentum.

[31]) I. Cor. XV. 8.

[32]) Ibid. v. 9.

[33]) nn. 15. seqq.

[34]) nn. 65. seqq.

[35]) Eucholog. pagg. 545—546—557—689. edit. Goarii, 1730.

[36]) Pontific. Graec. pag. 378. edit. Paris. 1376.

[37]) Cf. Leonis Allatii dissert. de libris ecclesiasticis Graecorum.

[38]) Opp. Basilii T. II. Append. pag. 683. edit. Garnerii.

[39]) Collect. Oriental. Liturg. T. II. pagg. 145. seqq.

[40]) Hanc describit et illustrat Habertus in eo, quem innuimus Pontificalis loco.

CAPUT X.

Postrema Christi ad Petrum verba, Joh. XXI. 15—20: — et Petri vicissim ad Christum, vv. 20—22: — quid his contineatur: — quae, quantaque Petri dignitas atque auctoritas demonstretur: — ea est auctoritas pastoris oecumenici: — cuius vis ac ratio plenius innotescit, collatis testimoniis Matth. XVI. 18—20, Luc. XXII. 31—33: — inspectoque habitu multiplici Christum inter atque Petrum: — concluditur, Petri προστασίαν neque negari posse, neque deprimi, quin Christi dotes, ornamentaque negentur aut deprimantur.

100. Quod mortalis, mortisque victor tot, tamque praeclaris dictis, factisque Christus significaverat, delectum a se Petrum, ut apostolorum coetui praeesset, universalem ecclesiam gubernaret, easque obiret conspicui capitis partes, quas ipsemet expleverat; id haud paullo ostendit luculentius, quum ad Patrem rediturus voluntatem suam, fixumque decretum postremis verbis patefecit. Refert ista [1] Johannes, quum descripta tertia Christi *φανερώσει*, qua fidem discipulorum de suimetipsius resurrectione confirmavit, continuo [2] subdit: *Ὅτε οὖν ἠρίστησαν, λέγει τῷ Σίμωνι Πέτρῳ ὁ Ἰησοῦς· Σίμων Ἰωνᾶ, ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων; λέγει αὐτῷ· ναί κύριε, σὺ οἶδας, ὅτι φιλῶ σε. λέγει αὐτῷ· βόσκε τὰ ἀρνία μου. Λέγει αὐτῷ πάλιν δεύτερον· Σίμων Ἰωνᾶ, ἀγαπᾷς με; λέγει αὐτῷ· ναί, κύριε, σὺ οἶδας, ὅτι φιλῶ σε. λέγει αὐτῷ· ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. Λέγει αὐτῷ τὸ τρίτον· Σίμων Ἰωνᾶ, φιλεῖς με; ἐλυπήθη ὁ Πέτρος, ὅτι εἶπεν αὐτῷ τὸ τρίτον· φιλεῖς με; καὶ εἶπεν αὐτῷ· κύριε, σὺ πάντα οἶδας· σὺ γινώσκεις, ὅτι φιλῶ σε. λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· βόσκε τὰ πρόβατά μου.* Sunt autem tria in hoc potissimum sermone luculenta: atque inprimis, unum Petrum a reliquis apostolis, discipulisque secretum eum esse, quem Christus affatur: eximia deinde ac omnino praestantissima esse, quae illi uni tribuuntur: horum vero excellentiam neque honoris, neque ordinis finibus circumscribi, sed latius profundi, ac excellentiam prorsus esse universalis, supremaeque auctoritatis.

101. Sane ad *unum Petrum* sermonem dirigi, Christique verba [3] referri, probant nomina *propria* et *appellativa* Simonis, Simonis filii Johannis [4], et Petri,

[1]) Joh. XXI. 4—15.

[2]) Ibid. vv. 15—18.

[3]) Ibid.

[4]) Quod in vulgatis editionibus est, *Σίμων Ἰωνᾶ*, in aliquot codicibus legitur, *Σίμων Ἰωάννα*, cui lectioni favent Vulgatus, Hieronymus ad Matth. XVI, et Nonnus scribens, *Ἰοάνναο*. Syrus constanter habet ܒܪ ܝܘܢܐ

quae adhibentur: probat manifestus orationis transitus, qui exprimitur verbis, ὅτε οὖν ἠρίστησαν, λέγει τῷ Σίμωνι Πέτρῳ ὁ Ἰησοῦς: probat comparativa loquutio, ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων; *diligis me plus his?* neque enim huic locus esse posset, si ad omnes ex aequo Christi verba pertinerent: probant denique[5] sequentia, quae sicuti ad unum Petrum certissime spectant, ita cum praecedentibus arctissime devinciuntur. Itaque unus est Petrus, quem Christus alloquitur, eiusque idcirco[6] *propria* censeri debent quaecumque dicuntur.

102. Ea vero eximia praeterea esse et sublimia, colligi primum ex ea dote potest, quam *instar pretii* semel ac tertio Christus efflagitat. Vicibus enim omnino tribus postulat: ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων; *diligis me impensius*[7] *his?* sed quemadmodum praemium divinae caritatis nequit non esse eximium; ita *praestantissimum* sit oportet, quod caritati rependitur, quae impensior, eaque foret potior, qua apostoli, discipulique flagrarent. Ad haec, neque vulgaria, neque communia, sed exquisita et praestantia inculcari saepe, et crebrius commendari solent. Christus porro *ter* inculcat et commendat quod Petro impertit. Praeterea nemo est quem lateat, inter munera divinitus constituta illud eminere atque excellere, quod *pastorum* nuncupatur. Nam et episcopi[8] a Spiritu-sancto positi dicuntur, ut pascant gregem, qui in ipsis est: et de pastoribus testatur Paulus[9], eos institutos a Christo propterea esse, ut *occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Jamvero in praesenti, quem versamus loco, Petrus instituitur non solum pastor, sed pastor κατ' ἐξοχὴν et oecumenicus.

103. Instituitur pastor: illi namque dicitur, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. Instituitur pastor κατ' ἐξοχήν: ab eo namque impensior caritas exigitur: ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων; Institui vero pastorem oecumenicum, ex ovibus patet, quae illius curae creduntur. Neque enim hae aut illae Petri studiis commendantur;

[5]) Joh. XXI. 18—23.

[6]) Hinc illa iunioris Arnobii ad Ps. CXXXVIII: „Illud ostendo, quod nullus apostolorum nomen pastoris accepit. Solus enim Dominus Jesus Christus dicebat: *Ego sum pastor bonus.* .... Hoc ergo nomen sanctum, et ipsius nominis potestatem post resurrectionem suam Petro poenitenti concessit."

[7]) Etenim πλεῖον eamdem heic vim praefert ac Luc. VII. 42: Τίς οὖν αὐτῶν πλεῖον αὐτὸν ἀγαπήσει; *uter igitur horum impensius eum amabit?*

[8]) Act. XX. 28.

[9]) Ephes. IV. 11—15. Iamvero si pastorum institutione eo Christus universim spectavit, ut ἑνότης πίστεως custodiretur; idem ei propositum fuisse consilium, quum Petro dixit, *pasce oves meas*, tenendum est. Hoc autem interest Petrum inter ceterosque pastores, quod ille omnes omnino Christi oves in tutelam receperit: horum contra nemo sit, cuius munus tam ampliter pateat. Ex hoc porro discrimine alterum oboritur ad efferendam Petri dignitatem accommodatissimum. Est autem huiusmodi: pastores reliquos institutos a Christo esse, ut greges quique suos in fidei unitate contineant; Petro vero universas propterea oves creditas esse, ut catholicam omnium unitatem, consensionemque proprio sibi iure tueatur.

sed quotquot exprimuntur formulis, *βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου, βόσκε τὰ πρόβατά μου*. His autem omnes [10] significantur, universumque, qua late patet, ovile comprehenditur. Officium ergo, pastorisque oecumenici auctoritas Petro defertur.

104. Cuius quidem eximia, singularisque praestantia splendidius enitescet, si quae Christus heic adhibet, cum iis componantur, quae in locis ὄντως geminis apud Matthaeum [11] et Lucam [12] reperiuntur. Eiusmodi enim comparatione liquet, ita phrases, sententiasque disponi oportere:

Βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου, βόσκε τὰ πρόβατά μου.	*Καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας, στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.*	*Ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν· δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς.*

At enimvero hac phraseon, formularumque dispositione intelligimus: I. multiplicem earum varietatem eo pertinere, ut dignitatis promissae primum, ac deinde Petro collatae plenior, accuratiorque notitia animo informetur. Quam enim singulae adumbrant, eamdem simul omnes, cohaerentesque exprimunt ac repraesentant. Intelligimus II. Petri dignitatem amplam sic esse, ut omnino *universalis* existimari debeat. Tantum enim patet, quantum nomina *ecclesiae Christi*, eiusdemque *ovilis* [13] protenduntur. His autem significationem subesse universalem, nemo est qui iure diffiteatur. Intelligimus denique III. dignitatem esse cum suprema auctoritate coniunctam, quemadmodum *confirmandi, ligandi, solvendi* [14], *pascendique* vocabula ostendunt.

105. De quo postremo vocabulo ut nonnulla brevissime attingam, in memoriam revocabo, solemni, ratoque loquendi usu quum apud profanos, tum apud inspiratos, ecclesiasticosque scriptores, τὸ ποιμαίνω quoties non *proprie*, sed *metaphorice* et ad homines translatum accipitur, toties idem valere ac *rego, guberno, impero, aliisque iure prospicio*. Missa facio testimonia [15] τῶν ἔξω, neque ea commemoro, quae frequentia penes alexandrinos [16] occurrunt, et pauca solum e novo testamento, speciminis gratia, in medium adduco. Itaque eam, de qua loquimur, significationem τὸ ποιμαίνω manifeste refert, quum [17] dicitur:

[10]) Quum integrum ovile nonnisi agnis, ovibusque componatur. Sed plura inferius dabimus, invectasque expositionis corruptelas profligabimus.

[11]) Matth. XVI. 18—20.

[12]) Luc. XXII. 32.

[13]) Nam τὰ ἀρνία μου καὶ τὰ πρόβατά μου idem manifeste sonant ac ἡ αὐλή μου.

[14]) De potestate harum vocum infra plenius disseremus. Consuli interea poterit Danzii dissertatio ad Matth. XVIII. 18.

[15]) De his vide Casaubonum in Exercitt. Anti-Baronianis, Exercit. XVI. §. 133.

[16]) Uti II. Reg. V. 2, VII. 7, I. Paral. XI. 2, XVII. 6, Ps. XXIII. 1, XXVII. 12.

[17]) Matth. II. 6: *Ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅςτις ποιμανεῖ τὸν λαόν*

ὅςτις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου Ἰσραήλ. Eam, ubi legimus [18]: ποιμανεῖ αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ, *duro imperio illis praeerit.* Ac eam item, quum Petrus [19] scribit: ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ θεοῦ, *gubernate qui penes vos est, gregem Dei;* ubi ποιμαίνειν per ἐπισκοπεῖν continuo explicatur. Ipsa ergo verborum certa, rataque explicatio postulat, ut oecumenici pastoris dignitas una cum suprema potestate divinitus Petro tradita existimetur.

106. Quod quum orthodoxi patres [20] uno semper ore docuerint, illis tamen splendore verborum praeripuisse palmam Chrysostomus [21] videtur, qui relatis Christi ad Petrum dictis, βόσκε τὰ πρόβατά μου, e vestigio percontatur: καὶ τί δήποτε τοὺς ἄλλους παραδραμών, τούτῳ περὶ τούτων διαλέγεται; *et curnam aliis praetermissis, de his,* deque ovium cura *hunc* unum *alloquitur?* quod, subdit, ipse ἔκκριτος ἦν τῶν ἀποστόλων καὶ στόμα τῶν μαθητῶν, καὶ κορυφὴ τοῦ χοροῦ, *eximius erat,* prophetico nomine, et destinatione quae eo praesignabatur, *inter apostolos, et os discipulorum, et coetus illius caput.* Quarum laudum vim, rationemque uberius enarrans, pergit: διὰ τοῦτο καὶ Παῦλος ἀνέβη τοτὲ αὐτὸν ἱστορῆσαι παρὰ τοὺς ἄλλους. Ἅμα δὲ καὶ δεικνὺς αὐτῷ, ὅτι χρὴ θαῤῥεῖν λοιπόν, ὡς τῆς ἀρνήσεως ἐξεληλαμένης, ἐγχειρίζεται τὴν προστασίαν τῶν ἀδελφῶν. καὶ τὴν μὲν ἄρνησιν οὐ προφέρει, οὐδὲ ὀνειδίζει τὸ γεγονός· λέγει δὲ, ὅτι εἰ φιλεῖς με, προΐστασο τῶν ἀδελφῶν, καὶ τὴν θερμὴν ἀγάπην, ἣν διὰ πάντων ἐπεδείκνυσο, καὶ ἐφ᾽ ᾗ ἠγαλλιάσω, νῦν δεῖξον, καὶ τὴν ψυχήν, ἣν ἔλεγες θήσειν ὑπὲρ ἐμοῦ, ταύτην ὑπὲρ τῶν προβάτων ἔπιδος τῶν ἐμῶν. *Ideo* quod tantis ornamentis insignis foret, *eum prae aliis visurus Paulus* [22] *venit. Porro ut* Christus *ei simul ostenderet, fidendum deinceps esse, utpote negatione iam abolita, fratrum ei praefecturam committit* [23]*; negationem vero neque memorat, neque exprobrat. Dicit autem, si me diligis, praeesto fratribus, ferventemque illum amorem, quem in omnibus praetulisti, et de quo gestire videbaris, nunc ostende, et animam, quam te pro me positurum dicebas, pro meis iam ovibus impendito.*

Tum aliquot interiectis, quaerit: πῶς οὖν ὁ Ἰάκωβος τὸν θρόνον ἔλαβε

μου, τὸν Ἰσραήλ. Alexandrini Mich. V. 2: Ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται ἡγούμενος, τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα ἐν τῷ Ἰσραήλ. Hebraicus vero textus, מִמְּךָ לִי יֵצֵא לִהְיוֹת מוֹשֵׁל בְּיִשְׂרָאֵל: *ex te mihi egredietur ut sit dominator in Israel.* Itaque 1) Matthaeus per ἐπεξήγησιν addit, ὅςτις ποιμανεῖ: vocabula vero 2) ὁ ποιμήν, ὁ ἡγούμενος, ὁ ἄρχων, et מוֹשֵׁל eiusdem sunt potestatis.

[18]) Apoc. II. 27.

[19]) I. Petr. V. 2.

[20]) Quorum omnium expressisse mentem, sententiamque retulisse videtur Theodorus Studites, quum lib. I. epist. XXXIII. ad Leonem Pontificem scripsit: *Magno Petro Christus Deus post claves regni coelorum* τῆς ποιμνιαρχίας ἀξίωμα *pastoralis principatus dignitatem contulit.*

[21]) In Joh. homil. LXXXVIII. al. LXXXVII. n. 1.

[22]) Gal. I. 18.

[23]) Proprie, *in manus tradit,* quae est vis τοῦ ἐγχειρίζω ad potestatem significandam opportunissima.

τῶν Ἱεροσολύμων; *quo igitur pacto*, si Christus Petrum omnibus anteposuit, *thronum hierosolymitanum Jacobus accepit?* respondebo, inquit, ὅτι τοῦτον οὐ τοῦ θρόνου, ἀλλὰ τῆς οἰκουμένης ἐχειροτόνησε διδάσκαλον, *quod* Petrum *non huius particularis throni*, neque huius particularis sedis atque urbis, *sed orbis totius doctorem*, praesidemque instituerit.

107. Sed eo iam redeundum est, unde nonnihil deflexímus, eaque consideranda sunt quae Christus adiecit. Igitur ut Petrum [24] dolentem, moerentemque reficeret, non illi solum tertio dixit, βόσκε τὰ πρόβατά μου, quibus abunde significavit, exploratissimam sibi esse caritatem, qua ab eo diligeretur; sed praeterea [25] addidit: ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ὅτε ἦς νεώτερος, ἐζώννυες σεαυτόν, καὶ περιεπάτεις, ὅπου ἤθελες· ὅταν δὲ γηράσῃς [26], ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σου, καὶ ἄλλος σε ζώσει, καὶ οἴσει ὅπου οὐ θέλεις. De quibus duo potissimum quaerenda videntur, quid ea significent, et quo nexu, quove vinculo cum praecedentibus cohaereant. Sed de significatione non est, cur admodum simus solliciti: interpretem enim habemus omni exceptione maiorem, ipsum videlicet Johannem, qui [27] subdit: τοῦτο δὲ εἶπε, σημαίνων ποίῳ θανάτῳ δοξάσει τὸν θεόν. Eo igitur spectavit Christus, ut Petro praenunciaret, quo exitu, quove mortis genere esset Dei gloriam illustraturus. Quare orationem ita temperavit, iisque verbis usus est [28], quae ad innuendam crucis mortem essent accommodatissima.

108. Jamvero quam ista cum antecedentibus praeclare cohaereant, non difficile apparebit, si ad characterem, notamque attendatur veri, germanique pastoris, quam alibi Christus proposuerat. Quum enim de semetipso [29] loqueretur, dixit: ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός· ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τῶν προβάτων. Et [30] rursum: καθὼς γινώσκει με ὁ πατήρ, κἀγὼ γινώσκω τὸν πατέρα· καὶ τὴν ψυχήν μου τίθημι ὑπὲρ τῶν προβάτων. Eius ergo, qui non sit [31] ὁ μισθωτός, sed expressam in semetipso imaginem referat τοῦ ποιμένος τοῦ καλοῦ, proprium est, ut si quando opus fuerit, vel expedierit, alacri, libentique animo pro ovibus vitam profundat. Quum ita vero

[24]) Joh. XXI. 17.

[25]) Ibid. v. 18.

[26]) Occasione horum verborum scribit Chrysostomus: „Cur vero cum dixisset, ὅτε ἦς νεώτερος, addit, ὅταν δὲ γηράσῃς? ut significet, οὐκ ὄντα τότε νέον· οὐδὲ γὰρ ἦν· ἀλλ' οὐδὲ γεγηρακώς, ἀλλ' ἀνὴρ τέλειος." Quae illis opponenda sunt, qui Petri προστασίαν in provectiorem aetatem refundunt.

[27]) Joh. XXI. 19.

[28]) Tales censeri debent phrases, ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σου, ἄλλος σε ζώσει, et οἴσει ὅπου οὐ θέλεις, omnino idoneae ad innuendum crucis supplicium, quo, imperante Nerone, Petrum fuisse mulctatum veteres cum Eusebio H. E. lib. II. cap. XXIV. unanimes testantur. Hinc illa Prudentii περὶ στεφάνων, hymn. XII. de Petro:

legibus Neronis
Pendere iussum praeminente ligno.

[29]) Joh. X. 11.

[30]) Ibid. v. 15.

[31]) Ibid. vv. 12—13.

se res habeat, nihil eo nexu evidentius, quo orationis partes a Christo adhibitae mutuo copulantur.

109. Idcirco enim post demandatum oecumenici pastoris officium, vehementi affirmatione, qualis particularum [32] ἀμὴν ἀμὴν repetitione continetur, subiecit fore ut Petrus pro ovibus, proque Dei gloria nobilissimum martyrium faceret; quod quum illi, tum apostolis, discipulisque omnibus compertum voluerit, eum ne tantillum quidem vel a praeceptoris vestigiis, vel ab iis recessurum, quae toties his verbis [33] repetierat: *τὴν ψυχήν μου ὑπὲρ σοῦ θήσω*, et [34] rursum: *κἂν δέῃ με σὺν σοὶ ἀποθανεῖν, οὐ μή σε ἀπαρνήσομαι.*

Ubi praeteriri silentio non debet eximia plane cura, quam Christus impendit, ut novis Petrum ornamentis honestaret, honestatumque e reliquorum numero secerneret. Ac multiplici omnino modo secrevit: sive quum universum ovile illi uni [35] commisit: sive quum illi uni futurum martyrium praenunciavit, rationemque martyrii, quo cruci configendus erat, patefecit: sive demum quum ita omnia disposuit, ut Petrus munere, munerisque exequutione perfectissimus suimetipsius ἔκτυπος videretur. Munere inprimis: sicut enim ipse quamdiu nos inter degit, et nobiscum versatus est, nullam earum partium omisit, quae principis pastorum propriae sunt; ita ad Patrem iam rediturus, explendas illas, perficiendasque Petro commisit. Muneris deinde exequutione: sicut enim ipse pro ovibus animam posuit, mortem oppetiit, mortemque omnium [36] deterrimam, cuiusmodi supplicium crucis habebatur; ita effecit, ut Petri munus eodem mortis genere coronaretur.

110. Hanc vero perfectissimam similitudinem ut brevissime, unoque verbo Christus significaret, iis, quae retulimus, praemissis, dixit [37] Petro: *ἀκολούθει μοι.* Videlicet *sequere me,* non ea iam ratione dumtaxat, qua me sequutus es, quum a me primum [38] audisti, *sequere me:* neque ea solum ratione, qua me fratres tui sequuti sunt, quum illis nominatim [39] praecepi, ut *me sequerentur;* sed eo prorsus modo, qui eum decet, quem omnibus praetuli, quem totius ovilis pastorem institui, et cui meas obeundas, absolvendasque vices iniunxi. Quam brevissimae loquutionis vim quum persensisset Chrysostomus, hunc illi commentarium [40] subiecit: *ἐντεῦθεν πάλιν τὸ κηδεμονικὸν αἰνίττεται, καὶ τὸ σφόδρα πρὸς αὐτὸν οἰκείως διακεῖσθαι.* Atqui nihil, quod singularem Christi curam, familiaritatemque erga Petrum ostenderet, his verbis, *ἀκολούθει μοί,* contine-

[32]) Joh. XXI. 18: *Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι,* idest, *ἀληθῶς, ὄντως, πεπιστωμένως.*

[33]) Joh. XIII. 37.

[34]) Matth. XXVI. 35.

[35]) n. 101.

[36]) Philipp. II. 8: *Ἐταπείνωσεν ἑαυτόν, γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ.*

[37]) Joh. XXI. 19.

[38]) Matth. IV. 19—20. coll. Marc. I. 17—18.

[39]) Matth. IV. 21—22. coll. Marc. I. 20, II. 14....

[40]) In Joh. homil. LXXXVIII. al. LXXXVII. n. 1.

retur, si commumi, vulgarique significatione, non autem ea, quam proposuimus, acciperetur.

111. Interea praecipienti Christo, *ἀκολούθει μοι*, morem gessit Petrus, et quum praeeuntem illum adsectaretur [41], *ἐπιστραφεὶς.... βλέπει τὸν μαθητὴν, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, ἀκολουθοῦντα.* Sequebatur ergo Johannes, non quod una cum Petro vocatus esset, sed quod prohibitus non esset, quominus altero post Petrum loco Christum sequeretur. Prae quibus nescio an desiderari quidpiam possit, quo princeps Petri dignitas manifestius declaretur. En, ipsum quoque Johannem, quem Christus una cum Petro toties [42] coniunxerat, quemque discipulorum carissimum habere videbatur, heic a Petro seiungit, seiunctumque postponit.

At vero Petrus, sive ut illi [43] vicem rependeret, sive ut partem aliquam crediti sibi muneris iam tum obiret; vix eum sequentem conspexerat [44], *λέγει τῷ Ἰησοῦ· κύριε, οὗτος δὲ τί;* neque enim vel a meo adversus Johannem amore, vel ab officio confirmandi fratres, illosque pascendi, quod mihi imposuisti, alienum arbitror novisse, quinam supremus eiusdem exitus futurus sit.

112. Cui [45] Jesus respondit: *ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σέ; σὺ ἀκολούθει μοι.* Videlicet neque ad te, neque ad tuum spectat munus futura praenoscere. De his ergo ne sis sollicitus, sed [46] me *τὸν ποιμένα τῶν προβάτων τὸν μέγαν, τὸν ποιμένα καὶ ἐπίσκοπον τῶν ψυχῶν ὑμῶν, τὸν ἀρχιποιμένα*, tu alter a me pastor *sequere*, et *παράδειγμα* quod in memetipso ostendi, fac in te quam accuratissime exprimas.

Quae quidem reputare mecum animo non possum, quin eos in Christum contumeliosos existimem, qui Petri primatum, supremamque eiusdem auctoritatem vel funditus negant, vel angustissimis honoris, ordinisque finibus coercent.

113. Unde enim aut ille oriri, aut haec censetur proficisci? inde omnino, quod Christus verbis illis, *ποίμαινε τὰ πρόβατά μου*, suas explendas partes Petro detulerit, alterum post se pastorem ovilis illum constituerit, et consortem eius muneris, eorumque iurium effecerit, propter quae ipse est, diciturque *ὁ ποιμὴν τῶν προβάτων ὁ μέγας, ὁ ποιμὴν καὶ ἐπίσκοπος τῶν ψυχῶν ἡμῶν, ὁ ἀρχιποιμήν.* Quod igitur ferendum esset iudicium, si nihilominus aut nullo Petrus insignis primatu, aut nuda honoris, ordinisque praerogativa pollens credi oporteret? iudicandum esset, inanes esse divinorum munerum participationes, supremamque Christi in ecclesiam potestatem inde erui, colligique non posse,

[41]) Joh. XXI. 20.

[42]) nn. 54. seqq.

[43]) Eo enim usus erat interprete, ut a Christo audiret, quinam eum esset traditurus.

[44]) Joh. XXI. 21.

[45]) Ibid. v. 22. De triplici autem huius loci in latinis exemplaribus lectione: *sic* eum volo manere: *si sic* eum volo manere: et *si* eum volo manere: lege quae scribunt Lucas brugensis in suis notationibus, La Haye, Nicolaus Zegerus, et Henricus de Bukentop in opere, *Lux de Luce*, lib. II. ad h. l.

[46]) Hebr. XIII. 20. coll. I. Petr. II. 25, V. 4.

quod *magnus ovium pastor*, quod *pastor et episcopus animarum nostrarum*, quodque *princeps pastorum* nuncupetur. Immo iudicandum esset, tanta nominum, titulorumque praestantia aut nullam penitus, aut umbratilem dumtaxat honoris, ordinisque dignitatem significari. Aequum enim est, ne aliter de fonte, ac aliter de propagato ex eo flumine statuatur: neve alia de sole, deque emisso ex eo radio sententia pronuncietur.

114. Quod quum sit suapte natura manifestum, luculentius reddi exemplo potest. Recolantur enim illa [47] ad apostolos verba: *ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς· πορευθέντες* [48] *μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη:* ac [49] ista rursum: *καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ πατήρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς.* Peto, si nulla apostolis fuisset praecipiendi auctoritas, ius nullum, quo leges ferrent, et *αὐθεντικῶς* docerent: si eorum facultas omnis eo rediisset, ut praeconum instar verbum evangelii disseminarent, quid de potestate Christi a Patre accepta, deque missione, quam Patris nomine obierit, aestimandum foret? aestimari nimirum oporteret, umbram, speciemque potestatis, non potestatem ipsam ei fuisse delatam: in mundum autem eum venisse, non ut principis, regisque regum iura exerceret, sed ut nudum praeconis, legatique officium absolveret.

Quae quum falsa sint, praepostera, absurda, et in Christi ipsius iniuriam manifeste cedant, pronum est arbitrari, non alio ea numero haberi posse, e quibus consequuntur. Inde autem consequuntur, quod Petro, quem Christus in consortium [50] eius dignitatis adscivit, qua ipsemet est, ac *pastorum princeps* nuncupatur, primatus potioris iuris, universalisque potestatis denegetur. Si qui ergo haec Petro detrahere pergant, neque veritatem colere, neque divinam Christi maiestatem vereri, non immerito putabantur. Tanta scilicet est Christum inter ac Petrum muneris, auctoritatisque coniunctio, ut huius neque ornamenta deprimi, neque oppugnari iura possint, quin illius vicissim dotes, et summi ecclesiae principis maiestas impeti, ac in apertum discrimen adduci videantur.

[47]) Matth. XXVIII. 18—19.

[48]) Vulgatus legit, *πορευθέντες οὖν*, *euntes ergo*.

[49]) Joh. XX. 21.

[50]) Quod Petrus Chrysologus Serm. III. eleganter expressit, inquiens: „Oves suas Petro, vice sua ut pasceret, ad coelum remeaturus commendat.“ Quibus ista respondent e sacramentario gallicano ad diem festum cathedrae s. Petri, in Collecta: „Deus, qui hodierna die beatum Petrum post te dedisti caput ecclesiae ...“

CAPUT XI.

Evangelistarum de Petro scribendi ratio: — singularis ea est, ac omnino talis, qua illis potior eiusdem dignitas nota, compertaque ostenditur: — exempla quae huc pertinent, Marc. I. 36, XVI. 7; Luc. VIII. 45, IX. 32; Act. II. 14—37, V. 29: — illorum vis ac ratio intimius expenditur; — et Petri προστασία stabilitur.

115. Si haec instrumentis decidenda quaestio proponatur: an duo, pluresve eodem numero habendi sint, vel contra ex iis unus honore ac dignitate praepositus reliquis existimari debeat: nulla iniri posse commodior ratio videtur, quam si attendatur diligenter, similis ne, an dissimilis potius diversaque *loquendi ratio* de iis usurpetur. Etenim norma est minime dubia, eadem de iis dici oportere, qui honore et auctoritate aequales sunt: fieri autem sine orationis fallacia nullatenus posse, ut de iis diversa adhibeantur, qui eodem honoris, auctoritatisque gradu potiuntur. Sunt enim verba idearum signa, iudiciorumque imagines, praeceptasque animo sententias quodam veluti in speculo depictas exhibent. Quapropter si unum, idemque sit de pluribus iudicium, una eademque sententia, nequeunt de iis adhibita verba non esse *communia:* quae si *alia* sint ac *diversa*, nihil opus praeterea est, ut aliud, diversumque de iis latum iudicium videatur.

116. Jamvero si in legendis, conferendisque evangeliis hanc ob oculos obversantem regulam habuerimus, arduum nobis non erit intelligere, aliam evangeliorum scriptoribus de Petro, ac aliam de reliquis apostolis sententiam insedisse. Neque enim eodem pacto, ac similibus dicendi formulis de illo atque de hisce loquuntur; sed aliter de Petro, ac aliter de apostolis ceteris scribunt, eaque de uno Petro *constanter* habent, quae *numquam* de ceteris apostolis sive seorsum, sive coniunctim usurpant.

117. Sane eae inspiciantur dicendi formulae, quarum illis usus est concors, quum de Petro simul, ceterisque apostolis sermonem habent. Marcus[1] scribit: κατεδίωξαν αὐτὸν ὁ Σίμων καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ, *prosequuti sunt eum* (Jesum) *Simon, et qui cum illo.* Et[2] alibi: εἴπατε τοῖς μαθηταῖς, καὶ τῷ Πέτρῳ, *dicite discipulis et Petro.* Consentit Lucas quum in Evangelio, tum in[3]

[1]) Marc. I. 36.

[2]) Ibid. XVI. 7.

[3]) Utrum *Acta*, vel *Actus* melius, scribit Lorinus, non moror: nunc hoc, nunc illud usurpatur a Patribus, aliisque scriptoribus. Secundum haesit in bibliis emendatioribus, eoque utitur ecclesia in divinis officiis. Budaeus etiam in Comment. Linguae graecae mavult *Actus*, quam *Acta*.

Actis. In Evangelio quidem[4] scribens: *εἶπεν ὁ Πέτρος καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ, dixit Petrus, et qui cum illo.* Rursum[5]: *ὁ δὲ Πέτρος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἦσαν, Petrus autem et qui cum ipso erant.* In Actis vero, in quibus[6] legimus: *σταθεὶς δὲ Πέτρος σὺν τοῖς ἕνδεκα, stans autem Petrus cum undecim.* Et aliquot[7] interiectis: *εἶπον δὲ πρὸς τὸν Πέτρον καὶ τοὺς λοιποὺς ἀποστόλους, dixeruntque ad Petrum, ceterosque apostolos.* Ac denuo[8]: *ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Πέτρος καὶ οἱ ἀπόστολοι, εἶπον, respondens autem Petrus et apostoli, dixerunt.*

118. E quibus duo sunt, quae *προςεχῶς* eruuntur: I. tum Petrum *nominatim* compellari, quum alii nonnisi *generatim* memorantur; sic vero Petrum *nominatim* efferri, ut reliqui appendicis instar subiici[9] videantur: II. id fieri non semel dumtaxat ac rursum, sed *constanter*, atque adeo quoties cum reliquis censetur.

Porro huius in scribendo constantiae deesse caussa nequit, ne factum temere putetur, quod suimetipsius simile semper est, ac e certo, ratoque consilio profectum apparet. Huiusmodi ergo caussa investigari debet, eaque unice tamquam vera praeferri, quae a) cum verbis ipsis coniuncta sit: b) clarioribus testimoniis consentiat: c) universalis sit, rationemque eorum omnium contineat, quae de Petro singulariter perhibentur: postremo d) illorum suffragio comprobetur, qui ante oborta de Petri dignitate dissidia pietatis, sapientiaeque fama claruerunt. Atqui unus est Petri primatus, eiusque potior auctoritas, cui ista conveniant quae numeravimus.

119. Et re sane vera caussa *e verbis ipsis* deducta fingi alia non potest, quam quae ex adhibitis formulis suapte sponte consequitur, et e prophetico Petri nomine dimanat. Eo enim insignis nomine exhibetur Simon, vel quum nominatim compellatur, vel quum reliqui apostoli, tamquam socii, comitesque eidem subiiciuntur. Sed quemadmodum formularum ratio[10] ea est, quae Petri dignitatem, excellentiamque demonstrat; ita e fatidico eiusdem nomine, cuius vim Christus explicaverat[11] inquiens, *super hanc petram aedificabo ecclesiam*

[4]) Luc. VIII. 45.

[5]) Ibid. IX. 32.

[6]) Act. II. 14.

[7]) Ibid. v. 37.

[8]) Ibid. V. 29.

[9]) Quamquam formula, *οἱ μετ' αὐτοῦ*, non ea *per se* sit, quae illius praestantiam denotet, cum quo reliqui esse perhibentur; nihilominus me plane latet, an diversa significatione in N. T. aliquando usurpetur. Haec certe significatio praestantiae vel unica est, vel quae passim dominatur, adhibeturque Luc. VI. 4: *Δαβίδ, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ*: Matth. XXVI. 20: *Ἰησοῦς ἀνέκειτο μετὰ τῶν δώδεκα*: v. 69: *καὶ σὺ ἦσθα μετὰ Ἰησοῦ*: Marc. III. 14: *καὶ ἐποίησε δώδεκα, ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ*: XVI. 10: *ἐκείνη πορευθεῖσα ἀπήγγειλε τοῖς μετ' αὐτοῦ γενομένοις*: et Matth. XII. 3. coll. Marc. II. 25: *οὐκ ἀνέγνωτε, τί ἐποίησε Δαβίδ, ὅτε ἐπείνασεν αὐτός, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ;*

[10]) n. 118.

[11]) Matth. XVI. 18. Unde Basilius in Prooemio de Judicio Dei, n. 7: *Ὁ μακάριος Πέτρος, ὁ πάντων μὲν μαθητῶν ἀποκριθεὶς, μόνος δὲ πλεῖον τῶν ἄλλων μαρ-*

meam, sumi caussa non potest, quae ab illius primatu distinguatur. Primatus ergo una est caussa, quae cum evangelistarum verbis apte conspirat.

Immo quae cum *clarioribus* quoque *testimoniis* unice consentit. Haec legi penes Matthaeum [12], Lucam [13] et Johannem [14], omnes norunt, et nos ipsi [15] declaravimus. Sed his primatum Petri, supremamque eiusdem potestatem demonstrari, non uno iam argumento confecimus, ac pluribus etiam conficiemus. Consensio ergo cum evidentioribus testimoniis postulat, ut usitata evangelistis loquendi de Petro ratio, ex illius profecta primatu iudicetur.

120. Quod sin minus fieret, caussa quae *universalis* esset, rationemque eorum omnium contineret, quibus Petrus privatim honestatus describitur, nulla penitus reperiretur. Jam ex iis non pauca retulimus [16] et expendimus: neque pauciora sunt numero quae continuo referemus atque expendemus. Videmur autem nobis [17] demonstrasse, spectare illa ad primatum asserendum, ac e primatu ita pendere, ut eo praestituto, non solum explicentur facillime, verum etiam tamquam necessaria praesentiantur: eo autem sublato [18], neque utcumque intelligi, neque idonea aliqua ratione explicari possint. Si ergo ex iis statui de reliquis coniiciendo possit, posse autem ostendemus; tenendum est, nullam omnino esse, assignarive caussam posse a primatu diversam, quae *universalis* sit, iisque omnibus faciat satis, quae Petro privatim tribuuntur.

121. Qua in re tot nobis *suffragantur testes*, quot ante obortas de Petri praerogativis contentiones extitere Patres non pietatis minus, quam scientiae, eruditionisque fama nobilissimi. Horum catalogum sane longum texunt [19] Panvinius, Willibaldus Heissius [20] et [21] Mamachius; unam autem eamdemque omnium fuisse sententiam demonstrant: propterea Petrum *nominatim* ac *primum*, apostolos vero reliquos *universim* dumtaxat, *alterove loco* lege constanti recenseri, quod ille *apostolorum primatum tenuerit*, *primatu inter apostolos praeeminuerit*, insignis fuerit *apostolatus principatu*, *προστασίαν τῶν ἀδελφῶν* acceperit, illosque sibi, suisque curis creditos, commendatosque habuerit.

τυρηθεὶς καὶ μακαρισθεὶς, ὁ τὰς κλεῖς τῶν οὐρανῶν πιστευθεὶς.

[12]) Matth. XVI. 18—20.

[13]) Luc. XXII. 31—33.

[14]) Joh. XXI. 15. seqq.

[15]) nn. 20. seqq.

[16]) nn. 22. seqq.

[17]) nn. 50. seqq.

[18]) nn. 65. seqq.

[19]) De Primatu Petri, lib. I. capp. VII—XI.

[20]) Vindiciae Summorum Pontificum, Part. I. cap. I. sect. II.

[21]) Origg. et Antiquitt. Christian. T. V. pagg. 130. seqq.

CAPUT XIII.

De eadem evangelistarum scribendi ratione, quae novis exemplis illustratur: — de catalogo apostolorum, Matth. X. 2—5, Marc. III. 16—20, Luc. VI. 14—17, Act. I. 13: — quantòpere ii fallantur, qui caussam antepositi Petri e primatu aetatis, vocationisque desumunt: — de formula, qua Petrus, Matth. X. 2, πρῶτος simpliciter nuncupatur: — Bezae et Glassii commenta: — refelluntur: — de iis quae habentur Matth. XVII. 1; Marc. V. 37, XIII. 3, XIV. 33; Luc. VIII. 51, XXII. 8; Joh. XXI. 2: — ex his constat, tum etiam Petrum constanter anteferri, quum aliquot solum ex apostolis nominantur: — eiusdem prae apostolis excellentia, potiorque dignitas confirmatur.

122. Ea est scribendi forma ac ratio, quae neque rite cognosci, neque apte definiri aliter potest, quam prolatis in medium exemplis, quae illam aperiunt ac declarant. Quum itaque in eo simus [1], ut singularem evangelistarum de Petro scribendi rationem adprobemus; id esse nobis antiquissimum debet, ut exemplorum numerum, quo maxime possumus, amplificemus. Et possumus sane, quum omnino sint plurima, quae suppetunt. E quibus egregium illud est, quod in evangeliis [2], Actisque [3] habetur, quum omnes seorsum apostoli censentur, illorumque catalogus accurate texitur. Id enim quum *quater* fiat, Petrus omnium primus *constanter* numeratur, locusque princeps *constanter* illi defertur. Cuius in numerando, censendoque constantiae si caussam a protestantibus quaesieris, hanc ab illis [4] uno veluti ore redditam audies: „idcirco primum numerari Petrum, ceterisque praeferri, quod omnium esset aetate provectior, omniumque primus ad munus, dignitatemque apostolicam vocatus.“

123. Audio; sed nonne divinari istud est, et inania persequi, minime vero Scripturas Scripturis explanare, et dubia ac impedita ratis, luculentisque definire? quibus enim tabulis ipsi tandem convincent, Petrum inter apostolos vel aetate fuisse seniorem, vel vocatione priorem? Scripturae profecto vel hac de re tacent, vel illi opinioni contradicunt: quemadmodum veteres christiani doctores dubio procul illi repugnant.

Enimvero apud Johannem [5] legimus: ἦν δὲ ὁ Φίλιππος ἀπὸ Βηθσαϊδά, ἐκ τῆς πόλεως Ἀνδρέου καὶ Πέτρου: ubi plane ἀνωμάλως Andreas Petro ante-

[1]) n. 116.

[2]) Matth. X. 2—5. coll. Marc. III. 16—20, Luc. VI. 14—17.

[3]) Act. I. 13.

[4]) Confer quos citat Poli in Synopsi Critic. Sacr. ad Matth. X. 2.

[5]) Joh. I. 44.

ponitur. Cuius tamen anomaliae neque obscura est ratio, neque a praesenti quaestione seiuncta. Petrus enim cum Andrea conferri *dupliciter* potuit, *aetate* primum ac *tempore*, quo Messiam uterque novit, illique semet adiunxit: *dignitate* deinde, ad quam *ipsa vocatione*[6] destinatus uterque fuit. Cum altero modo ad invicem referuntur, non ipsi solum Andreae, sed apostolis omnino omnibus constanti lege Petrus antefertur, ut qui prophetica Cephae appellatione[7] futurus omnium princeps praemonstraretur. At vero quum priori modo comparantur, quemadmodum heic apud Johannem aequum[8] est existimare, tum Andreas praeponitur Petro, ut qui et maior esset aetate, et Christum antea[9] novisset, ipsique Petro fuisset[10] auctor, ut ad illum accederet. Male ergo cum Scripturis suspiciones protestantium cohaerent, idcirco Petrum ab evangelistis praeponi, quod aetate, vocationisque tempore antecelluerit.

124. Sed multo etiam ab iis longius aberrant, quae veteres christiani scriptores tradiderunt. E quibus Ambrosiaster, qui quarto saeculo Pauli epistolas commentariis editis explanavit, inquit[11]: „Si *de tempore* praescribendum putatur, ante coepit Johannes praedicare quam Christus; et non Christus Johannem, sed Johannes Christum baptizavit. Num ergo sic iudicat Deus? denique *prior* sequutus est *Andreas* Salvatorem *quam Petrus;* et tamen *primatum*[12] non accepit Andreas sed Petrus.“ Consonat Epiphanius[13] scribens: „Post haec vocationis Petri atque Andreae initium designatur. Venit enim ad eum Andreas unus[14] duorum, qui illum sequuti fuerant, quique discipuli Johannis erant...., *ἔπειτα deinde* Petrus, qui *δι' αὐτοῦ per ipsum* vocatus est...

[6]) Quae proprie refertur Matth. IV. 18. coll. Marc. I. 17, ubi Andreas et Simon *simul* vocantur, et *simul* sequuntur. Ea autem quae narrantur Joh. I. 38—42, talia non sunt, quae vocationem proprie significent; quod Toletus ad Joh. I. annot. LXXVII. diligenter explicat.

[7]) Joh. I. 42. coll. Matth. XVI. 18; quibus illustrandis conducunt Hilarii verba de Petro, comm. in Matth. cap. VII. n. 6.: *Nam primus credidit, et apostolatus est princeps.* Videlicet ideo apostolatus est princeps, quod propter eximiam fidem, qua dixit, *tu es Christus Filius Dei vivi*, audire vicissim meruit: *et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.*

[8]) Neque enim alia memorantur, nisi quae ad Andream et Petrum, tamquam homines, civesque pertineant.

[9]) Joh. I. 38—41.

[10]) Ibid. v. 41.

[11]) In II. Cor. XII.

[12]) Hac voce explicat Ambrosiaster phrasim ter ab Johanne cap. I. 15—27—30. repetitam, ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονεν, qua Praecursor dignitatem Christi confessus est, quaeque ita reddi aptissime videtur, ὃς πρῶτός μου γέγονεν, *qui mihi antepositus est.* Primatus igitur, quem Petro tribuit, illius prae apostolis excellentiam designat, neque honoris solum, sed potissimum auctoritatis. Quod 1) ostenditur verbis, ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονεν, quibus *primatus* respondet: ac 2) usu apud ecclesiasticos quarti, quintique saeculi scriptores recepto, qui *primatum* de potiori auctoritate constanter usurpant.

[13]) Haeresi LI. nn. 14—17.

[14]) Joh. I. 40.

Nam Andreas primum occurrit Christo, *μικροτέρου ὄντος τοῦ Πέτρου τῷ χρόνῳ τῆς ἡλικίας*, quum Petrus esset tempore aetatis minor. Postea vero [15] quum suscepta est rerum omnium abdicatio, initium est a Petro factum. Nam et ipse proprio fratri praeivit. Accedit, quod Deus videns propensiones cordium, *καὶ γινώσκων, τίς ἐν πρώτοις ἄξιος τάττεσθαι*, et cognoscens qui sit dignus qui primo loco ponatur, *ἐξελέξατο τὸν Πέτρον ἀρχηγὸν εἶναι τῶν αὐτοῦ μαθητῶν*, Petrum elegit principem esse suorum discipulorum."

125. Quare mihi videor repetere non immerito posse, quae in Annalibus Baronius [16] adnotavit, inquiens: „Ex his apparet, quam turpiter errent qui primatum putant Petro collatum, quod senior ceteris esset. Nam quod ad hoc spectat, etsi non alii, certe Andreas maior aetate, prior in vocatione et in perfectioris vitae electione [17] Petro praestabat. Sed si divini consilii rationem humanae menti concessum est aliquando perscrutari; illa in Petro, quam [18] diximus, caussa praecessisse videtur, ut princeps omnium constitueretur apostolorum, quod in professione fidei [19] ceteris antecelluit. Sed quod insuper consideratione dignum existimamus, hoc ipso initio ecclesiae erigendae (quae aedificatio [20] Dei est) Christus Dominus tantae molis excitandae sapientissimus architectus, de primario lapide in fundamento locando statim cogitans, Simoni mox dixit: *tu vocaberis Cephas*."

Atque haec nobis argumento esse debent, eadem providentiae ratione in suis erogandis donis usum esse Christum, quam ante assumptam humanam naturam una cum Patre et Spiritu-sancto in benedictionibus impertiendis adhibuerat. Sicut enim in priori foedere non primogenitos secundum carnem ac aetate maiores, Ismaelem, Esau, Ruben, sed iuniores Isaacum, Jacobum, Judam praepositos ceteris fuisse constat; ita in novo pacto neque primum aetate, neque primum vocatione, sed secundum reliquis praefecit Christus, omniumque *ἀρχηγὸν καὶ προστάτην* constituit.

126. Sed ego ultro protestantibus dabo, quod optare quidem ipsi possunt, comprobare vero non possunt: Petrum aetate iuxta ac vocatione apostolis reliquis excelluisse. Tum ab iis vicissim petam, an qui agere candide velint, caussam inde, rationemque primatus, supremique gradus Petro collati depromere possint. Opinor autem futurum neminem, qui sic arbitretur. Si enim adultior aetas, et vocationis ordo caussam continerent, propter quam Petrus ceteris omnibus praeponeretur; coniectura foret nullatenus spernenda, reliquis item apostolis eum locum, eamque sedem tribui, quam aetas, vocationisque tempus postularent. Sed tantum abest, hanc esse coniecturam, quae probabilitate commendetur, ut inanis contra atque fallax omnium iudicio existimanda sit. Etenim

15) Matth. IV. 18. coll. Marc. I. 17.

16) Ad an. XXXI. §. XXIV.

17) Quod, teste Sophronio hierosolymitano hom. de cert. ss. Petri et Pauli, caelibem vitam Andreas ageret.

18) Ibid. §. XXIII.

19) Matth. XVI. 16.

20) I. Cor. III. Ephes. II.

Marcus [21] quartum locum adscribit Andreae, Jacobum vero ac Johannem Zebedaei filios, quamquam aetate iuniores, et vocatione posteriores, in altero tertioque gradu collocat. Neque aetas ergo, neque vocationis ordo ea sunt regula, quam sibi in numerandis apostolis sequendam evangelistae proposuerint. Quod eo confidentius affirmo, quo id a Chrysostomo [22] iampridem animadversum novi, qui de catalogo apud Marcum loquens ait: *ὁ μὲν οὖν Μάρκος, καὶ κατ' ἀξίαν αὐτοὺς τίθησι· μετὰ γὰρ τοὺς δύο κορυφαίους τότε τὸν Ἀνδρέαν ἀριθμεῖ. Marcus vero* (secus ac Matthaeus) *pro dignitate illos disposuit; post duos enim coryphaeos Andream numerat.*

127. Praeterea neminem puto diffiteri, in assignandis effectuum caussis attendendum sedulo esse, ne veteres physicos, peripateticosque imitati, ex praecepta potius animo sententia, quam ex observata et tentata penitius natura illas deducere videamur. Sed nonne praeposteram hanc *μέθοδον* protestantes sectari dicendi sunt? ita plane. Unde enim, quaeso, caussas petunt praehabiti constanter Petri? e collatione ne Scripturarum, quae in praesenti controversia observationi, periculisque de natura factis respondet? nihil minus. Sed nescio quae de aetate Petri, deque ordine, quo vocatus fuit, comminiscuntur, de quibus nec apex, nec vola in Scripturis, quaeque ex ea unice hypothesi profecta videntur, cui semet dediderunt. Quare in salebras incidunt iis omnino simillimas, quas quum veteres physici non satis declinaverint, tempus atque operam erudite perdiderunt. Ne igitur nobis etiam idipsum usuveniat, et in captandis umbris frustra desudemus; non aliunde quam ex Scripturis idoneam caussam derivabimus. Quam neque raro, neque obscure, sed crebro, luculenterque exhibent. Quoties nimirum suo insignem nomine Petrum commemorant, eoque commemorato, eximiam illius destinationem, singularemque cum Christo donorum, proprietatumque societatem, quadam veluti brevissima formula repraesentant.

128. Sane primus quidem apud Marcum [23] numeratur Simon, sed mox caussa significatur his verbis: *καὶ ἐπέθηκε τῷ Σίμωνι ὄνομα Πέτρον.* Propterea Simon est primus, quod ipse unus est *Petrus, petraeque* dignitate reliquis omnibus antepositus. Eamdem caussam refert Lucas [24] inquiens: *Σίμωνα, ὃν καὶ ὠνόμασε Πέτρον.* Qua pariter ex caussa repeti ordo debet, quem Marcus [25] sequitur, dum Zebedaei filiis [26] Andream postponit, scribens: *ἐποίησε (ὁ Ἰησοῦς) δώδεκα, ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ... καὶ ἐπέθηκε τῷ Σίμωνι ὄνομα Πέτρον· καὶ Ἰάκωβον τὸν τοῦ Ζεβεδαίου, καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν τοῦ Ἰακώβου· καὶ ἐπέθηκεν αὐτοῖς ὀνόματα Βοανεργές, ὅ ἐστιν, υἱοὶ βροντῆς· καὶ Ἀνδρέαν, κ. τ. λ.* Propemodum diceret, quum inter duodecim tres extiterint, Simon, Jacobus et Johannes, quos Christus singulari benevolentia

[21]) Marc. III. 17—18.

[22]) In Matth. hom. XXXII. al. XXXIII. n. 3.

[23]) Marc. III. 16.

[24]) Luc. VI. 14.

[25]) Marc. III. 14—19.

[26]) Qui neque aetate, neque vocatione Andrea priores censeri possunt.

prosequutus est, novisque inditis nominibus honoravit; prorsus decuit, ut hi reliquis anteferrentur. Sed quoniam in Simonem benevolentiam longe maximam [27] ostendit, factoque illi *Petri* [28] nomine, eumdem non reliquis modo, sed ipsis quoque Jacobo et Johanni praepositum declaravit; idcirco fuit cur ille omnium primus numeraretur.

129. Atque haec e propriis, eximiisque Petri dotibus sumpta ratio, inde etiam vehementissime commendatur, quod doctissimorum Patrum suffragio, sententiaque comprobetur. Praeclare [29] Chrysostomus: *πρῶτος δὲ πάντων καὶ κορυφαῖος, ὁ ἀγράμματος καὶ ἰδιώτης*. Et eo haud paullo vetustior Origenes [30], postquam monuit, *εἰς τὸν ἀριθμὸν τῶν δώδεκα* primum constanter Petrum referri, percontatur: quaenam huius ordinis censeri caussa debeat. Reponit vero, illum idcirco constanter servari, quod Petrus esset *τῶν λοιπῶν τιμιώτερος*, neque minus propter accepta divinitus dona reliquis praestaret, quam Judas *ὑπὸ τῆς μοχθηρίας διαθέσεως* propter perversum animi habitum esset *ὁ ἀληθῶς πάντων ἔσχατος*, omnium vere ultimus, et *ἐπὶ τὰ τελευταῖα* in postremum locum proiiciendus.

130. Verum eximiae Petri dignitati multo patrocinari splendidius censeri Matthaeus debet, quum illum absolute, simpliciterque *πρῶτον* nuncupat. Sic autem nuncupat, quum apostolorum catalogum his verbis [31] orditur: *Τῶν δὲ δώδεκα ἀποστόλων τὰ ὀνόματά ἐστι ταῦτα· πρῶτος, Σίμων* [32] *ὁ λεγόμενος Πέτρος, καὶ Ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ· Ἰάκωβος, κ. τ. λ.* Viden quam perspicue, quamque diserte Petrus absolute *πρῶτος* dicitur? *At quid*, subdit [33] Beza, *si hoc vocabulum ab aliquo additum est, qui Petri primatum vellet stabilire? nihil enim sequitur quod cohaereat.*

Scilicet hypothesibus pro libidine confictis nescio quid adstrui, quidve destrui vicissim nequeat. Non ergo hisce armis, sed testimoniis, monimentisque pugnandum est. At suppetunt ne Bezae sive testimonia, sive monimenta, quibus suspicionem suam tueatur? en quae continuo [34] addit: „Reperimus tamen ita

[27]) Unde et ab illo dilectionem postulavit ea maiorem, qua ipsemet a reliquis apostolis amaretur, inquiens Joh. XXI. 15: *Ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων;*

[28]) nn. 72. seqq.

[29]) In Matth. hom. XXXII. al. XXXIII. n. 3.

[30]) In Joh. Tom. XXXII. n. 5.

[31]) Matth. X. 2—5.

[32]) Ut huius testimonii vim facilius infringant Hackspanius in Notis Philol. Theol. Part. III. pagg. 57. seqq. et Schleusner in Lexico, monent, videri hoc loco verba transposita, et hoc ordine legenda esse: *Πέτρος, ὁ πρῶτος* (pro *πρῶτον*) *Σίμων λεγόμενος, Petrus, qui antea Simon dicebatur.* Verum quibus tabulis hanc transpositionem sin minus persuadent, saltem suadent? omnino nullis, immo omnibus refragantibus, adeo ut eiusmodi suspicio nonnisi temeritati, aut odio in Petri praerogativas adscribenda videatur.

[33]) In comm. ad Matth. X. 2.

[34]) Ibidem; unde sui immemor ad Marc. III. 16. scribit, *illa verba, πρῶτον Σίμωνα, quae in pluribus graecis codi-*

scriptum in omnibus exemplaribus." Sed si exemplaria prorsus omnia receptae, vulgataeque lectioni fidem conciliant; nonne dubitatio, an ea fraude irrepserit, ex odio, maloque in Petri dignitatem animo profecta videri debet?

131. Neque alicuius momenti est hermeneutica ratio inde ducta, quod retineri *πρῶτος* nequeat, quin *ἀνανταπόδοτον* admittatur. Quod enim *δεύτερος*, *τρίτος*, reliqua, non consequantur, id unum evincit, *πρῶτον* adhiberi significatione non *numerali*, sed dignitatis atque praestantiae. Quo plane sensu in bibliis iuxta, profanisque auctoribus frequenter accipitur.

Ut enim id efferant quod in suo genere praestans est ac eximium, *τὸ πρῶτον* adhibent [35] Aeschines, Lysias [36], Thucydides [37], Plutarchus [38], Josephus [39], penes quem occurrunt phrases *οἱ τῆς χώρας πρῶτοι*, et *τῶν ἱερῶν οἱ πρῶτοι*. Adhibent interpretes alexandrini [40], penes quos legimus, *πρῶτος φίλος τοῦ βασιλέως*, *πρῶτος τῶν ᾀδόντων*, et *ἱερεὺς ὁ πρῶτος*, idest, *ἀρχιερεύς*. Adhibent scriptores novi testamenti [41], Matthaeus [42]: *καὶ ὃς ἐὰν θέλῃ ἐν ὑμῖν εἶναι πρῶτος:* Lucas [43]: *ἐξενέγκατε τὴν στολὴν τὴν πρώτην:* Paulus [44]: *ὧν πρῶτός εἰμι ἐγώ.* Hinc formulae [45], *ὁ πρῶτος*, princeps, praefectus, et [46] *οἱ πρῶτοι*, primores, primates. Atque hinc latinorum [47] usus, ut *primum* dicant, quem *primarium*, *principemque* significare volunt.

132. Itaque Matthaei verba, *πρῶτος, Σίμων, ὁ λεγόμενος Πέτρος*, hunc reddunt sensum: ***Simon, dictus Petrus, princeps ac praecipuus.***

Non abnuo, inquit [48] Glassius, sed illud moneo cavendum esse, ne praepostere eiusmodi verba accipiantur. Accipiuntur autem praepostere a *pontificiis*, qui maiorem Petri auctoritatem ex iis argutando deducunt. Atqui Petrus non alio nomine *πρῶτος* dicitur, nisi quod esset *πρωτόκλητος*. Quod protestantes plerique omnes [49] repetunt, e quorum numero Suicerus [50] inquit: „Petrus ideo

cibus non extant, addenda esse ad textum: carpitque Erasmum, quod hanc lectionem non probaverit, de qua subdit: *ego vero non dubito, quin haec sit germana lectio.*

[35]) Socr. Dial. III. 20.

[36]) Orat. XIII. pag. 250.

[37]) Lib. VIII. c. 89.

[38]) Lucull. pag. 515.

[39]) Antiquitt. Jud. lib. VII. c. IX. n. 8, c. XI. n. 5, lib. X. c. IV. n. 5.

[40]) I. Paral. XXVII. 33, II. Paral. XXVI. 20, Nehem. XII. 45.

[41]) Cf. Wetestenii N. T. tom. II. pag. 554.

[42]) Matth. XX. 27.

[43]) Luc. XIII. 30, XV. 22.

[44]) I. Tim. I. 15.

[45]) Act. XXVIII. 7: *Τῷ πρώτῳ τῆς νήσου, praefecto insulae.*

[46]) Marc. VI. 21, Luc. XIX. 47, Act. XIII. 50: *Τοὺς πρώτους τῆς πόλεως, proceres civitatis.*

[47]) Sallustii, Catilin. c. 36. et Jugurth. c. 76, Horatii I. Sat. VI. 83.

[48]) De textus graeci in N. T. puritate, pag. 254. edit. Buddei, an. 1725.

[49]) Cf. Criticos sacros, quibus adversatur Rosenmuellerus inquiens ad Matth. X. 2: „Non habita fuit ratio aetatis aut vocationis, imo nec eodem ordine a reliquis evangelistis recensentur; Judas tamen Iscariotes ubique ultimum, Petrus vero ubique primum, et Johannes cum fratre Jacobo tertium et quartum, vel quartum,

πρῶτος, *primus* dicitur, quia πρωτόκλητος, ante omnes scilicet vocatus, quod primatum temporis et ordinationis respicit. Unde vetus glossarium, *priorem*, *pristinum*, *primarium* et *originalem* interpretatur; quae omnes voces temporis antecessionem [51] designant. Eiusdem omnes apostoli ordinis fuere, vocationis, officii, meriti. Primus in eo ordine Petrus, ut inter pares, vocationis tempore prior. Theophylactus ad Matth. X. 2: *Προτίθησι δὲ Πέτρον καὶ Ἀνδρέαν, διότι καὶ πρωτόκλητοι· εἶτα τοὺς τοῦ Ζεβεδαίου, προτάττει δὲ τὸν Ἰάκωβον τοῦ Ἰωάννου· οὐ γὰρ κατὰ τὴν ἀξίαν, ἀλλ' ἁπλῶς κατὰ τὸ παραπεσὸν καταλέγει τούτους. Praeponit autem Petrum et Andream, quoniam et primo erant vocati. Deinde ponens filios Zebedaei, praeponit Jacobum Johanni, non iuxta dignitatem* [52], *sed simpliciter ut acciderat, hos enumerans.* Et sane hoc interest inter *primatum temporis*, προγενέσιαν graeci vocant, et *primatum* ἀρχοντικόν, quod temporis primatus nullam primo potestatem confert, sed primum tantum locum, vel standi, vel sedendi in ordine, πρωτοστασίαν nempe, ac πρωτοκλησίαν vel προεδρίαν."

133. Sed ne rursum ingeminem, quae contra vocationis primatum superius [53] adhibui: ne repetam fieri nullo modo posse, ut e vocationis tempore

quintumque locum tenent; quia maior erat horum dignitas."

[50]) Thesaur. Ecclesiast. ad v. Πέτρος.

[51]) Non per se ac suapte natura, ut arbitror, sed quum eum intellectum adiuncta orationis postulant.

[52]) Haec a Chrysostomo Theophylactus accepit, qui in Matth. hom. XXXII. n. 3. scribit: *Ὁρᾷς πῶς οὐ κατὰ τὴν ἀξίαν τίθησιν; ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ ὁ Ἰωάννης οὐχὶ τῶν ἄλλων μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῦ ἀδελφοῦ μείζων εἶναι.*

Duo autem sunt, quae praeterea animadvertenda censeo: ac 1) non illud propositum esse Theophylacto ut doceat, cur Petrus simpliciter πρῶτος dicatur, sed cur priori loco nominetur: tum vero 2) ab eo mentionem propterea iniici πρωτοκλησίας, eiusque ordinis, quo Christum apostoli sequuti sunt, quod afferri in medium aliquid deberet non unius Petri *proprium*, sed quum ipsi, tum Andreae ac Zebedaei filiis *commune*, quodque caussam rationemque contineret, cur hi ante apostolos reliquos recenserentur. Ceterum quae de Petro habet in commentario ad Joh. XXI. 15, inquiens: *Οὗτος καὶ τὴν προστασίαν πάντων ἐγχειρίζεται*: luculenter ostendunt, non minus illi *vocationis praerogativam* πρωτοκλησίας nomine expressam, quam *praerogativam dignitatis ac iuris* a Theophylacto vindicari.

[53]) nn. 123. seqq; ubi ostendimus, neque ῥητῶς, neque δυνάμει Petri πρωτοκλησίαν in bibliis contineri. Praeclare Augustinus, qui, de Consensu Evang. lib. II. cap. XVII. n. 39, hanc quaestionem, quam diligenter expenderat, his tandem verbis dirimit: „Quo ordine vocati sint omnes duodecim apostoli, in evangelistarum narrationibus non apparet, quandoquidem non tantum ordo vocationis, sed nec ipsa vocatio commemorata est omnium, sed tantum Philippi (cui, ut ex evangeliis conlicere licet, omnium primo Christus dixit Joh. I. 43: Ἀκολούθει μοι, quique adeo πρωτόκλητος censendus videtur), et Petri, et Andreae, et filiorum Zebedaei, et Matthaei publicani, qui etiam Levi vocabatur.

idonea ornamentorum Petri caussa [54] desumatur; illud constituam quod nemo prudens negaverit: eam τοῦ πρώτου significationem heic esse necessario praehabendam, quam *orationis subiectum*, *loci paralleli*, *Scripturarum harmonia* [55], et *christianae antiquitatis consensio* non ferunt modo, verum etiam prorsus efflagitant. Horum porro capitum nullum est, quod non exigat, ut Simon idcirco πρῶτος dictus iudicetur, quod insigni quadam auctoritate inter apostolos emineret.

Enimvero *subiectum* consideretur. Cuiusmodi illud sit, declarat Matthaeus his verbis: ὁ λεγόμενος Πέτρος. Sed nonne iam pluries ostendimus [56], Πέτρον esse nomen dignitatis, potestatisque inter apostolos supremae? ita plane. Ad auctoritatem ergo, eamque supremam referri debet ὁ πρῶτος, utpote qui Petro, tamquam *subiecto*, adiungatur.

134. De qua supremae potestatis significatione *loci huius simillimi* non minori evidentia testantur. Quod enim heic est πρῶτος, alibi [57] quum πρῶτος, tum μείζων καὶ ἡγούμενος effertur. Vocabula autem μείζων καὶ ἡγούμενος et suapte natura, et pro eo, in quo adhibentur contextu, maiorem, potioremque Petri auctoritatem designant. Quum ergo apposita, πρῶτος, μείζων, ἡγούμενος sibi adamussim respondeant, necesse est, ut una illis, eademque supremae potestatis significatio tribuatur.

Quam si qui respuant, hi funditus *harmoniam* perturbabunt, qua diversa Scripturarum effata secumipsis concinere debent. Petrus enim, quem πρῶτον Matthaeus appellat, alibi [58] exhibetur, ut qui πέτρα sit ecclesiae, στήριγμα fratrum, στερέωμα τῆς πίστεως, τῆς οὐρανῶν βασιλείας κλειδοῦχος, καθολικὸς ποιμήν, διδάσκαλος ἁπάσης τῆς τοῦ θεοῦ ἐκκλησίας, et alter a Christo familiae moderator et rector. Sed quid, obsecro, haec inter, et προγενέσιαν [59], πρωτοκλησίαν vel προεδρίαν, harmoniae atque concentus? nihil penitus, quum tamen iisdem egregie respondeant προστασία, et singularis ἐξουσία, qua Petrus

Singillatim tamen ab eo nomen et primus, et solus Petrus accepit."

[54]) Ecquae enim ista foret consequutio: Petrus prior tempore vocatus fuit. Ergo idem fuit petra ecclesiae, supremus claviger, fratrum confirmator, omnibus maior, pastor oecumenicus, ...? inepta prorsus ac ridicula.

[55]) Consentient nobiscum protestantes, quibus illud est antiquissimum, ut Scripturarum interpretationem commendent, quae Rom. XII. 6. κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως habeatur. Cf. Buddei praefationem ad Philologiam Salomonis Glassii.

[56]) n. 128. seqq.

[57]) nn. 65. seqq.

[58]) nn. 13. seqq.

[59]) Putares non aliter de primatu Petri vulgo protestantes disserere, ac Blondellus, Salmasius, Dalleus, et puritanorum turba de ὑπεροχῇ episcoporum disputent. Christiana monimenta omnino omnia episcopis deferunt eximiam quamdam auctoritatem, illosque presbyteris longo intervallo antepositos ostendunt. Quid ad ista puritani? scilicet negant aliud quidpiam iis significari, quam ius πρωτοκλησίας καὶ πρωτοχειροτονίας. At vero nonne hisce sunt gemina, quae contra potiorem Petri auctoritatem protestantes passim usurpant?

prae reliquis ornaretur. Appellatio ergo *τοῦ πρώτου* eo spectat, ut illius auctoritas propria capitis, supremique moderatoris significetur.

135. Quod ecclesiae doctores, patresque gravissimi ea perspicuitate declararunt, ut omnes dubitandi caussas funditus praeciderint. Vocant illi quidem, ac passim Petrum [60] vocant *τὸν πρῶτον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, τὸν πρῶτον τῶν μαθητῶν, τοῦ χοροῦ πρῶτον, ἀρχηγὸν τῶν ἀποστόλων καὶ ἔξαρχον.* Sed quamnam hisce laudum encomiis significationem adnectunt? eam ne, quae in *προγένειαν, πρωτοστασίαν, πρωτοκλησίαν* ac *προεδρίαν* tandem refundatur? ita sane existimari posset, si ab iis sedulo abstinerent, quibus maior dignitas, potiorque auctoritas exprimitur. Sed non abstinent, quin iisdem contra saepissime utuntur, quum Petrum saepissime [61] dicant *προστάτην τῶν ἀδελφῶν, τὸν τῆς οἰκουμένης ἁπάσης προστάτην, πρῶτον τοῦ πράγματος αὐθέντην, τὴν κεφαλὴν τῆς φρατρίας ἐκείνης, τὸν θεμέλιον τῆς ἐκκλησίας, omnes principaliter regentem, apostolorum omnium caput, maiorem ceteris, omnibusque praepositum, ut schismatis tolleretur occasio.* Certum igitur esse debet, appellatione *τοῦ πρώτου* eximiam, singularemque Petri auctoritatem contineri.

136. Ad quam tum etiam respexisse evangelistae videntur, quum *aliquot ex apostolis* commemoraturi, illis *constanti lege* Petrum anteponunt. Ex uberrima exemplorum copia, paucissima solum delibabo. Audiatur itaque [62] Matthaeus: *Παραλαμβάνει ὁ Ἰησοῦς τὸν Πέτρον, καὶ Ἰάκωβον, καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ.* Audiatur deinde Marcus, sive quum [63] scribit, *καὶ οὐκ ἀφῆκεν οὐδένα αὐτῷ συνακολουθῆσαι, εἰ μὴ Πέτρον, καὶ Ἰάκωβον, καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν Ἰακώβου:* sive quum [64] addit, *ἐπηρώτων αὐτὸν κατ' ἰδίαν Πέτρος καὶ Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης καὶ Ἀνδρέας:* sive quum [65] subdit, *καὶ παραλαμβάνει τὸν Πέτρον καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην μεθ' ἑαυτοῦ.* Neque aliter [66] Lucas, *οὐκ ἀφῆκεν εἰςελθεῖν οὐδένα, εἰ μὴ Πέτρον καὶ Ἰωάννην καὶ Ἰάκωβον καὶ τὸν πατέρα τῆς παιδὸς καὶ τὴν μητέρα.* Et [67] rursum, *ἀπέστειλε Πέτρον καὶ Ἰωάννην.* Consentit Johannes [68] his verbis, *ἦσαν ὁμοῦ Σίμων Πέτρος, καὶ Θωμᾶς ὁ λεγόμενος Δίδυμος, καὶ Ναθαναὴλ ὁ ἀπὸ Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας, καὶ οἱ τοῦ Ζεβεδαίου, καὶ ἄλλοι ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ δύο.* Jamvero quo hanc violatam numquam loquendi formam pertinere existimabimus, aut quid ex ea aptum, nexumque esse censebimus? censebimus nimirum, idcirco Petrum constanti lege ab evangelistis praeponi, quod non ut unus e multis, sed ut eximiis instructus praerogativis ab iisdem haberetur. Quibusnam vero? iis dubio procul, quas a Christo dictis, factisque Petro collatas noverant, quasque ipsimet litteris consignaverant. Iis, quas saepe [69] inculcavimus, quas denuo

[60]) Cf. Suicerum ad v. *Πέτρος*.

[61]) Cf. Mamachium Origg. et Antiquitt. Christ. T. V. pagg. 531. seqq.

[62]) Matth. XVII. 1.

[63]) Marc. V. 37.

[64]) Ibid. XIII. 3.

[65]) Ibid. XIV. 33.

[66]) Luc. VIII. 51.

[67]) Ibid. XXII. 8.

[68]) Joh. XXI. 2.

[69]) nn. 50. seqq.

paullo ante [70] recensuimus, quasque sin minus omnes, nobiliores certe complexus [71] est Cassianus, inquiens: „Interrogemus summum illum et inter discipulos discipulum, et inter magistros magistrum, qui romanae ecclesiae gubernaculum regens, sicut fidei habuit, ita et sacerdotii principatum. Dic nobis ergo, dic nobis quaesumus, princeps apostolorum Petre, dic quemadmodum credere ecclesiae debeant? aequum est enim, ut doceas nos doctus a Domino, et aperias nobis ianuam, cuius clavem accepisti. Exclude omnes suffodientes coelestem domum, et eos, qui per adulterinas cavernas et illicitos intrare aditus moliuntur, averte; quia certum est, quod nullus ostium regni intrare poterit, nisi cui clavis a te in ecclesia collocata reserarit: dic ergo, quemadmodum credere Jesum Christum et confiteri communem Dominum debeamus.“

CAPUT XIIII.

Protestantium iudicium de eo, quod antecedenti capite instituimus argumento: — expenditur ac refutatur: — quid ex argumento ἀμέσως, quid ἐμμέσως conficiatur: — abusus locorum similium reprehenditur: — aliaque protestantium oppugnatio retunditur: — ἔνστασις ex iis desumpta locis, quibus Petrus medius aut ultimus numeratur: — retorquetur: — et argumentum novis indiciis communitur.

137. Quamquam veritas, quae semel constituta rite fuerit, propria firmitate perstet, suoque se lumine tueatur; nihilo tamen minus et usu receptum est, et ratione praescriptum, ut si quae in contrariam partem forte disputentur, ea et examini diligenter subiiciantur, ac uti decet, perspicue refutentur. Neque enim dubitari de iis potest, quae Phoebadius aginnensis eruditus quarti saeculi scriptor his verbis [1] affirmat: „Destruenda sunt aliena, ut nostris credatur; nostris autem, nisi ea fuerint destructa, ut solis credi debeat, nonnisi credendum video.“ Quod et doctissimi quique [2] usu semper suo comprobarunt, et faciendum esse inde Aristoteles collegit [3], quod *et contrariorum probationes de con-*

[70]) nn. 133—136.

[71]) De Incarnat. lib. III. cap. XII.

[1]) Cf. Petavium de Trinitate, lib. II. Prooem. §. II.

[2]) Non ii solum, qui Scholastici vocari solent, sed Patres inprimis, quorum opera ostendunt, quanta cura refellendis adversantium obiectionibus incubuerint.

[3]) De Coelo, lib. I. cap. X: *Αἱ γὰρ τῶν ἐναντίων ἀποδείξεις, ἀπορίαι περὶ τῶν ἐναντίων εἰσίν. ἅμα δὲ καὶ μᾶλλον ἂν εἴη πιστὰ τὰ μέλλοντα δειχθήσεσθαι, προακηκοόσι τὰ τῶν ἀμφισβητούντων λόγων δικαιώματα. τὸ γὰρ ἐρήμην καταδικάζεσθαι δοκεῖν, ἧττον ἂν ἡμῖν ὑπάρχοι.* Quae diceres ob oculos Tertulliano fuisse, dum in

trariis dubitationes sint. Simul etiam magis erunt illa probabilia, quae dicentur, si adversantium rationum momenta prius audierimus. Ita enim minus indicta caussa condemnasse videbimur. Ne cui itaque nostri muneris parti defuisse videamur, referemus primum, tum ea excutiemus, quibus argumentum pro primatu Petri antecedenti capite expositum protestantes oppugnant.

138. Principio autem illud subridendo excipiunt, et a nobis non sine contemptione percontantur, quidnam tandem de hac colligendi, inferendique ratione iudicemus: „Petrus in evangeliis primus nominatur, ceteris in recensione anteponitur, ac *πρῶτος* simpliciter dicitur. Ergo unus ipse est, qui suprema pollet auctoritate, potiorique iure inter ipsos apostolos praecellit." Nonne, inquiunt, *ἄστοχα* ista sunt, disiuncta, nulloque vinculo cohaerentia? nonne et speciem praeferunt, rationemque ipsam paralogismi revera induunt? Quibus respondebimus, haud inscios nos esse [4] praecepti, *οὐ κλέψεις*, proindeque nolle nos procusum ab ipsis enthymema, ipsorumque proprium inter nostra venditare. Illud ergo sibi habeant, ac vero intelligant, a gravitate catholica alienissimum esse in re seria pueriliter ludere, et fidei articulos nugis, paralogismisque asserere. Ratio enim disserendi catholicorum, ac forma illationis, qua utuntur, talis est: „Evangelistarum de Petro scribendi, loquendi modus singularis est ac prorsus eximius: illum enim *πρῶτον* simpliciter dicunt, primum constanter recensent, sive plenum apostolorum catalogum texant, sive aliquot solum ex apostolis cum eo commemorent; quum autem reliquos nonnisi universim nuncupant, Petrum contra sic appellant, ut iisdem tamquam caput eum praeponere non immerito videantur. Atqui talis de Petro scribendi, loquendique modus, non semel, iterumque adhibitus, sed constanti lege servatus, manifestum praebet indicium [5], aliter de Petro, et aliter de apostolis reliquis evangelistas iudicasse, illumque his potiorem, nobilioremque credidisse. E singulari ergo, eximioque modo, quo evangelistae de Petro scribentes, loquentesque utuntur, argumentum non iniuria ducitur, quo illi ex evangelistarum sententia primatus inter apostolos deferatur."

139. Quid iamvero est in hac concludendi forma praeposterum, quid fallax, *ἄστοχον*, divulsum, quodque sua sponte, ac prorsus necessario non consequatur? omnia nexa sunt, penitusque conserta, eaque evidentia fulgent, ut protestantes bene multi [6] cum Chamierio [7] concedant, ac vero etiam confirment,

libello adversus Praxeam, cap. II. scripsit: „Propter instructionem et munitionem quorumdam dandus est etiam retractatibus locus: vel ne videatur unaquaeque perversitas, non examinata, sed praeiudicata damnari, maxime haec, quae se existimat meram veritatem possidere."

[4]) Matth. XIX. 18.

[5]) nn. 115—116.

[6]) Hos inter Salmasius in praefatione operis, *De primatu Papae*, scribit: „Ut in omni ordine primatus est, quia et primus semper aliquis datur ordinis, ut secundus et tertius; ita in ordine episcoporum." Et de recepta apud protestantes sententia addit: „Reformatos primatum tantum ordinis in Papa (atque adeo in Petro) agnoscere, idque unum aegre ferre,

nullam sibi cum catholicis contentionem fore reliquam, si huc quaestionis caput, summaque revocetur: Petrum in bibliis tamquam apostolorum κορυφαῖον, omniumque primum describi, atque adeo a ceteris in numeratione seiungi. Haec enim manifesta esse putant, et quae citra illatam Scripturis vim negari non possint. Quare Marcus Antonius de Dominis, licet omni qua potuit arte, primatum maioris auctoritatis impugnaverit, de primatu tamen universim accepto, quique Petro deferri debeat, affirmandum, statuendumque [8] censuit: *Plurima Scripturae et Patrum testimonia primatum Petri* [9] *convincere, quem siquis pertinaciter neget, haereticum eum esse, atque seipsum ad inferna demergere.*

140. Praesentio tamen quid ii excepturi sint, qui dissident. Excipient de primatu controversiam esse non γενικῶς καὶ καθόλου, sed εἰδικῶς καὶ ἐν ἀτόμῳ, atque adeo de primatu maioris auctoritatis, quo Petrus potiretur. Hunc autem non eum esse, qui evangelistarum scribendi ratione comprobatur.

Sed erat profecto, cur qui sic disputant, animadverterent: I. neque testimonia omnia, neque ductas ex iis praerogativas eiusmodi esse, quibus utraque controversia ex aequo [10] dirimatur: „utrum Petrus a Christo primatum acceperit; ac utrum primatum acceperit potioris iuris, auctoritatisque supremae.“

Erat II. cur considerarent, fas non esse argumentum aliquod propterea irridendo aspernari, quod iis expediendis omnibus, quae in controversiam adducuntur, impar videatur.

Erat III. cur attenderent, qua mente, quove consilio argumentum *proxime* adhibuerimus, quod evangelistarum scribendi ratio suppeditat. Vidissent enim illud *proxime* adhibitum, ut Petri ἐξοχὴ universim assereretur.

Erat denique IV. cur secumipsis reputarent non infrequenter contingere, ut *duplex* argumentis *vis* insit, *immediata* altera, atque altera *mediata*, pro duplici ratione, qua vel *seorsum*, vel *una cum reliquis caussae adminiculis* spectantur. Hoc enim animadverso discrimine, intellexissent profecto, novam oboriri quaestionem, illamque talem: „utrum primatus maioris auctoritatis, qui evangelistarum scribendi ratione statui ἀμέσως non posset, ἐμμέσως saltem eodem e fonte deduceretur.“ Atqui nonnisi aiendo hanc decidi quaestionem posse, ii, credo, non inviti dabunt, qui ad eam, quam subiiciemus concludendi formam, animum adverterint.

141. Iis verbis, eoque pacto de Petro scribunt evangelistae, ut de pri-

quod Papae potestas non primas in ordine partes, aut sedes tenere contenta, suprema omnium, qui in aliqua sunt potestate aut dignitate, haberi vult.“ Similia repetit in Apparatu eiusdem operis.

[7]) De quo confer Spanhemium in *Chamierio contracto*, lib. XI. capp. IX. seqq.

[8]) De Repub. Ecclesiast. lib. I. cap. V. n. 9, et cap. X. n. 32.

[9]) Quem, quaeso, primatum? aetatis ne, vocationis, honoris, merique ordinis? atqui horum ne vestigium quidem in Scripturis comparet. Videant ergo protestantes, an non aliunde, quam e divinis litteris argumenta mutuentur, quibus Petrum primatu maioris auctoritatis exspolient.

[10]) nn. 1. seqq.

matu illi universim delato nefas sit dubitare. Aliis autem, iisdemque luculentis Scripturarum testimoniis constat, primatum Petri eximia quadam, praestantiorique auctoritate contineri. Eo igitur ἐμμέσως pertinet evangelistarum scribendi modus, ut Petrus primatu insignis potioris auctoritatis declaretur. Quod quidem paullo secus, neque minori tamen perspicuitate persuaderi sic potest. Vix quidpiam reperire licet Scripturarum testimoniis plenius confirmatum, quam titulorum, inanisque pompae [11] praerogativas, et a Christi institutis, et *ab eo veluti spiritu* longissime abhorrere, qui evangelium pervadit ac propemodum informat. Sed Petro tribuendum esse ὑπεροχήν, qua inter ceteros apostolos eminuerit, sua scribendi, loquendique ratione evangelistae significant. Quum ergo ὑπεροχὴ censeri nequeat titulorum, nudique honoris, reliquum est, ut ὑπεροχὴ muneris, officii, potiorisque auctoritatis existimetur. Quo etiam spectat τοῦ πρώτου appellatio Petro facta. Ea enim accipiatur oportet, vel significatione *ordinali*, vel significatione *honoris*, vel significatione *maioris auctoritatis*, *insignioris que* ἐξουσίας. Sed prior atque altera significatio improbari [12] debet. Tertia ergo restat, quae probetur, et qua Petrus dictus idcirco πρῶτος censeatur, quod apostolis ceteris auctoritate et ἐξουσίᾳ praecelleret.

142. Abnuunt [13] protestantes, confirmationemque primatus ex evangelistarum scribendi ratione deductam, inde vehementius oppugnant, quod talis ea sit, e qua nullum Petri ornamentum, ὑπεροχὴ nulla apte colligatur. Etenim, inquiunt, apud Paulum [14] legimus: Ἀσπάσασθε Ἀσύγκριτον, Φλέγοντα, Ἑρμᾶν, Πατρόβαν, Ἑρμῆν, καί τοὺς σὺν αὐτοῖς ἀδελφούς. ἀσπάσασθε Φιλόλογον καὶ Ἰουλίαν, Νηρέα καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτοῦ, καὶ Ὀλυμπᾶν, καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς πάντας ἁγίους. Legimus apud Lucam [15]: ἦσαν δὲ ἡ Μαγδαληνὴ Μαρία, καὶ Ἰωάννα, καὶ Μαρία Ἰακώβου, καὶ αἱ λοιπαὶ σὺν αὐταῖς. Et [16] in Actis: εἰ μὲν οὖν Δημήτριος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ τεχνῖται. Quis porro non cernit, phrases has esse, formulasque dicendi iis plane geminas, quibus [17] Petri primatum statuere adlaboravimus? sicut ergo, inferunt, ineptum esset ex his deducere, *Asyncritum*, *Phlegontem*, *Hermam*, *Patrobam*,..... *Demetrium*, ceteris primatu antecelluisse, qui generatim solum nominati posthaberi videntur; ita inanis haberi conclusio debet, qua e similibus loquendi formulis Petri ὑπεροχὴ stabilitur.

[11]) nn. 58. seqq. Ubi e re fore censeo, quae Salmasius secumipse pugnans tradit epistolarum lib. I. epist. XXVII: „De penser aussi que cette primauté ne soit autre chose qu'une préséance et l'honneur d'aller devant, c'est se mécompter. La practique de la primitive Eglise est contraire, qu'il luy á tousyours donné d'avantage, et ce mot *primatus* en toute la Hierarchie ecclesiastique n'a jamais esté sans quelque function superieure, ou jurisdiction avec l'honneur."

[12]) nn. 130. seqq.

[13]) Cf. prae ceteris Salomonem Deilingium, Observatt. sacrarum, Exercit. VI. Observat. I.

[14]) Rom. XVI. 14—16.

[15]) Luc. XXIV. 10.

[16]) Act. XIX. 38.

[17]) nn. 117. seqq.

Ac inanis item, pergunt, haberi conclusio debet, qua inde Petri primatus eruitur, quod πρῶτος nuncupatur. Etenim apud Lucam [18] de iis, qui ἀδιαφόρως invitati fuerant, scribitur, ὁ πρῶτος εἶπεν αὐτῷ: de oeconomo, a quo dominus rationem administrationis postulaverat, dicitur [19], ἔλεγε τῷ πρώτῳ: et de servis fidelibus additur [20], παρεγένετο δὲ ὁ πρῶτος. At vero quis propterea statuat, eos ceteris praecelluisse, qui *primi* compellantur? nemo plane qui ineptire nolit. Ad ineptiarum ergo genus referenda est conclusio, qua Petri primatus appellatione τοῦ πρώτου comprobatur.

Praesertim quum plus semel non primus, sed vel ultimus, vel medius, interiectusque nominetur. Quo sane ista [21] pertinent: ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλώ, ἐγὼ δὲ Κηφᾶ, ἐγὼ δὲ Χριστοῦ. Et [22]: πάντα γὰρ ὑμῶν ἐστιν, εἴτε Παῦλος, εἴτε Ἀπολλώς, εἴτε Κηφᾶς, εἴτε κόσμος, εἴτε ζωή, εἴτε θάνατος, εἴτε ἐνεστῶτα, εἴτε μέλλοντα· πάντα ὑμῶν ἐστιν· ὑμεῖς δέ, Χριστοῦ· Χριστὸς δέ, θεοῦ. Ac [23] rursum: μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ ἀπόστολοι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ κυρίου, καὶ Κηφᾶς;

143. Quibus ego ut occurram, eaque omnia levia esse, imbecillaque demonstrem; nonnulla primum universim monebo, tum singula ita excutiam, ut nihil non expensum, nihil non penitus refutatum videatur. Itaque quum e praesidiis ad enarrandas rite Scripturas comparatis, nulli secundum illud sit, quod comparatione constat locorum sibi ἐκ παραλλήλου respondentium; non una tamen de caussa fit, ut detrimenta potius quam emolumenta ex eo saepissime percipiantur, indeque interpretandi pernicies existat, unde sanitas opperienda videbatur. Inter has vero caussas, nescio, an non ea censeri frequentior debeat, qua tamquam loci *significatione* paralleli ii habentur, qui tales non sunt nisi *sono*, et *litterarum, dictionumque structura*. Si qui enim in hasce syrtes impegerint, ibique ὁμολογίαν, vel significationis ἀναλογίαν commenti fuerint, ubi ὁμολογία et ἀναλογία nudo verborum, phrasiumque cortice absolvitur; quo congerendis parallelis locis student impensius, eo a sincera interpretatione longius exerrant.

144. Confidenter porro dixerim, pleraque ex iis omnia, quae a protestantibus cumulata [24] retulimus, totidem esse veluti specimina illius vitii quod insectamur, quodque parallelismi usum in exitium convertit. Sane locos, quos censent similes, propterea recitant, ut *e significandi potestate* eisdem subiecta, significationem eorum determinent, quos ad tuendum Petri primatum ipsi primum [25] usurpavimus. Sed cogitarunt ne, an ea similitudo *verbalis* dumtaxat sit, an etiam *realis*? cogitarunt ne, an simile sit utrinque *subiectum*, vel diversum? an adiuncta ὁμόλογα sint et ἀνάλογα, vel dissita potius et aliena?

[18]) Luc. XIV. 18.
[19]) Ibid. XVI. 5.
[20]) Ibid. XIX. 16.
[21]) I. Cor. I. 12.
[22]) Ibid. III. 22.
[23]) Ibid. IX. 5.
[24]) n. 142.
[25]) nn. 114. seqq.

de his nulla eos tetigisse sollicitudo videtur, et tamen manifesta ratio, luculentaque exempla demonstrant, ea inprimis fuisse spectanda, ne locorum comparatio praepostera esset, ac fallax inde ducta interpretatio.

145. Sane manifesta ratio ostendit, vocabula propemodum omnia, quum sint *πολύσημα*, non unam semper eamdemque referre notionem, sed pro subiecti, adiunctorumque discrimine varias, diversasque potestates induere. Vocabula *obumbrandi*, *procedendi* ac *mittendi* proprias, singularesque apud Lucam [26] et Johannem [27] significationes subeunt: ac singularis item est notio, qua in evangelio [28], in priore epistola [29], et in apocalypsi [30] *τὸν λόγον* Johannes usurpat. Hebraeis vox עוֹלָם non unius ubique est significationis; sed in altero Regum libro [31], et in psalmo octogesimo-octavo [32] iis circumvestitur adiunctis, ut *aeternitatem* necessario designet. Denique neque latinis *virtus*, neque graecis *δύναμις*, ea sunt vocabula, quae eodem semper accipiantur sensu, vel ubivis *rem ipsam*, idest, *τὴν οὐσίαν* demonstrent. Nihilominus neque *virtus* alium exhibet sensum apud Paschasium [33], dum scribit: *Potior quippe virtus rerum, quam species et fucatus color. Idcirco virtus magis est consideranda quam color seu sapor exterior, quia qui universis virtutem naturae dedit, hic huic sacramento* (Eucharistiae) *divinitus indulsit, ut sit caro et sanguis* [34] *ipsius.* Neque aliud *δύναμις* denotat apud Theophylactum [35], quum in commentario ad Marci evangelium docet, Christum, iis integris, quae in Eucharistia [36] ad *τὸ εἶδος* spectant, panem ipsum, vinumque *εἰς δύναμιν τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος* convertisse.

146. Inanes ergo existimari debent protestantium curae, et opera inanis, quam corrogandis parallelis locis impenderunt. Similitudo enim *grammatica* mirum quantopere a *logica* distet, quamque sit praeposterum hanc ex illa definire. Quod ut evidentius innotescat, iam *singula* considerabimus.

Ac ea primum considerabimus, quibus [37] ita nonnulli *nominatim*, ac alii

[26]) Luc. I. 35.

[27]) Joh. XV. 26.

[28]) Ibid. I. 1 — 14.

[29]) I. Joh. I. 1, V. 7.

[30]) Apoc. XIX. 14.

[31]) I. Reg. VII. 16.

[32]) Ps. LXXXVIII. 35 — 38.

[33]) De corpore et sanguine Domini, cap. XIV.

[34]) Quare de pane, quem erat exhibiturus, dixit Christus Joh. VI. 51: *Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος ὁ ζῶν*, *ego sum panis ille vivens*, non vero ut in bibliis genevensibus redditur, *je suis le pain vivifiant*, ac si *ζωοποιὸς* legeretur, non *ζῶν*.

[35]) Immo et apud Paulum II. Tim. III. 5: *Ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι.* Ubi *δύναμις* opposita *μορφώσει*, speciei vanae et inani, idem valet ac *εἰκὼν* prae *σκιᾷ*, corpus prae umbra, ac res ipsa et *οὐσία* prae eiusdem imagine.

[36]) Quae tamen ipsa, licet ad *modos*, *qualitatesque* referantur, Theodoritus *οὐσίαν καὶ φύσιν* dicit, quemadmodum pluribus, diligenterque ostenditur T. III. operis inscripti, *La Perpetuité de la Foi de l'Eglise Catholique touchant l'Eucharistie*, lib. V. capp. VIII — IX.

[37]) n. 142.

universim appellantur, ut nulla tamen illis prae hisce dignitas, ἐξοχὴ nulla tributa videatur. Peto enim an id *saepius* de iisdem fiat; immo peto an fiat *constanter;* tum postulo, adsint nec ne alia, eaque praeclarissima, quibus eorum comprobetur ὑπεροχή, qui seorsum nominantur. Si protestantes affirmaverint, contendam, eas dicendi formulas ita ex sese comparatas esse, ut aliorum prae aliis dignitatem significent. Sin vero negaverint, reponam, eos textus, ad *significandi potestatem* quod spectat, cum illis absurde componi, quos ad asserendum Petri primatum retulimus. Quocumque ergo se verterint, nulla iis rima patet, qua elabantur, ac ita tenentur adstricti, ut ne movere quidem pedem possint.

Praesertim quum ego plane non videam, quam ob rem ceteris, qui solum generatim innuuntur, haberi praestantiores non debeant, qui nominatim compellantur. Profecto si ex ea scribendi ratione ferendum sit iudicium, ad verum quam proxime accessisse videbimur, si affirmemus, honore ac dignitate non penitus fuisse pares, qui diversis adeo dicendi formulis memorantur.

147. Haec autem si illorum occasione textuum repetantur, qui altero obiiciuntur loco [38], et quibus argumentum impetitur ab appellatione τοῦ πρώτου Petro facta desumptum, vix plura desiderari posse arbitror, ut difficultas radicitus convulsa videatur. Quamquam aliud habeo quod moneam, quoque opponentes pressius urgeam. Mihi ergo declarent, velim, utrum *ordinalis* τοῦ πρώτου *significatio* ab iis locis necessario absit, quos ipsi uti similes laudant, et tamquam parallelos inculcant. Nisi enim absit, nihil ea comparatione absurdius fingi potest, qua universa ipsorum ratio continetur. Atqui non abest, quum in obiectis locis [39] continenter legatur, ὁ πρῶτος, καὶ ἕτερος: τῷ πρώτῳ, καὶ τῷ ἑτέρῳ: et ὁ πρῶτος, ὁ δεύτερος, ὁ ἕτερος. Ergo hos inter, adductaque a nobis [40] testimonia non modo nulla existit ὁμολογία *realis*, sed ne *verbalis* quidem; eaque propterea nonnisi ἀτόπως ad invicem conferuntur.

148. Erat autem cur ab iis describendis protestantes abstinerent, quibus [41] Petrus *postremo*, vel interiecto loco numeratur. Pro discrimine enim orationis usuvenit, ut non medius minus, postremusque, quam primus in numeratione locus ad dignitatem pertineat. Pertinet ad dignitatem primus locus, quum oratio *decrescit;* sed si oratio *crescat*, *intendaturque*, eo sunt nobiliores loci [42], quo a primo longius abscesserint. At vero in tribus e priori ad Corinthios epistola depromtis testimoniis, manifesta est sermonis αὔξησις; adeo ut Petri dignitas inde rite colligatur, quod medius, postremusque censetur.

[38]) n. 142.

[39]) Luc. XIV. 18—21, XVI. 5—8, XIX. 16—21.

[40]) n. 130.

[41]) n. 142.

[42]) Ratione non admodum dissimili viri eruditi, Fogginius Exercit. XX. de romano b. Petri itinere, Mamachius Origg. et Antiquitt. Christian. lib. IV. pagg. 515. seqq., aliique demonstrarunt, *laevam partem* Petro prae Paulo interdum adtributam, argumentum esse debere, quo illius potior dignitas, celsiorque auctoritas significata existimetur.

Manifesta est in priore [43], ubi Paulus usitata formula, λέγω δὲ τοῦτο, *nimirum dico*, interpellatam nonnihil orationem adnectens, pergit: ὅτι ἕκαστος ὑμῶν λέγει· ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου· ἐγὼ δέ, Ἀπολλῶ· ἐγὼ δέ, Κηφᾶ· ἐγὼ δέ, Χριστοῦ [44]. Quid porro evidentius, quam sermonem *intendi*, et in Christum, tamquam in supremum apicem desinere? Quod nemo melius Chrysostomo expressit, cuius [45] haec sunt verba: οὐ προτιμῶν ἑαυτὸν τοῦ Πέτρου τέθεικεν ἔσχατον ἐκεῖνον, ἀλλὰ καὶ σφόδρα τὸν Πέτρον ἑαυτοῦ προτιθείς. κατὰ γὰρ αὔξησιν προήγαγε τὸν λόγον.

Manifesta est in altero [46], ubi Paulus enucleatius expoliens, quod praemiserat, πάντα ὑμῶν ἐστιν, subdit: *vestra sunt omnino omnia*, εἴτε Παῦλος, εἴτε Ἀπολλώς, εἴτε Κηφᾶς, εἴτε κόσμος, *sive* **Paulus**, *sive* **Apollo**, *sive* **Cephas**, et si satis ista non sunt, *ipsemet mundus*, quem in aliquot veluti partes tribuens, singulari animi concitatione, verborumque [47] cumulo, pergit, εἴτε ζωή, εἴτε θάνατος, εἴτε ἐνεστῶτα, εἴτε μέλλοντα· confirmo quod dixi, πάντα ὑμῶν ἐστιν. Quamquam vero tot, tantaque sint, quae ad vos spectant, vos tamen vestri non estis, sed ὑμεῖς δὲ Χριστοῦ, *estis Christi sors et peculium*, Χριστὸς δέ, θεοῦ, *Christus autem* est *Dei*, utpote υἱὸς τοῦ θεοῦ, cui [48] ὁ πατὴρ πάντα δείκνυσιν, qui [49] οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ λαλεῖ, sed [50] ῥήματα τοῦ θεοῦ λαλεῖ. Quare vestrae omnes divitiae eo redeunt, ut non hominum sitis discipuli, sed per Christum θεοδίδακτοι habeamini. E quibus nihil luculentius quam

[43]) I. Cor. I. 12.

[44]) Censet Bowyer, *Konjekturen über das N. T.* pag. 399, loco Χριστοῦ legendum esse Κρίσπου, quo nomine significari putat synagogae iudaicae praefectum, quem Paulus Act. XVIII. 8. coll. I. Cor. I. 14. ad christiana sacra perduxerat. Verum, subdit Julius Pott in Prolegomenis ad commentarium, quo Pauli epistolam explanavit, „eiusmodi coniectura in tanto codicum, versionumque, lectionem Χριστοῦ tenentium, consensu iusto audacior apparet; praecipue cum non in promtu sit ratio, cur lectio expeditior Κρίσπου cum impeditiori Χριστοῦ commutata fuerit."

[45]) In I. Cor. hom. III. n. 2: „Non se Petro praeferens, posuit illum ultimum; imo vero Petrum sibi valde praeponens, *per amplificationem loquutus est.*" Quae postrema Montfauconii verba non minimum a sententia Chrysostomi abscedunt. Interim ipse quoque Theodoritus de Petri dignitate sollicitus, scribit: Προςτέθεικε δὲ καὶ τὸ τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων. Quae Patrum cura, ne bibliorum testimonia in alienum sensum raperentur, perspicue declarat, quam alte illorum animis fides de potiori Petri dignitate insideret.

[46]) I. Cor. III. 22—23.

[47]) Quae singulis hisce verbis distincta notio subiicienda sit, neque definiri facile potest, neque veteres, recentioresque interpretes consentiunt. Theodoritus sic habet: Ὑμῖν δέδοται καὶ ἡ παροῦσα καὶ ἡ προςδοκωμένη ζωή. καὶ αὐτὸς δὲ ὁ θάνατος τῆς ὑμετέρας ἕνεκεν ὠφελείας ἐπηνέχθη τῇ φύσει· καὶ τὰ ὁρώμενα πάντα εἰς ὑμετέραν δεδημιούργηται χρείαν, καὶ τὰ προςδοκώμενα ὑμῶν χάριν ηὐτρέπισται.

[48]) Joh. V. 20.

[49]) Ibid. VII. 17.

[50]) Ibid. III. 34.

ita per gradus orationem crescere, ut ex humanis magistris, qui plantant et rigant, ad Deum verum, supremumque magistrum tandem assurgat.

149. Restat tertium, postremumque testimonium, quo Paulus, quum[51] in eo esset, ut suum apostolatum meritis laudibus efferret, inquit: *μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα*[52] *περιάγειν, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ ἀπόστολοι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ κυρίου, καὶ Κηφᾶς;* Sed quos dicit *τοὺς λοιποὺς ἀποστόλους, apostolos reliquos?* duodecim ne, qui *κατ' ἐξοχὴν* apostoli vocabantur? eiusmodi significatio videri necessaria non debet, quum *τοῦ ἀποστόλου* nomen non infrequenter latius pateat, eosque designet omnes, qui munus apostoli, idest[53], *τοῦ ἀπεσταλμένου* gererent. Unde non legimus[54] solum, *ὑμῶν* (Philippensium) *ἀπόστολον*, et[55] *ἐκκλησιῶν ἀποστόλους*, verum etiam[56] *ἐπισήμους ἐν τοῖς ἀποστόλοις*.

Porro si haec accipiatur haud paullo laxior significatio, *αὔξησις* in oculos incurrit, verbaque Pauli hunc sensum reddunt: *an potestas nobis non est mulierem sororem circumducendi, quemadmodum et apostolis reliquis, atque adeo fratribus Domini, et potissimum Cephae?*

Fac tamen *τοῖς λοιποῖς ἀποστόλοις* ipsos duodecim significari: Petri *ὑπεροχὴ* non minori evidentia refulget. Eccur enim a reliquis nominatim ille secernitur? cur ille seorsum prophetico nomine compellatur? quod e reliquis quidem esset, sed non tamquam unus e reliquis, verum inter reliquos maior ac sublimior. Quod Chrysostomus[57], alio licet ex capite, luculentissime tamen expressit, inquiens: *Vide Pauli sapientiam, τὸν κορυφαῖον ὕστερον τέθεικε, coryphaeum ultimum posuit. τὸ γὰρ ἰσχυρότερον τῶν κεφαλαίων τότε τίθεται. Fortissimum enim eos inter qui capita erant, tunc ponit. Οὐδὲ γὰρ οὕτω θαυμαστὸν ἦν δεῖξαι τοὺς ἄλλους τοῦτο ποιοῦντας, ὡς τὸν πρωτοστάτην, καὶ τὰς κλεῖς ἐμπιστευθέντα τῶν οὐρανῶν. Neque enim adeo mirum erat, alios ita se vulgo gerere demonstrasse, quam idipsum de eo ostendisse, qui princeps erat, quique claves regni coelorum in fidem receperat. Ceterum non eum solum ponit, sed omnes, ac si diceret: ἄν τε καταδεεστέρους ζητῇς, ἄν τε ὑπερέχοντας, ἁπάντων κεῖται τὰ ὑποδείγματα, sive inferiores quaeras, sive superiores, omnium prostant exempla. Etenim fratres Domini a priori incredulitate*[58] *soluti, inter clariores erant, quamquam ad culmen aposto-*

[51]) I. Cor. IX. 5.

[52]) Pro *ἀδελφὴν γυναῖκα* codices non pauci, itemque versiones ac Patres habent modo *ἀδελφὰς γυναῖκας*, modo *γυναῖκας*, et modo simpliciter *ἀδελφάς*. Semleri suspiciones de harum varietatum origine, absurdae sunt, et homine catholicis institutionibus infensissimo dignae.

[53]) Thomas M. *ἀπόστολος· ὁ ἀπεσταλμένος*.

[54]) Philipp. II. 25.

[55]) II. Cor. VIII. 23.

[56]) Rom. XVI. 7.

[57]) In I. Cor. hom. XXI. n. 2.

[58]) Joh. VII. 5: *Οὐδὲ γὰρ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἐπίστευον εἰς αὐτόν.*

lorum[**] *non pervenissent; ideoque μέσους αὐτοὺς τέθεικεν, ἑκατέρωθεν τοὺς ἄκρους θείς, medios illos collocarit, summis utrinque positis.* Quae eo sane pertinent ut intelligamus, eodem ferme pacto inter apostolos excelluisse Petrum, quo inter discipulos, fratresque Domini apostoli eminebant.

CAPUT XIV.

Quid e Pauli verbis ad Gal. II. 9. consequens esse protestantes affirment: — quaestio critica de genuina lectione: — quae suadere videantur, Petrum priori loco esse collocandum: — permittitur vulgata lectio: — protestantium vero ex ea ductum πόρισμα refellitur: — demonstratio primatus, quam evangelistarum de Petro scribendi ratio praebet, confirmatur atque absolvitur.

150. Quod altero ecclesiae saeculo Tertullianus[1] animadvertit, non alio frequentius nomine errorum vindices, sectarumque auctores rebus suis patrocinari, quam bibliorum relatis, obiectisque testimoniis; id verissimum esse in praesentia experimur, quum primatus osores illius oppugnandi inde ansam arripere videmus, quod Paulus medio, interiectoque loco Petrum his verbis[2] collocaverit: *Γνόντες τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι, Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς καὶ Ἰωάννης, οἱ δοκοῦντες*[3] *στύλοι εἶναι, δεξιὰς ἔδωκαν ἐμοὶ καὶ Βαρνάβᾳ κοινωνίας, ἵνα*[4] *ἡμεῖς εἰς τὰ ἔθνη, αὐτοὶ δὲ εἰς τὴν περιτομήν.* Etenim, inquiunt[5], si nota Paulo, compertaque fuisset celsior Petri dignitas, supremaque

[**]) Ephes. IV. 11—12. coll. Rom. XII. 3—6, I. Cor. XII. 11.

[1]) De Praescriptt. cap. XV: „Sed ipsi (profanorum δογμάτων auctores) de Scripturis agunt, et de Scripturis suadent. Aliunde scilicet loqui possent de rebus fidei, nisi ex litteris fidei?“ Quibus consona habent Epiphanius in litteris ad Johannem praesulem hierosolymitanum, Vincentius in Commonitorio, et Hieronymus in dialogo adver. Lucifer. inquiens: „Nec sibi blandiantur haeretici, si de Scripturarum capitulis videntur sibi affirmare quod dicunt, quum et diabolus de Scripturis sit aliqua loquutus, et Scripturae non in legendo consistant, sed in intelligendo.“

[2]) Gal. II. 9.

[3]) *Οἱ δοκοῦντες στύλοι εἶναι*, idem quod, *οἱ ὄντες στύλοι.*

[4]) Similia ellipticae orationis exempla habes apud Paulum non infrequenter, ut cap. V. 13, et Rom. IV. 16.

[5]) Plures occurrerent quos nominarem, sed placet ea repetere, quae martyr Ignatius ad smyrnenses scripsit: *Τὰ δὲ ὀνόματα αὐτῶν ὄντα ἄπιστα οὐκ ἔδοξέ μοι ἐγγράψαι· ἀλλὰ μηδὲ γένοιτό μοι αὐτῶν μνημονεύειν μέχρις οὗ μετανοήσωσιν.* Quae vetus interpres sic reddidit: „Nomina autem ipsorum (haereticorum) existentia infidelia non visum est mihi inscribere; sed neque fiat mihi ipsorum recordari usque quo poeniteant.“

inter apostolos auctoritas; neque illum *ἀδιαφόρως* nominasset, ac longe etiam minus altero post Jacobum [6] loco recensuisset. Fecit autem utrumque. Quid igitur superest, nisi ut, Paulo gravissimo sane auctore, concludatur, nulla prae reliquis dignitate Petrum eminuisse?

151. Quae dum ego refero, mirari satis non possum miseram humanarum mentium conditionem, e qua illud existit sane lamentabile, ut levissimas ob caussas in transversum abreptae, de maximis etiam quaestionum capitibus praeiudicio potius, quam cauta, librataque sententia decernere videantur. Nemo enim non intelligit omnino decuisse, ne prius de oppugnando Petri primatu cogitaretur, quam duo essent diligenter expensa, certisque rationibus definita: utrum videlicet sibi probe constent, quibus totum illationis opus incumbit; deinde vero ea ne sit illatio, quae e suis principiis rite deducta merito existimetur. Neque enim eo summa redit, ut bibliorum testimonia recitentur, divinarumque litterarum auctoritas [7] praetendatur; sed in id conferri opera potissimum debet, ut quae sit genuina illarum lectio [8], sinceraque interpretatio [9] demonstretur.

152. Porro, ut ab eo ordiar, quod primum commemoravi, indubitatum ne est, Cepham non primo, sed medio, interiectoque loco legendum esse? me sane non fugit, codices adhuc dum reliquos esse graecos et latinos, illosque vetustissimos, qui priorem locum Cephae, alterum Jacobo deferunt. Eiusmodi sunt codices alexandrinus, et barnerianus graeco-latinus, qui non *Κηφᾶν*, sed *Πέτρον* habent, ac Petrum Jacobo anteponunt. Eiusmodi codices priscae versionis latinae, qui, Sabatiero teste, hanc lectionem exhibent: *et cum cognovissent gratiam, quae data est mihi, Petrus et Jacobus et Johannes.* Eiusmodi codices, quibus Tertullianus [10], Chrysostomus [11], Ambrosiaster [12], genuinus Ambrosius [13], Augustinus [14] et Theodoritus [15] usi sunt. Neque aliter Hieronymus [16] legit, vel legi ab aliis consuevisse in commentario meminit.

[6]) Gal. II. 9.

[7]) Siquidem, ut in altera adversus arianos oratione Athanasius monet, haeretici, *κανόνα ἐπὶ καρδίαν ἀσέβειαν θέμενοι, πρὸς τοῦτον πάντα τὰ θεῖα λόγια διαστρέφουσι, postquam impietatem in corde suo pro canone constituerunt, ad eum divina omnia corrumpunt oracula.*

[8]) Nisi enim haec rata sit, constare cetera non poterunt.

[9]) E qua tandem quaestionis explicatio dependet.

[10]) Con. Marc. lib. III. cap. III. His autem codicibus addi debent alii sane non pauci, quos Augustinus Scholz recenset et laudat.

[11]) In cap. II. epist. ad Galatas, n. 3, non quidem quum textum primum citat, sed quum illum repetit et commentario explanat.

[12]) In comm. ad h. l.

[13]) De interpellat. Jobi, lib. I. cap. V.

[14]) In cap. II. epist. ad Galat. n. 13.

[15]) Ad Ps. LXXXVI. 1, ad Cant. III. 10, ad Rom. XV. 26, et ad II. Cor. VIII. 18. Verum semel in ὑποθέσει in epist. ad Hebraeos legit, *Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς καὶ Ἰωάννης.*

[16]) Non minus in textu, quam in commentario habet, *Petrus et Jacobus et Joannes.* His vero, quos laudavimus testibus, referente Scholzio, addendi sunt

153. Constat autem [17] ex prooemio ad Eustochium, non antea infinitae eruditionis virum ad explanandam Pauli ad Galatas epistolam accessisse, quam [18] Caii Marii Victorini commentarios, Origenis tractatus, excerptaque, et Didymi, Laodiceni, Alexandri, Eusebii emeseni et Theodori heracleotis ἐξηγήσεις diligenter pervolutasset. Suspicari ergo licet eam ipsam apud hosce omnes lectionem reperisse Hieronymum, quam ipsemet sequutus ita est, ut alterius ne minimam quidem mentionem iniecerit. Quis vero non plurimi ducat [19] lectionem tanta auctoritate comprobatam? aut quis contra ratam eam, fixamque putet, cui tot, tantique testes refragantur? cui et ἀναλογία refragatur, quae ubivis in evangeliis [20], ac in ipsis Pauli epistolis [21] se prodit? lectio igitur, Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς καὶ Ἰωάννης, e qua illationis moles tota dependet, talis non est, quae inspecta penitius, et ad critices exacta leges certa, indubiaque haberi posse videatur.

154. Quibus ego detractam illi probabilitatem nolo, qua gaudet, quamque eidem et codices bene multi, et antiquae [22] versiones, praeclarique testes conciliant. Immo non invitus permittam, ut alteri praehabeatur, ac ex ea de mente, sententiaque Pauli iudicium pronuncietur. Quodnam vero? illud ne quod editum a protestantibus [23] retulimus? minime profecto, quemadmodum certis rationum momentis pronum est demonstrare.

Irenaeus, Gregorius nyssenus, Cassiodorius et Haymo.

[17]) Quod legitur initio commentariorum in epist. ad Galatas.

[18]) Laudatis Caii Marii Victorini commentariis in Apostolum, de ipso Victorino subdit: „Quod occupatus ille eruditione saecularium litterarum, scripturas omnino sanctas ignoraverit, et nemo possit quamvis eloquens de eo bene disputare quod nesciat.“ Tum pergit: „Quid igitur, ego stultus aut temerarius qui id pollicear quod ille non potuit? minime. Quin potius in eo mihi videor cautior atque timidior, quod imbecillitatem virium mearum sentiens, Origenis commentarios sum sequutus. Scripsit enim vir ille in epistolam Pauli ad Galatas quinque propria volumina, et decimum Stromatum suorum librum commatico super explanatione eius sermone complevit; tractatus quoque varios et excerpta, quae vel sola possunt sufficere, composuit. Praetermitto Didymum videntem meum, et Laodicenum de ecclesia nuper egressum, et Alexandrum veterem haereticum: Eusebium quoque emesenum, et Theodorum heracleoten, qui et ipsi nonnullos super hac re commentarios reliquerunt. E quibus si vel pauca decerperem, fieret aliquid quod non penitus contemneretur. Itaque ut simpliciter fatear, l e g i h a e c o m n i a.“

[19]) De qua ita Grotius in commentario decernit: „In ms. illo antiquissimo non est interpositum inter *Jacobi* et *Johannis* nomen *Cephae;* quod rectius arbitror. Satis enim fuit praecessisse *Petri* sive *Cephae* nomen. Neque moris est eum qui princeps sit collegii, medio loco nominari; sed aut primo, ut Matth. X. 2, aut postremo, ut Marc. XVI. 7. Praeterea scriptores veteres de hoc loco agentes, Petrum primo loco nominant.“

[20]) nn. 116. seqq.

[21]) n. 137. seqq.

[22]) Quas inter Vulgata, et Syriaca simplex eminent.

[23]) n. 150.

Sane qui in theologicorum studiorum genere vel mediocriter sunt versati, hi probe norunt: I. solemni lege receptum esse, ut si quando vel omnes simul divinae trinitatis hypostases, vel ex his duae, Pater, Filiusque memorantur, ille huic anteponatur [24], atque adeo Filius altero gradu collocetur. Norunt deinde II. priscis iuxta recentibusque theologis [25] hanc ratam, fixamque loquendi legem occasionem praebuisse docendi, idcirco Patri constanter primas deferri, quod illi prae Filio consubstantiali *ἀξίωμα* insit, quo fit, ut eiusdem *μείζων* [26] nuncupetur. Maior utique non *natura*, quae una eademque [27] utrique inest, *sed personali charactere*, quo Pater *αἴτιον* est, *πηγὴ* et *ῥίζα* Filii, qui ex eo tamquam *αἰτιατός*, et tamquam e fonte fluvius, ac e radice frutex sobolescit. Norunt postremo III. hanc numerationis legem, solemnem licet et constantem, minime tamen impediise, quominus semel ac iterum Filius Patri praeponeretur. Illi namque praeponitur, quum [28] dicitur, *διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ θεοῦ πατρός:* ac rursum quum [29] additur, *ὑμεῖς ἐν τῷ υἱῷ καὶ ἐν τῷ πατρὶ μενεῖτε.* Ergo ne integrum propterea erit, vel compertam, exploratamque legem, qua Pater Filio praeponitur, negare; vel *ἀξίωμα* Patris hac lege constitutum in controversiam adducere, aut etiam penitus repudiare? consectaria ista forent praepostera et absurda, et ab iis, quae in Scripturis habentur, alienissima. E quibus hoc unum colligi rite potest, vestigandas caussas esse, propter quas uno, alterove loco solemnis usus negligatur, et novus ac plane *ἀνώμαλος* compareat.

155. Jamvero sunt haec non simillima modo, sed iis plane gemina, quibus distinemur. Constat enim de lege, qua Petrus recepto, vulgatoque usu apostolis reliquis anteponitur: constat, eum simpliciter *πρῶτον* dici: constat neque illius legis, neque huius appellationis aliunde caussam repeti posse, quam e singulari Petri dignitate; at simul constat, eum semel non praeponi, sed medium inter Jacobum et Johannem a Paulo collocari. Quid igitur erui ex his debet, si omnia rite, ac uti decet, aestimentur? nullam ne legem esse in recensendis apostolis constanter servatam? vel adesse eam quidem, non eiusmodi tamen, qua Petri *ὑπεροχὴ* comprobetur? qui secum ita statuerent, non apte disserere, sed turpiter praevaricari dicendi forent. Reliquum est ergo, ut iis

[24]) Ad omnem paginam testimonia recurrunt, quibus hic usus comprobatur.

[25]) Cf. Georgium Bullum, Defensionis Fidei Nicaenae Sect. IV.

[26]) Joh. XIV. 28: *Πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα· ὅτι ὁ πατήρ μου μείζων μού ἐστι.* Quae postrema verba Epiphanius Haeres. LXIX. n. 53. sic legit, *ὁ ἀποστείλας με πατήρ, μείζων μού ἐστι:* Athanasius vero et alexandrinus Cyrillus apud Petavium de Trinit. lib. II. cap. II. §. I. sic citant: *ὁ πέμψας με πατήρ, μείζων μού ἐστι.*

[27]) Hinc illud sardicensium patrum in epistola synodica apud Theodoritum H. E. lib. II. cap. VIII: *Οὐδέ τις ἀρνεῖταί ποτε τὸν πατέρα τοῦ υἱοῦ μείζονα, οὐ δι' ἄλλην ὑπόστασιν* (idest, *οὐσίαν*), *οὐ δι' ἄλλην διαφορὰν* (*φυσικήν*), *ἀλλ' ὅτι αὐτὸ τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς μεῖζόν ἐστι τοῦ υἱοῦ.* Ut enim Gregorius nazianzenus Orat. XXXVI. pag. 582. scribit: *Τὸ μεῖζον μέν ἐστι τῆς αἰτίας, τὸ δὲ ἴσον τῆς φύσεως.*

[28]) Gal. I. 1.

[29]) I. Joh. II. 24.

concessis, quae certa sunt, *propriae, peculiaresque caussae* exquirantur, quibus permotus Paulus Petrum alteri semel postposuerit. Et *hac* quidem *conditione* exquirantur, ut eorum, quae indubia sunt, certitudo, sive comperta illa fuerint, sive incomperta manserint, nullatenus periclitetur.

156. Cuius quidem conditionis aequitas nequit non manifestissima videri. Nulla enim est disciplina, scientia nulla, quae anomaliis penitus vacet. Suis obnoxia est anomaliis grammatica, suis philologia, chronologia, archaeologia; neque ab iis soluta sunt ac libera ea quoque physicorum systemata, quae pleniori consensione laudantur. An propterea vel suas regulas grammatici, vel suos canones philologi, chronologi, archaeologi, vel sua systemata physici negligunt et aspernantur? immo suam singuli supellectilem tuentur, caussasque eorum, quae abnormia sunt, ita venantur, ut si illas repererint, in medium promant, sin autem minus, profiteantur, quod profitendum crebro esse, quo sunt doctiores, eo vehementius inculcant: non pauca esse, quae nostram industriam fugiunt, lucemque veritatis ita nobis splendescere, ut umbris, nebulisque non careat, quibus infuscetur.

157. Haec autem, si ad rem praesentem, quemadmodum fieri debet, traducantur; perspicuum erit, obiectum Pauli testimonium eo suapte natura pertinere, ut caussae, siquae inveniri possint, postpositi semel Petri referantur, iisque relatis ostendatur, ne ipsam quidem loquendi *ἀνωμαλίαν* sua funditus ratione destitui. Et adsunt sane eiusmodi caussae, eaeque sin minus certae et evidentes, probabiles [30] tamen, quaeque ad veritatem proxime accedere videantur. Harum aliquot his verbis complexus est [31] Guillelmus Estius: „Jacobum primo loco nominat ad honorem Domini, cuius erat [32] frater; et quia Jerosolymorum episcopus erat, ubi haec gerebantur, idemque maximi nominis apud iudaeos [33] ob sanctitatis opinionem; ut liquet ex Josepho et Hegesippo.“ Haec ille, quibus sane non desunt quae addas. Ac inprimis nihil impedit, quominus arbitremur, Jacobum, Cepham et Johannem eo ordine a Paulo numerari, quem *ratio temporis* postulabat, quo illi primum occurrerunt, illique [34] *δεξιὰς κοινωνίας* praebuisse dicuntur. Cum rei autem veritate omnino consonat, ut Paulus

[30]) Quae omnino sufficere debent, quum non de veritate demonstranda, sed de expedienda difficultate, et anomalia concilianda disputetur.

[31]) In comm. ad Gal. II. 9.

[32]) Idest *consanguineus*, *consobrinus*. Sicut enim hebraeis אח idem crebro valet ac *consanguineus*, ut Gen. XIII. 8, XX. 12, XXIX. 10, XXXI. 23; ita graecis *ἀδελφός*, apud quos *τὰ ἀδελφὰ* universim dicuntur *τὰ ὅμοια*. Unde Theophylactus: *Εἴωθεν ἡ γραφὴ τοὺς συγγενεῖς ἀδελφοὺς ὀνομάζειν*. Et Olympiodorus: *Ἀδελφοὺς καὶ ἀδελφάς, πάντας τοὺς συγγενεῖς, εἴωθεν ἡ θεία προςαγορεύειν γραφή*.

[33]) Qua de re vide quae scribit Josephus Antiquitt. Jud. lib. XX. cap. VIII. al. IX; Hegesippus apud Eusebium H. E. lib. II. cap. XXIII; Clemens alexandrinus apud eumdem lib. II. cap. I; et Hieronymus de Viris Illustribus.

[34]) In pignus amicitiae, et necessitudinis coniunctissimae in praedicando evangelio.

Hierosolymam veniens Jacobum omnium primum obviam habuerit, cum eo contulerit, societatemque iniverit. Reliqui enim, ut impositum sibi propagandae evangelicae lucis munus obirent, ab urbe frequenter aberant, in qua Jacobus, utpote proprius [35] eiusdem pastor, stabilis permanebat. Coniectura est igitur minime negligenda, primum idcirco Jacobum numerari, quod ipse *tempore primus* suam cum Paulo consensionem declaraverit. Quare neque ille praeponitur, quod esset dignior; neque Cephas postponitur, quod reliquis dignitate non antecelleret.

158. Ceterum non aliunde numerationis ratio desumi commodius potest, quam *e consilio*, quo Jacobum, Cepham et Johannem Paulus laudavit. Propositum enim, consiliumque scriptoris [36] instar legis haberi debet, ad quam singula referantur. Quo igitur spectavit Paulus, quum in medium illos adduxit? orationis series, et gravissima Chrysostomi [37] auctoritas dubitare nos non sinunt, eos idcirco allegari, ut ad Legis [38] praescriptum, duorum, triumve testificatione controversia omnis dirimeretur, doctrinaque de abrogata mosaicorum rituum necessitate, quam Paulus tuebatur, in tuto collocaretur. Neminem porro latet, eo ad faciendam fidem aptiores, paratioresque, sin minus *κατ' οὐσίαν*, certe *ἐκ τοῦ συμβεβηκότος*, testes censeri, quo ab ea sententia alieni magis videri poterant, cui tamen suo testimonio patrocinantur. Quis autem prae Jacobo videri potuit aut debuit doctrinae Pauli infensior? prae Jacobo, inquam, episcopo hierosolymitano, quique aliis non praeerat, quam e circumcisione fratribus, iisque [39] legalium observationi addictissimis? fuit ergo cur Paulus neminem Jacobo praeferret, illumque, utpote testem *ἐκ τοῦ συμβεβηκότος* maximum, omnium primum nominaret.

159. Ac fuit item, cur neque Cepham anteponeret, neque potioris auctoritatis, qua praeditus ille erat, meminisset. Universae enim epistolae ratio [40] luculenter ostendit, in id Paulum incubuisse, ut reiectis *ψευδοδιδασκάλων* calumniis, suam apud galatas caussam assereret, eisdemque demonstraret, neque sibi, ad apostolatum quod attinet, quidquam eorum defuisse, quibus ceteri apostoli, iique ipsi potirentur, qui *στύλοι* esse [41] videbantur: neque sibi fraudi fuisse, quod Christum propriis non conspexerit oculis, propriisque auribus lo-

[35]) Quod veteres omnes uno ore confirmant, ut pluribus Petavius, De Ecclesiast. Hierarch. l. I. capp. VII—VIII, ostendit.

[36]) Ac instar legis revera habent qui legitimae interpretationis canones assignant.

[37]) In cap. II. epist. ad Galatas, n. 3.

[38]) Deut. XIX. 15. coll. Matth. XVIII. 16: *Ἵνα ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων ἢ τριῶν σταθῇ πᾶν ῥῆμα.*

[39]) De quo studio lege quae scribuntur Act. XX. 21, et Gal. II. 12.

[40]) Uti liquet ex capitibus I—II—III. 1. seqq. IV. 11—14—16—21, et V. 2.

[41]) Gal. II. 9. Ad quae verba Chrysostomus: *Καὶ οὐ τὸ εἶναι ἀναιρῶν, τοὺς δοκοῦντάς φησιν, ἀλλὰ καὶ τὴν τῶν ἄλλων παραλαμβάνων γνώμην, καὶ λέγων, ὅτι οἱ μεγάλοι καὶ ἐξαίρετοι, καὶ οὓς πάντες πανταχοῦ περιφέρουσιν, οὗτοι μάρτυρές εἰσι τῶν λεγομένων.*

quentem audiverit; ita namque divina revelatione sibi omnia innotuisse, ut non habuerint apostoli [12] quod eum edocerent.

Nemo autem non videt quam male cum hoc controversiae capite cohaereret, vel disertis verbis Cephae tamquam potioris mentionem iniicere, vel ea utcumque interserere, quae apostolorum inaequalitatem significarent. Quod ut plenius intelligatur, reputari animo debet, sermonem Paulo esse de ipso apostolatus munere, deque origine apostolicae doctrinae, eoque suapte natura referri, ut galatis ostendatur, neque ipsi minus quam apostolis ceteris tributam divinitus apostolatus dignitatem convenire, neque aliam esse originem doctrinae, quam ipse, quamque apostoli reliqui praedicarent: unam enim eamdemque esse doctrinam, ac ex uno eodemque divinae revelationis fonte profectam. Porro ad utrumque caput quod pertinet, *apostolatus*, *acceptaeque divinitus doctrinae*, pares omnino erant apostoli, nullo inaequalitatis discrimine secernebantur, nec quidquam inerat Cephae, quod omnibus ex aequo apostolis non competeret. Materies ergo orationi subiecta postulabat, ut de illis Paulus ἀκρίτως loqueretur, omnes uno, eodemque numero haberet, nihilque uni deferret, quod aliis item non tribueret.

160. Quare ex eo quem sequitur numerationis ordine istud erui dumtaxat potest, comparate ad apostolatum, et originem, fontemque apostolicae doctrinae apostolos omnes pares esse, ac nullum Cephae, nullamque alteri cuivis ex apostolis praerogativam convenire, quae communis reliquis omnibus non extiterit. Quis autem sinat, ut inde ulterius inferendo concludatur, *nullo ex capite* Cepham inter reliquosque apostolos sumi discrimen posse? ut concludatur, pares fuisse apostolos comparate ad apostolatum, coelestemque originem doctrinae quam praedicabant; ergo *undequaque* fuisse pares? an quia homines sunt pares comparate ad naturam, qua ὁμοούσιοι dicuntur; propterea *universim* pares existimari debent? adeo ut inaequalitas, quae e communi natura non oritur, eadem proficisci aliunde nequeat? παροράματα ista sunt indigna quae refutentur, quaeque semel detecta, eorum quidem ἀβλεψίαν aperiunt, qui in ea offendunt, sed caussam non iuvant, cuius illi se vindices, tutoresque profitentur.

161. Quam caussam iam abunde profligatam, sua loquendi, scribendique ratione denuo evangelistae subvertere dicendi sunt, quum quae ad Petrum spe-

[12]) Gal. II. 6: Ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προσανέθεντο. Idest, interprete Hieronymo: „Ipse superius cum illis contulit, et multa ad eos retulit, quae in gentibus perpetrarat; illi nihil contulerunt ei, sed tantummodo quae ab eo dicta sunt comprobantes, dexteras dederunt consortii, et unum suum, Paulique evangelium firmaverunt. Rursum notandum, quod προσανέθεντο, idest, *contulerunt*, verbum ipsum sit in graeco, de quo ante tractavimus.“ Tractaverat autem ad v. 2. his verbis: „Ut verius dicam, sermo graecus ἀνεθέμην, aliud quiddam quam apud nos intelligitur, cum scilicet ea quae novimus, conferimus cum amico, et quasi in sinum eius et conscientiam reponimus, ut pari consilio vel probanda sint, vel improbanda quae novimus.“

ctant tam sedulo, tamque diligenter narrando persequuntur. Evolvantur enim illorum commentarii: quid est quod mentem continuo subit? singulare videlicet studium quo ea describunt, quae ad repraesentandam Petri vitam faciunt; adeo ut res, gestaque Petri alterum ab iis locum teneant, quae ad Christum, princeps evangelii *subiectum*, referuntur. Hinc ea cura, qua non illustria solum illius facinora, vèrum etiam vulgaria atque communia litteris consignant: hinc dictorum eius enucleata recensio: atque hinc Petri nomen toties ingeminatum, ut nullum ab Christi et Jesu appellatione frequentius repetatur. Sane in universo novo testamento Johannes, qui tamen crebrius ceteris [43] memoratur, nonnisi *octo supra triginta* vicibus recurrit. Atqui Petrus, ut de evangeliis solum dicam, missaque faciam Acta, litterasque apostolorum, vicibus *viginti tribus* a Matthaeo, *octodecim* a Marco, *viginti* a Luca, et a Johanne *triginta* laudatur. Temere ne atque inconsulto? nemo id in animum induxerit, quum effectus suis neque careant, neque carere caussis possint. Adfuit ergo caussa, quae in iis quae ad Petrum attinent recensendis, exquisitam adeo operam ab evangelistis postulavit. Quaenam vero? illi nempe simillima, quae eos permovit, ut dicta, gestaque Christi diligentissime conscriberent. Similium namque effectuum par est caussas minime dissimiles assignare. Sed summa Christi dignitas effecit, ut ipse, gestaque eius principe in loco haberentur. Potior ergo Petri dignitas, qua reliquis praecellebat apostolis, quaeque erat evangelistis exploratissima, caussa iisdem fuit, ut ipsa scribendi ratione Petrum a ceteris distinguerent, distinctumque demonstrarent.

162. Cui distinctioni demonstrandae illud etiam confert evangelistis usitatissimum, ut si quando ea narrant, quae ab omnibus simul apostolis dicenda, agendave essent, vix non constanter Petrum exhibeant, qui communes partes unus explet, omnium personam induit, ac unus omnium vicibus perfungitur. Omnes ex aequo apostolos Christus [44] interrogaverat: *ὑμεῖς δὲ τίνα με λέγετε εἶναι;* at unus est Petrus, qui [45] respondet: *ἀποκριθεὶς δὲ Σίμων Πέτρος εἶπε.* Omnibus ex aequo apostolis significaverat [46], *ὅτι δυςκόλως πλούσιος εἰςελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.* At unus omnium nomine subiecit [47] Petrus: *ὁ Πέτρος εἶπεν αὐτῷ· ἰδού, ἡμεῖς ἀφήκαμεν πάντα, καὶ ἠκολουθήσαμέν σοι· τί ἄρα ἔσται ἡμῖν;* Coram omnibus [48] parabolam de servo vigilante exposuerat; at unus Petrus pro omnibus [49] sciscitatur: *κύριε, πρὸς ἡμᾶς τὴν παραβολὴν*

[43]) De Paulo non loquor, quum de eo neque loquuti sint, neque loqui evangelistae potuerint. Ceterum licet quatuordecim eiusdem epistolas habeamus, et Lucas maxima Actorum parte de eo uno scripserit; nihilominus quum Petrus in N. T. vicibus *centum octoginta* memoretur, Paulus nonnisi vicibus *centum quinquaginta octo* laudatur.

[44]) Matth. XVI. 15.

[45]) Ibid. v. 16.

[46]) Matth. XIX. 23.

[47]) Ibid. v. 27.

[48]) Luc. XII. 37—40.

[49]) Ibid. v. 41.

ταύτην λέγεις, ἢ καὶ πρὸς πάντας; Et quum duodecim [50] interrogasset: μὴ καὶ ὑμεῖς θέλετε ὑπάγειν; nulla interiecta mora [51], ἀπεκρίθη αὐτῷ Σίμων Πέτρος· κύριε, πρὸς τίνα ἀπελευσόμεθα; ῥήματα ζωῆς αἰωνίου ἔχεις.

Sed quid hac ratione scribendi accommodatius, ne Petrus veluti unus e pluribus habitus existimetur? non est profecto eius, qui aequalis sit, sed qui sit maior, praeire ceteris, communem induere personam, omniumque nomine agere ac loqui. Quod Chrysostomum non latuit, qui propterea [52] scripsit: *Τί οὖν τὸ στόμα τῶν ἀποστόλων ὁ Πέτρος; ὁ πανταχοῦ θερμός, ὁ τοῦ χοροῦ* [53] *τῶν ἀποστόλων κορυφαῖος, πάντων ἐρωτηθέντων, αὐτὸς ἀποκρίνεται.* Unus ergo pro omnibus respondebat Petrus, quod apostolorum esset *κορυφαῖος*, quodque, ut alibi [54] notat, *τὸ πρωτεῖον principatum*, primasque partes inter apostolos obtineret.

CAPUT XV.

Quo proprie spectent duodecim priora Actuum capita: — veterum ea de re opiniones: — eo proprie spectare dicenda sunt, ut orientis ecclesiae, atque in dies latius auctae historiam repraesentent: — de nexu, quo haec historia cum Petri praerogativis cohaeret: — is est arctissimus, quod enucleate ostenditur: — sex universim commemorantur, quibus potior dignitas Petro asseritur.

163. Quum nullibi consilium suum in conscribendo Actuum libro disertis verbis [1] Lucas [2] aperuerit; duplex potissimum via reliqua nobis est, qua de eo

[50]) Joh. VI. 67. al. 68.

[51]) Ibid. v. 68. al. 69.

[52]) In Matth. hom. LIV. al. LV. n. 1.

[53]) Unus codex apud Montfauconium habet, τῶν μαθητῶν κορυφαῖος.

[54]) In Matth. hom. L. al. LI. n. 2.

[1]) Quod Johannes his verbis praestitit cap. XX. 31: „Ταῦτα δὲ γέγραπται, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, καὶ ἵνα πιστεύοντες ζωὴν ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. Quibus et οἰκονομία et θεολογία, et necessitas utriusque credendae significatur.

[2]) In genuina parte homiliae inscriptae, *De ascensione Domini nostri Jesu Christi, et de principio Actorum*, sic habet Chrysostomus T. III. pag. 764. edit. Montfauconii: „Quaerimus ergo, quis hunc Actorum librum adornaverit: πολλοὶ γὰρ εἰς πολλὰς καὶ διαφόρους ἐμερίσθησαν ἐννοίας, varii enim in varias divisi sunt sententias. Alii dicunt eius auctorem esse Clementem romanum, alii Barnabam, alii Lucam evangelistam. Quoniam igitur illi in varias abeunt sententias, ipsum scriptorem pro interprete accipiamus; quisnam ille sit, quid agat, et num de seipso quidpiam significet.“ Tum pergit, argumentisque *internis* demonstrat, non alium quam Lu-

sive coniectura, sive certo etiam ratoque iudicio arbitremur. Ac inprimis ipsa libri *ἐπιγραφή*, quum, auctore [3] Chrysostomo, fas haud sit titulos temere praeterire, illatisque propemodum manibus ad opus ipsum accedere. „Nam quemadmodum in nobis ex capite reliquum corpus fit notius, et superne imminens illi facies manifestum illud reddit; *οὕτω καὶ ἡ ἐπιγραφὴ ἄνωθεν πρὸ τῆς ὑφῆς ἐπικειμένη, ἐπὶ τοῦ μετώπου καταφανέστερον ἡμῖν ποιεῖ τὸ λοιπὸν τῆς γραφῆς*, sic a superiori parte impositus textui titulus in fronte reliquam scripturam efficit notiorem. Nonne hoc videtis in regiis etiam imaginibus, ut sursum quidem posita sit imago, quae regis nomen inscriptum habet; inferius in basi triumphos regis, victorias et praeclara facinora inscripta habet? *οὕτω δὴ καὶ ἐπὶ τῶν γραφῶν ἔστιν ἰδεῖν*, idem in scripturis licet cernere. Sursum quidem depicta est imago regia: inferius autem victoria inscripta est, et tropaea et res omnes praeclare gestae. Ita facimus etiam, cum epistolam acceperimus: non continuo vinculum solvimus, neque continuo, quae intus latent, legimus: sed exterius positam inscriptionem prius percurrimus, et ex illa discimus, et qui miserit, et a quo recipi debeat. *Καὶ πῶς οὐν οὐκ ἄτοπον, ἐν μὲν τοῖς βιοτικοῖς τοσαύτῃ κεχρῆσθαι σπουδῇ, καὶ μὴ θορυβεῖσθαι, μηδὲ ταράττεσθαι, ἀλλὰ κατὰ τάξιν ἕκαστον ἐπιέναι· ἐνταῦθα δὲ ἀσχάλλειν, καὶ εὐθέως ἐπιπηδᾷν τῇ ἀρχῇ;* an non igitur absurdum est, ut in rebus quidem saecularibus tantum studii adhibeamus, neque commoveamur, aut perturbemur, sed ordine singula percurramus; hoc vero loco aegre feramus, et confestim initium aggrediamur?"

164. Mirum est autem, scribit [4] Daniel Heinsius, quot modis liber ipse ab antiquis adducatur: „Interdum enim graecam vocem etiam latini servant. Hilarius ad Matthaeum, ***nam sicut libro Praxeon continetur.*** Interdum *Acta*, et passim *Actus* dicunt. Et quidem *ἑνικῶς*, seu singulariter, nonnumquam. Ut apud Prosperum [5], De praedict. parte III, ***ut testatur Actus apostolorum: nubes eum suscepit, et sublatus est a discipulis.*** Alias, ut graece, multitudinis plerumque numero, quod minus novum. Item, ***Liber, quem de Actibus apostolorum Lucas conscripsit***, Fulgentio, lib. II. De veritate praedestinationis. Item, ***Liber, qui apostolorum Actibus ascribitur.*** Maximus taurinensis, ***Legimus in libro, qui apostolorum Actibus ascribitur.*** Item, ***Liber, qui apostolica continet gesta.*** B. Hieronymus [6], ad Jobi XXIII. ***Super qua re nos***

cam auctorem libri censeri posse. Quae est omnium suffragio comprobata sententia.

[3]) Hom. de inscriptione altaris, quae erat, *ἀγνώστῳ θεῷ*, deque principio Actorum, n. 3. His autem similia scribit in homilia, quam praecedenti adnotatione laudavimus: *Καὶ αὐτὴ ἡ ἐπιγραφὴ πᾶσαν ἐμφαίνει τῶν πραγμάτων τὴν δύναμιν, καί ἐστι προοίμιον ὅλης τῆς πραγματείας τὸ ἐπάγγελμα.*

[4]) Exercitt. Sacr. ad Acta apostolorum, lib. V. cap. I.

[5]) De Promissionibus et Praedictionibus Dei librum in tres partes tributum abiudicant Prospero Usserius, Quesnellus, et critici plerique omnes. Cassiodorius tamen Divin. Lectt. cap. I. Prosperum illius auctorem existimasse videtur.

[6]) Hosce commentarios inter spuria recenset Guilielmus Cave, inquiens: „Com-

canonicus liber novi testamenti, qui apostolica continet gesta, sufficienter instruxit. Nec minus varie graeci. Quibus non modo *βίβλος τῶν πράξεων*, sed et alibi *βίβλοι* numero plurium dicitur. Nec aliter XVI. canone sexti concilii [7] in Trullo. Etiam *ἡ τῶν πράξεων ἱστορία* adversus Eunomium Nysseno, qui *καθάπερ ἐκ τῆς τῶν πράξεων ἱστορίας ἐμάθομεν.* Item in Psalmos. Interdum, *τὸ περὶ τῶν ἀποστόλων σύνταγμα.* Scriptor vitae s. Theclae.“

165. At vero eiusmodi varietas syllabarum potius verborumque, quam rerum et significationis existimari debet; omnes namque tituli istud tandem ostendunt, propositum fuisse Lucae, edito commentario complecti quae praeclare, insigniterque apostoli gesserant. Non enim, ut Chrysostomus [8] monet, dixit *θαύματα ἀποστόλων, σημεῖα ἀποστόλων, ἢ δυνάμεις καὶ τέρατα ἀποστόλων· ἀλλὰ πράξεις ἀποστόλων.* Atqui non idem sunt *πράξεις καὶ σημεῖα, οὐ τὸ αὐτὸ πράξεις καὶ θαύματα, οὐ τὸ αὐτό ἐστι πράξεις καὶ τέρατα καὶ δυνάμεις· ἀλλὰ πολλὴ ἡ διαφορὰ τούτων ἑκατέρων.*

Quod discrimen uberrime continuo explanat, inquiens: „Est enim actum opus propriae cuiusque diligentiae, miraculum vero divini muneris est beneficium. Vides quanta sit inter actum et miraculum differentia? actum est humanorum sudorum effectus, miraculum divinae liberalitatis est specimen: actum a nostra voluntate [9] ducit initium, miraculum a gratia divina trahit originem, et hoc coelestis est auxilii, illud humani est arbitrii. *πρᾶξις ἐξ ἀμφοτέρων ὑφαίνεται, καὶ ἐξ ἡμετέρας σπουδῆς, καὶ ἐκ θείας χάριτος· τὸ δὲ θαῦμα γυμνὴν ἐπιδείκνυται τὴν ἄνωθεν χάριν, οὐδὲν τῶν ἡμετέρων ἱδρώτων δεόμενον.* Actum ex utroque contexitur, ex nostra diligentia et ex gratia divina: miraculum solam exhibet coelestem gratiam, neque sudoribus nostris indiget.“ Ac nonnullis in-

mentarii in Job et Proverbia Salomonis, qui Bedae vulgo tribuuntur, Philippi autem presbyteri potius esse videntur, ex Hieronymi tamen lucubrationibus plurima decerpta habent; nam, ut alia mittam, Faustus, qui circa annum CCCCXXX. scripsit, lib. de Creat. testimonium ex Hieronymo citat, quod in fine Explanat. cap. XXV. Job ad verbum habetur.“

[7]) De qua synodo, quam etiam *Quini-Sextam* dicunt, quid existimandum sit, eruditos non latet.

[8]) Hom. II. in Inscript. Actorum, n. 2.

[9]) *Πρᾶξίς ἐστιν ἐκ τῆς ἡμετέρας προαιρέσεως τὴν ἀρχὴν ἔχουσα, θαῦμά ἐστιν ἐκ τῆς τοῦ θεοῦ χάριτος τὰ προοίμια λαμβάνον, καὶ τὸ μὲν τῆς ἄνωθεν ῥοπῆς, τὸ δὲ τῆς κάτωθεν γνώμης.* Sed nonne pelagiana haec sunt vel semipelagiana? nonne bona etiam opera suum e divina gratia nanciscuntur exordium? nonne ita nos gratia iuvat, et nobiscum cooperatur, ut nos quoque praeparet ac praeveniat? sunt ista certissima, neque tamen Chrysostomi doctrinae contraria. Etenim neque *infinite* principium ipse considerat, neque de principio loquitur, quod in nobis sit sine nobis; sed de principio agit humanorum actuum, de principio deliberato, ac e libera electione profecto. Nemo autem neget, voluntatem, liberamque electionem huius principii originem esse, caussamque determinantem.

teriectis, mox [10] pergit: „*Τὸ θαῦμα μεῖζον μέν ἐστι, καὶ φρικωδέστερον, καὶ τὴν ἡμετέραν ὑπερβαῖνον φύσιν· ἡ δὲ πρᾶξις καὶ ἡ πολιτεία ἔλαττον μὲν τῶν σημείων, χρησιμώτερον* [11] *δὲ καὶ κερδαλεώτερον. πόνων γάρ ἐστιν ἀμοιβὴ καὶ σπουδῆς μισθός. Καὶ ἵνα μάθῃς ὅτι ἡ πρᾶξις τοῦ σημείου κερδαλεωτέρα καὶ χρησιμωτέρα, πρᾶξις μὲν ἀγαθὴ καὶ χωρὶς σημείων εἰς τὸν οὐρανὸν τοὺς κατωρθωκότας εἰςήγαγε· θαῦμα δὲ καὶ σημεῖα χωρὶς πολιτείας οὐκ ἴσχυσε πρὸς τὰ πρόθυρα χειραγωγῆσαι ἐκεῖνα.* Maius quidem est miraculum ac formidabilius, nostramque naturam praetergressum: actio vero et conversatio est quidem signis minor, sed utilior et fructuosior. Est quidem laborum praemium, et diligentiae merces. Atque ut intelligas fructuosiorem esse et utiliorem signo actionem, actio quidem bona etiam sine signis eos a quibus peracta fuerit, introducit in coelum: miraculum autem et signum absque conversatione deducere ad vestibula illa non possunt."

166. Praemissa itaque inscriptione edocemur, id consilii fuisse Lucae, ut illorum historiam complecteretur, quae in condenda, propagandaque ecclesia agendo, patiendoque apostoli praestiterunt. Quod Barthius [12] non male illustravit his verbis: „Apostolorum *acta* inscribuntur velut olim apud gentiles *acta* publica appellabantur, quibus ratio, fidesque imperii gesti, et reipublicae administratae constabat. Vix enim ullus nostrae religionis liber est, qui veritatis doctrinam irrefutabilibus exemplis, et eam sequutae historiae fide tam luculenter explanet. Et certe praeter epistolas apostolorum, quae haec duo miscent, nullus est. Talia commentaria romanis erant, quae *Acta Urbis* inscribebantur, quibus videlicet posteri maiorum fide velut publice deposita instituerentur, quid gestum esset. Lampridius in Commodo: *Habuit praeterea morem, ut ea omnia, quae turpiter, quae impure, quae crudeliter, quae gladiatorie ageret, actis urbis indi iuberet, ut Marius Maximus testatur.* Stante autem republica singuli principes talia brevia rerum abs se gestarum constituebant; ut *acta Pompeii magni* memorantur apud Plinium. Licet vero et *actus* interpretari res memoratu dignas. Capitolinus in Maximo et Balbino: *Sed priusquam de actibus eorum loquar, placet aliqua dicere de moribus atque genere.*"

Propositum, quod *ἐπιγραφὴ* ostendit, *subiecta orationi materies* confirmat, quae tota de curis est, operibus, exhaustisque laboribus, quibus apostoli obtinuerunt, ut ecclesia Hierosolymae primum orta, ad universam deinde Judaeam, Samariam, ipsasque Gentes propagaretur.

167. Sed apostolorum ne omnium? distinctione opus est, pro duplici parte, qua liber manifeste absolvitur. A capite enim tertio-decimo ad calcem usque [13], ea solum Lucas exsequitur, quae vas electionis Paulus, idemque Gentium apostolus et gessit, et tulit, ut salutiferum evangelii lumen, depulsis su-

[10]) Ibid. n. 3.

[11]) In codice colbertino legitur, *χρησιμωτέρα δὲ καὶ κερδαλεωτέρα.*

[12]) Adversar. lib. III. cap. XIII.

[13]) Scilicet integris sexdecim capitibus, si paucissima quaedam exceperis.

perstitionum tenebris, ubivis terrarum diffunderetur. At vero quae duodecim primis capitibus narrat, *communem apostolis historiam* referunt, originemque ecclesiae apud iudaeos, eiusdemque ad samaritanos, gentilesque propagationem repraesentant.

Quare hoc inter utramque libri partem discrimen existit, quod posterior ea continet, quae *ad singulares ecclesias* unius Pauli curis, studiisque institutas pertinent; prior vero historiam exhibet *universalis ecclesiae*, ad quam instituendam, amplificandamque suam apostoli omnes [14] operam contulerint. Quod mihi videor efferre brevius ita posse: altera parte *historiam particularem*, priore vero *universalem* ecclesiae, apostolorumque *historiam* comprehendi.

168. Haec autem quum ex ipsa libri lectione explorata, certaque sint, normae instar adhiberi debent, qua veterum sententiae de σκοπῷ, consilioque Lucae iudicentur. Jamvero sulcensis Euthalius in προλόγῳ τῶν πράξεων hac de re [15] scribit: Ἔστιν οὖν ὁ πᾶς λόγος τοῦδε τοῦ τεύχους περί τε τῆς μετὰ τὴν ἀνάστασιν εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἀνόδου τοῦ Χριστοῦ, καὶ περὶ τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος εἰς τοὺς ἁγίους ἀποστόλους ἐπιφοιτήσεως, ὅπως τε, καὶ ὅποι τὴν εἰς Χριστὸν εὐσέβειαν κατήγγειλαν οἱ μαθηταί, καὶ ὅσα διὰ προσευχῆς, καὶ τῆς εἰς αὐτὸν πίστεως ἐθαυματούργησαν, καὶ περὶ τῆς οὐρανόθεν θείας κλήσεως τοῦ Παύλου, ἀποστολῆς τε αὐτοῦ, καὶ κηρύγματος εὐθαλοῦς, καὶ συλλήβδην εἰπεῖν, περὶ ὧν ἤθλησαν οἱ ἀπόστολοι διὰ Χριστὸν πολλῶν τε, καὶ μεγίστων κινδύνων. Idest e paullo liberiore Zaccagnii versione: „In quo (Actuum libro) quidem auctor Christi ad caelos ascensum, et divini Spiritus super sanctos apostolos adventum describit. Narrat praeterea quot et quales discipuli christianam fidem praedicaverint, quantaque miracula per orationem et fidem in Christum patraverint. Denique de caelesti ac divina Pauli vocatione agit, deque eius apostolatu, atque fructuosissima praedicatione, et ut uno verbo dicam, de multis, maximisque periculis, quae propter Christum apostoli subierunt.“ In ὑποθέσει vero [16] τοῦ βίβλου τῶν πράξεων τῶν ἀποστόλων, inquit: πράξεις ἀποστόλων τὸ βιβλίον καλεῖται, ἐπειδὴ τὰς πράξεις ὁμοῦ τῶν ἀπο-

[14]) Antequam ab invicem discederent, et per universum orbem evangelium praedicaturi diffunderentur. Quae dum scribo, animo succurrunt quae Clemens alexandrinus e *Doctrina Petri* in sexto Stromatum recitat: *Διὰ τοῦτό φησιν ὁ Πέτρος, εἰρηκέναι τὸν κύριον τοῖς ἀποστόλοις· ἐὰν μὲν οὖν τις θελήσῃ τοῦ Ἰσραὴλ μετανοήσας διὰ τοῦ ὀνόματός μου πιστεύειν ἐπὶ τὸν θεόν, ἀφεθήσονται αὐτῷ αἱ ἁμαρτίαι. Μετὰ δώδεκα ἔτη ἐξέλθετε εἰς τὸν κόσμον, μή τις εἴπῃ· οὐκ ἠκούσαμεν. Post duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat: non audivimus.* Quibus adamussim respondent, quae ex Apollonio vetustissimo scriptore, ab eoque ὡς ἐκ παραδόσεως scripta Eusebius refert H. E. lib. V. cap. XVIII: *Τὸν Σωτῆρα προςτεταχέναι τοῖς αὐτοῦ ἀποστόλοις, ἐπὶ δώδεκα ἔτεσιν μὴ χωρισθῆναι τῆς Ἱερουσαλήμ, Salvatorem apostolis suis praecepisse, ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent.*

[15]) In collectaneis monumentorum veterum, edente Alexandro Zaccagnio, pag. 410.

[16]) Ibid. pagg. 421. seqq.

στόλων περιέχει. *Acta apostolorum hic liber vocatur, quoniam gesta omnium simul apostolorum continet.*

169. Sunt ista verissima, minus tamen quam par foret, enucleata et circumscripta, atque adeo huiusmodi, quae vim ipsam libri, ac prope *οἰκονομίαν* non penitus declarant. Quod de iis etiam repetendum arbitror, quae Chrysostomus [17] affirmat, dum caussam aperiens quae priscos ecclesiae antistites permovit, ut publicam Actorum lectionem diebus adsignarent, quae Christi *τὸν σταυρὸν καὶ τὴν ἀνάστασιν* consequuntur, inquit: „Cur igitur non illa tum (post sancti Spiritus adventum) legamus, sed statim post crucem et resurrectionem, caussam omnem diligenter attendite. Statim post crucem, resurrectionem Christi annunciamus, *τῆς δὲ ἀναστάσεως ἀπόδειξίς ἐστι τὰ σημεῖα τὰ ἀποστολικά, τῶν δὲ σημείων ἀποστολικῶν διδασκαλεῖόν ἐστι τοῦτο τὸ βιβλίον. ὃ τοίνυν μάλιστα πιστοῦται τὴν ἀνάστασιν τὴν δεσποτικήν, τοῦτο μετὰ τὸν σταυρὸν καὶ τὴν ζωηφόρον ἀνάστασιν εὐθέως οἱ πατέρες ἐνομοθέτησαν ἀναγινώσκεσθαι:* porro demonstratio resurrectionis miracula sunt apostolica; *atqui nihil aliud est liber iste, quam apostolicorum schola miraculorum.* Quod igitur dominicae resurrectionis maxime fidem facit, hoc statim post crucem et vitae largitricem resurrectionem patres legi statuerunt.“ A quibus vix ista differunt quae alibi [18] scribit: *„Καὶ γὰρ τοῦτο μάλιστά ἐστι τουτὶ τὸ βιβλίον, ἀπόδειξις ἀναστάσεως. τούτου πιστευθέντος, ὁδῷ καὶ τὰ ἄλλα προύβαινεν. Ἡ μὲν οὖν ὑπόθεσις, καὶ ὁ τοῦ βιβλίου σκοπὸς ἅπας, ὡς ἄν τις παχυμερῶς συλλαβὼν εἴποι, οὗτος μάλιστά ἐστιν.* Hic quippe liber inprimis est resurrectionis demonstratio: qua credita, cetera facile succedunt. Argumentum ergo et scopus huius libri, ut summatim dicam, hic potissimum est.“

170. Sed neque *σκοπὸς* demonstrandae resurrectionis e libri lectione deprehenditur: neque liber ipse censeri potest miraculorum *συλλογή*, quum miracula pars sint, neque omnino maxima eorum, quibus liber componitur. Ergo ne vitio vertemus Chrysostomo, quod in definiendo Actorum scopo a veritate deflexerit? accusationem minus aequam ille a se deprecatur, dum scribit: *ὡς ἄν τις παχυμερῶς* [19] *συλλαβὼν εἴποι:* quae negligentius Montfauconius vertit, *ut summatim dicam;* reddenda namque sunt, *si qui rei summam pinguiori minerva complectatur.*

Quare multa sunt nostris similiora, et propius ad veritatem accedunt, quae Chrysostomus [20] de eodem libro paullo antea subtilius monuerat inquiens: *„Καὶ γὰρ τὰς προῤῥήσεις, ἃς ἐν τοῖς εὐαγγελίοις ὁ Χριστὸς προαναφωνεῖ, ταύτας εἰς ἔργον ἐξελθούσας ἐνταῦθά ἐστιν ἰδεῖν, καὶ ἀπ' αὐτῶν τῶν πραγμάτων διαλάμπουσαν τὴν ἀλήθειαν, καὶ πολλὴν τῶν μαθητῶν τὴν ἐπὶ τὸ βέλτιον μεταβολὴν τὴν ἀπὸ τοῦ πνεύματος αὐτοῖς ἐγγενομένην.* Quae enim

[17]) Homil. cur in Pentecoste Acta legantur, n. 6.

[18]) In Acta Apostol. hom. I. n. 2.

[19]) Vel *παχυτερῶς*, ut eadem significatione alii codices legunt.

[20]) In Acta Apostol. hom. I. n. 1.

Christus in evangeliis praedixit, heic opere completa videre est; veritatem ex rebus ipsis splendentem, discipulosque post acceptum Spiritum-sanctum in melius longe commutatos. Nam quae a Christo audierant [21] dicente: *Omnis qui crediderit in me, signa quae ego facio, et ipse faciet, et his maiora faciet;* et ea quae praedixit [22] discipulis, quod ante praesides et reges ducendi essent, quod in synagogis flagellandi, quod intollerabilia passuri, et his omnibus superiores futuri essent, quod item evangelium praedicandum foret in universo mundo; *ταῦτα πάντα μετὰ ἀκριβείας ἁπάσης ἐκβεβηκότα ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ ἐστὶν ἰδεῖν, καὶ πλείονα τούτων ἕτερα ἅπερ εἴρηκεν αὐτοῖς συνών:* haec omnia accuratissime completa in hoc libro cernere licet, nec non his plura quae cum discipulis versans Dominus dixerat. Videbis heic apostolos ceu volucres per terram et maria discurrentes: illosque olim timidos et rudes, in alios homines repente mutatos, divitiarum contemtores, gloria, ira, concupiscentia, ceterisque omnibus superiores effectos: multam videbis inter ipsos concordiam, nullam invidiam, ut olim, nullam ob primatus desiderium contentionem...... Quin et dogmata quaedam in hoc libro reperire licet, quae nisi scriptus ille fuisset, nulli ita perspicua et plana fuissent."

171. Quibus nihil dici profecto potuit ad libri commendationem opportunius, nihil quod illius utilitatem splendidius manifestaret. Sane evangeliis, Actisque mutuo collatis, nemo, opinor, a nobis dissentiet, si dixerimus: evangeliis *historiam capitis*, Actis *historiam mystici corporis* describi; evangeliis *historiam Christi*, Actis *ecclesiae historiam* referri. Hinc unum, idemque est evangeliorum, Actorumque initium, ac ex uno, eodemque fonte divina capitis, eiusque corporis historia repetitur.

Incipit [23] historia capitis ex illapsu Spiritus-sancti, quo factus est Christus, et [24] *„γένος ἐγένετο ἐν θεοῦ καὶ ἀνθρώπων,* genus unum factum est Dei atque hominum. Quemadmodum enim separatas partes iungit cognatio, et is qui quempiam non novit, ex unius viri cum muliere coniunctione, duas familias totas copulat, ita ut ille consobrinus, ille avunculus constituatur; *οὕτως ἀναλαβόντος σάρκα Χριστοῦ, διὰ τῆς σαρκὸς ἐγένετο πᾶσα ἡ ἐκκλησία συγγενὴς Χριστοῦ, Παῦλος Χριστοῦ συγγενής, Πέτρος, πᾶς πιστός, πάντες ἡμεῖς, πᾶς εὐσεβής. διὰ τοῦτο λέγει Παῦλος· γένος οὖν θεοῦ ὑπάρχοντες,* sic Christo carnem assumente, per carnem tota ecclesia Christi cognata effecta est: Paulus est Christi cognatus, Petrus item, omnisque fidelis, nos omnes, quivis pius. Ideo dicit [25] Paulus, *genus ergo cum simus Dei......* Et alibi rur-

[21]) Joh. XIV. 12.

[22]) Matth. X. 18.

[23]) Luc. I. 35. coll. Matth. I. 18.

[24]) Chrysostomus in Ascens. D. N. J. Ch. et in princip. Act. hom. II. n. 16. Neque aliter Athanasius sive in libro de Incarnat. Verbi: *ipse Filius naturam assumpsit humanam, ἵνα ἡμεῖς θεοποιηθῶμεν, ut nos deificaremur;* sive in epistola ad Adelphium: *Γέγονεν ἄνθρωπος, ἵνα ἡμᾶς ἐν ἑαυτῷ θεοποιήσῃ, homo factus est, ut nos in seipso deificaret.*

[25]) Act. XVII. 28—29: *Ὡς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι· τοῦ*

sum [26], *nos sumus corpus Christi, et membra ex parte, ex carne eius; ἀντὶ τοῦ διὰ τὴν σάρκα, ἣν ἀνέλαβεν, συγγενεῖς αὐτοῦ ἐσμεν:* scilicet propter carnem, quam assumsit, cognati eius sumus."

Non aliunde incipit historia corporis, sed ex eodem profecta fonte divinum exhibet Spiritum, qui [27] in magistros primum, ac in discipulos postea illapsus, omnes provehit, elevatque, suique facta veluti copia, *τὴν ἡμῶν ἀνάλογον θέωσιν* [28] impertit. Quod Nazianzenus his verbis praeclarissime [29] significavit: „Trifariam apostolis datus est Spiritus, prout ipsorum captus ferebat, tribusque temporibus: nempe antequam Christus per passionem glorificaretur: postquam resurrectione glorificatus est: post eius in caelum adscensum ..... Hoc autem perspicue ostendit, tum prima illa morborum, spirituumque depulsio, quae scilicet non absque Spiritu fiebat; tum illa post confectum salutis nostrae negotium insufflatio, quae divinioris procul dubio inspirationis specimen habebat; tum postremo praesens haec ignearum linguarum divisio, quam etiam solemni festo celebramus. *Ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον ἀμυδρῶς· τὸ δὲ δεύτερον ἐκτυπώτερον· τὸ δὲ νῦν τελεώτερον, οὐκ ἔτι ἐνεργείᾳ παρὸν ὡς πρότερον· οὐσιωδῶς δέ, ὡς ἂν εἴποι τις, συγγινόμενόν τε, καὶ συμπολιτευόμενον. Ἔπρεπε γὰρ υἱοῦ σωματικῶς ἡμῖν ὁμιλήσαντος, καὶ αὐτὸ φανῆναι σωματικῶς, καὶ Χριστοῦ πρὸς ἑαυτὸν ἐπανελθόντος, ἐκεῖνο πρὸς ἡμᾶς κατελθεῖν, ἐρχόμενον μὲν ὡς κύριον, πεμπόμενον δέ, ὡς οὐκ ἀντίθεον.* Verum primo quidem obscure, secundo expressius, nunc vero perfectius: ut qui non iam operatione sola praesens sit, ut antea, sed *substantiali*, ut sic loquar, *modo* adsit, ac simul versetur. Decebat enim ut, quum Filius corpoream nobiscum consuetudinem habuisset, Spiritus quoque corporeo nobiscum modo versaretur: et quum Christus ad sese reversus esset, ille ad nos descenderet; ita quidem, ut et tamquam Dominus veniret, et tamquam Deo nequaquam oppositus, mitteretur." Qua missione, spiritali potissimum [30] ac interna, ipsemet nos sui participatione sanctificaret. Ut enim Cyrillus [31] loquitur: „*Αὐτουργὸν* [32] *ἄρα τὸ πνεῦμα ἐν ἡμῖν, ἀληθῶς ἁγιάζον,*

γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. γένος οὖν ὑπάρχοντες τοῦ θεοῦ, κ. τ. λ. Quae in subiectis annotationibus Johannes Pricaeus pluribus illustrat.

[26]) I. Cor. XII. 12—17. coll. Ephes. IV. 16.

[27]) Act. II. 1—5.

[28]) Qua phrasi utitur Pseudo-Dionysius de caelesti Hierarchia, cap. I. §. III; qui de ecclesiast. Hierarchia, cap. I. §. II. memorat *ἱερὰν θέωσιν*, et §. III. quid sit *θέωσις*, his verbis explanat: *Θέωσίς ἐστιν ἡ πρὸς θεόν, ὡς ἐφικτόν, ἀφομοίωσίς τε καὶ ἕνωσις. Deificatio est cum Deo, quoad eius fieri potest, assimilatio et coniunctio.*

[29]) Orat. in Pentecosten, pag. 712.

[30]) De hac Spiritus missione lege disserentem Petavium, de Trinit. lib. VIII. capp. IV. seqq.

[31]) Thesaurorum, lib. XXXIV. pag. 352.

[32]) Proprie *αὐτουργεῖν* est *per se, suaeque substantiae communicatione sanctificare.* Quod ibidem Cyrillus *negando* declarat, inquiens: *Καὶ περιττόν, ὡς φαίνεται, τὸ διὰ μέσου τινὸς ἁγιάζεσθαι τὴν κτίσιν, οὐκ ἀπαξιούσης τῆς τοῦ θεοῦ φύ-*

καὶ ἑνοῦν ἡμᾶς ἑαυτῷ διὰ τῆς πρὸς αὐτὸ συναφείας, θείας τε φύσεως ἀποτελοῦν κοινωνούς. Spiritus-sanctus per seipsum in nobis operatur, vere sanctificans et uniens nos sibimetipsi, dum nos secum copulat, ac divinae naturae participes reddit."

172. Jamvero si duodecim priora Actuum capita historiam continent orientis ecclesiae, gestaque complectuntur, quibus eiusdem initiis, incrementis, structurae, gubernationisque formae apostoli prospexerunt; dubitari non potest, quin ea cum quaestione de Petri praerogativis arctissime copulentur. Historicae enim Actuum narrationes, quibus *exequutio* promissionum, consiliorumque Christi refertur, eo suapte natura pertinent, ut si quae de ecclesia administranda, eiusque regendae forma minus fortasse luculenter in evangeliis *praenunciata* legerentur, eadem, historiae face veluti accedente, plane clarescant, novoque lumine perfundantur. Proprium namque est *exequutionis*, ut *institutionem* declaret, rationemque suppeditet, qua verba ipsa *institutionis* et tutius determinentur, et facilius intelligantur. Quae quidem, si ad praesentem quam versamus quaestionem, traducantur, prorsus innotescet, evangeliorum effata [33], quae de instituto divinitus primatu exponenda esse docuimus, accipi aliter non posse, ne *exequutio* in Actis contenta ab iis quae evangelia referunt, dissidere videatur.

173. Sane habeatur veluti ὑπόθεσις anceps adhuc atque incerta, utrum in evangeliis testimonia extent, quibus Petrus apostolorum caput atque princeps *institutus* significetur. Quid facto opus esset, ut ea ὑπόθεσις non iam dubia et anceps, sed certa, explorataque θέσις censeretur? quid exspectari a Petro merito deberet, si in apostolos ceteros ἡγεμονίαν a Christo revera accepisset? omnes, puto, ab eo exspectarent, ut ipse nulli secundus, reliquis praeiret, dissidia tolleret, controversias expenderet, expensasque dirimeret, flagitia, si quae contraherentur, puniret, communi disciplinae advigilaret, omnibus consilio et auctoritate praesto esset, nullamque earum partium omitteret, quae praepositum decent, munusque capitis, universalisque rectoris comitantur. Quod iudicium ipsius rei perspicuitate, evidentiaque expressum demonstrat, duplicem patere viam, *absolutam* alteram, atque alteram *hypotheticam* [34], qua ex Actorum historia de instituto in evangeliis Petri primatu certissime statuatur.

ανθρωπίας καὶ μέχρι τῶν ἐλαχίστων διϊκνεῖσθαι, καὶ ἁγιάζειν αὐτὰ διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Et superfluum videtur, per medium aliquod creaturam sanctificari; nam ipse Deus pro sua in homines benevolentia, ad minima usque pervenit, et sanctificat per sanctum Spiritum.* Declarat vero *affirmando*, quum lib. IX. in Joh. pag. 810. tradit, participatione Spiritus homines sanctificari, ποιότης ὥσπερ τις θειότητος ἐν ἡμῖν γινόμενον, καὶ ἐν τοῖς ἁγίοις κατοικοῦν, καὶ ἀπομένον διὰ παντός, *veluti si qualitas quaedam divinitatis in nobis insit, et in sanctis habitet, iugiterque maneat.*

[33]) nn. 14. seqq.

[34]) Duplici hac via critici passim ac philosophi utuntur. Critici, quum ita disserunt: „Si opus aliquod, Ignatii epistolae, germanum est, hos praeferat characteres oportet. Praefert autem. Est ergo germanum." Et vicissim: „Opus aliquod,

174. Et via quidem *hypothetica* haec est: „Si Christus in evangeliis eam ecclesiae administrandae formam, rationemque praefinivit, quae ad Petrum, tamquam principem, caputque conspicuum revocaretur; huius institutionis *usus*, *exercitium*, *ἀποτέλεσμα* extare in Actis debet. Extat autem. Eam igitur Christus ecclesiae formam in evangeliis instituit, quae ad Petrum, veluti ad principem, conspicuumque caput rediret."

Succedit altera via, eaque *absoluta*, quaeque proponi sic potest: „Quae nemo exspectaret a Petro, nisi apostolorum omnium caput esset: quaeque sibi a Petro iure omnes pollicerentur, si eum a Christo omnibus praepositum agnoscerent; illa ipsa sunt, quae in apostolorum Actis non seorsum ac divisim, sed simul ac coniunctim de Petro narrantur. Ea igitur est orientis ecclesiae historia primae Actorum parti consignata, quae Petri primatum postulat, eoque negato, iisque aliter acceptis, quae de eiusdem institutione in evangeliis habentur, explicari, intelligive non potest."

Utraque concludendi via atque ratio perspicua est, decretoria, omnemque e medio controversiam tollit, dummodo tamen ea in Actis revera narrentur, quae comprehensa iisdem affirmamus. Comprehendi vero, effici dupliciter potest, *universim* primum atque *infinite*; *per partes* deinde ac *seorsum*. Ab eo auspicabimur demonstrationis modo, quem *infinitum*, *universalemque* diximus.

175. Igitur quod ex evangeliis [35] adnotavimus, id transferri ad Actus debet; crebrius unum Petrum, quam reliquos simul apostolos in iis commemorari. Sane Petrus plus quam *quinquagies*, alii vero rarissime occurrunt; et qui saepius laudantur, Johannes et Jacobus, ille *septies* vel *octies*, hic *ter*, *quaterve* nominatur. At nonne omnium texitur historia? nonne refert Lucas, quae communi studio, coniunctisque laboribus in exstruenda ecclesia apostoli omnes praestiterunt? dubio procul, quum inde etiam non ultimum inter primam, alteramve libri partem discrimen repetatur. Qui ergo fit, ut Petrus *tam crebro*, reliqui sive simul, sive seorsum *tam raro* laudantur? inde fit, quod post gloriosam ascensionem Petrus *prae undecim ἀναλόγως* fuerit, quod *prae universo collegio* Christus adhuc visibilis extiterat: quod Petrus *caput* esset, reliqui, tamquam *membra*, eidem subiicerentur.

176. Quam apostolorum *ὑπόταξιν*, Petrique vicissim *ὑπεροχὴν* clarius, evidentiusque Lucas in Actis ostendit, quum quoties una cum reliquis Petrum recensuit, illi toties [36] primas detulit, illumque principe loco commemoravit.

Ignatii epistolae, ea omnia et sola continet, quae genuino, sinceroque operi conveniunt. Est ergo genuinum opus atque sincerum." Philosophi vero dum ita colligunt: „Si corpora gravitate impellerentur, hac neque alia lege sibi permissa spatium decurrerent. Decurrunt autem. Impelluntur ergo gravitate." Et vicissim: „Corpora sibi permissa ea lege spatium absolvunt, qua illud decurrerent, si gravitate urgerentur. Urgentur ergo."

[35]) n. 161.

[36]) Argumentum huic simillimum ex evangeliis deprompitum superius adhibuimus.

Non raro ac infrequenter, sed omnino pluries Lucae usuvenit [37], ut de Petro simul, ceterisque apostolis verba faceret. Atqui ne semel quidem alias illi partes tribuit quam primas, neque alterum ei locum quam principem adsignavit. Modo plane ab eo non dissimili, qui tum evangelistis solemnis est, quum de Christo, eiusque apostolis, discipulisque loquuntur. Sicut enim hi numquam Christum non praeferunt, ita Petrum Lucas semper anteponit. Ut significaret, opinor, non unam, eamdemque Petri, ceterorumque apostolorum dignitatem existimari posse.

177. In qua sententia tum etiam lectores suos confirmasse Lucas dicendus est, quum ita sermonem, scriptionisque formam temperavit, ut de Petro *in recto*, de apostolis vero ceteris *in obliquo*, ut aiunt, loqueretur. Speciminis ergo ista sint [38]: *ἀναστὰς Πέτρος ἐν μέσῳ τῶν μαθητῶν, εἶπεν: σταθεὶς δὲ Πέτρος σὺν τοῖς ἕνδεκα: εἶπόν τε πρὸς τὸν Πέτρον καὶ τοὺς λοιποὺς ἀποστόλους: ἀτενίσας δὲ Πέτρος εἰς αὐτὸν σὺν τῷ Ἰωάννῃ:* et *ἀποκριθεὶς δὲ Πέτρος καὶ οἱ ἀπόστολοι, εἶπον.* Sed quam, quaeso, scriptionis formam deligere Lucas debebat, ut opinionem de omnimoda inter apostolos *ἰσοτιμίᾳ* refutaret? ut Petrum omnibus praepositum ostenderet, iisque etiam, qui morosiores sunt, satisfaceret? vel ea, quam delegit, huic rei par est, vel nulla, quae par sit, reperiri posse videtur.

178. Praesertim quum et illud accedat, unum Petrum loquentem, respondentemque describi, quum res ferret, ut omnes ex aequo apostoli suam mentem, sententiamque aperirent. Non unum Petrum, sed omnes simul apostolos convicia appetebant, quae [39] in illos ab incredulis iudaeis iactabantur; nihilominus [40] ille unus stetit, unus extulit vocem, prolixaque oratione ad saniorem mentem populum revocavit. Non unum Petrum perculsa dolore concio interrogavit,

[37]) Act. I. 13, II. 14, III. 1—3, IV. 19, VIII. 14.

[38]) Act. I. 15, II. 14, II. 37, III. 4, V. 29. Est autem, uti opinor, animadversione non indignum, in vetustissimis quoque apocryphis monimentis, et evangeliorum, actuum, apocalypseon titulis insignibus, eamdem de Petro loquendi formam servari, eademque perspicuitate Petrum ab apostolis reliquis distingui, iisque praeponi. Exemplorum segetem dabunt quae Ernestus Grabius Tom. I. Spicilegii, et Albertus Fabricius in Codice apocrypho N. T. collegerunt. In evangelio secundum Hebraeos, referente Ignatio ad Smyrnaeos n. 3, et explanante Hieronymo in Catalogo Scriptt. ecclesiast. n. 27, Petrus *significatur*, *adsignificantur* reliqui his verbis: *Ὅτε πρὸς τοὺς περὶ Πέτρον ἦλθεν, ἔφη αὐτοῖς.* Idem occurrit in antiquissimo additamento ad Marc. XVI. 8, cuius meminere Beza, et Richardus Simonius H. Crit. N. T. lib. I. cap. XI, et Diss. de Mss. N. T. pag. 28: *Πάντα δὲ τὰ παρηγγελμένα τοῖς περὶ τὸν Πέτρον συντόμως ἐξήγγειλαν.* Clementina vero Epitome de gestis s. Petri hanc praefert inscriptionem: *Κλήμεντος ἐπισκόπου Ῥώμης περὶ πράξεων, ἐπιδημιῶν τε, καὶ κηρυγμάτων τοῦ ἁγίου καὶ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου ἐπιτομή.*

[39]) Act. II. 13.

[40]) Ibid. v. 14.

sed [41] ad Petrum, ceterosque apostolos conversa petiit, *τί ποιήσωμεν, ἄνδρες ἀδελφοί;* nihilominus e vestigio subditur [42], *Πέτρος δὲ ἔφη πρὸς αὐτούς*. Edito miraculo, quo [43] claudus *ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ* sanatus fuit, ad Petrum iuxta ac Johannem [44] populus confluxit, *συνέδραμε πρὸς αὐτοὺς πᾶς ὁ λαός*. Nihilominus [45] unus est Petrus, qui populum alloquitur, communemque caussam in se recipit, *ἰδὼν δὲ Πέτρος ἀπεκρίνατο πρὸς τὸν λαόν*.

A ceteris particulatim commemorandis abstineo, illa indicasse [46] contentus, idque infero quod est ex antecedentibus consequens: exhiberi iugiter Petrum, ut qui *στόμα τῶν μαθητῶν* fuerit, primas semper partes occuparit, sententiamque suam ita protulerit, ut communem esse apostolis reliquis significaverit.

179. Quo autem iure, quove potissimum nomine illum ita se gessisse arbitrabimur? iactantia ne, insitoque naturae fervore? sed non aliam rudis adhuc, imperfectusque, ac aliam plenus cum esset Spiritu-sancto rationem inivit. Neque iactantiae igitur, neque ingenio ardentiori ea potest adscribi. An ideo vel aetati, vel etiam *πρωτοκλήσει* tribuetur? sed commenta haec esse, iampridem comprobavimus, et rursum comprobabimus, spemque alimus, futurum neminem paullo cordatiorem, qui hisce admodum fidat.

Quid igitur est reliquum? superest institutio primatus, quam evangelia continent, Actorumque historia confirmat.

180. Ad quam confirmationem et illud referendum est, quod Lucas, quum ea subtiliter persequatur, ampliterque describat, quae propria sunt Petri; ea contra, quae ad ceteros spectant apostolos, innuit potius quam narrat. Innuit dumtaxat a) reliquorum conciones; at vero Petri sermones integros refert, illosque uti principem historiae materiam delegisse videtur. Innuit dumtaxat b) edita a ceteris portenta; at vero singulatim [47] recenset, quae Petrus ad tuendam, stabiliendamque fidem perpetravit. De iis c) qui aliorum opera ad christiana instituta accesserint, nonnisi paucissima habet; sed pluribus notat quos Petri magisterium fructus pepererit, et quantopere ad ecclesiae incrementa contulerit. Postremo d) si memoria reputentur, quae in *ὑποθέσει τοῦ βιβλίου τῶν πράξεων τῶν ἀποστόλων* Euthalius [48] enumerat, et quibus duodecim priora Actorum capita constare docet; mirum nisi pleraque omnia ad unum spectare Petrum videantur.

181. E quibus perspicue similitudo apparet, quae inter Actorum, evangeliorumque historiam existit. Sicut enim haec merito ***historia Christi;*** sic illa ***Petri historia*** merito [49] nuncupatur. Quemadmodum enim utramque evange-

[41]) Ibid. v. 37.

[42]) Ibid. v. 38.

[43]) Act. III. 2.

[44]) Ibid. v. 11.

[45]) Ibid. v. 12.

[46]) Cf. Act. IV. 6—7, V. 2—3, ...

[47]) Habes ista diligenter ab Oecumenio recensita.

[48]) Apud Zaccagnium, pagg. 421—424.

[49]) Hinc ea quoque apocrypha Acta, quae Varadatus, saeculi V. monachus, in epistola ad Leonem imperatorem dicit *Acta*

liorum paginam Christus, ita utramque Actorum paginam occupat Petrus. De quo sunt ista Chrysostomi [50] sane praeclarissima: „Ὅρα πανταχοῦ αὐτὸν περιτρέχοντα, καὶ πρῶτον εὑρισκόμενον· ὅτε ἑλέσθαι ἔδει τὸν ἀπόστολον, οὗτος πρῶτος· ὅτε διαλεχθῆναι τοῖς ἰουδαίοις περὶ τοῦ μὴ μεθύειν· ὅτε θεραπεῦσαι τὸν χωλόν· ὅτε δημηγορῆσαι, οὗτος πρὸ τῶν ἄλλων ἐστίν· ὅτε πρὸς τοὺς ἄρχοντας, οὗτος· ὅτε πρὸς Ἀνανίαν, ὅτε ἀπὸ τῆς σκιᾶς ἰάσεις ἐγίνοντο, οὗτος ἦν. καὶ ἔνθα μὲν ἦν κίνδυνος, οὗτος· καὶ ἔνθα οἰκονομία. ἔνθα δὲ γαλήνης τὰ πράγματα γέμει, κοινῇ πάντες· οὗτος οὐκ ἀπῄτει τιμὴν μείζονα. πάλιν ὅτε θαυματουργῆσαι ἔδει, αὐτὸς προπηδᾷ. ‹ Vide illum ubique circumcursantem, et primum inventum; ubi eligendus erat apostolus, hic primus fuit; quum dicendum erat iudaeis non ebrios esse apostolos, quum claudus sanandus fuit, quando erat concionandum, hic ante alios erat; quando agendum cum praefectis, quando cum Anania, et quum umbra sanationes fierent. Ubi periculum imminet, hic adest, et ubi quaedam dispensanda sunt. Ubi vero tranquillae res sunt, in communi omnes; hic maiorem non appetit honorem. Rursum quum miracula edere oportebat, ille prosiliebat.“ Quae nisi Petrum praecelluisse ceteris ostendant, quid ad probandum faciat, me ignorare profiteor.

182. Neque tamen omittam, quae Chrysostomus alibi [51] notat, quaeque rei illustrandae conferre non minimum possunt. Actorum enim inscriptione memorata, quae [52] communem apostolorum historiam polliceri videbatur, subdit: „Ἀλλ' εἴ τις ἀκριβῶς ζητήσειεν, τὰ μὲν πρῶτα τῆς βίβλου Πέτρου ἐκφαίνει θαύματα καὶ διδασκαλίαν, ὀλίγην δὲ καὶ τῶν λοιπῶν ἀποστόλων· καὶ μετὰ ταῦτα εἰς Παῦλον κενοῦται πᾶσα ἡ πραγματεία. Sed si quis rem accurate scrutetur, quae prima feruntur in libro, Petri miracula et doctrinam exhibent, pauca de reliquis apostolis; post haec vero de Paulo totus liber absolvitur.“ Verum pergit, si res ita se habet, πῶς πάντων τῶν ἀποστόλων αἱ πράξεις; *quo pacto omnium apostolorum sunt acta?* ac reponit: „Ἐπειδὴ κατὰ τὸν Παῦλον δοξαζομένου μέλους ἑνός, συνδοξάζεται πάντα τὰ μέλη, οὐκ ἐπέγραψεν ὁ ἱστοριογράφος πράξεις Πέτρου καὶ Παύλου, ἀλλὰ πράξεις τῶν ἀποστόλων, κοινὸν [53] τὸ ἐπάγγελμα. ‹ Quoniam, auctore Paulo, quum gloria afficitur unum membrum, gloria item afficiuntur omnia membra; ideo non inscripsit historiographus *Acta Petri et Pauli*, sed *Acta Apostolorum:* communis est pollicitatio.“

Eorum itaque historia, quae Petrus docuit, quaeque gessit, ut ecclesiam exstrueret, exstructamque amplificaret, communis apostolorum historia censetur, apteque πράξεις τῶν ἀποστόλων inscribitur. Sed eiusmodi ne ista sunt, quae

Apostolorum, Isidorus pelusiota, Varadato coaevus, lib. II. epist. XCIX. ad Aprodisium, *Acta Petri* nominat, inquiens: *Οἱ μὲν οὖν ἀπόστολοι, ἃ ἐχώρησαν, ἔγραψαν, καθὼς Πέτρος, ὁ κορυφαῖος τοῦ χοροῦ, ἐν ταῖς ἑαυτοῦ πράξεσι σαφῶς ἀπεφήνατο.*

[50]) In Acta Apost. hom. XXI. n. 2.

[51]) Hom. in Ascens. D. N. J. C. et in Principio Act. n. 8.

[52]) Est enim universalis: *Πράξεις τῶν ἀποστόλων.*

[53]) In ms. regio: *Κοινὸν γὰρ τὸ ἐγκώμιον, κοινὸν τὸ ἐπάγγελμα.*

ἀκριβῶς dicta existimari possent, nisi Petrus [54] inter apostolos, tamquam caput eminuisset? prorsus intelligo, quae capitis sunt, ea propria totius corporis merito haberi, ac omnino video, iure collegio adscribi, quae praeses gerit, civitati autem, regnoque quae princeps adgreditur. Sed neque video, neque intelligo repeti ista posse, si qui operis auctor perhibetur, unus e multis sit, ac socios inter neque honore neque dignitate praecellat. Eo igitur dumtaxat nomine *Acta Petri* inscribi universim potuerunt πράξεις τῶν ἀποστόλων, quod acta, gestaque capitis, praepositique haberentur.

CAPUT XVI.

Examen per partes instituitur: — ac eorum inprimis, quae habentur Act. I. 15—26, II. 14—35—37—41, III. 12—26, IV. 8—13—19—21: — ex his potior Petri dignitas, capitis auctoritas, et ὑπεροχὴ principis post Christum architecti, supremique magistri comprobatur.

183. In ecclesiae primordiis negotium sane maximum expediendum erat, sarciri nec ne, novoque adiecto apostolo impleri deberet numerus τῶν δώδεκα, qui Juda praevaricante fuerat deminutus. Summa negotii gravitas non uno ex capite apparebat: nam et de voluntate Christi quaerendum erat, decrevisset nec ne, ut alter in proditoris locum sufficeretur: et testis erat designandus, qui [1] particeps missionis Christi lumen evangelii ubique terrarum diffunderet: et deligendus erat, qui ad unam eamdemque cum reliquis apostolis [2] honoris, auctoritatisque dignitatem proveheretur. Gravissimum ergo erat negotium, ac omnino tale, quod nemo aggrederetur, nisi qui vicarias Christi partes obeundas suscepisset, quique inter apostolos dignitate capitis emineret. Jamvero Actorum historia edocemur, unum Petrum de sufficiendo apostolo sermonem habuisse, unum e divinis oraculis necessitatem novae electionis comprobasse, conditiones praefinisse, quibus insignis is foret qui eligeretur, modum, rationemque electionis decrevisse, eoque praeeunte, ac rem totam administrante electionem fuisse perfectam.

[54]) Cf. Thomae Bozii Eugubini, De signis ecclesiae Dei, lib. XVIII. cap. II. Desiderandum omnino foret, ut insigne hoc opus in theologorum manibus frequentius versaretur.

[1]) Joh. XX. 21: Καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ πατήρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς.

[2]) Quibus in praefinita divinitus hierarchia principem dignitatis, auctoritatisque gradum convenire, auctor est Paulus I. Cor. XII. 28. coll. Eph. IV. 11. inquiens: Καὶ οὓς μὲν ἔθετο ὁ θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πρῶτον ἀποστόλους, δεύτερον κ. τ. λ.

184. Sic enim Lucas [3] orditur: *Ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις ἀναστὰς Πέτρος ἐν μέσῳ τῶν μαθητῶν* [4] *εἶπεν·* eo interiecto tempore, quod inter Ascensionem et Pentecosten fluxit, exsurgens Petrus in medio discipulorum dixit. Quibus et *praerogativa suffragii* propria Petri ostenditur, et phrasi, *ἐν μέσῳ τῶν μαθητῶν*, quae de Christo prae apostolis saepe [5] recurrit, eiusdem inter discipulos praestantia declaratur.

Pergit historiographus, Petrumque his loquentem verbis [6] inducit: *Ἄνδρες ἀδελφοί, ἔδει πληρωθῆναι τὴν γραφὴν ταύτην, ἣν προεῖπε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον διὰ στόματος Δαυὶδ περὶ Ἰούδα τοῦ γενομένου ὁδηγοῦ τοῖς συλλαβοῦσι τὸν Ἰησοῦν· ὅτι κατηριθμημένος ἦν σὺν ἡμῖν, καὶ ἔλαχε τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης.* Viri fratres, oportebat [7] ut id impleretur, quod Spiritus-sanctus ore Davidis de Juda praedixit, qui dux eorum extitit qui comprehenderunt Jesum, quique nobiscum connumeratus fuerat, eamdemque nobiscum ministerii partem sortitus erat, partem non omnibus communem, non [8] *κλῆρον ἁγίων*, sed [9] *κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης*, idest, *apostolatum*.

Tum miserrimo praevaricatoris [10] exitu commemorato, editum de eo vaticinium [11] proferens, inquit: *Γέγραπται γὰρ ἐν βίβλῳ ψαλμῶν· γενηθήτω ἡ ἔπαυλις αὐτοῦ* [12] *ἔρημος, καὶ μὴ ἔστω ὁ κατοικῶν ἐν αὐτῇ.* Scriptum namque est in psalmorum [13] libro: fiat domicilium eius desertum, et nemo sit qui illud incolat.

Cui alterum e vestigio oraculum [14] subdens, ait: *τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ λάβοι ἕτερος*, praefecturam eius alter accipiat. E quo [15] infert: *Δεῖ οὖν τῶν συνελθόντων ἡμῖν ἀνδρῶν ἐν παντὶ χρόνῳ, ἐν ᾧ εἰσῆλθε, καὶ ἐξῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς ὁ κύριος Ἰησοῦς, ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου ἕως τῆς*

[3]) Act. I. 15.

[4]) In aliquot codicibus, *ἀδελφῶν*, quam lectionem Vulgatus sequutus est.

[5]) Luc. XXII. 27, XXIV. 36, Joh. XX. 19—26.

[6]) Act. I. 16—17.

[7]) Vulgatus, *oportet*. Atqui graece est, *ἔδει*, *oportebat*. Quam lectionem praehabendam esse, inde etiam liquet, quod Davidis oraculum, quod Petrus primum innuit, deinde recitat, ad ea spectet, quae iam contigerant. Jam enim Judas Christum prodiderat, proditionisque suae debitas poenas persolverat.

[8]) Coloss. I. 12, I. Petr. V. 3.

[9]) Quam ministerii sortem communem non esse, docet Paulus inquiens I. Cor. XII. 29: *μὴ πάντες, ἀπόστολοι;* scilicet interrogatione, quae vim habet negationis: *non omnes* sunt *apostoli*.

[10]) Act. I. 18—20.

[11]) Ibid. v. 20.

[12]) Vulgatus, *eorum*, sicut et alexandrini, *αὐτῶν*.

[13]) Ps. LXIX. 26.

[14]) Ps. CIX. 8. Animadverti debet, duplex vaticinium e duplici, diversoque psalmo depromptum, et de duplici, diversoque eventu editum, ita coniungi per particulam *καί*, ut ellipsis hoc, similive pacto suppleri debeat, *καὶ πάλιν γέγραπται ἐν βίβλῳ ψαλμῶν*.

[15]) Act. I. 21—22. En, quum de re iam facta loqueretur, dixit v. 16, *ἔδει*, *oportebat*; quum autem de re nunc facienda loquitur, ait, *δεῖ*, *oportet*.

ἡμέρας ἧς ἀνελήφθη ἀφ' ἡμῶν, μάρτυρα τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ γενέσθαι σὺν ἡμῖν ἕνα τούτων. Oportet ergo ut testis resurrectionis Domini Jesu unus nobiscum constituatur ex hisce viris, quibuscum toto eo tempore fuimus, quo cum illo familiariter [16] degimus, a baptismate scilicet Johannis ad eam usque diem quo is a nobis assumptus est.

185. Quibus Petrus manifeste definit rei, qua de agitur, *necessitatem:* bibliorum oraculis, tamquam summus illorum interpres, omniumque magister institutus eam confirmat: deliberationi vero sic locum relinquit, ut consensionem exposcat. Phrasis enim, *δεῖ οὖν*, talem illius verbis subesse potestatem ostendit: „non id propono quod fieri ex aequo, omittive possit, sed quid facto opus sit [17], declaro ac praescribo." · Unde et ea praescribit, quibus insignis is esset, qui eligeretur, formamque ipsam habendae electionis determinat.

Quid vero ad haec audientium concio, quae [18] erat *ὄχλος ὀνομάτων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ὡς ἑκατὸν εἴκοσιν,* multitudo capitum [19] coniunctissimorum [20] quasi centum viginti? nulla interiecta mora, quotquot aderant, in Petri sententiam unanimes iverunt, praefinitas ab eo leges sequuti sunt, propositamque electionem perfecerunt.

Quae profecto talia sunt, ut reputari animo nequeant, quin statuatur: cogitari nihil posse, quod magis Petrum, magisque discipulos decuerit, si Petrus ipsis uti caput praeerat, ipsisque auctoritate praepositi divinitus electi antecellebat; et nihil cogitari vicissim posse, quod minus Petrum, minusque discipulos decuerit, si Petrus non erat nisi unus [21] e pluribus, nullamque a Christo praestantiorem ministerii partem acceperat. Inferri igitur debet, stetisse Petrum in medio discipulorum, tamquam maiorem in minorum coetu, non tamquam parem in coetu parium, sibique ideo opus de sufficiendo apostolo, sarciendoque collegio potissimum creditum existimasse, quod se omnium caput, familiaeque dominicae praepositum et ipse sciret, et reliqui omnes non ignorarent.

186. Atque haec quum sint ex ipsa historiae narratione perspicua, inde tamen lucis, splendorisque accessionem mutuari videntur, quod ea iampridem

[16]) Haec enim vis est formulae, *intrare et exire*, Deut. XXXI. 2, II. Paral. I. 10, Zach. VIII. 10.

[17]) Scilicet coram ipsis apostolis *αὐθεντικῶς* declarat verbum Dei, factoque ipso ostendit, supremum sibi creditum esse magisterium.

[18]) Act. I. 15.

[19]) Vulgatus habet, *turba hominum.* Consentit Syrus. Neque mirum, quum *ὄνομα* pro *capite* atque *homine* non raro adhibeatur, ut Apoc. III. 4, XI. 13. Hinc *romanum nomen* pro romanis, et *τὸ θηβαίων ὄνομα* pro thebanis. Ceterum Arabs reddit, *viros nominis*, celebres nimirum insignesque, quod respexerit, opinor, ad Gen. VI. 4: אַנְשֵׁי הַשֵּׁם = *οἱ ἄνθρωποι ὀνομαστοί* = *viri famosi.*

[20]) Vulgatus, *simul*, quod et de loco, et de voluntatum consensione intelligi potest. Praetulerim posteriorem significationem, quae item obtinet Act. II. 1, I. Cor. XI. 20.

[21]) Praesertim quum Spiritus-sancti dona nondum recepisset.

Chrysostomus [22] animadverterit, litterisque consignaverit. Eccur enim *unus* surrexit Petrus, ac *primus*, immo *solus* loquutus est? *καὶ ὡς θερμός, καὶ ὡς ἐμπιστευθεὶς παρὰ τοῦ Χριστοῦ τὴν ποίμνην, καὶ ὡς τοῦ χοροῦ πρῶτος, ἀεὶ πρότερος ἄρχεται τοῦ λόγου.* utpote fervens [23], utpote cui grex a Christo creditus erat, atque ut primus in choro, primus semper sermonem orditur. Cur prophetarum oracula allegat? primo quidem ne videretur humano consilio *μεγάλῳ πράγματι ἐπιχειρεῖν, καὶ τοιούτῳ οἵῳ ὁ Χριστός*, magnam rem aggredi, et qualem Christus ipse fecisset; deinde vero ut *τὸν διδάσκαλον* magistrum suum imitaretur, propterea *πανταχοῦ ἀπὸ τῶν γραφῶν* ubique ex Scripturis disserit. Cur non solus a Christo petiit, ut sibi aliquem daret Judae sufficiendum? quod iam *βελτίων* esset *ὁ Πέτρος αὐτὸς ἑαυτοῦ*, neque ingenio obsequeretur. Cur propria auctoritate vacuum Judae locum non implevit? ideo ne, quod integrum ipsi non foret? immo *πάνυγε* licebat, *ἀλλ' ἵνα μὴ δόξῃ χαρίζεσθαι, τοῦτο οὐ ποιεῖ*, sed ne videretur ad gratiam facere, abstinet. Cur cum omnibus qui aderant, rem communicat? *ἵνα μὴ περιμάχητον τὸ πρᾶγμα γένηται, καὶ εἰς φιλονεικίαν ἐμπέσωσιν· εἰ γὰρ αὐτοὶ τοῦτο ἔπαθον, πολλῷ μᾶλλον ἐκεῖνοι.* ne contentio de ea oriretur, et ne mutuo digladiarentur: si enim apostolis accidit, ut de primatu contenderent, multo magis accidere poterat [24], ut qui Judae sufficiendi erant, inter se contenderent. Dignissimum propterea est quod admiremur, quodque imitemur: quo pacto Petrus *μετὰ κοινῆς πάντα γνώμης* omnia e communi sententia faciat, *οὐδὲν αὐθεντικῶς, οὐδὲ ἀρχικῶς*, nihil ut qui [25] dominatur ac imperat. Quibus fastus quidem excluditur, gubernationisque forma [26] proponitur, potior autem Petri auctoritas nullatenus denegatur. Etenim *πρῶτος τοῦ πράγματος αὐθεντεῖ· ἅτε οὗτος* [27] *πάντας ἐγχειρισθείς· πρὸς γὰρ τοῦτον εἶπεν ὁ Χριστός· καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.*

[22]) In Acta Apost. hom. III. nn. 1—2—3.

[23]) Cur sibi Petrus primas constanter vindicabat? quod, reponunt protestantes, ferventior esset. At Chrysostomus: quod ferventior esset, ceterisque praepositus. Divellunt illi quae sunt copulanda, neque advertunt, fervorem in Petro, non secus ac iuris peritiam in magistratu, dotem quidem esse quae exigitur, minime vero caussam, e qua ius sibi primas vindicandi proficisci possit.

[24]) Nolim mihi vitio vertatur, quod latius exposuerim, quae pressius et paullo obscurius Chrysostomus complexus est.

[25]) nn. 82. seqq.

[26]) De qua item accipi verba debent, quibus Petrus epist. I. c. V. 3. compresbyteros adhortatur, *μὴ κατακυριεύειν τῶν κλήρων*. Notetur autem, inquit Henricus Dodwellus Diss. I. Cyprianica, §. VII. „quod prohibetur ab apostolo, non esse *κυριεύειν*, sed *κατακυριεύειν*, non ipsum *dominium*, sed vero iusti dominii *abusum*..... Nec enim ab alio metuendus erat potestatis *abusus*, nisi qui potestate illa fuisset instructus; nec contentus fuisset apostolus *abusum* dumtaxat reprehendere, si iniusta fuisset ipsius *potestatis usurpatio*.“

[27]) In editt. Savil. et Morel: *Ἅτε γὰρ αὐτός.*

ipse primus in negotio auctoritatem habet, utpote qui omnes in curam receperit. Ipsi enim Christus [28] dixit, *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

187. Reparatis collegii detrimentis, id proxime consequebatur, ut *caput*, si quod tamen [29] fuit, illi sedulo consuleret, necessariamque nominis famam, si quando forte periclitaretur, omnium primus protegeret. Jamvero narrato [30] miraculo advenientis Spiritus, ac semet in eos uberrime diffundentis, qui una cum apostolis convenerant: memoratoque linguarum [31] charismate, quo insignes iidem apparuere; describit [32] Lucas multiplices, diversasque multitudinis opiniones, quas inter et illam [33] refert, non defuisse, qui *χλευάζοντες* [34] sannis eos, ludibriisque excipientes dicerent, *ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί*, quod farti, confertique [35] vino [36] essent. Scilicet blasphemi erant in opera Spiritus, omnemque apostolis auctoritatem immani calumnia detrahebant. Quid porro? *Σταθεὶς δὲ Πέτρος σὺν τοῖς ἕνδεκα*, pergit [37] Lucas, *ἐπῆρε τὴν φωνὴν αὐτοῦ, καὶ ἀπεφθέγξατο αὐτοῖς· ἄνδρες ἰουδαῖοι, καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἱερουσαλὴμ ἅπαντες, τοῦτο ὑμῖν γνωστὸν ἔστω, καὶ ἐνωτίσασθε* [38] *τὰ ῥήματά μου. Οὐ γάρ, ὡς ὑμεῖς ὑπολαμβάνετε, οὗτοι μεθύουσιν· ἔστι γὰρ ὥρα τρίτη τῆς ἡμέρας· ἀλλὰ τοῦτό ἐστι τὸ εἰρημένον* [39] *διὰ τοῦ προφήτου Ἰωήλ.* Stans autem Petrus una cum undecim extulit vocem suam, ac his eos verbis alloquutus [40] est: viri iudaei, et quotquot Jerusalem incolitis, hoc vobis compertum sit, ac in aures vestras mea verba influant. Non sunt isti ebrii, uti vos opinamini; est enim hora

[28]) Luc. XXII. 32.

[29]) Sic autem loquimur, ne quod demonstratum volumus, praesumere videamur.

[30]) Act. II. 1—5.

[31]) Ibid. vv. 4—8—11.

[32]) Ibid. vv. 6—13.

[33]) Ibid. v. 13.

[34]) Al. *διαχλευάζοντες*. In Onomastico *χλεύη* redditur *sanna*, et in Cyrilli lexico graeco-latino, *ludibrium*.

[35]) In Cyrilli lexico: *μεμεστωμένος· fartus, confertus: μεστόν· cumulatum: μεστός· onustus.*

[36]) Quid heic sit *γλεῦκος*, multis apud Danielem Heinsium in Exercitationibus sacris explicatum reperies.

[37]) Act. II. 14—17. Opportune Johannes Pricaeus ad verba, *Πέτρος σὺν τοῖς ἕνδεκα*, subiicit: „Sic infra V. 29, *ὁ Πέτρος καὶ οἱ ἀπόστολοι·* et v. 37. huius capitis, *τὸν Πέτρον καὶ τοὺς λοιποὺς ἀποστόλους*. Sic in Evangelio V. 9, VIII. 45, IX. 32, et Marc. XVI. 17, ubi Petrus seorsim a reliquis *ob eminentiam* nominatur. Sic Petronius, *Pindarus novemque lyrici.* Aristophanes, *ὦ Ζεῦ καὶ θεοί·* et Cicero Catil. I, *magna diis immortalibus habenda gratia est, atque huic ipsi Jovi....* Vide et Hebr. XI. 32. Servius ad Aeneid. XI, *est haec consuetudo apud poëtas, ut a plebe segregent duces.*“

[38]) *Ἐνωτίζομαι* hoc dumtaxat loco in N. T. occurrit, numquam apud classicos Graeciae scriptores, haud raro penes alexandrinos, qui Gen. IV. 23, Is. I. 2, Hos. V. 1. eo reddunt hebraicum הֶאֱזִין ab אֹזֶן *auris*.

[39]) Joël III. 1—5.

[40]) Ludere videtur Lightfootus, quum omnes simul apostolos loquutos contendit.

diei[41] tertia: sed hoc quod vos movet, illud ipsum est quod per Joël prophetam dictum fuit.

188. In qua oratione non facile dixeris, verba ne, an ipsae potius res primatum Petri, maioremque dignitatem evidentius confirment. Utraque certe ita conspirant, ut nihil accommodatius expeti posse videatur. Conspirant *verba*, quum phrasis, *σταθεὶς δὲ Πέτρος σὺν τοῖς ἕνδεκα, ἐπῆρε τὴν φωνὴν αὐτοῦ, καὶ ἀπεφθέγξατο αὐτοῖς*, Petrum repraesentet tamquam chori ducem, familiaeque praepositum. Unde[42] Chrysostomus: „*Τί δέ ἐστι, σὺν τοῖς ἕνδεκα; κοινὴν προεβάλλοντο φωνὴν· καὶ πάντων αὐτὸς ἦν τὸ στόμα. παρεστήκασι δὲ οἱ ἕνδεκα μαρτυροῦντες τοῖς λεγομένοις.* Quid sibi vult illud, *cum undecim*? communem emittebant vocem, et ipse os omnium erat. Adstant vero undecim, dicta testimonio suo confirmantes.“

Conspirant *res*; nam unus est Petrus, qui bibliorum interpretatione magistri partes explet, ac utriusque foederis *ὁμολογίαν* declarat: unus qui communem omnibus caussam tuetur: ac denique unus qui omnium personam induens, omnium nomine multitudinem alloquitur. *Ἐκόπει δὲ καὶ τῶν ἀποστόλων τὴν ὁμόνοιαν*, inquit[43] Chrysostomus, *αὐτοὶ παραχωροῦσιν αὐτῷ τῆς δημηγορίας.* Perpende autem et apostolorum consensionem: quomodo ipsi Petro cesserint concionandi officio. Illi nimirum cessere, qui caput erat, quique, ut[44] idem adnotat, *τὴν ἀνδρείαν* fortitudinem capitis modo exhibet, sicut in explendo apostolorum numero *τὴν κηδεμονίαν* providentiam capitis ostenderat.

189. Repulsa, uti par erat calumnia, non tacuit Petrus, sed praeclara oratione, quam Lucas[45] describit, edita a prophetis[46] vaticinia explanavit; tum ad Jesum, eiusque *οἰκονομίαν*[47] progressus, illius e mortuis resurrectionem[48], exaltationemque ad dexteram Patris validissime confirmavit; ac tandem peroraturus summa auctoritate conclusit[49]: *Ἀσφαλῶς οὖν γινωσκέτω πᾶς οἶκος Ἰσραήλ, ὅτι καὶ κύριον καὶ Χριστὸν αὐτὸν ὁ θεὸς ἐποίησε τοῦτον τὸν Ἰησοῦν, ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε.* Indubitanter ergo sciat universus Israelis populus, quod[50] hunc ipsum Jesum, quem vos cruci affixistis, Deus[51] constituit, ordinavitque Dominum et[52] Christum.

Quid iamvero ex his ad rem nostram? quod Lucas de iis solum, quae

[41]) Argumentatur Petrus ab eo quod consuetum, honestumque est.

[42]) In Acta Apost. hom. IV. n. 3.

[43]) Ibidem.

[44]) Ibidem.

[45]) Act. II. 16—37.

[46]) Ibid. vv. 17—21, 25—29, 34—36.

[47]) Ibid. vv. 22—25.

[48]) Ibid. vv. 32—34.

[49]) Ibid. v. 36.

[50]) Simplex verborum ordo hic est: Ὅτι τοῦτον τὸν Ἰησοῦν, ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε, ὁ θεὸς ἐποίησεν αὐτὸν (redundat hebraeorum more) κύριον καὶ Χριστόν.

[51]) Ἐποίησεν idem quod κατέταξε, vel κατέστησε, ut Marc. III. 14, ac alibi plus semel.

[52]) Recte Lactantius, Div. Instit. lib. IV. cap. VII, de appellativo Christi nomine: „Christus non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis et regni; sic enim iudaei reges suos appellabant.“

ad Petrum spectant, curam gerere videatur. Quod Petrus omnium primus, atque omnium nomine [53], iniuncto sibi, ceterisque [54] testandi munere perfunctus sit: *τοῦτον τὸν Ἰησοῦν ἀνέστησεν ὁ Θεός, οὗ πάντες ἡμεῖς ἐσμεν μάρτυρες*. Quod omnium primus publice solemniterque magisterii partes obiverit. Quod omnium primus expleverit, quod apostolis universis Christus [55] praeceperat, *μαθητεύσατε ..... διδάσκοντες*, *discipulos facite ..... docentes*. Denique quod omnium primus necessitatem fidei in Jesum, tamquam Dominum et Christum divinitus constitutum promulgaverit.

Sed cuiusmodi ista sunt? talia ne quae nullum Petrum inter ceterosque apostolos dignitatis, auctoritatisque discrimen praeseferant? immo ostendunt non aliter Petrum inter apostolos eminuisse, quam caput inter obnoxia membra praecellat.

190. Quod quum auditores ex eiusdem agendi ratione perspicerent, compuncti [56] iam corde, quod non iustum dumtaxat hominem, verum ipsum מְשִׁיחַ יְהוָה crucifixissent; *εἶπον πρὸς τὸν Πέτρον καὶ τοὺς λοιποὺς ἀποστόλους*, dixerunt Petro, ceterisque apostolis. Viden quomodo unus extet Petrus, ac ipse unus nominatim compelletur? sed quid dixerunt? ab omnibus simul apostolis sciscitati sunt: *τί ποιήσωμεν, ἄνδρες ἀδελφοί;* quid faciemus, viri fratres? atqui, notat [57] Chrysostomus, *πάλιν ἐνταῦθα ὁ Πέτρος πάντων ἐρωτηθέντων, ἐκεῖνος ἀποκρίνεται*, rursus heic Petrus, quum omnes interrogarentur, ipse unus respondet. Sane pergit [58] Lucas: *Πέτρος δὲ ἔφη πρὸς αὐτούς*. Unus itaque est, qui tamquam *ἡγούμενος* communia peragit: unus qui Christi leges [59] edicit, *μετανοήσατε, καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ* [60], *εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν*: unus qui promissis [61] Spiritus-sancti donis spem erigit, *καὶ λήψεσθε τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου πνεύματος:* unus qui pluribus [62] susceptam audientium institutionem persequitur, *ἑτέροις τε λόγοις πλείοσι διεμαρτύρετο καὶ παρεκάλει:* unus qui fructus christianae professionis [63] declarat, *σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταύτης:* ac unus, cuius ministerio debentur quae Lucas [64] subnectit, *οἱ μὲν οὖν ἀσμένως* [65] *ἀποδεξάμενοι τὸν λόγον αὐτοῦ, ἐβαπτίσθησαν*·

[53]) n. 187.

[54]) Act. I. 8: *Ἔσεσθέ μοι μάρτυρες*, coll. Luc. XXIV. 48, Joh. XV. 26—27.

[55]) Matth. XXVIII. 19—20. Est autem heic *μαθητεύειν*, significatione transitiva, idem quod Joh. IV. 1. *μαθητὰς ποιεῖν*, *discipulos facere*. Qui reddunt *docete*, neque satis consulunt concinnitati orationis, neque *ταυτολογίαν* prorsus evitant, quum mox sequatur, *διδάσκοντες*.

[56]) Act. II. 37.

[57]) In Acta Apostol. hom. VII. n. 1.

[58]) Act. II. 38.

[59]) Matth. III. 2. Luc. XXIV. 47.

[60]) Haec verba ad baptismi *formam* referenda non esse, certis argumentis viri docti comprobarunt.

[61]) Act. II. 38.

[62]) Ibid. v. 40.

[63]) Ibid. v. 40. Cur autem dicatur *γενεὰ σκολιά*, habes Deut. XXXII. 20.

[64]) Ibid. v. 41.

[65]) Vulgatus non legit adverbium *ἀσμένως*, quod Hesychius interpretatur, *μετὰ χαρᾶς, ἡδέως, εὐκταίως, προθύμως, ἑκουσίως*.

καὶ προςετέθησαν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ψυχαὶ ὡςεὶ τριςχίλιαι, qui ergo ex auditoribus libenter atque ex animo sermoni eius morem [66] gesserunt, baptizati sunt, et ter circiter hominum millia eo die ad Jesu discipulos [67] accesserunt.

191. E quibus illud aptum nexumque est, Petrum, quem Christus [68] ecclesiae fundamentum ac πέτραν constituerat, omnem dedisse operam, ut inchoatum a Christo aedificium, tamquam *princeps secundum eum architectus* [69] latius, magnificentiusque amplificaret. Sed quid reliqui interea apostoli? nonne et ipsis architecti officium demandatum fuerat? dubio procul, sed quod *cum Petro* et *sub Petro* exercerent, cui propterea adsunt, illumque praeeuntem, tamquam συνεργοί, adsectantur. Quod consequuta ecclesiastici aedificii incrementa, et constans ratio, qua se Petrus gessit, maiori etiam perspicuitate confirmant. De novis enim ecclesiae accessionibus Lucas [70] scribit: Πολλοὶ δὲ τῶν ἀκουσάντων τὸν λόγον ἐπίστευσαν· καὶ ἐγενήθη ὁ ἀριθμὸς τῶν ἀνδρῶν ὡςεὶ χιλιάδες πέντε. Multi autem eorum qui sermonem audierant [71], crediderunt; ac ita virorum numerus qui apostolis adhaesere, quinque prope [72] millia factus est.

Sed quis tantae accessionis princeps architectus haberi debet? ille ipse, qui *tertiae* [73], *quartaeque* concionis auctor extitit, quum eiusmodi concionibus ea incrementa tribuantur. Atqui summa utriusque sermonis capita sic Lucas refert, ut illorum auctorem Petrum demonstret.

192. Ad tertium enim quod attinet, memoratis simul [74] Petro et Johanne, unum inducit Petrum [75], qui filios Abrahae ad amplectendam Christi fidem movet, illisque persuadet [76], Jesum esse eximium illum, singularemque prophetam, quem Deus per Moisem in [77] Deuteronomio promiserat. De quarto vero [78] scribit: τότε Πέτρος πλησθεὶς πνεύματος ἁγίου, εἶπε πρὸς αὐτούς, tunc Petrus Spiritu-sancto plenus dixit illis. Ideo ne quod ipse unus adesset? nullatenus quum Lucas praemiserit [79], καὶ στήσαντες αὐτοὺς (non αὐτὸν) ἐν μέσῳ, ἐπυνθάνοντο: universaeque historiae series ostendat, una cum Petro ipsum quoque Johannem interfuisse. Unde [80] Chrysostomus: Ὅρα δέ, πῶς ὁ Ἰωάννης πανταχοῦ σιγᾷ, ὁ δὲ Πέτρος καὶ ὑπὲρ αὐτοῦ ἀπολογεῖται. Perpende quomodo Johannes ubique sileat, Petrus vero etiam pro illo rationem reddat. Silebat nimirum Johannes, quod primas partes proprias Petri esse cognosceret;

[66]) Formula, ἀσμένως ἀποδέχεσθαι τὸν λόγον, aptius reddi nequit quam, libenter amplecti sermonem.

[67]) Etenim, προςτίθεσθαί τινι, notat ad alicuius partes accedere.

[68]) Matth. XVI. 18.

[69]) I. Cor. III. 11.

[70]) Act. IV. 4.

[71]) Rom. X. 17: Ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς· ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος θεοῦ.

[72]) Deest apud Vulgatum particula ὡςεί.

[73]) Act. III. 12—26, IV. 8—19.

[74]) Act. III. 11.

[75]) Ibid. v. 12.

[76]) Ibid. vv. 13—24.

[77]) Deut. XVIII. 15.

[78]) Act. IV. 8.

[79]) Ibid. v. 7.

[80]) In Acta Apostol. homil. VIII. n. 2, et rursum ad v. 12. subdit: Πάλιν αὐτὸς καὶ ἐργάζεται καὶ δημηγορεῖ, *ipse denuo et agit et concionatur.*

Petrus autem pro illo etiam loquebatur, quod capitis sit, non a seipso tantum, sed et a ceteris, quibus praeest membris imminentem perniciem propulsare.

193. His autem expositis, velim mihi percontanti respondeatur, quidpiam ne sit, quod praeter *ipsa nomina capitis, supremi inter apostolos magistri*, et *principis secundum Christum architecti* aut postulari iure, aut merito expeti posse videatur. Quid enim egisset Petrus, si auctoritate capitis inter apostolos eminuisset? collegium implesset, sollicitam de eo curam gessisset, membrisque singulis, ne ea detrimentum caperent, providisset. Atqui haec ipsa sunt quae praestitit, haec quibus incubuit. Quid egisset, si eum Christus supremum omnium magistrum, doctoremque instituisset? ipsis primum apostolis et discipulis arcana divinae voluntatis sacris consignata litteris reserasset: tum consensione patefacta, qua oraculis veteris testamenti *οἰκονομία* respondit, quam Jesus absolverat, hunc esse Christum demonstrasset. Sed quid horum praetermisit, quidve non cumulatissime perfecit? Quid denique egisset, si principem inter evangelicos architectos gradum sortitus esset? omnium primus manum ad opus admovisset, novis, electisque lapidibus aedificium amplificasset, architectos reliquos, tamquam sibi obnoxios ac *συνεργοὺς* habuisset, et ut aedificium Christo dignum, atque ad eius promissa expressum appareret, omni qua ope poterat contendisset. Sed nonne contendit? nonne perfecit? nonne horum omnium historia testis est? nonne *ἀρχετύπῳ* a Christo praefinito ecclesia adamussim respondit, quam Petrus extruxit, et de qua [81] legimus, *πάντες δὲ οἱ* [82] *πιστεύσαντες ἦσαν ἐπὶ τὸ αὐτό, καὶ εἶχον ἅπαντα κοινά*, omnes autem qui crediderant, erant [83] coniunctissimi, communiaque omnia habebant. Ac denuo [84], *τοῦ δὲ πλήθους τῶν πιστευσάντων ἦν ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία· καὶ οὐδὲ εἷς τι τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ ἔλεγεν ἴδιον εἶναι, ἀλλ' ἦν αὐτοῖς ἅπαντα κοινά*, multitudinis autem credentium unum erat cor [85] atque anima una, eorumque nemo quae possidebat, propria sibi esse [86] dicebat, sed erant illis omnia communia.

194. Tanta sane, tamque mira visa Aratori [87] est haec perfectio, ut inde sibi natam occasionem existimaverit, qua ineffabile Trinitatis mysterium persuaderet:

Quis dubitare queat mysteria dogmatis, unum
Personas tres esse Deum, cum millia vulgi
Conveniant sub mente pari, Numenque sequentes
Sint animis velut unus homo?

Profecto si opere ipso exprimi potuit ac debuit, quod a Patre Christus [88] postu-

[81]) Act. II. 44.

[82]) Al. *πιστεύοντες*.

[83]) Saepe ab alexandrinis, *ἐπὶ τὸ αὐτό*, de animorum consensione usurpatur.

[84]) Act. IV. 32.

[85]) Huc facit illud Aristotelis apud Diogenem Laertium lib. V. cap. I. n. 11: *Ἐρωτηθείς, τί ἐστι φίλος; ἔφη, μία ψυχὴ δύο σώμασιν ἐνοικοῦσα.*

[86]) Paullo secus legisse videtur Cyprianus in lib. III. Testim. cap. III.

[87]) In Acta, lib. I.

[88]) Joh. XVII. 21—24.

lavit, et quo ecclesiam suam distinctam, insignemque voluit, ἵνα πάντες ἓν ὦσι· καθὼς σύ, πάτερ, ἐν ἐμοί, κἀγὼ ἐν σοί, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν ἓν ὦσιν· ἵνα ὁ κόσμος πιστεύσῃ, ὅτι σύ με ἀπέστειλας: et, ἐγὼ ἐν αὐτοῖς, καὶ σὺ ἐν ἐμοί· ἵνα ὦσι τετελειωμένοι εἰς ἕν, καὶ ἵνα γινώσκῃ ὁ κόσμος, ὅτι σύ με ἀπέστειλας, καὶ ἠγάπησας αὐτούς, καθὼς ἐμὲ ἠγάπησας: tum omnino impletum, perfectumque credendum est, quum Petri ministerio ecclesia extitit, de qua vere affirmaretur, multis illam corporibus, sed non multis, ut Augustinus [89] loquitur, animis constitisse.

Quare si nobis res potius cordi sint quam verba, dabimus non inviti, eam esse Actorum historiam, qua singularis Petri ὑπεροχή, ét capitis, supremique magistri, principisque architecti eximia dignitas luculentissime comprobatur.

CAPUT XVIII.

Quo nexu cum dignitate supremi magisterii edita miracula devinciantur: — quid facto opus esset, sive ut Petrus supremi doctoris munus obiisse, sive ut Lucas eo spectasse videretur, ut Petrum, tamquam supremum magistrum repraesentaret: — neutrum defuisse ostenditur: — comparatio proponitur Christum inter et Petrum: ac denuo inter Lucam Actorum scriptorem, et Johannem Evangelii auctorem: — expolitur comparatio, et Petri praerogativae confirmantur.

195. Quae fuerit ratio apostolici magisterii, quae forma primitivae institutionis docet Paulus [1] ad Corinthios scribens: Καὶ ὁ λόγος μου καὶ τὸ κήρυγμά μου οὐκ ἐν πειθοῖς [2] ἀνθρωπίνης [3] σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως· ἵνα ἡ πίστις ὑμῶν μὴ ᾖ ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐν δυνάμει θεοῦ. Et sermo meus, et praedicatio mea, universaque institutio [4], qua apostolici legati munere functus sum, non sermonibus constabat qui suam ex humana sapientia persuadendi vim mutuarentur, sed demonstrationi innitebatur, quae pondus suum e charismatis Spiritus, editisque [5] miraculis hauriebat. Quo

[89]) In Ps. CXXXII.

[1]) I. Cor. II. 4—6.

[2]) De farragine variarum lectionum pro vulgari, πειθοῖς, consuli possunt Griesbachius, et in commentario Julius Pott.

[3]) Quum plurimi codices, ac aliquot antiquae versiones careant apposito, ἀνθρωπίνης, sunt qui coniiciant, translatum huc esse ex v. 13, ne Paulus omnem omnino sapientiam repudiare videretur.

[4]) Haec esse videtur significatio illius distributionis, καὶ ὁ λόγος μου, καὶ τὸ κήρυγμά μου.

[5]) Passim veteres interpretes, ac omnino ex analogia N. T., nomina, πνεῦμα et

factum[6] est, ut fides vestra, mentisque assensio quam meis sermonibus praebuistis, non humana sapientia, sed manifestatione divinae virtutis sustentaretur. Quod necessarium omnino fuit, ut[7] *λόγον ἀκοῆς τοῦ θεοῦ* a nobis reciperetis, *οὐ λόγον ἀνθρώπων, ἀλλά, καθώς ἐστιν ἀληθῶς, λόγον θεοῦ*, non tamquam hominum verbum, sed quemadmodum vere est, tamquam verbum Dei. Sicut ergo interior animi fides cum exteriori praedicatione veluti cum *instrumentali caussa* cohaeret, unde fides[8] per auditum illabi dicitur; ita magisterii auctoritas, et virtus apostolicae praedicationis e donis Spiritus, patratisque signis oriebatur.

196. Quod Petrus luculenter[9] significavit, inquiens: divinam virtutem[10] omnia in nos contulisse quae ad vitam, pietatemque spectant, *διὰ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ καλέσαντος ἡμᾶς διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς, δι' ὧν τὰ τίμια ἡμῖν καὶ μέγιστα ἐπαγγέλματα δεδώρηται, ἵνα διὰ τούτων*[11] *γένησθε θείας κοινωνοὶ φύσεως*, per cognitionem, fidemque in eum qui vocavit nos per gloriam potentiae suae, quam charismatis et miraculis illustrem reddidit, et per quam[12] insignia, maximaque promissa donata nobis sunt, ut eorumdem[13] consequutione consortes divinae naturae evadamus. E quibus sane liquet, eodem intimo nexu

δύναμιν, de divinis charismatis, patratisque miraculis accipiunt.

[6]) Reddidi particulam *ἵνα*, ac si *eventum* significaret; sed ea potest quoque Pauli *consilium* significare. Unde Theodoritus: *Τούτου γὰρ χάριν οὐκ εἴασεν ἡμᾶς εὐγλωττίᾳ χρήσασθαι ὁ Δεσπότης, ἵνα ὑμῶν ἡ πίστις ἀνύποπτος φαίνηται, οὐ δεινότητι λόγων ὑπαχθεῖσα, ἀλλὰ τῇ δυνάμει ποδηγηθεῖσα τοῦ πνεύματος.*

[7]) I. Thess. II. 13.

[8]) Rom. X. 17; ubi *ἀκοή* per metonymiam illud idem est quod auribus percipitur, *τὸ ἄκουσμα.*

[9]) II. Petr. I. 3—5.

[10]) Active sumo participium *δεδωρημένης*, ne id desit, quo vox *πάντα* regatur.

[11]) Quod Petrus ait, *διὰ τούτων*, scilicet, *τῶν ἐπαγγελμάτων*, intelligi dupliciter potest, vel *ut hisce exciti promissis*, vel *ut horum promissorum consequutione.* Posterior acceptio commodior est, aptiusque cum orationis serie cohaeret.

[12]) Dictio *per quam*, graece *δι' ὧν*, non *δι' ὄν*, refertur ad *δόξην καὶ ἀρετήν.*

[13]) Absurde Clericus Artis Criticae P. II. S. I. c. III. n. 6. docet, verba Petri, *κοινωνοὺς γενέσθαι θείας φύσεως*, exponenda ex iis esse quae habent Sextus Empiricus, Epictetus et Hierocles, qui ad aureum versum:

Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός:

subdit, his *moralem cum Deo similitudinem* efferri, propter quam de Polemone et Cratete scribit, eos fuisse *θεούς τινας, ἢ λείψανα τοῦ χρυσοῦ γένους.* Etenim tum gentilium effata ad *realem illustrationem* non inutiliter adhibentur, quum sermo de iis est, quae gentilibus iuxta atque christianis fuere *communia.* Atqui doctrina de consortio cum Deo *propria* omnino est christianorum. Sed de huiusmodi abusu confer quae tradit Laurentius Moshemius in dissertatione inscripta: „Cogitationes de eo quod iustum est circa sacrarum litterarum ex profanis scriptoribus interpretationem et emendationem.“

spem, eorumque consequutionem quae promissa sunt, cum fide, salutarique cognitione devinciri, quo fides ipsa, salutarisque cognitio cum *gloriosa Dei potentiae* signis, portentisque declarata cohaeret.

Quare Christus qui de iudaeis [14] dixerat, *εἰ μὴ ἦλθον, καὶ ἐλάλησα αὐτοῖς, ἁμαρτίαν οὐκ εἶχον· νῦν δὲ πρόφασιν οὐκ ἔχουσι περὶ τῆς ἁμαρτίας αὐτῶν*, nisi venissem in mundum, eosque auctorem mei adventus edocuissem, non peccarent si me reiicerent; nunc autem nihil habent quod praetexant [15], ut a suo se peccato purgent: mox [16] subiecit, *εἰ τὰ ἔργα μὴ ἐποίησα ἐν αὐτοῖς, ἃ οὐδεὶς ἄλλος πεποίηκεν, ἁμαρτίαν οὐκ εἶχον· νῦν δὲ καὶ ἑωράκασι, καὶ μεμισήκασι καὶ ἐμὲ καὶ τὸν πατέρα μου*, nisi prodigia [17] coram eis [18] fecissem, quae nemo alius edidit, non peccarent; nunc autem et ea viderunt, suisque oculis usurparunt, et me tamen, Patremque meum oderunt. Nullus ergo eis est tergiversandi locus, quum non ignorantia, sed animi pervicacia illis fraudi sit. Quae idcirco subiecit, ut ostenderet, fidem e praedicatione atque magisterio ita pendere, ut praedicatio ipsa ac magisterium *operibus* indigeat, quae illi pretium, auctoritatemque concilient.

Hinc quum duodecim quos elegerat, primum ad praedicandum misit, non praescripsit modo [19] quod annunciarent, inquiens: *πορευόμενοι δὲ κηρύσσετε, λέγοντες· ὅτι ἤγγικεν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν*, euntes autem praedicate dicentes, quod appropinquavit [20] regnum coelorum; sed amplissimam praeterea signorum potestatem [21] contulit, subdens: *ἀσθενοῦντας θεραπεύετε* [22], *λεπροὺς καθαρίζετε, δαιμόνια ἐκβάλλετε*, infirmos curate, leprosos mundate, daemones eiicite. Et quum eosdem solemnius misit non ad unum Israelis populum, sed ad gentes universas, dixit [23] quidem: *πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα, κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει*, euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae; sed continuo etiam [24] adiecit: *σημεῖα δὲ τοῖς πιστεύσασι ταῦτα παρακολουθήσει· ἐν τῷ ὀνόματί μου δαιμόνια ἐκβαλοῦσι· γλώσσαις λαλήσουσι καιναῖς· ὄφεις ἀροῦσι· κ. τ. λ.* Unde his verbis [25] evangelista narrationem absolvit: *ἐκεῖνοι δὲ ἐξελθόντες ἐκήρυξαν πανταχοῦ, τοῦ κυρίου συνεργοῦντος, καὶ τὸν λόγον βεβαιοῦντος διὰ τῶν ἐπακολουθούντων σημείων.*

[14]) Joh. XV. 22.

[15]) Est enim saepe *πρόφασις* excusatio, praetextus, caussa quam quis affert, sive vera, sive falsa sit. Hesychius, *πρόφασις· αἰτία.*

[16]) Joh. XV. 24.

[17]) Hoc sensu *τὸ ἔργον*, ut hebraicum מַעֲשֶׂה, frequenter accipitur, Matth. XI. 2, Joh. V. 36, IX. 3—4, Luc. XXIV. 19: *δυνατὸς ἐν ἔργῳ.*

[18]) Ita Syrus reddit graeca *ἐν αὐτοῖς.*

[19]) Matth. X. 7.

[20]) Quod iam imminet novi foederis institutio.

[21]) Matth. X. 8.

[22]) Vulgatus interserit, *mortuos suscitate*, atque adeo ante, *λεπροὺς καθαρίζετε*, legit, *νεκροὺς ἐγείρετε.* Sed haec additio idonea auctoritate destituta videri potest.

[23]) Marc. XVI. 15.

[24]) Ibid. v. 17.

[25]) Ibid. v. 20.

197. Quae si probe teneantur, ac numquam ex animo excidat arctissimus ille nexus, quo auctoritas apostolici magisterii cum signorum facultate copulatur; videri impeditum non poterit *κριτήριον* praefinire, quo *exercitium supremi magisterii* cognoscatur. Fac enim apostolorum aliquem in ecclesiae primordiis extitisse, qui iura, officiaque supremi omnium magistri expleverit. Quo, quaeso, pacto id deprehendes? credo, si quem repereris, qui constanter, omniumque primus et verbum veritatis annunciarit, annunciatumque omnium primus signis, editisque portentis confirmarit. Fac rursum id consilii fuisse Lucae, ut aliquem ex apostolis, tamquam supremum omnium magistrum repraesentaret. Unde, amabo, id tuto colligas? non aliunde, puto, quam ex ipsa narrationis forma, modoque scribendi, quo unum prae ceteris Lucas constanter exhibuerit, qui et in praedicando evangelio, signisque confirmando omnibus antecelluerit. Sunt ista perspicua, neque ad arbitrium excogitata, sed ex ipsis rerum naturis hausta ac depromta.

Sed horum quidnam est, quod in unum Petrum non aptissime cadat? non sane primum, quum ex historia Actorum [26] is sit, qui primus, immo unus propemodum et evangelium praedicat, praedicationemque suam ac magisterium signis, miraculisque tuetur. Non alterum, quum Lucas non secus in signis, quam in concionibus referendis versetur: atque adeo vix alterius [27] quam unius Petri sermones, editaque signa commemoret, diligenterque describat.

198. Quare in eam venio cogitationem, idem consilium fuisse Lucae in referendis Petri miraculis, quod fuit Johanni in iis enarrandis quae ad Christum pertinerent. Existimo non minus Lucam eo spectasse, ut rei summam ad Petrum delatam ostenderet, quam eo Johannes spectaverit, ut Christum apostolici collegii ducem, magistrumque demonstraret. Puto tandem non minus voluisse Lucam editis a Petro miraculis fidem ecclesiae conciliare, quam miraculis Christi [28] voluerit Johannes fidem in eum, tamquam in verum Dei Filium stabilire.

199. Enimvero adiuncta utriusque narrationis ea sunt, quae hanc consilii, susceptique propositi similitudinem non obscure persuadent. Ex iis aliqua consideremus. Sicut Johannes miracula Christi potissimum refert; ita Lucas vix alterius quam unius Petri miracula narrat. Sicut Johannes in id incumbit, ut Christus dictis gestisque inter apostolos emineat, ac uti illorum caput praecellat; ita Lucas, ceteris levissime adumbratis, in iis recensendis totus est, quae ad

[26]) Recole praecedentia, illisque adde quae Baronius in Annalibus, ad an. XXXIV. §. CCXLII. his verbis scribit: „Cur autem Petrus prae ceteris, tam ad suorum defensionem, quam aliorum ad fidem conversionem, verbi praedicationem exorditur, nisi quia primatum tenet inter apostolos? unde (homil. III. ad populum antioch.) Chrysostomus: Petrus, inquit, agit caussam omnium, primus verbum Dei praedicat, quia primus est omnium.“

[27]) Quod ex Actorum lectione perspicuum est.

[28]) Joh. XX. 31: *Ταῦτα δὲ γέγραπται, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, καὶ ἵνα πιστεύοντες ζωὴν ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ.*

Petrum pertinent, illumque reliquis antepositum significant. Sicut Johannes in referendis Christi miraculis ea persequitur diligenter, quae edita ab eo fuisse probant, ut suam ipse missionem, divinamque e Patre originem manifestaret; ita Lucas narrationem sic dirigit, ut ecclesiae primordia, accessiones, auctoritatemque Petri miraculis tribuenda esse demonstret.

Quemadmodum igitur evangelii Johannis lectio accommodatissima censetur, ut quis primum credat, narrationem dictorum, signorumque Christi *primo* ac *per se* evangelistae fuisse propositam, reliquorum vero ad discipulos spectantium nonnisi *ὡς ἐν παρόδῳ*, alterove gradu: deinde vero ut sibi persuadeat, in iis quae Christi propria sunt colligendis tantum propterea operis impendisse Johannem, quod Christum omnium caput demonstratum vellet, eiusque temporariam e Patre missionem, sempiternamque originem patefactam; ita Actorum lectio quae animo a praeiudiciis vacuo instituatur, comparata sic est, ut fidem luculenter faciat: I. Lucam, quum dicta gestaque ceterorum apostolorum in secundis habuerit, *per se* ac *potissimum* ad ea respexisse, quae ad Petrum referebantur: haec autem II. ea cura litteris consignasse, ut fugere neminem posset, Petrum non fuisse inter apostolos veluti unum e reliquis, sed illis praefuisse, et versatum non aliter cum iis esse ac Christus cum iisdem, quum adhuc mortalem degeret vitam, versaretur.

200. Quae similitudo duplici praeterea ex capite et illustrari plenius, et expoliri enucleatius potest. Si enim quae Lucas narrat Petri miracula cum iis componantur, quae de Christi miraculis evangelistae scribunt, ad unum expressa typum non immerito videbuntur. Sane quod priore loco [29] de Petro refertur, simillimum illi est quod de Christo Johannes [30] describit: quae vero sequuntur [31] duo, ab iis vix discrepant quae inter praestantiora Christi signa [32] recensentur. Quod ut usurpari propemodum oculis possit, unius alteriusve narrationem e regione collocabo.

Joh. V. 5—10. *Ἦν δέ τις ἄνθρωπος ἐκεῖ, τριάκοντα ὀκτὼ ἔτη ἔχων ἐν τῇ ἀσθενείᾳ. Τοῦτον ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς κατακείμενον...., λέγει αὐτῷ· θέλεις ὑγιὴς γενέσθαι; ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ ἀσθενῶν· κύριε, ἄνθρωπον οὐκ ἔχω, ἵνα, ὅταν ταραχθῇ τὸ ὕδωρ, βάλῃ με εἰς τὴν κολυμβήθραν· ἐν ᾧ δὲ ἔρχομαι ἐγώ, ἄλλος πρὸ ἐμοῦ καταβαίνει. Λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ἔγειραι, ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ περι-*

Act. III. 2—8. *Καί τις ἀνὴρ χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ ὑπάρχων, ἐβαστάζετο. ...... Ὃς ἰδὼν Πέτρον καὶ Ἰωάννην μέλλοντας εἰςιέναι εἰς τὸ ἱερόν, ἠρώτα ἐλεημοσύνην. Ἀτενίσας δὲ Πέτρος εἰς αὐτὸν σὺν τῷ Ἰωάννῃ, εἶπε· βλέψον εἰς ἡμᾶς. ὁ δὲ ἐπεῖχεν αὐτοῖς, προςδοκῶν τι παρ' αὐτῶν λαβεῖν. Εἶπε δὲ Πέτρος· ἀργύριον καὶ χρυσίον οὐκ ὑπάρχει μοι· ὃ δὲ ἔχω, τοῦτό σοι δίδωμι· ἐν τῷ ὀνόματι*

[29]) Act. III. 6—9.

[30]) Joh. V. 6—10.

[31]) Act. IX. 33—35, 37—42.

[32]) Matth. IX. 6—7, Marc. II. 3—13, V. 41—43, Luc. V. 18—26.

πάτει. Καὶ εὐθέως ἐγένετο ὑγιὴς ὁ ἄνθρωπος· καὶ ἦρε τὸν κράββατον αὐτοῦ, καὶ περιεπάτει.

Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Ναζωραίου ἔγειραι καὶ περιπάτει. Καὶ πιάσας[33] αὐτὸν τῆς δεξιᾶς χειρὸς ἤγειρε. παραχρῆμα δὲ ἐστερεώθησαν[34] αὐτοῦ αἱ βάσεις καὶ τὰ σφυρά, καὶ ἐξαλλόμενος ἔστη, καὶ περιεπάτει.

Luc. IV. 40. Δύνοντος δὲ τοῦ ἡλίου, πάντες ὅσοι εἶχον ἀσθενοῦντας νόσοις ποικίλαις, ἤγαγον αὐτοὺς πρὸς αὐτόν· ὁ δὲ ἑνὶ ἑκάστῳ αὐτῶν τὰς χεῖρας ἐπιθεὶς, ἐθεράπευσεν αὐτούς.

Act. V. 15—17. Ὥςτε κατὰ τὰς πλατείας ἐκφέρειν τοὺς ἀσθενεῖς, καὶ τιθέναι ἐπὶ κλινῶν καὶ κραββάτων, ἵνα ἐρχομένου Πέτρου κἂν ἡ σκιὰ ἐπισκιάσῃ τινὶ αὐτῶν. Συνήρχετο δὲ καὶ τὸ πλῆθος τῶν πέριξ πόλεων εἰς Ἱερουσαλήμ, φέροντες ἀσθενεῖς καὶ ὀχλουμένους ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων· οἵτινες ἐθεραπεύοντο ἅπαντες.

201. Alterum accedit similitudinis caput, quod praetermissum nolim, quodque inde repeti debet, populos ac turbas non aliter Petrum inter apostolos considerasse, quam antea Christum inter eosdem spectaverint. Sicut enim unice vel potissimum ad Christum se recipiebant, atque ad eum confluebant ut benefacta omnigena consequerentur; ita reliquis apostolis secundo loco habitis, unum quaerebant Petrum, ad eum convolabant, illumque, ut praesto sibi esset, deprecabantur. Quapropter Lucas indicatis[35] brevissime miraculis, quae Deus per apostolos patrabat, ad Petrum mox progreditur, editisque ab eo signis[36] incrementa fidelium nominatim adscribit, eaque narrat[37] mira prorsus et inaudita quae antecedente paragrapho posteriore loco retulimus.

[33]) Christus etiam, inquit Lorinus ad Act. III. 7, puellae a se suscitatae manum (Matth. VIII. 23—25.) tenuit: et oculos coecorum (Matth. IX. 29, Joh. IX. 6.) tetigit, et Petrum naufragantem apprehendit (Matth. XIV. 31.) manu extensa: et leprosum sanans (Matth. VIII. 3.) tetigit: et manum (Matth. VIII. 15.) socrus Petri febricitantis: et auriculas ac linguam (Marc. VII. 33.) surdi et muti: et virtutes per manus eius (Marc. VI. 2.) efficiebantur: et infirmos impositis manibus (Marc. VI. 5, Luc. IV. 40, XIII. 13.) curabat: promittens (Marc. VI. 18.) discipulos eodem modo esse curaturos.

[34]) Huc faciunt Ambrosii verba, quibus huius occasione miraculi Serm. LXVIII. scribit: „Petrus petra est, super quam (Matth. XVI. 18.) aedificatur ecclesia; ideoque sicut in ecclesia fidei fundamentum continet, ita et in homine membrorum fundamenta confirmat.“

[35]) Act. V. 12: Διὰ δὲ τῶν χειρῶν τῶν ἀποστόλων ἐγίνετο σημεῖα καὶ τέρατα ἐν τῷ λαῷ πολλά.

[36]) Ibid. vv. 14. seqq.

[37]) Cum vero, inquit Baronius ad an. XXXIV. §. CCLXIX, non Petrus tantum, sed et ceteri apostoli Jerosolymis essent; quidnam est quod oculi omnium convertuntur in Petrum? quid ista in plateis aegrotantium exhibitio, ut veniente Petro, umbra saltem illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur omnes

Cum quibus ea insuper componi debent, quae de turbis ad Christum accedentibus Matthaeus [38] tradit: *Καὶ προςῆλθον αὐτῷ ὄχλοι πολλοί, ἔχοντες μεθ' ἑαυτῶν χωλούς, τυφλούς, κωφούς, κυλλούς, καὶ ἑτέρους πολλούς· καὶ ἔῤῥιψαν αὐτοὺς παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ· καὶ ἐθεράπευσεν αὐτούς.* Vel nihil alteri simile est, vel haec similia iis sunt quae de Petro perhibentur; et quo manifestius ostendunt Petrum ad pleniorem cum Christo similitudinem provectum, eo demonstrant evidentius, Petri ministerium illius continuationem censeri oportere, quod Christus inchoaverat.

CAPUT XVIII.

Consilium Christi de ratione propagandae ecclesiae: — Petrus delectus, ut qui illud potissimum exequeretur: — eiusdem gesta Samariae: — talia sunt quae unice caput decebant: — haereticorum principem princeps ipse apostolorum detegit atque damnat: — difficultas incidens: — protestantium de ea opiniones: — examini subiiciuntur et refutantur.

202. Qui de semetipso [1] testabatur, *οὐκ ἀπεστάλην εἰ μὴ εἰς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ,* etsi omnium redemptor, a Patre tamen, uti apostolus [2] missus non sum, nisi ad [3] oves deperditas [4] domus israeliticae:

non ab uno vel altero, sed ab omnibus quibus tenerentur morbis? certe quidem non per Petrum tantum, sed per ceteros etiam apostolos fieri solita signa et prodigia ..... testatur Lucas. Verum sicut inter omnes apostolos Petrus a Christo primatu in omnes est auctus, ita etiam praeclariora quaedam et insigniora ab eo miracula edi concessit. Hinc solius Petri fuisse curare languentes umbra corporis transeuntis, satis evangelista declarat: nam si id apostolorum ceterorum umbra praestitisset, quid tanta compressio in exponendis infirmis, quos Petri transeuntis umbra curaret? Unde Arator diaconus, qui heroico carmine eadem cecinit Acta apostolorum, dum de his agit, haec egregie:

Excute Petre gradus: tecum medicina salutis
Ambulat: adde viam: pes is est ad gaudia velox,
In pedibus non esse moram: tua semita vita est.
Si properas, iam nemo iacet: tu motibus umbrae
Corpora cuncta levas; atque hoc simul inscia voti
Sumit turba tacens, quod cum rogat accipit unus.
Quaerite quos agitat tanti reverentia facti,
Quid typicum res ista ferat: librisque volutis
Noscite quod *soli* concessa est gloria *Petro*.

[38]) Matth. XV. 30—32.

[1]) Matth. XV. 24.

[2]) Quo nomine Christus appellatur Hebr. III. 1.

[3]) Usu rariore *εἰς* pro *πρός*.

[4]) Quibus et prophetarum vaticiniis promissus fuerat, unde Rom. XV. 8. *minister circumcisionis*, idest, *circumcisorum* dicitur.

qui apostolis, quum illis primum annunciandi evangelii [5] munus credidit, praeceperat, *εἰς ὁδὸν ἐθνῶν μὴ ἀπέλθητε, καὶ εἰς πόλιν σαμαρειτῶν μὴ εἰςέλθητε· πορεύεσθε δὲ μᾶλλον πρὸς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ*, in viam gentium ne abieritis, et in [6] civitatem samaritanorum [7] ne intraveritis; sed potius ite ad devias oves [8] populi Israelis; idem iam mortis victor, relatoque triumpho ad dexteram Patris ascensurus his verbis apostolos [9] compellavit, *λήψεσθε δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ᾽ ὑμᾶς, καὶ ἔσεσθέ μοι μάρτυρες ἔν τε Ἱερουσαλὴμ καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ Σαμαρείᾳ, καὶ ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς*. Quibus haec omnino sententia subest: accepta virtute supervenientis in vos Spiritus-sancti, testimonio vestro, vestraque praedicatione in Jerusalem primum universaque Judaea, in Samaria deinde, ac postremo ubivis terrarum [10] meam ecclesiam aedificabitis, regnumque meum instituetis.

203. Quod adamussim perfectum, absolutumque Actorum historia demonstrat, e qua novimus non antea samaritanis quam iudaeis, neque antea gentilibus quam utrisque evangelii lucem affulsisse, verbumque veritatis fuisse propositum. Immo et alterum demonstrat, quod est cum praesenti tractatione coniunctissimum: unum videlicet eumdemque Simonem Petrum caussam fuisse principem, qua usus est Christus, ut suum de ratione diffundendae ecclesiae consilium exequeretur.

Et de ecclesiis sane apud iudaeos collectis dubitari non potest, quin ea in controversiam adducantur quae certis hactenus luculentisque testimoniis comprobavimus. Reliquum est igitur, ut de ecclesiis gentium postremo dicturi, nunc ostendamus, ministerio potissimum Petri ad mysticum Christi corpus, regnumque quod universum hominum genus erat complexurum, samaritanos accessisse.

204. Itaque ea saeviente [11] contra hierosolymitanam ecclesiam persequutione, qua Stephanus [12] martyrium fecit, fusoque sanguine veritatem evangelii sancivit, Christo omnia moderante, factum est, ut apostolis Hierosolymae manentibus, ex iis [13] qui *διασπαρέντες* disseminati vagabantur et annunciabant *τὸν*

[5]) Matth. X. 5—6.

[6]) Vulgatus, *in civitates:* recte, singularis enim numerus *collective* usurpatur.

[7]) Quamquam samaritani, Joh. IV. 12, se dicerent *Jacobi filios*, non minus tamen ab iudaeis separantur quam gentiles, utpote qui Joh. IV. 22. nescirent quid adorarent.

[8]) Vult Christus integra iudaeorum privilegia; erant enim illi Matth. VIII. 12. *filii regni*, illi receperant promissiones, atque adeo, Act. XIII. 46, illis praedicari primum oportebat verbum Dei.

[9]) Act. I. 8. coll. Rom. X. 18.

[10]) Phrasis, *ἕως ἐσχάτου* (*πέρατος*) *τῆς γῆς*, respondet alteri, Marc. XVI. 15, *εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα*.

[11]) Act. VIII. 1—4.

[12]) Ibid. VII. 56—59.

[13]) In libello optimae frugis, quem Beda inscripsit, *Retractatio in Acta Apostolorum*, legimus: „Pro *dispersis*, in graeco habetur *disseminatos*. Nam ipsi erant de quibus dixit Esaias: omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus; et de quibus Dominus in parabola evangelii: semen autem bonum, hi sunt filii regni. Disseminatum est ergo hoc semen per re-

λόγον, ***verbum***, quod *ἐμφατικῶς* et *κατ' ἐξοχὴν ὁ λόγος*[14] dicitur, Philippus[15] veniret *εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας*, Samariam[16], eiusque civibus *τὸν Χριστὸν* Messiam praedicaret. Adfuit Deus sanctissimis Philippi studiis, suoque numine plantantis, rigantisque curas fovens effecit, ut quamplurimi[17] fidem illi adiungerent annuncianti *τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ ὀνόματος Ἰησοῦ Χριστοῦ*, quae ad regnum Dei, nomenque Christi Jesu pertinebant, credentes vero *ἄνδρες τε καὶ γυναῖκες* homines iuxta ac mulieres baptizarentur.

205. Verum inchoata diaconi praedicatione ecclesia citra spem omnem progressionis necessario exaruisset, nisi operam contulissent suam, qui a Christo dignitate patrum[18] ornati, eam perficere, manibusque impositis divini Spiritus donis cumulare poterant. Est enim, uti ex unanimi christianorum[19] sententia Cyprianus[20] loquitur, ecclesia in episcopo, ita ut ***si quis cum episcopo non sit, in ecclesia non sit:*** est ***plebs sacerdoti coadunata***, ***et pastori suo grex adhaerens:*** est[21] ***portio gregis singulis pastoribus adscripta.*** Unde Hieronymus[22] de luciferianorum factione, quae diaconum habuerat auctorem, inquit: „Cum homine pariter interiit et secta, quia post se nullum clericum diaconus potuit ordinare. Ecclesia autem non est quae non habet sacerdotem." Neque sane mirum: ecquid enim est ecclesia quaevis? corpus Christi mysticum atque visibile. Suo ergo visibili capite minor esse non potest. Est autem uniuscuiusque ecclesiae visibile caput episcopus, qui Christum exprimit, praesentemque sistit. Apposite[23] Ignatius: „Hortor ut hoc sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere, *προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν διακόνων, τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων, πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ*, episcopo praesi-

giones, ut messis fidei quae in Hierosolymis coepta est, primo Judaeam et Samariam, deinde totum orbem impleret."

[14]) Eodem pacto quo Galat. VI. 6.

[15]) Act. VIII. 5: „Et hic, inquit Beda in libello superius indicato, ex numero disseminatorum erat, qui primus Samariae Christum praedicabat, coeptumque *per diaconum*, quod ait apostolis Christus: *et eritis mihi testes in Hierusalem, et in omni Judaea et Samaria.*" Enimvero Philippum non fuisse unum *e duodecim*, inde patet, quod Act. VIII. 1. duodecim Hierosolymae constitisse perhibentur, et quod Act. VIII. 16. potestate caruerit, qua manuum impositione Spiritum-sanctum impertiretur. Fuisse vero unum e septem diaconis, consensione totius christianae antiquitatis ostenditur, tum Philippi nomine, quod in recensendis diaconis Act. VI. 5. occurrit.

[16]) Quum Samaria nomen esset regionis et urbis, et de regione saepissime adhiberetur, heic *πόλις τῆς Σαμαρείας* est ipsa metropolis.

[17]) Act. VIII. 12. Vulgatus paullo aliter legit.

[18]) Joh. XX. 21—22: *Λάβετε πνεῦμα ἅγιον.*

[19]) De qua confer Beveregium in annotationibus ad canonem primum et secundum apostolicum.

[20]) Epist. LXIX.

[21]) Epist. LV.

[22]) Dialog. con. Luciferianos.

[23]) Epist. ad Magnes. §. VI.

dente Dei loco, et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis mihi suavissimis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi." Et [24] alibi: „Ὅτ' ἂν γὰρ τῷ ἐπισκόπῳ ὑποτάσσεσθε ὡς Ἰησοῦ Χριστῷ, φαίνεσθέ μοι οὐ κατὰ ἄνθρωπον ζῶντες, ἀλλὰ κατὰ Ἰησοῦν Χριστόν..... Ἀναγκαῖον οὖν ἐστιν..... ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν πράσσειν ὑμᾶς· ἀλλὰ ὑποτάσσεσθε καὶ τῷ πρεσβυτέρῳ, ὡς τοῖς ἀποστόλοις Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς ἐλπίδος ἡμῶν." Quibus mox [25] addit: „Ὁμοίως πάντες ἐντρεπέσθωσαν τοὺς διακόνους ὡς ἐντολὴν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἐπίσκοπον ὡς ὄντα τύπον τοῦ πατρός· τοὺς δὲ πρεσβυτέρους ὡς συνέδριον θεοῦ, καὶ ὡς σύνδεσμον ἀποστόλων. χωρὶς τούτων ἐκκλησία οὐ καλεῖται. Cuncti similiter revereantur diaconos ut mandatum Jesu Christi: et episcopum ut eum qui est figura Patris: presbyteros autem ut consessum Dei, et ut coniunctionem apostolorum. Sine his ecclesia non vocatur."

206. Itaque ad apostolos qui Jerosolymis constiterant, delata quam primum res fuit, qui [26] quum audissent, ὅτι δέδεκται ἡ Σαμάρεια τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, non paucos e Samariae civibus Christi fidem [27] amplexos esse, ἀπέστειλαν πρὸς αὐτοὺς τὸν Πέτρον καὶ Ἰωάννην, miserunt ad eos Petrum et Johannem, qui [28] orantes pro ipsis ut Spiritum-sanctum acciperent, ἐπετίθουν τὰς χεῖρας ἐπ' αὐτούς, καὶ ἐλάμβανον πνεῦμα ἅγιον, imponebant super illos manus, illique Spiritum-sanctum accipiebant. Divina igitur Christi providentia ita regni sui propagationi consuluit, ut Petrum, Johannemque delegerit, qui institutam apud samaritanos ecclesiam numeris omnibus perficerent. Sed ita ne, ut nullum inter utrumque discrimen interesset? nullaque Petri prae Johanne excellentior dignitas, potiorque auctoritas appareret? nemo id dixerit, qui ad Lucae verba, seriemque gestorum animum adverterit.

207. Etenim memorantur quidem Petrus et Johannes, sed ille [29] huic praeponitur: ἀπέστειλαν τὸν Πέτρον καὶ Ἰωάννην. Dum vero ea narrantur quae Simoni contigere, Johannes secundas agit partes, ac unus est Petrus qui eminet, quique instar capitis, supremique magistri αὐθεντικῶς docet, praecipit, iudicat, damnat.

Viderat [30] Simon, cognomento [31] μαγεύων, apostolica manuum impositione donari Spiritus charismata, tantamque demiratus potestatem, προςήνεγκεν αὐτοῖς χρήματα, λέγων· obtulit Petro ac Johanni pecuniam, dicens. Quid iam? licet uterque interrogetur, utrique pecunia offeratur, Johannes nihilominus tacet,

[24]) Epist. ad Trallianos. §. II.

[25]) Ibid. §. III.

[26]) Act. VIII. 14.

[27]) Multa graecorum verborum praeterita passiva accipi active, extra dubitationem positum est. Non aliter heic sumi debet δέδεκται.

[28]) Act. VIII. 15—18.

[29]) Act. v. 14.

[30]) Ibid. v. 18.

[31]) Ibid. v. 9. Glossarium, *circulo*, μαγεύω. Scholiastes antiquus Horatii ad lib. II. epistolam ultimam: „Magos dicimus, quasi magnos, a magnis rebus quas se perficere posse iactant." Quibus ista consentiunt quae Lucas de Simone mox subdit dicente, εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν.

solusque Petrus [32] respondet: *Πέτρος δὲ εἶπε πρὸς αὐτόν.* Neque respondet solum, sed profanum hominem coarguit, gravitatem criminis exaggerat, solemniterque edicit [33], non ea esse dona Dei quae pecunia comparentur: *τὸ ἀργύριόν σου σὺν σοὶ εἴη εἰς ἀπώλειαν, ὅτι τὴν δωρεὰν τοῦ θεοῦ ἐνόμισας διὰ χρημάτων* [34] *κτᾶσθαι.* Detegit [35] quae intus in animo Simon celabat: *ἡ γὰρ καρδία σου οὐκ ἔστιν εὐθεῖα* [36] *ἐνώπιον* [37] *τοῦ θεοῦ.* Illum [38] excommunicatione plectit: *οὐκ ἔστι σοι μερὶς οὐδὲ κλῆρος ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ:* ac poenitentiae cohortationem postremo subiicit [39], inquiens: *μετανόησον οὖν ἀπὸ τῆς κακίας σου ταύτης, καὶ δεήθητι τοῦ θεοῦ, εἰ ἄρα* [40] *ἀφεθήσεταί σοι ἡ ἐπίνοια τῆς καρδίας σου.* fac igitur te huius pravitatis poeniteat, Deumque exorato, si forte tibi improbum animi consilium [41] condonetur.

208. Quid iamvero hac factorum serie accommodatius ad singularem Petri *ὑπεροχὴν* commendandam? adest cum ipso Johannes, unus e coryphaeis, atque inter apostolos nobilissimus. Nihilominus non ipse est qui loquitur, qui docet, qui praecipit; sed haec omnia solus Petrus exequitur. Is enim interroganti Simoni respondet: is intestinum ulcus, quo ille laborabat, pungit atque in lucem protrahit: is rationem divinorum charismatum declarat: simoniacam labem ab ecclesia proscribit: poenitentiam indicit: et graviter, publiceque peccantem excommunicatione mulctat. Sunt enim verba excommunicationem et *ἀφορισμὸν* [42] significantia quae adhibet, inquiens: *οὐκ ἔστι σοι μερὶς οὐδὲ κλῆρος ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ.* Idem enim notant ac esto *ἀκοινώνητος.* Unde canon inter apostolicos vigesimus-secundus sic habet: *Εἴ τις ἐπίσκοπος διὰ χρημάτων τῆς ἀξίας ταύτης ἐγκρατὴς γένηται, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, καθαιρείσθω*

[32]) Act. VIII. 20. al. 19.

[33]) Ibid. v. 20.

[34]) Neque enim pretio, inquit in Apologetico Tertullianus, ulla res Dei constat. Hinc lata a Christo lex, Matth. X. 8: *Δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε.*

[35]) Act. VIII. 21.

[36]) Eodem sensu Jerem. XXII. 17: *Οὔκ εἰσιν οἱ ὀφθαλμοί σου ὀρθοί, οὐδὲ ἡ καρδία σου καλή.*

[37]) Al. *ἔναντι, ἐναντίον.*

[38]) Act. VIII. 21: Non est tibi in hoc divinorum charismatum opere neque *pars* quam emas, neque *sors* quam superna largitate nanciscaris. Nisi forte reddi simplicius verba debeant, eodemque accipi sensu *μερὶς καὶ κλῆρος.*

[39]) Act. VIII. 22.

[40]) „Omnino, inquit in Scholiis Rosenmüllerus, *εἰ ἄρα* reddendum est *ut*, non, ut vulgo, *an forte*, *si forte*, quod ab oratione et cohortatione Petri plane alienum est.“ Confidentius quam par foret. Etenim a) *εἰ ἄρα*, quibus alexandrini reddunt hebraicum אוּלַי, efferri aptius nequeunt quam *forte*, *fortasse.* Praeterea b) haec loquendi ratio est in bibliis usitatissima. Rursum c) *forte*, *fortassis*, *εἰ ἄρα*, אוּלַי, ita dubitationem referunt, ut spem eventus non praecidant, Marc. XI. 13, Num. XXII. 6—11. Quare d) praestat inhaerere verbis, et graecorum iuxta ac latinorum interpretum vestigia sequi.

[41]) Non semel *ἐπινοέω*, *ἐπίνοια*, quae *per se* omnem cogitationem denotant, in malam partem adhibentur. Ceterum hac unica vice in N. T. *ἐπίνοια* occurrit.

[42]) Cf. Suicerum ad v. *ἀφορίζω.*

καὶ αὐτός, καὶ ὁ χειροτονήσας, καὶ ἐκκοπτέσθω παντάπασι καὶ τῆς κοινωνίας, ὡς Σίμων ὁ μάγος ὑπὸ τοῦ Πέτρου. Idest e Dionysii exigui versione: „Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, per pecunias hanc obtinuerit dignitatem; deiiciatur et ipse et ordinator eius, e a communione modis omnibus abscindatur; sicut Simon magus a Petro.“ Quae postrema verba [43] in aliis codicibus, editionibusque sunt huiusmodi: *ὡς Σίμων ὁ μάγος ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου, sicut Simon magus a me Petro.*

209. Sed probabilis ne horum narratio haberi posset, nisi Petrus prae Johanne excelluisset? „Probabilis erit narratio,“ inquit [44] Tullius, „si in ea videbuntur inesse, quae solent apparere in veritate: si personarum dignitates servabuntur: si caussae factorum exstabunt.“ Atqui si eadem fuisset excellentia, eadem Petri et Johannis auctoritas, neque narrationi inessent quae comitari veritatem solent, neque dignitati personarum consultum videretur, neque factorum caussae apparerent. Quid igitur superest? istud unum, Petrum Johanni antecelluisse. Sed si Johanni antecelluit, fieri ne potuit, ut reliqui apostoli eadem cum Petro auctoritate potirentur? sunt haec *ἀσύστατα* et mutuo pugnantia. Eminuit ergo inter apostolos Petrus, ac maiorem prae illis dignitatem, auctoritatemque sortitus est.

210. Quam illius excellentiam eo etiam mihi, quantum satis esset, significasse Deus videtur, quod effecerit, ut adversus Simonem magum Simon Petrus consisteret. Ecquis enim Simon magus? videlicet [45] *πρωτότοκος διαβόλου υἱός*, haereticorum [46] coryphaeus, et in quem ista Polycarpi [47] aptissime quadrant:

[43]) De hac varia lectione scribit Beveregius: „Antiquitus ita legebatur, *ὡς Σίμων μάγος ὑπὸ τοῦ Πέτρου.* Unde Dionysius exiguus vertit, *sicut Simon magus a Petro;* et ex eo Egbertus eboracensis in Excerpt. At postea, a nescio quo canonum horum interpollatore, nova haec lectio introducta est, *ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου.* Quomodo legit et Johannes antiochenus Collect. can. tit. XI, ut et concilium nicaenum secundum can. V, et omnes graecorum tam impressi quam mss. codices, quibus adhuc gavisi sumus: et Josephus aegyptius qui sic interpretatur: *Quemadmodum ego Petrus devitavi societatem Simonis incantatoris, eumque Spiritus-sancti iussu ecclesia Dei expuli.* Haec autem corruptio ab aliquo videtur excogitata, cui persuasum fuit, hos canones vere apostolicos esse, quod ut alii quoque crederent, pro *ὑπὸ τοῦ* substituit *ὑπ' ἐμοῦ.*“

[44]) De Invent. lib. I. §. XXI.

[45]) In epist. interpolat. Ignatii ad Trallianos, §. XI.

[46]) Uti testes sunt Irenaeus, Epiphanius, aliique veteres, recentioresque haereseon enarratores.

[47]) Epist. Polycarpi, §. VII. Quum vero Irenaeus adver. Haeres. lib. III. cap. III. scribat: *Αὐτὸς δὲ ὁ Πολύκαρπος Μαρκίωνί ποτε εἰς ὄψιν αὐτῷ ἐλθόντι, καὶ φήσαντι, ἐπιγίνωσκε ἡμᾶς, ἀπεκρίθη· ἐπιγινώσκω τὸν πρωτότοκον τοῦ σατανᾶ:* dubitatio oboritur, an quae ex eiusdem ad Philippenses epistola retulimus, ad Marcionem potius quam ad Simonem pertineant. Sed dubitationem praecidit Grabius in notis ad T. I. Spicilegii, pag. 375, argumento ducto e tempore, quo epistola ad Philip-

„Omnis qui non confessus fuerit, Jesum Christum in carne venisse, antichristus est; et qui non confessus fuerit martyrium crucis, ex diabolo est; et qui eloquia Domini traduxerit ad desideria sua, dixeritque, neque resurrectionem neque iudicium esse, hic primogenitus est satanae.“

Quid porro cum Dei providentia, qua ad aequissimas leges omnia fortiter suaviterque moderatur, consonum magis, quam ut primogenito diaboli primogenitus Christi, principi haereticorum princeps doctorum, ac primo inter architectos regni satanae primus inter architectos regni Christi opponeretur? Atque ad hunc providentiae ordinem respexisse veteres visi sunt, quum Petrum[48] adversus Simonem decertantem induxerunt, quum illi[49] tribuerunt quod Romam idcirco venerit, ut Simoni obsisteret, eius fraudes, dolosque malos detegeret, editoque[50] insigni miraculo patefaceret, illum non[51] fuisse *sermonem Dei*, *speciosum*, *paracletum*, *omnipotentem*, atque *omnia Dei*, sed spurcissimum circulatorem. Hac ipsa Petri dignitate eosdem incitatos arbitror, ut[52] illius cum Apione alexandrino, disputatore[53] omnium celeberrimo, et christianis pariter iudaicisque[54] institutis infensissimo, pugnam, duellumque comminiscerentur. Neque aliunde repetendum existimo, quod antiquissimus auctor, quisquis tandem[55]

penses data fuit, inquiens: „Vivo adhuc, saltem ex opinione Polycarpi, s. Ignatio, reapse autem eodem anno, quo is Romam ad martyrium deductus erat, idest CVIII. aut CX. aerae christianae, exaratam esse clausula eius docet. At vero tunc Marcion nondum ab ecclesia separatus erat, utpote qui primum ob fractum castitatis votum, non ob haeresim, a proprio patre, pio episcopo, excommunicatus, Romam venit anno CXXVII, ac ibi demum sectam condere coepit, atque *invaluit sub Aniceto, decimum locum episcopatus* (Romae) *continente*, ut iterum ab Irenaeo lib. III. cap. IV. memoriae proditum est. Ex quibus conficitur, non Marcionem, sed eius praedecessorem Simonem per *πρωτότοκον* diaboli intelligendum esse.“

48) Constit. Apostolic. lib. VI. cap. VIII.

49) Ibid. cap. IX, Eusebius H. E. lib II. cap. XIV, Hieronymus in Catalogo, Ado in Chronicis, alii.

50) Cf. Cotelerii notas ad cap. IX, lib. VI. Constitutt. Apostolicarum.

51) Hieronymus in comm. ad Matth. XXIV. 5: „Quorum (pseudoprophetarum) unus est Simon samaritanus, quem in Actibus Apostolorum legimus, qui se magnam dicebat esse Dei virtutem, haec quoque inter cetera in suis voluminibus scripta dimittens: *ego sum sermo Dei*, *ego sum speciosus*, *ego paracletus*, *ego omnipotens*, *ego omnia Dei*.“

52) Eusebius H. E. lib. III. cap. XXXVIII, Photius cod. CXIII.

53) De quo Plinius Hist. Nat. lib. I. scribit: „Apion grammaticus, quem Tiberius Caesar cymbalum mundi vocabat, quum publicae famae tympanum potius videri posset.“

54) Josephus Antiquitt. Judaic. lib. XVIII. cap. X, et in opere contra eumdem; adversus quem Romae disputasse Philonem illius antagonistam, narrant Eusebius H. E. lib. II. cap. XVII, et Hieronymus in Catalogo, *de Philone*.

55) Vide Cotelerii iudicium de Clementinis.

ille fuerit, epistolae Clementis ad Jacobum, his eam verbis [56] inchoaverit: „*Γνώριμον ἔστω σοι, κύριέ μου, ὅτι Σίμων, ὁ διὰ τὴν ἀληθῆ πίστιν, καὶ τὴν ἀσφαλεστάτην αὐτοῦ τῆς διδασκαλίας ὑπόθεσιν, τῆς ἐκκλησίας θεμέλιος* [57] *εἶναι ὁρισθείς, καὶ δι' αὐτὸ τοῦτο ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Ἰησοῦ ἀψευδεῖ στόματι μετονομασθεὶς Πέτρος· ἡ ἀπαρχὴ τοῦ κυρίου ἡμῶν· ὁ τῶν ἀποστόλων* [58] *πρῶτος, ᾧ πρώτῳ ὁ πατὴρ τὸν υἱὸν ἀπεκάλυψεν· ὃν ὁ Χριστὸς εὐλόγως ἐμακάρισεν· ὁ κλητὸς καὶ ἐκλεκτός, καὶ συνέστιος, καὶ συνοδοιπόρος· ὁ καλὸς καὶ δόκιμος μαθητής· ὁ τῆς δύσεως τὸ σκοτεινότερον τοῦ κόσμου μέρος, ὡς πάντων ἱκανώτερος, φωτίσαι κελευσθείς, καὶ κατορθῶσαι δυνηθείς.* Notum tibi sit, Domine mi, quod Simon, qui propter veram fidem et firmissimam doctrinae suae basim, ecclesiae fundamentum esse definitus est; atque ob id ab ipso Jesu, ore non fallaci, transnominatus est Petrus; primitiae Domini nostri; apostolorum primus; cui primo Pater Filium revelavit; quem Christus merito beatum praedicavit; vocatus et electus; et convictor et comes, bonus ac probatus discipulus; qui Occidentis obscuriorem mundi plagam, ut omnium magis idoneus, illustrare praeceptus est; nec non instaurare potuit."

211. Heic autem suspicio est non defuturos, qui nos imprudentiae accusent, nobisque vitio vertant, quod inde Petri praerogativas statuere ac illustrare contenderimus, unde eaedem impeti, ac, si protestantibus credimus, funditus labefactari posse videntur. Ecquid enim est, aiunt Lutherus [59], Calvinus [60] et Theodosius Gibellinus [61], quod Acta referunt? nimirum [62] quod apostoli Petrum miserint Samariam. Sed qui contingere potuit, ut Petrus ab apostolis mitteretur, si his auctoritate praestitisset, immo nisi minor universo collegio fuisset? Quam consequutionem subtilius, uberiusque confirmare studet Franciscus Turrettinus [63] his verbis: „Petrus ab aliis apostolis mittitur ad samaritanos. Ergo non potuit esse oecumenicus pontifex, quia illi repugnabat ab aliis delegari. Imo hinc clare colligitur auctoritatem fuisse totius corporis, non privati alicuius, nec Petri in specie, qui toti collegio subiicitur. An Pontifex facile ferret se mitti aliquo ad evangelii praedicationem [64] a cardinalibus vel episcopis? Nec dici potest cum Perronio, missionem istam factam fuisse rogatu apostolorum, non vero ex auctoritate. Quia nihil tale extat [65] in textu, sed tantum hoc factum communi et concordi consilio, eodem modo, quo alibi [66] Paulus et Barnabas dicuntur missi, et [67] Silas et Judas. Licet autem aequalis mittatur ab aequali,

[56]) n. I.

[57]) Matth. XVI. 18.

[58]) Unde Arnobio in Ps. CXXXVIII. Petrus est *episcopus episcoporum*.

[59]) De potestate Papae.

[60]) Institutt. lib. IV. cap. VI. n. 7.

[61]) Caesareo-Papiae, Par. I. cap. II.

[62]) Act. VIII. 14.

[63]) Locus XVIII. q. XVII. §. V.

[64]) Atqui non ad praedicandum evangelium missus dicitur Petrus, sed ut expleret ac Spiritus communicatione absolveret quod Philippus inchoaverat.

[65]) Quasi vero in textu legeretur, pro imperio missum fuisse Petrum.

[66]) Act. XI. 22.

[67]) Act. XV. 17. Sed nonne quum de interpretandis agitur verbis amplissimae

non sequitur superiorem mitti ab inferiori, quod est auctoritatis; vel eum qui mittitur, posse imperium obtinere in eos a quibus mittitur.“ Hactenus ille plura congerens, quibus nihil sani subest, nihil quod excogitatum prudenter, graviterque dictum videatur.

212. Ut enim reliqua tacitus praeteream, a Turrettino quaeram, unde putet adversus Petri praerogativas propter creditam illi missionem periculum creari. E *verbis* ne, quibus Lucas utitur; an *e re ipsa*, *negotioque* quod narrat? e verbis non censuerim, quum *ἀποστέλλω* pariter ac *πέμπω* tam de maioribus prae minoribus, quam de aequalibus, ac de minoribus etiam prae maioribus adhiberi possint, et plus semel adhibita reperiantur. Sed neque e re ipsa, negotioque quod Petro commissum fertur. Missio enim effectus est, quem Schola *aequivocum* diceret, quique non ab unica caussa necessario profluit; sed quemadmodum ex imperio, nutuque maioris, ita ex aequalis minorisve consilio, precibus, adhortatione dimanare potest. Quae nisi essent omnibus compertissima, mei esse muneris arbitrarer, fidem illis, evidentiamque conciliare. Nunc quum sint explorata, relinquitur, neutro ex capite potiorem Petri dignitatem in periculum vocari.

213. Sed nonne contingere *potuit*, ut apostolorum auctoritate ac praecepto Petrus et Johannes Samariam mitterentur? satius fuerit percontari, *probabile* ne videri debeat factum id esse, aut fieri etiam potuisse. Jamvero et ratio eorum qui mittere, quive mitti perhibentur, et Scripturarum analogia, et quae missionem comitata sunt, omnem eiusmodi opinioni speciem veri, probabilitatisque detrahunt.

Qui enim mittunt, sunt [63] apostoli: *ἀκούσαντες δὲ οἱ ἐν Ἱεροσολύμοις*

significationis, ratio inprimis personarum habenda est? ita plane. Cur ergo *mittendi* verbum de Petro, Sila et Juda adhibitum eodem accipitur sensu, quum Petrus ab illis maximo intervallo seiungeretur?

[63]) Act. VIII. 14. Huc pertinent quae T. I. Spicilegii, pagg. 282—283. Grabius adnotat. Collatis enim quae habentur Recognitionum lib. I. §. XVII—LXXII, atque his descriptis: *Dicebat Petrus mandatum se accepisse abs te* Jacobo, *ut per singulos annos, siqua essent a se dicta, gestaque, ad te transcripta transmitteret:* pergit: „Colligi hinc potest, scriptores tunc Jacobo, ecclesiae hierosolymitanae, omnium matris, episcopo, *primatum atque praerogativam prae ipso Petro*, reliquorum coryphaeo, attribuisse.“

Sed quaenam viro ceteroqui erudito ac prudenti huius inferendae conclusionis ratio adfuit? omnino duplex, altera e nomine *mandati* desumpta, ac altera, eaque multo vehementior, et sine qua prior hominem non commovisset, praecepta opinio quod Petrus dignitate capitis inter apostolos non eminuerit.

Verum quem latet *mandandi*, *praecipiendi*, et his respondentia verba *parendi*, *obtemperandi* modo pressius, modo laxius et *ἀκύρως* usurpari? neminem latet, ac omnium minime Grabium latuit. Nonne ergo inquirendum erat, quo sensu *mandandi* vocem auctor Recognitionum acceperit? omnino. Sed eiusmodi instituta indagine, luce clarior impropria, laxiorque acceptio enituisset. In omnibus enim tam

ἀπόστολοι.... ἀπέστειλαν τὸν Πέτρον καὶ Ἰωάννην. Erant autem apostoli iure et dignitate [69] pares, commentumque duci debet, plus auctoritatis universis quam singulis fuisse tributum. Nullo enim bibliorum testimonio constat, immo certis bibliorum oraculis refragatur, potestatem quam a Patre acceperat, ita Christum apostolis contulisse, ut *singulis particula*, *summa* ac eiusdem *plenitudo collegio* inesset. Si quid enim omnes simul poterant, idipsum singuli quique sibi non iniuria vindicabant; quum non magis omnibus quam singulis dictum fuerit [70]: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Quum igitur pares essent apostoli, neque Christus eam instituerit gubernationis formam, quae *ἀριστοκρατικὴ* nuncupatur; ab omni probabilitatis specie videri alienissimum debet, quod nutu, imperioque Petrum et Johannem miserint.

Praesertim quum negari minime possit, sin minus gradu et iure, eximiis certe donis, ornamentisque utrumque prae reliquis enituisse. Johannes apostolus erat *κατ' ἐξοχὴν* dilectus, et *βοανεργὲς* titulo nominatim insignitus; Petrus vero quantopere excelluerit, non est cur pluribus comprobetur. Admitti ergo non potest, utrumque ad aliorum nutum missione perfunctum esse.

Eo vel magis quod eiusmodi sententia ab analogia Scripturarum penitus dissideat. Recolantur enim quaecumque omnia sive in evangeliis, sive in Actis referuntur: aut perspicuum nihil est, aut plane evidens existimari debet, Petrum in iis quae ad omnes ex aequo apostolos pertinerent, primas sibi sumpsisse partes, et in communibus deliberationibus instar *ἡγουμένου* praeivisse. Quare si religioni nobis sit a certissima analogiae regula discedere, iudicabimus, ita omnium consensione Petri, Johannisque missionem fuisse constitutam, ut ille huius consilii, deliberationisque princeps auctor extiterit. Quod iis confirmatur quae deinceps subsequuta legimus, et quibus edocemur, Petrum in obeunda, perficiendaque missione capitis, ducisque personam induisse.

214. His autem compendio explanatis, sermonem concludam Baronii verbis, quae non minus sententiarum pondere, quam apertissima veritate commendantur. Sic ergo ille in Annalibus [71]: „Hinc videas quantopere hallucinentur novatores, qui caeco furore in Petrum insanientes, illius primatui detrahere non erubescunt,

sinceris, quam apocryphis secundi, tertiique saeculi monimentis Petrus excellit ac sublimior apparet; unde *omnium potentior*, e Rufini interpretatione, dicitur in litteris Clementis ad Jacobum; et in Clementina Epitome §. XIV. Barnabas *τὸν Πέτρον ὑποδεικνύς*, *ostendens Petrum*, ita Clementem alloquitur: *Οὗτός ἐστιν Πέτρος, ὃν μέγιστον ἐπὶ τῇ τοῦ θεοῦ σοφίᾳ ἐπηγγελλόμην σοι, Κλήμη. hic est Petrus, quem maximum in Dei sapientia tibi denunciabam*, o *Clemens.* Sed nihil perspicuum iis est, qui praesumptis serviunt opinionibus; et qui sunt in ceteris oculatissimi, in his coecutire prorsus videntur. Quod exemplis virorum doctissimorum, Pearsonii, Bulli, Beveregii, Binghami, Cave, Hornii affatim comprobarem, si locus id ferret.

[69]) Sic loquor, ne Petri primatum de quo quaerimus, praestruere videar.

[70]) Joh. XX. 21. coll. Matth. XXVIII. 18—20.

[71]) Ad an. XXXV. §. XI.

eo quod a ceteris mittatur apostolis: quasi inferioris numeri sit habendus is qui mittitur, ab eis qui miserunt illum. Sapiant ipsi hac ratione, et idem dicant quod Arius: Filium, quod a Patre sit missus, esse Patre minorem. Ignorare insuper convincuntur complura in scriptura divina, et innumera quae sunt de his in profanis scriptis exempla: quibus satis superque perspicuum redditur, ad ea quae maximi omnium visa sunt esse momenti peragenda, qui inter ceteros primatum gererent, legatos missos: cum ipsi non sic quidem mitti dicerentur, quasi a maiore minores, et ut a domino subditi, sed quod rogarentur ob salutem omnium eam suscipere functionem. Subiiciam de his alterum ex veteri, alterum vero ex novo testamento exemplum; addam et tertium ex auctore profano, ut res omni scripturarum genere testata reddatur. Legitur in primis in libro Josue [72], filios Israel, ut de re magna, ad investigandum de altari quod trans Jordanem erexerant filii Ruben et Gad et media tribus Manasses in terra Galaad, misisse Phineen, qui habebatur omnium princeps, et decem alios, qui in singulis decem tribubus primatum gerebant. Rursum simili huic urgente caussa, ad perquirendum quid de gentilibus, qui Christo crederent, agendum esset, num circumcidi deberent: tunc qui erant Antiochiae fideles, Paulum et Barnabam miserunt ad consulendum apostolos Jerosolymam; quod s. Lucas [73] testatur in Actis. Sed quid profanus auctor, etiam in his quae sunt iudaeorum, Josephus iudaeus in hanc sententiam [74] scribat, adducamus in medium. Judaeos nempe, qui erant Jerosolymis, quum adversus Agrippam suum ipsorum regem, nec non adversus Festum praesidem caussam haberent, misisse Romam ad Neronem imperatorem non solum ex primoribus iudaeorum decem legatos, sed et cum eis Ismaelem summum pontificem, et qui huic secundus ordine videbatur, Chelciam sacri custodem aerarii. Ecce quam invalidis et plane inefficacibus rationibus illi obnitantur in primatum Petri, cum omnium principem eadem haec ipsa [75] declarare videantur."

[72]) Jos. XXII.

[73]) Act. XV.

[74]) Antiquitt. Hebr. lib. X. cap. VII.

[75]) Praesertim si et illud attendatur, inimicitias omnino acerbissimas iudaeos inter samaritanosque extitisse, summaque propterea Petri auctoritate opus fuisse, ut ab iis ex iudaeorum gente qui ad Christum accesserant, in unum idemque societatis corpus reciperentur. Cf. Archaeologiam biblicam, auctore Johanne Jahn, §. 326.

CAPUT XIX.

Gentes adiunguntur ecclesiae: — visio Cornelii ἑκατοντάρχου: — imperium illi coelitus factum ut Petrum arcesseret: — Petri ἔκστασις, qua de abrogatis institutis legalibus, deque gentibus iam recipiendis primus eruditur: — eiusdem concio, solemnisque declaratio, subversum parietem esse quo ab iudaeis gentes separabantur: — praerogativae supremi magisterii ac principis inter apostolos architecti novo lumine perfunduntur.

215. Mulieri samaritanae [1] affirmanti: *οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν τῷ ὄρει τούτῳ προςεκύνησαν· καὶ ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἐν Ἱεροσολύμοις ἐστὶν ὁ τόπος ὅπου δεῖ προςκυνεῖν:* patres nostri ac gentis totius patriarchae sacrificia hoc ipso in monte [2] quem cernis, obtulerunt; vos autem iudaei dicitis, non alibi [3] quam Hierosolymae litari oportere; respondit [4] Jesus: *Γύναι, πίστευσόν μοι, ὅτι ἔρχεται ὥρα, ὅτε οὔτε ἐν τῷ ὄρει τούτῳ, οὔτε ἐν Ἱεροσολύμοις προςκυνήσετε τῷ πατρί..... ἀλλ' ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐστιν, ὅτε οἱ ἀληθινοὶ [5] προςκυνηταὶ προςκυνήσουσι τῷ πατρὶ ἐν πνεύματι [6] καὶ [7] ἀληθείᾳ.* mulier, ne te ad patres recipias, sed mihi, quem [8] *προφήτην* esse cognosti, fidem adhibeto: appetet [9] tempus, quo neque hoc in monte quem mihi ostendis, neque Hierosolymae Deo Patri [10], abiecto spiritu timoris, receptoque Spiritu adoptionis, sacrificabitis.... sed veniet tempus, ac iam adest, quo adoratores hoc nomine digni offerent Patri sacrificium spirituale carnalibus iudaeorum hostiis praemonstratum,

[1]) Joh. IV. 20.

[2]) Indicat montem Garizim, in quo Sanballat, impetrata a Dario Notho facultate, samaritanis templum extruxit.

[3]) Ex praescripto legis quae habetur Deut. XII. 14—26.

[4]) Joh. IV. 21—24.

[5]) Sicuti *ἀλήθεια* idem non raro est ac *perfectio, integritas*; ita *ἀληθινὸς* idem ac *genuinus*, et qui id reipsa est quod dicitur. Nisi praeferas heic *ἀληθινὸν* idem valere ac *reale, non typicum*, ut Hebr. VIII. 2. coll. IX. 25.

[6]) Metonymia abstracti pro concreto, atque adeo *πνεύματος* ἀντὶ τοῦ *πνευματικοῦ*, infrequens non est.

[7]) Interdum *τῇ ἀληθείᾳ* opponitur *ἀδικία*, unde notat *aequitatem, iustitiam*. Alexandrini hebraicum אֱמֶת modo per *δικαιοσύνην*, modo per *ἀλήθειαν* reddunt. Hinc Gloss. Vett. apud Labbaeum, *ἀλήθεια, iustitia.*

[8]) Joh. IV. 19: *Κύριε, θεωρῶ, ὅτι προφήτης εἶ σύ.*

[9]) Vulgatus ad litteram *venit*. Sed est manifesta temporum enallage.

[10]) Interposito Patris nomine ratio propria novi testamenti, et adoptio filiorum adumbratur.

et sacrificium iustum ad normam veritatis expressum, secus ac vos samaritani praestatis.

216. Quibus non obscure significavit, quod mox [11] luculentius exposuit, inquiens: Messias, cui tu iure defers, quod omnia sit annuntiaturus, atque adeo hanc ipsam de iusto sacrificii loco controversiam diremturus, *ἐγώ εἰμι, ὁ λαλῶν σοι*, ego ipse sum qui te alloquor. Piissimo enim Messiae adventu futurum [12] erat, ut Dei nomen ab ortu solis usque ad occasum magnum esset inter gentes, neque amplius intra Hierosolymae fines, montisque Garizim, sed *ἐν παντὶ τόπῳ* ubique locorum מֻקְטָר, *θυμίαμα* adoleretur, et מִנְחָה טְהוֹרָה, *θυσία καθαρὰ* eius nomini litaretur. Futurum erat, ut [13] omnes terraquei gentes in partem vocarentur illius benedictionis, quam Deus protoparentibus primum, ac patriarchis deinde solemniter, iteratoque promisit. Futurum denique erat, ut Messias, quem appellatione [14] שִׁילֹה Deus adumbraverat, inde comprobaretur, quod illi obedientia populorum יִקְּהַת עַמִּים deferretur.

217. Sed quo primum ista tempore, quove modo contingere deberent, neque per prophetas Deus, neque per Filium quem postremum misit, definite, distincteque aperuerat. Aperuit autem quum facta illa sunt, quae decimo Actorum capite Lucas complectitur.

Degebat [15] Caesareae vir *ὀνόματι Κορνήλιος, ἑκατοντάρχης ἐκ* [16] *σπείρης τῆς καλουμένης ἰταλικῆς, εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος* [17] *τὸν θεὸν σὺν παντὶ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, ποιῶν τε ἐλεημοσύνας πολλὰς τῷ λαῷ* [18], *καὶ δεόμενος τοῦ θεοῦ διαπαντός* [19], Cornelius nomine, centurio cohortis quae italica [20] dicitur, pius et qui cum universa familia sua Deum verebatur, multasque in populum eleemosynas conferebat, ac in Deo exorando erat assiduus.

Huic viro tot laudum encomiis exornato [21] *ἐν ὁράματι φανερῶς* [22] per visionem quum vigilaret, apparuit angelus Domini, eique quum alia significavit,

[11]) Joh. IV. 25—27.

[12]) Malach. I. 11.

[13]) Gen. XII. 4, XVIII. 18, XXII. 18, XXVI. 4, XXVIII. 14.....

[14]) Gen. XLIX. 10.

[15]) Act. X. 1.

[16]) Glossarium, *σπεῖρα· τάξις στρατιωτική*. Hesychius, *ἐκ σπείρας· ἐκ τάγματος, ἐκ νουμέρου*.

[17]) Sunt haec apposita quae in divinis litteris crebro coniunguntur.

[18]) Unde v. 22. Cornelius dicitur *μαρτυρούμενός τε ὑπὸ ὅλου τοῦ ἔθνους τῶν Ἰουδαίων*. Vulgatus pro *λαῷ* habet *plebem*.

[19]) Assidue, statisque diebus ac horis, ut hebraicum תָּמִיד Ps. XXXIV. 2, et Luc. XXIV. 53: *Καὶ ἦσαν διαπαντὸς ἐν τῷ ἱερῷ*.

[20]) Eximia Dei in Italiam benevolentia, e qua gentium primitias delegit, a nobis qui itali sumus, postulat, ne sinamus ut *φόβος καὶ εὐσέβεια*, quae in Cornelio tantopere efferuntur, apud nos aliquando lanquescant.

[21]) Act. X. 3.

[22]) Quod adverbium additum puto, ut interdiu ac vigilanti *ὅραμα* accidisse significaretur.

tum haec nominatim [23] praecepit: *Πέμψον εἰς Ἰόππην ἄνδρας, καὶ μετάπεμψαι Σίμωνά τινα* [24] *ὅς ἐπικαλεῖται Πέτρος......* [25] *αὐτὸς λαλήσει σοι, τί σε δεῖ ποιεῖν·* mitte in Joppen viros, et accerse certum quemdam Simonem, qui Petrus cognominatur..... hic tibi edicet quid facto sit opus.

218. In quo angeli praecepto duo potissimum considerari debent. Ac *mira* inprimis *ratio*, quam Deus selegit, ut sempiternum consilium de adducendis ad Christum gentibus exequeretur; *instrumentum* deinde, quo usus est, ut gentium primitias mystico Christi corpori copularet.

Illud fuit Simon cognomento Petrus: *μετάπεμψαι Σίμωνά τινα, ὅς ἐπικαλεῖται Πέτρος.* At nonne alii quoque aderant apostoli, quibus dictum [26] indiscriminatim fuerat, *πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει*, et [27] *ἔσεσθέ μοι μάρτυρες ἔν τε Ἱερουσαλὴμ καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ Σαμαρείᾳ, καὶ ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς?* Sunt ista clariora, quam ut artificio ullo obscurari possint.

Nihilominus ceteris sepositis, praefertur Petrus, ac ideo praefertur, quod illi dictum [28] separatim esset, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, ac [29] rursum, *βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου.* Decebat enim, ut sublato iudaeorum, gentiliumque discrimine, illius maxime opera in unum omnes colligerentur, cui, tamquam posito divinitus fundamento, omnes inniti, omnes debebant incumbere. Decebat ut Christi oraculum [30], *ἄλλα πρόβατα ἔχω, ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης· κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν· καὶ τῆς φωνῆς μου ἀκούσουσι, καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν*, alias oves habeo mihi a Patre [31] donatas et iamdudum [32] devias quae non sunt ex hoc iudaeorum ovili; illas quoque congregem [33] oportet, ac mihi sane morigerae erunt, unumque existet ovile [34], pastor unus: illius maxime ministerio impleretur, cui vices suas oecumenici, visibilisque pastoris Christus commiserat. Hoc enim pacto *γένεσις* ipsaque ratio colligendae ecclesiae praeferebant, tam illi *universitatem* quam *unitatem* *οὐσιωδῶς* convenire; neque ad eam intimius pertinere ut cuiuscumque nominis gentes suo sinu complecteretur, quam ut ad unitatis formam unius praesidis, pastorisque administratione revocaretur. Quare eximia omnino videri consensio debet, qua sibi mutuo *institutio*, *exequutioque* primatus respondent: haec enim illam confirmat, ac ex illa vicissim praedici haec potuit, et antea stabiliri quam historiae monimentis consignata legeretur.

[23]) Act. X. 5—7.

[24]) In codicibus non paucis desideratur *τινά*, quem tamen Vulgatus legit.

[25]) Hoc incisum in vulgatis graecis editionibus deest.

[26]) Marc. XVI. 15.

[27]) Act. I. 8.

[28]) Matth. XVI. 18.

[29]) Joh. XXI. 15—18.

[30]) Ibid. X. 16.

[31]) Ps. II. 8.

[32]) I. Petr. II. 25.

[33]) Simplex *ἀγαγεῖν* adhiberi pro composito *συναγαγεῖν*, et vidit in paraphrasi Nonus, et liquet ex cap. XI. 52.

[34]) Vulgatus interserit copulam.

219. Missis interea[35] a Cornelio nuntiis, iisque ad domum, in qua Petrus hospitabatur, accedentibus, *ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτὸν ἔκστασις*, incidit in eum ecstasis, et ad oblivionem praesentium externatus, *θεωρεῖ τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγμένον, καὶ καταβαῖνον ἐπ' αὐτὸν*[36] *σκεῦός τι ὡς ὀθόνην μεγάλην, τέσσαρσιν ἀρχαῖς*[37] *δεδεμένον, καὶ καθιέμενον ἐπὶ τῆς γῆς· ἐν ᾧ ὑπῆρχε πάντα τὰ τετράποδα τῆς γῆς, καὶ τὰ*[38] *θηρία καὶ τὰ ἑρπετὰ καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ,* vidit apertum caelum, et vas[39] quoddam, magni instar lintei, extremis quatuor partibus alligatum ad sese usque demitti, et supra terram deferri, in quo omnigenae[40] continebantur animantes quadrupedes et ferae, et quae super terram repunt, quaeque per aëra volant.

Quum in his contemplandis Petrus defixus[41] haereret, *ἐγένετο φωνὴ πρὸς αὐτόν· ἀναστάς, Πέτρε, θῦσον*[42] *καὶ φάγε,* vox ad eum delata est huiusmodi: erecto esto[43] animo, Petre, macta et manduca. At vero[44] ille: *μηδαμῶς, κύριε· ὅτι οὐδέποτε ἔφαγον πᾶν κοινὸν*[45] *ἢ ἀκάθαρτον:* ne mihi id contingat, Domine; numquam enim quidquam edi quod pollutum esset ac lege[46] interdictum. Quibus vix prolatis, eamdem caelestem vocem his se iterum com-

[35]) Act. X. 8—13.

[36]) Verba *ἐπ' αὐτὸν* non agnoscit vulgatus interpres. Ipsa loquutio videtur contracta, pro *καταβαῖνον καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτόν*, ut plene occurrit Matth. III. 16.

[37]) Cuiusvis rei extremitates satis graece dixeris *ἀρχάς*. Unde in Glossario, *ἀρχὴ ξίφους*, *mucro.*

[38]) Absunt a Vulgato.

[39]) Latissime patet hoc nomen, non secus ac hebraicum כְּלִי, denotatque vas quodvis, in quo aliquid recipi potest. Quod autem heic *σκεῦος*, Matthaeo cap. XIII. 48. est *σαγήνη*.

[40]) Universale *πάντα* indefinite ponitur. Ex lege autem dicta Lev. XI. multa haec inter immunda censebantur.

[41]) Act. X. 13.

[42]) Beda in Retractationibus ad hunc locum: „Quod latine dicitur *occide*, hoc graece hoc in loco dicitur, *θῦσον*, quod non generale occisionis verbum est, sed illius occisionis proprium, qua hostiae Deo immolantur. Nam et hostia sive sacrificium graece *θυσία*, et altare *θυσιαστήριον* vocatur.... Juxta hanc ergo significationem dicitur Petro, *θῦσον et manduca:* quod noster interpres transtulit, *occide et manduca.* Aeque autem interpretari poterat, *immola et manduca*, ut intelligeret ad hoc sibi oblata caelitus diversi generis animantia, ut eos qui per huiusmodi animantia designabantur, praedicando hostiam Domini faceret: erutos videlicet de noxia vita paternae traditionis, atque in novam vitam divinae servitutis per sacramenta dominicae passionis translatos."

[43]) In eiusmodi formulis *ἀνίστημι* ferme pleonastice adhibetur, ut קוּם apud hebraeos, aptiusque reddi non potest quam *confestim*, *illico.*

[44]) Act. X. 14.

[45]) Haec vocum *κοινοῦ ἢ ἀκαθάρτου* significatio prorsus biblica est, ac e propriis mosaicae legis praeceptionibus oborta.

[46]) Eiusmodi adiectivorum coniunctionem ad eam loquendi formam facile revocarem, quam dicunt *ἓν διὰ δυοῖν*.

monentem verbis audivit[47]: *ἃ ὁ θεὸς ἐκαθάρισε, σὺ μὴ κοίνου:* quae[48] Deus emundavit, tu polluta neque habeto[49] neque dicito. Quod quum[50] tertio repetiit, *πάλιν*[51] *ἀνελήφθη τὸ σκεῦος εἰς τὸν οὐρανόν*, vas in caelum reductum fuit.

220. Jamvero quae protinus[52] consequuntur, ratio exhibitae imaginis, vox e caelo emissa, similesque Scripturarum[53] loci tria luculenter demonstrant. E quibus illud primum est, futurum ut nullus populus, gens nulla ab ecclesiae finibus repelleretur. Sicut enim caelesti linteo omnigenae animantes concludebantur: et sicut in arca Noe[54] mundis aeque immundisque locus fuit; ita Christi ovile e iudaeis pariter, graecis ac barbaris cogi et in unum colligi debebat. Illud deinde quod est cum priore arctissime iunctum, beneficia per Christum parta ad eos pertinere omnes, qui oblatam divinitus gratiam non aspernarentur. Unde Petri[55] sententia: *Ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνομαι, ὅτι οὐκ ἔστι προςωπολήπτης*[56] *ὁ θεός:* ipsa rei veritate, neque *κατ' ὄψιν* solum deprehendo, Deum in suis erogandis donis neque ad personam, neque ad genus, nationemque respicere. Illud postremo, abrogata iam esse, quae Deus per Moisem tam enodate subtiliterque[57] de discernendis cibis, institutisque caeremonialibus praescripserat: iacere parietem quo ab iudaeis gentiles separabantur: et advenisse iam tempus, quo in unam familiam, unamque domum Deo sacram coniungerentur. Unde[58] Petrus: *Ὑμεῖς ἐπίστασθε ὡς ἀθέμιτόν*[59] *ἐστιν ἀνδρὶ ἰουδαίῳ, κολλᾶσθαι ἢ προςέρχεσθαι*[60] *ἀλλοφύλῳ. καὶ ἐμοὶ ὁ θεὸς ἔδειξε, μηδένα κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον λέγειν ἄνθρωπον.* Vos scitis quomodo viro iudaeo nefas sit familiariter[61] uti alienae gentis homine, vel eum adire; sed declaravit mihi Deus, hominum neminem dicendum, habendumve profanum ac immundum.

221. Cuinam vero haec, quibus universa colligendae ecclesiae *οἰκονομία*. constat, primum atque *ἀμέσως* reserantur? non alteri quam Petro, *καὶ ἐμοὶ ὁ θεὸς ἔδειξε*, et *mihi* Deus ostendit. Atqui horum certa, indubitataque cognitio maximi omnino momenti videri debet, sive in se spectetur, sive iudaeorum,

[47]) Act. X. 15.

[48]) Vulgatus singulari numero habet, *quod*.

[49]) Voces enim *reales* pro *verbalibus* crebro adhibentur: idque heic fieri tum rei natura, tum comma 28. demonstrat.

[50]) Act. X. 16.

[51]) Vulgatus, *statim*, *εὐθέως*.

[52]) Act. X. 17. seqq.

[53]) Apoc. VII. 9, XXI. 10.

[54]) Gen. VI. 19. coll. I. Petr. III. 20—21.

[55]) Act. X. 34.

[56]) Pro hac voce hebraico-graeca, quae semel heic legitur, Paulus Rom. II. 11, Ephes. VI. 9.... *προςωποληψίαν* adhibet.

[57]) Huc pertinent quae in Levitico passim occurrunt.

[58]) Act. X. 28.

[59]) Vulgatus, *abominatum*. Proprie *nefarium*, *legibusque*, *maxime divinis vetitum*. Phavorinus, *ἀθέμιτον· ἄδικον, ἄνομον*.

[60]) Hesychius, *ἀλλόφυλος· ἐξ ἄλλου γένους, μὴ ἔχων φυλήν*. Heic *gentilem* exprimit. Constat vero gentilibus iudaeos fuisse viles, verpas, recutitos, apellas; atque his vicissim gentes impias, exleges, immundas.

[61]) Quod explicatur Act. XI. 3.

quibus primitiva ecclesia coaluerat, sive apostolorum, quorum ministerio extendenda, amplificandaque erat, ratio habeatur.

Sane quid ea continetur? verissime praemonuimus, eiusmodi notitia *οἰκονομίαν*, modumque exhiberi, quo Christi voluntas de annuntiando ubique terrarum evangelio compleretur. Sed levia ne ista, an contra censeri gravissima debent? Ad iudaeos autem quod pertinet, neminem fugit, quam iidem essent caeremonialium legum tenaces, quantopere a gentilium convictu abhorrerent, tum quales, quantasque turbas eam ob caussam in ipsa ecclesia conciverint. Quid vero de apostolis dicam? haud arbitror opus esse monere, cognitionem divini consilii illis prorsus fuisse necessariam, ut iniuncto sibi muneri evangelioae lucis ubivis inferendae rite satisfacerent.

222. Nihilominus ea providentia, qua suae semper adest ecclesiae, ita rebus omnibus moderatus est Christus, ut nonnisi per Petrum *θεοδίδακτον* apostoli edocerentur, quando primum se ad gentes conferrent, officioque testandi coram omnibus indiscriminatim populis fungerentur. Quod scilicet illum omnium *ἡγούμενον* creasset, quod suas illi vices demandasset, quod supremum omnium magistrum his verbis [62] instituisset: *στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου*, confirma fratres tuos. Unde Epiphanius [63] universis quidem apostolis, *μάλιστα δὲ τῷ ἁγίῳ Πέτρῳ* praesertim vero beato Petro operam de adducendis ad ecclesiam gentibus impositam fuisse concludit. Sed cur Petro *praecipue*? quod ad illum pertinerent tum communi nomine, quo una cum reliquis ex ipsius Christi ore audivit, *μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη:* quum singulari sibique proprio, quo universum ovile, ipsosque apostolos in tutelam recepit.

223. Erectus visione Petrus, nuntiis recreatus, ac nova edoctus Spiritus voce, quae his eum verbis [64] alloquebatur, *ἀλλὰ ἀναστὰς κατάβηθι, καὶ πορεύου σὺν αὐτοῖς μηδὲν διακρινόμενος· διότι ἐγὼ ἀπέσταλκα αὐτούς*, agedum ne moreris, descende, et cum illis ito, omni haesitatione [65] deposita; ego enim auctor fui ut mitterentur: ad Cornelium [66] et *τοὺς* [67] *συγγενεῖς αὐτοῦ καὶ τοὺς ἀναγκαίους φίλους* venit, postulataque [68] caussa ob quam eum vocasset: singula illi ex ordine Cornelius [69] retulit, narrationemque suam absolvit [70], inquiens: *Νῦν οὖν πάντες ἡμεῖς ἐνώπιον* [71] *τοῦ θεοῦ πάρεσμεν, ἀκοῦσαι πάντα τὰ προςτεταγμένα σοι ὑπὸ* [72] *τοῦ θεοῦ*. nunc ergo nos omnes adsumus, inspectante Deo, ut omnia audiamus, quae tibi a Deo [73] praecepta sunt.

[62]) Luc. XXII. 32.

[63]) Haeres. XXVIII. §. III.

[64]) Act. X. 20.

[65]) Quod heic est, *μηδὲν διακρινόμενος*, v. 29. dicitur, *ἀναντιῤῥήτως*.

[66]) Act. X. 29.

[67]) Ibid. v. 24.

[68]) Ibid. v. 29.

[69]) Ibid. vv. 30—33.

[70]) Act. X. 33.

[71]) Vulgatus et cum eo Syrus legerunt *ἐνώπιόν σου*, *coram te*. Non desunt codices qui habeant *ἐνώπιον τοῦ κυρίου*.

[72]) Vulgatus, *a Domino*, *ὑπὸ τοῦ κυρίου*.

[73]) Quibus respondent Christi verba Matth. XXVIII. 20: *Διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν*.

Non abnuit Petrus, iustitiamque esurientibus lautissimam instruxit mensam, et [74] os suum aperiens insignem habuit concionem, qua [75] summa capita christianae religionis exponens, quum eo progressus esset, ut de Christo [76] affirmaret, *τούτῳ πάντες οἱ προφῆται μαρτυροῦσιν, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν λαβεῖν διὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ πάντα* [77] *πιστεύοντα εἰς αὐτόν*, omnes de eo prophetae testantur, omnem qui credit in illum consequi per eius nomen remissionem peccatorum; continuo [78] *ἐπέπεσε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπὶ πάντας τοὺς ἀκούοντας τὸν λόγον*, decidit Spiritus-sanctus in eos omnes, qui verbum *κατ' ἐξοχήν*, verbum vitae et veritatis e Petri ore excipiebant.

Quod quum [79] vidissent *οἱ ἐκ περιτομῆς πιστοὶ ὅσοι συνῆλθον τῷ Πέτρῳ*, circumcisi [80] fideles qui cum Petro venerant, illosque audissent [81] variis loquentes linguis, Deique magnitudinem efferentes; *ἐξέστησαν* obstupuere, *ὅτι καὶ ἐπὶ τὰ ἔθνη ἡ δωρεὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκκέχυται*, quod et in gentes Spiritus-sancti donum effunderetur.

224. At vero Petrus infinitam Dei, qui omnium est pater, largitatem demiratus, praeclaram sibi natam inde occasionem existimavit [82] subiiciendi: *Μήτι τὸ ὕδωρ κωλῦσαι δύναταί τις τοῦ μὴ βαπτισθῆναι τούτους, οἵτινες τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔλαβον καθὼς καὶ ἡμεῖς;* quisquam ne est qui aquam [83] regenerationis prohibere possit, quominus hi qui non secus ac nos Spiritum-sanctum acceperunt, baptizentur? Quibus verbis et quid fieri iam oporteret, perspicue declaravit, immeritumque stuporem, fallacemque circumcisorum fidelium sententiam de Spiritus donis cum gentibus non communicandis tacite perstrinxit. Unde [84] Chrysostomus: *Σχεδὸν γὰρ ὥςπερ ἐπεμβαίνοντός ἐστι τοῖς κωλύουσι καὶ λέγουσιν ὅτι οὐ χρὴ τοῦτο γενέσθαι. τὸ πᾶν γέγονε, φησί, τὸ ἀναγκαιότερον γέγονε, τὸ βάπτισμα ὃ καὶ ἡμεῖς ἐβαπτίσθημεν.* Hoc fere est insurgentis in eos qui prohiberent ac dicerent, non oportere istud fieri. Totum factum est, inquit, quod magis necessarium erat factum est, baptisma [85] videlicet quo et nos baptizati sumus.

Petrus igitur sequutus Deum, qui suis praeiverat donis [86], *προςέταξέ τε*

[74]) Act. X. 34.

[75]) Ibid. vv. 34—43.

[76]) Ibid. v. 43.

[77]) Vulgatus plurali numero utitur.

[78]) Act. X. 44.

[79]) Ibid. v. 45.

[80]) Idest fideles ex iudaeis, adhibito abstracto pro concreto, et signo pro re denominanda. Unde Paulus Rom. II. 26, III. 30. gentes *ἀκροβυστίαν*, praeputium, praeputiatos, incircumcisos; iudaeos vocat *περιτομήν*, circumcisionem, circumcisos.

[81]) Act. X. 46.

[82]) Ibid. v. 47.

[83]) Joh. III. 5.

[84]) In Acta Apostol. hom. XXIV. n. 1.

[85]) Act. XI. 16. coll. I. 5.

[86]) Act. X. 48. Ubi animadvertere iuvat praeclaram Christum inter et Petrum similitudinem, ut hic non aliter ac ille, Joh. IV. 2, per se praedicaverit, per discipulos baptizarit.

αὐτοὺς βαπτισθῆναι ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, mandavit ut illi in nomine Domini Jesu baptizarentur.

225. Quae quum ita sint, interrogabo, nihil ne narrationi quam per partes hactenus explanavimus, insit, nihil in ea extet, quo Petri praerogativae, ornamentaque comprobentur. Mihi enim certissimum est, non pauca, quae huc faciant, eadem contineri. Ac illud principio, quod inter ceteros apostolos unus delectus fuerit Petrus, qui Deo primitias gentium consecraret. Illud deinde, quod effecerit Deus ut per Petrum tamquam omnium magistrum, ipsis quoque apostolis innotesceret, quando primum evangelii ostium aperiri gentibus oporteret. Illud tertio quod ceteris inconsultis se ad gentes converterit, ac ex iis ovile Christi, cuius explebat vices, amplificaverit. Illud quarto quod unus ipse fuerit, ad quem summa aedificandae ecclesiae referretur. Illud quinto quod ecclesiam ex iudaeis, samaritanis, gentibusque collectam ipse unus in se potissimum receperit, et tamquam universale totius aedificii fundamentum sustentarit, unitamque continuerit. Illud tandem quod Lucas, qui nullum ab apostolis reliquis habitum sermonem descripsit, quintam retulerit Petri concionem, factoque ipso ostenderit, dicta gestaque ceterorum altero loco et gradu, dicta vero gestaque Petri primum ac maxime ad historiam orientis et adolescentis ecclesiae pertinere. Cuius discriminis si a me caussa petatur, iterare cogor quod saepius inculcavi, quodque cum sit verissimum, summique momenti numquam satis ingeminari posse videtur: quod nimirum dum *historia capitis* conscribitur, *ipsa totius corporis historia* consignata litteris videatur.

CAPUT XI.

Narratio Lucae Act. XI. 1—4: — quid ex ea protestantes inferant: — quam inepte: — de argumento quod ex factis ducitur: — expenduntur consequentia Act. XI. 4—19: — quibus celsior Petri auctoritas confirmatur.

226. Iis enarratis, de quibus praecedenti capite actum est, et quibus singularem Petri ἐξουσίαν ac prae ceteris ἡγεμονίαν comprobavimus, subdit [1] Lucas: Ἤκουσαν δὲ οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ ἀδελφοὶ οἱ ὄντες κατὰ τὴν Ἰουδαίαν, ὅτι καὶ τὰ ἔθνη ἐδέξαντο τὸν λόγον τοῦ θεοῦ. καὶ ὅτε ἀνέβη Πέτρος εἰς Ἱεροσόλυμα, διεκρίνοντο πρὸς αὐτὸν οἱ ἐκ περιτομῆς, λέγοντες· ὅτι πρὸς ἄνδρας ἀκροβυστίαν ἔχοντας εἰςῆλθες, καὶ συνέφαγες αὐτοῖς. audierunt autem apostoli et fratres qui in Judaea erant, quod ipsae etiam gentes [2] recepissent

[1]) Act. XI. 1—4.

[2]) Quibus confirmatur, Cornelium primum omnium inter gentes credidisse. Cf. quae hac de re Tillemontius scribit, Notes sur saint Pierre, note XXIII.

verbum Dei. Quare quum Petrus Jerosolymam venisset, qui erant ex circumcisione, cum eo altercabantur[3] dicentes: quod[4] homines praeputiatos adieris, et cum illis manducaveris. De qua querela praeclare[5] Chrysostomus: „Quid est illud *διεκρίνοντο* disceptabant? *ἐσκανδαλίζοντο, φησίν, οὐ μικρῶς.* non parum, inquit, offendebantur. Vide porro quid obiiciant. Non dicunt, *διατί κατήγγειλας; ἀλλά, διατί συνέφαγες;* cur annunciasti? sed, cur simul comedisti? Petrus autem non in hoc frigido dicto moratur: nam frigidum vere erat; sed in magno illo dicens: si Spiritum illi acceperant, quomodo hoc concedendum illis non erat?" Reprehensores videlicet Petri non illi vitio vertebant, quod aut gentibus evangelium annuntiasset, aut illas baptismate abluisset: utrumque enim a Christo praeceptum[6] noverant; sed quod contra mosaicae legis statuta gentes adiisset, et quae iudaeis *κοινά* erant, cum gentibus manducasset. Uno verbo, quod illud fecisset, quod ipsemet[7] *ἀθέμιτον* dixerat, *κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ.*

227. Jamvero non paucos inter protestantes reperire licet, qui ex ea contentione hoc ferme pacto cum Calvino[8] inferunt: „Si prisci fideles et ab ipsis eruditi apostolis cognovissent, potioremque Petri auctoritatem fuissent reveriti; numquam sibi integrum existimassent illi refragari, illius gesta carpere, in examen adducere, rationemque eorum quae fecisset, postulare. Sed quid horum omisere? ne hilum quidem. Disceptarunt enim contra Petrum, et in ipsum offensi caussam, rationemque postularunt, ob quam, mosaicis praescriptionibus insuper habitis, ad gentes accesserit, et cum iis profana communiaque manducaverit. Quum igitur non aliunde melius quam ex factis de fide primitivae ecclesiae statui posse videatur; perspicuum censeri debet, primam illam ex iudaeis collectam ecclesiam in ea sententia minime fuisse, quam nos de primatu Petri, eiusque celsiore auctoritate vindicamus."

228. Sed quid si totum concesserim quod assumitur, complexionem vero ipsam, illationemque negaverim? nemo profecto ea de caussa me iure reprehenderit. Totum enim argumentum *e facto* pendet, vimque suam omnem inde mutuatur, quod in primitiva ecclesia non defuerint qui Petro obniterentur. Sed omnia ne quae ex factis deducuntur, aut certa aut etiam probabilia haberi debent? si facta essent uniusmodi, si omnia essent legitima; sumpta ex iis conclusio repudiari non posset. Atqui facta triplici omnino in genere versantur, et alia *iusta, iniusta* alia, alia *dubia* et *in ancipiti posita* censentur. Non ergo sufficit ad facta provocare, neque licet e factis ad nexas cum iis conclusiones antea progredi, quam quae illorum natura fuerit, quaeve ratio, clare evidenterque innotuerit. Secus enim periculum imminet, ne factis innixi vel dubiis, vel

[3]) Verbum *διακρίνομαι* constructum cum *πρός*, vel dativo personae, valet, *contendo, discepto, litigo.* Hesychius, *διακρινομένων· μαχομένων.*

[4]) Vulgatus legit *interrogando.*

[5]) In Acta Apost. hom. XXIV. n. 1.

[6]) Matth. XXVIII. 19.

[7]) Act. X. 28.

[8]) In comm. ad Act. XI, et Institutt. lib. IV. cap. IX. n. 13.

iniustis operam tempusque ludamus; et quo contendimus vehementius, eo a veritate longius abscedamus.

229. Quibus indicatis, interrogabo, adverterint nec ne protestantes, cuiusmodi sit factum quod adducunt, et quo illud genere comprehendi debeat: legitimum ne fuerit an iniustum: certum ne an ambiguum et dubium. Respondebunt dubio procul, et certum illud sibi esse, et legitimum, eiusque naturae, quod cum suprema Petri auctoritate componi nullatenus possit. Sed nonne conditio omnium prima, quae legitimis factis inesse debet, huc redit, ut ab his proficiscantur, qui iure agendi sint praediti? nihil manifestius, quum iniqua, inania, irritaque habeantur quaecumque omnia sine iure peraguntur. Hac igitur dumtaxat lege factum quod obiicitur, legitimum aestimabitur, si eos habuisse auctores comprobetur, qui suo iure Petro refragarentur. Quinam vero illi erant, quem locum, quemve gradum in ecclesia obtinebant? pastoribus ne an ovibus, magistris ne an discipulis, praesidibus ne an subditis, obnoxiisque connumerabantur?

230. Quinam fuerint, his omnino verbis Lucas [9] declarat: *διεκρίνοντο πρὸς αὐτὸν οἱ ἐκ περιτομῆς,* disceptabant cum [10] eo qui erant ex circumcisione. Quaerendum igitur est, quinam formula, *οἱ ἐκ περιτομῆς,* significentur. Ea autem non significari apostolos, quibus Christus [11] dixit, *qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit,* ac [12] rursum, *amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo;* indubitatum esse debet. Numquam enim in universa Scriptura verbis, *οἱ ἐκ περιτομῆς,* apostoli exprimuntur.

At ii etiam quum essent, *fideles circumcisi* nuncupari poterant. Utique eodem pacto, quo principes, regesque quum *cives* sint, hac simplici nudaque appellatione efferuntur. Nullo scilicet pacto. Quod erit evidentius, si ea recolantur quibus [13] Lucas orditur: *ἤκουσαν δὲ οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ ἀδελφοί.* Atqui etiam apostoli erant *fratres*, et tamen a fratribus secernuntur.

Accedit orationis [14] series, e qua patet, *τοὺς ἐκ περιτομῆς* eosdem esse, qui proxime nominantur. Proxime autem nominantur *οἱ ἀδελφοί*, iidemque ab apostolis nominatim separantur. Unde [15] Chrysostomus: „*Μετὰ τοιαῦτα διεκρίνοντο οἱ ἐκ περιτομῆς, οὐχ οἱ ἀπόστολοι.* post haec disceptabant qui ex circumcisione, non apostoli.“ Longius progreditur Epiphanius [16], inquiens: „Idem ille (Cerinthus) fuit, qui apostolorum tempore tumultum illum excitavit, cum Jacobus, ceterique apostoli literas Antiochiam scripserunt his verbis [17]:

9) Act. XI. 2.

10) Acrius interpres vulgatus, qui reddit *contra*. Sed necesse non est; praepositio enim *πρὸς* in hac constructione apte vertitur *cum*.

11) Luc. X. 16.

12) Matth. XVIII. 18.

13) Act. XI. 1.

14) Ibid. vv. 1—3.

15) In Acta Apost. hom. XXIV. n. 1.

16) Haeres. XXVIII. §. II.

17) Act. XV. 24.

Quoniam cognovimus quosdam a nobis ad vos esse profectos, suisque vos perturbasse sermonibus, quibus non mandavimus. Idem quoque eorum unus est, qui se Petro opposuerant, cum ad sanctum Cornelium ivisset, a quo post oblatum per visum angelum erat arcessitus..... Igitur Cerinthus circumcisorum gregem adversus Petrum revertentem commovit Hierosolymis, dicens: *ingressus est ad viros praeputium habentes.*"

231. Quum igitur oves fuerint non pastores, discipuli non magistri, obnoxii subiectique non praesides, qui Petro restitisse feruntur; *ex tribus* alterum deligatur oportet: vel nullam eos in Petrum auctoritatem exercuisse: vel pares, immo apostolis etiam maiores in primitiva ecclesia singulos quosque fideles extitisse: vel non alia instructos auctoritate adversus Petrum stetisse, quam quod sibi iniuria usurpaverint.

Sed *primum* adversariorum caussam perdit, nostrae ne tantillum quidem officit: *alterum* tam est explorate falsum ut refelli non debeat: *tertium* denique eo rem adducit, ut summa Petri auctoritas idcirco periclitari iudicetur, quod non defuerint qui illi iniuria ac praepostere adversarentur. Quod nemo ferat, aequove animo patiatur. Id enim si probatum semel fuerit, nulla iam erit auctoritas tam sancta, ius nullum tam ratum quod constare sibi possit, suamque dignitatem retinere.

232. Historia namque universa, divina, ecclesiastica, profana factis exemplisque referta est, quibus sanctissima iura a malis perversisque hominibus oppugnata demonstrantur. Quid sanctius supremi sacerdotii iure, quo Deus Aaronem honestavit? fuere tamen [18], qui cum Core, Dathan et Abiron obsisterent, negatamque sibi dignitatem per summum nefas ambirent. Quid apostolico Johannis iure manifestius? et tamen haec sunt [19] eiusdem verba: *Ἔγραψα τῇ ἐκκλησίᾳ· ἀλλ' ὁ φιλοπρωτεύων αὐτῶν Διοτρεφὴς οὐκ ἐπιδέχεται ἡμᾶς:* scripsi [20] ecclesiae, sed qui inter eos sibi primas arrogat [21] Diotrephes, nos, nostraque non [22] admittit. Fluxum ergo videri argumentum debet, quod ex *nudis factis*, ipsorum natura ac aequitate minime inspecta, desumitur.

233. Atque utinam rarius in hoc perniciosissimum argumentationis vitium offenderetur. Sed omnino frequentius quam quod credi possit, offenditur. Sit enim determinanda quaestio de necessitate servandae communionis cum cathedra Petri, ut eiusmodi vinculo unitas schismati opposita in tuto collocetur. Quamquam praeclarissima [23] et decretoria prorsus sint, quae eam necessitatem divi-

[18]) Num. XVI.

[19]) Epist. III. v. 9.

[20]) Vulgatus, *scripsissem forsitan*, proindeque legit, *ἔγραψα ἄν:* solent enim graeci praeteritum indicativi pro praeterito subiectivi ponere, addita expletiva coniunctione *ἄν*.

[21]) Hoc tantum loco adhibetur *φιλοπρωτεύω*, *primus esse cupio*, *primatum ambio*, *primasque partes affecto.*

[22]) Commate sequenti pressius Johannes accipit *ἐπιδέχομαι*, eoque designat, *hospitio aliquem excipio.* Heic paullo latius *ἐπιδέχεται* notat, *suscipit*, *admittit.*

[23]) Cf. Bossueti expositionem doctrinae catholicae, cap. XXI.

nitus inductam ostendunt, nihilominus qui aliter opinantur, triumphasse sibi videntur, quum quae historia refert [24] de dissidiis meletiano et acaciano congessere. Fac de iure agatur, quo *principalis ecclesia* [25] appellationes ex universo christiano orbe recipit, caussasque vel primum iudicat, vel iudicatas retractat. Innumera [26] sunt quae divinam istius iuris originem patefaciunt. Nihilominus quibus alia insedit opinio, hi rem penitus confectam existimant, si litigia orientalium cum Julio, et carthaginensis synodi cum Zosimo retulerint. In controversiam veniat plenissima auctoritas, qua Petri successores decretis editis, legibusque latis unitati religionis, disciplinaeque integritati prospiciunt. Quisque cernit facilius esse ipsorum primatum subvertere, quam hanc illis auctoritatem, eo concesso, denegare. Attamen non paucos reperies, quibus ut aliter decernant, abunde est, quod Polycrates Victori, Firmilianus et Cyprianus Stephano non adquieverint.

234. Imprudenter omnino, ne acerbius loquar. Ecquid enim *per se* facta probant? nihil plane, nisi iusta fuerint ac legitima. Justitia ergo et factorum aequitas demonstranda primum [27] erat; tum quid ex iis esset consequens, investigandum.

Sed ea praesumi legitima non immerito potuerunt, quod profecta ab iis sint, qui eximia pietatis, sapientiaeque laude floruerint. Quasi vero omnes, quos commemoravimus, his ornamentis insigniter claruerint: quasi vero et de iis qui claruere, inquirendum non superesset, an *eo nomine* sancti, an *eo nomine* habiti sapientes fuerint, quod illa egerint, quae ex historiae monimentis obiiciebantur. An idcirco Firmilianus sanctus, quod Stephano repugnarit? an idcirco Meletius orientalium episcoporum decus, quod communionis literas a Damaso non acceperit? talia haec sunt quae ἀγέλαστον maxime hominem ad risum moveant. Concludendum igitur est, tum solum inter adiumenta caussae facta rite censeri, quum ea vel legitima esse per se constat, vel duci legitima oportere idoneis rationibus comprobatur.

235. Ut autem eo sermonem revocemus unde tantisper deflexímus, facti, cuius Lucas [28] meminit, aliam, eamque commodiorem interpretationem exhibebimus. Itaque lex nulla vetat, nulla consuetudo prohibet, quominus *intra certos fines*, aequales, minoresve ab iis qui praesunt, eorum quae gesserint, caussam,

[24]) Cf. Petri Ballerinii appendicem ad §. I. capitis XI. operis inscripti: De vi et ratione Primatus.

[25]) Hoc titulo romana ecclesia a Cypriano frequenter insignitur.

[26]) Cf. Christiani Lupi opus, De Appellationibus.

[27]) Ea enim dumtaxat facta, quorum Deus est auctor, quaeve Dei suffragio comprobantur; per se, citraque examen legitima habentur. Ad horum classem facta pertinent, quae merito ecclesiae catholicae tribuuntur. Illis enim Dei auctoritas patrocinatur, quum neque frustra scriptum sit, *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi;* neque frustra in symbolo profiteamur, *credo sanctam ecclesiam.*

[28]) Act. XI. 2—3.

rationemque efflagitent. In eo tota sita est difficultas, ne praescripti limites transiliantur. Nullatenus vero transilientur, si *haec tria* conspirent: ut eorum petatur ratio quae ad omnes communiter spectant: ut petatur eo quo decet modo, integroque quod praesidibus debetur obsequio: proindeque ne *imperiose* petatur.

Jamvero liceret nec ne [29] *ἀνδρὶ Ἰουδαίῳ κολλᾶσθαι ἢ προςέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ*, ita ut Legis praeceptiones antiquatae censendae essent; ad omnes, et ad circumcisos inprimis fideles pertinebat. His ergo iure nullo [30] interdicebatur, quominus a Petro rationem gestorum exposcerent. Sed postularunt *αὐθεντικῶς* atque ex imperio. Id Lucas neque apertis neque obscuris verbis significat. Si quid ergo peccatum ab iis fuit, eo totum redit, quod vehementius cum Petro disceptarint. Hic autem modi, iustaeque rationis defectus [31] neque Petri auctoritatem laedit, neque illis ignosci gravate debet; quum inolita consuetudine, et zelo pro paternis traditionibus, Legisque custodia in transversum agi facillime potuerint.

236. In quam sententiam nobiscum ultro concedent, qui sibi ea minime negligenda putaverint, quibus Lucas exitum contentionis enarrat. Relato enim [32] Petri sermone, quo fratribus e circumcisione respondit, visionemque caelitus immissam, editaque miracula complexus est; his verbis [33] absolvit: *Ἀκούσαντες δὲ ταῦτα, ἡσύχασαν, καὶ ἐδόξαζον τὸν θεόν, λέγοντες· ἄραγε καὶ τοῖς ἔθνεσιν ὁ θεὸς τὴν μετάνοιαν ἔδωκεν εἰς ζωήν.* talia quum audissint, acquievere [34], et Deum glorificarunt dicentes: ergo et gentibus poenitentiam largitus est Deus ut vitam consequantur.

E quibus nihil evidentius, quam priscos illos christianos Petro fidem adiunxisse, tantumque penes eos illius auctoritatem valuisse, ut non acquieverint modo, verum etiam et Deo gratias persolverint, quaeque Petrus gesserat, immense probaverint. Scilicet illorum nemini in mentem venit, aut de veritate eorum quae Petrus affirmaverat, ambigere, aut etiam significare, oportuisse ne convertendis gentibus suam ipse operam prius conferret, quam apostolorum sen-

[29]) Act. X. 28.

[30]) Praesertim si consideretur, quantopere Christus mutuam caritatem inculcarit, ipsamque fastus umbram ecclesiae praesulibus interdixerit. Unde Gregorius lib. IX. epist. XXXIX: „Omnes fratres sumus, unius imperatoris potestate conditi, et sanguine redempti; et ideo fratres nostros, quantumlibet pauperes et abiectos, in nullo despicere debemus.“ Et lib. III. epist. XLI: „Nos licet in omnibus causis, in iis tamen praecipue quae Dei sunt, ratione magis stringere homines quam potestate festinamus. Si contempsi, ait Job, subire iudicium cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me.“

[31]) De quo modo scribit in Oratore Tullius: „In omnibus rebus videndum est quatenus: etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium quam parum.“

[32]) Act. XI. 4—17.

[33]) Ibid. v. 18.

[34]) Vulgatus, *tacuerunt;* sed *ἡσυχάζω* notat etiam *acquiescere*, et *in alterius sententiam ire.*“

tentias, voluntatesque explorasset. Noverant enim neque ea lege summam apostolis factam a Christo potestatem, ut illa numquam nisi collegio sociisque consultis uterentur: neque eum fuisse Petrum, cui principes in administranda ecclesia partes impune detraherentur.

237. Quam illius singularem praestantiam demirantur Patres, et eorum quae retulimus occasione, Chrysostomus et Gregorius summis laudibus extollunt. Chrysostomus primum, cui [35] satis non est Petri *ἀξίωμα* celebrare, universamque [36] *ἀπολογίαν* benevolentissimae oeconomiae tribuere; sed praeterea ad auditorem conversus [37] subdit: „*Ὅρα πῶς ἀπολογεῖται, καὶ οὐκ ἀξιοῖ τῷ τοῦ διδασκάλου ἀξιώματι κεχρῆσθαι. ᾔδει γὰρ ὅτι ὅσῳ ἐπιεικέστερον φθέγγεται, τοσούτῳ μᾶλλον αὐτοὺς χειροῦται.* Vide quomodo sese purget, nolens doctoris auctoritate uti. Sciebat enim quanto modestius loqueretur, tanto magis se illos esse capturum.“ Gregorius vero [38] commemoratis Petri ornamentis, quod unus [39] claves acceperit, super aquas [40] ambulaverit, umbra [41] sanaverit, verbo [42] occiderit, et mortuos [43] oratione suscitaverit, pergit: „Et quia ex admonitione Spiritus ad Cornelium gentilem fuerat ingressus, contra eum quaestio a fidelibus facta est: cur ad gentiles intrasset et comedisset cum eis, cur [44] eos in baptismate suscepisset. Et tamen idem *apostolorum primus* tanta donorum gratia repletus, tanta miraculorum potestate suffultus, querelae fidelium *non ex potestate*, sed ex ratione respondit.... Si enim cum a fidelibus culparetur, *auctoritatem* quam in sancta ecclesia acceperat, attendisset, respondere poterat, ut pastorem suum oves quae ei [45] commissae fuerant, reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profecto *doctor mansuetudinis* non fuisset. Humili ergo eos ratione placavit, atque in causa reprehensionis suae etiam testes exhibuit. Si ergo *pastor ecclesiae, apostolorum princeps*, signa et miracula *singulariter* faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis suae rationem humiliter reddere; quanto magis nos peccatores, cum de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus?“

Quae dum considero, impetrare a me nullatenus possum quin animadvertam: aliam prorsus de Petri dignitate sententiam Patrum animis insedisse, ac aliam insequutis saeculis protestantium mentes occupasse. Unde enim hi occasionem sibi oblatam arbitrantur, qua illius auctoritatem deprimant, dignitatemque pessumdent; inde Patribus argumenta suppetunt, quibus una cum potiori auctoritate modestiam Petri, demissumque animum depraedicent.

35) In Acta Apostol. hom. XXIV. n. 2.
36) Ibid. n. 1.
37) Ibid.
38) Lib. IX. epist. XXXIX.
39) Matth. XVI. 19.
40) Ibid. XIV. 29.
41) Act. V. 15.
42) Ibid. v. 5.
43) Ibid. IX. 40.
44) De hoc querelae capite Lucas nihil habet.
45) Joh. XXI. 15. seqq.

CAPUT XXI.

Petrus ecclesiasticae disciplinae vindex supremus: — latum ab eo iudicium: — quod Deus ratum habet, editoque signo confirmat: — iure oecumenici episcopi universas ecclesias invisit: — primus utitur potestate legifera: — et in synodis praerogativa magisterii, suffragiique excellit.

238. Verissime dictum accepimus, eorumdem esse initiis rerum consulere, illarumque incrementa, amplificationes, incolumitatemque protegere ac tueri. Quum igitur ecclesiae incunabula, primasque origines tribuenda Petro esse ostenderimus; videri mirum non debet, si suarum ipsemet partium esse duxerit, ut quod inchoaverat opus, foveret, defenderet et ad quamdam veluti maturitatem perduceret. Ecclesiae autem incolumitas ac perfectio inde maxime pendebat, ut compressis vitiis, dissidiisque compositis, illius sanctitas, unitas, membrorumque coniunctio partim *iudiciis*, diligentique *inspectione*, partim *latis legibus* inviolata assererentur. Neque enim tum solum integra est, floretque societas, quum nullis inficitur naevis, nullisque turbis commovetur; sed tum etiam recte valet, spemque sui praeclaram facit, quum neque vitia nimia sunt, et quae irrepunt, severitate iudicii, ac disciplinae aequitate notantur: neque turbae eo usque crescunt, ut vim imperii infringant, et saluberrimum legum vinculum dissolvant. Quare si eum in ecclesia gradum Petrus reipsa obtinuit, quem illi hactenus vindicavimus; fieri vix aut ne vix quidem potuit, quin eo se insignem pronunciatis iudiciis, inflictis poenis, sublatis controversiis, rogatisque legibus plus semel demonstraverit.

239. Et re sane vera actuum quos enumeravimus, ne unum quidem assignare licet quem Petrus non exercuerit, eoque pacto exercuerit, quod illum omnibus praepositum significaret. Ut enim exordium ab iis sumam, quae ad *iudiciariam potestatem* referuntur, Petrum audio [1] ex auctoritate interrogantem, *εἰπέ μοι, εἰ τοσούτου τὸ χωρίον ἀπέδοσθε;* mihi dicito, si tanti agrum [2] vendidistis? illum audio mendacii convictos severissime [3] obiurgantem: *Ἀνανία, διατί ἐπλήρωσεν ὁ σατανᾶς τὴν καρδίαν σου, ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ νοσφίσασθαι ἀπὸ τῆς τιμῆς τοῦ χωρίου; οὐχὶ μένον, σοὶ ἔμενε, καὶ πραθὲν ἐν τῇ σῇ ἐξουσίᾳ ὑπῆρχε; τί ὅτι ἔθου ἐν τῇ καρδίᾳ σου τὸ πρᾶγμα τοῦτο; οὐκ ἐψεύσω ἀνθρώποις, ἀλλὰ τῷ θεῷ.* Anania, cur sivisti [4]

[1]) Act. V. 8; ubi Vulgatus addit, *mulier*.

[2]) Quanti a vobis fuisse divenditum Ananias v. 2. confirmavit.

[3]) Act. V. 3—5.

[4]) Verba enim actionem designantia de occasione non raro intelligenda esse, exemplis constat. Unde illud: *Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.*

ut satanas impleret cor tuum, illudque sibi subiiceret, ut mentireris [5] Spiritui-sancto ac de pretio agri interverteres? nonne dum maneret [6] non divenditus, tibi manebat, ac eo divendito, illius pretium in tua erat potestate? qui factum est [7] ut hanc fallaciam in animum induceres tuum? non hominibus dumtaxat [8] sed Deo inprimis mentitus es. Et [9] mox: *τί ὅτι συνεφωνήθη ὑμῖν πειράσαι τὸ πνεῦμα κυρίου;* qui conspirastis, ut Domini Spiritum [10] tentaretis? Tandem Petrum audio ita ferre sententiam, ut eam [11] in caelis comprobatam ipsis ferme oculis usurpem: *ἰδοὺ οἱ πόδες τῶν θαψάντων τὸν ἄνδρα σου, ἐπὶ τῇ θύρᾳ, καὶ ἐξοίσουσί σε, ἔπεσε δὲ παραχρῆμα παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ ἐξέψυξεν.* ecce pedes [12] eorum qui sepelierunt maritum tuum, prope ostium; ipsimet te quoque efferent. Illa autem extemplo cecidit ad pedes eius, ac exspiravit.

240. Quibus et iudicis munere functum Petrum, et severitate poenae flagitiis aditum praeclusisse, ecclesiaeque disciplinam roborasse; luculentissime demonstratur. Unde [13] Chrysostomus: „*Καὶ γαρ ὁ Πέτρος ἦν λοιπὸν φοβερός, κολάζων καὶ τὰ εἰς νοῦν ἐξελέγχων· ᾧ καὶ μᾶλλον προσέκειντο διά τε τὸ σημεῖον, καὶ τὴν πρώτην δημηγορίαν, καὶ τὴν δευτέραν, καὶ τὴν τρίτην. αὐτὸς γὰρ καὶ τὸ σημεῖον εἰργάσατο τὸ πρῶτον, καὶ τὸ δεύτερον, καὶ τὸ νῦν· ὅπερ ἐμοὶ καὶ διπλοῦν, ἀλλ' οὐχ ἁπλῶς ἕν τι καὶ μόνον εἶναι δοκεῖ· ἓν μεν, τὸ τὰ κατὰ διάνοιαν ἐλέγξαι· δεύτερον δέ, τὸ ἀνελεῖν προστάγματι.* Etenim Petrus iam terribilis erat, puniens, et quae sola mente continebantur, redarguens. Cui *magis* haerebant [14], et propter signum, et propter priorem concionem, ac secundam, tertiamque. Ipse namque et primum signum fecerat, et secundum et praesens, quod videtur mihi non unum sed duplex esse; alterum quidem ea quae in animo latebant, coarguere: alterum vero nutu occidere.“ Hinc dum quaerit, cur nemo Saphirae annunciasset quod marito acciderat, scribit [15]: *τοῦτο φόβος διδασκάλου· τοῦτο τιμὴ μαθητῶν· τοῦτο ὑπακοή.* hoc magistri

[5]) Syrus legit non sine addita particula *εἰς*, quam et aliquot graeci codices praeferunt. Ceterum *ψεύδομαι* non minus cum dativo, quam cum simplici accusandi casu constructum reperies.

[6]) Sunt qui phrasim, *μένον ἔμενε*, non aliter accipiant ac alteram, Act. VII. 34. coll. Exod. III. 7, *ἰδὼν εἶδον*, putentque ad vehementiorem significationem adhiberi. Sed consequens et oppositum *τὸ πραθὲν* demonstrat antecedens *τὸ μένον* ad *subiectum propositionis* referri oportere.

[7]) Manifesta est ellipsis verbi *γέγονεν* post *τί*, quae expletur Joh. XIV. 22.

[8]) Negans particula *οὐκ* saepe adhibetur *ἐλλειπτικῶς* pro *non solum*, ut Matth. X. 20, XVIII. 22, Marc. XIII. 11, Ephes. VI. 12.

[9]) Act. V. 9.

[10]) Syrus *affirmando* reddidit, omissa vocula, *τί*.

[11]) Act. V. 9.

[12]) Monuit Ernestius in Prolus. de vestigiis linguae hebraicae in lingua graeca, hebraeis in more esse positum, ut hominem designent per eam corporis partem, quae cum re eidem tributa coniungitur.

[13]) In Acta Apost. hom. XII. n. 1.

[14]) Quae comparativa loquendi ratio accommodatissima videri debet ad Petri *ὑπεροχὴν* demonstrandam.

[15]) In Acta Apost. hom. XII. n. 2.

timor effecit: hoc honor discipulorum: hoc obedientia. Ubi perspicua est λιτότης, qua Petrus simpliciter διδάσκαλος nuncupatur, idest, primus, supremusque magister ac doctor.

241. Sed quidnam Petrus egit, quod reliqui apostoli agere pari iure non potuerint? ac si mihi animus umquam fuisset inficiari ad omnes pariter apostolos pertinere verba [16] Salvatoris: quodcumque solveritis super terram, erit solutum et in caelis; et quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum et in caelis. Erant et ipsi iudices, et iudiciaria auctoritate potiebantur. Attamen non ipsi, sed Petrus [17] Ananiae et Saphirae caussam examini subiecit, sententiam tulit, poenamque sontibus irrogavit. An ideo quod ipse unus adesset, abessent ceteri? immo adfuisse omnes testatissimum est e verbis [18] Lucae scribentis: *καὶ ἐνέγκας (Ἀνανίας) μέρος τι, παρὰ τοὺς πόδας τῶν ἀποστόλων ἔθηκεν·* et afferens Ananias partem aliquam, ad apostolorum pedes illam posuit. Cernis, *παρὰ τοὺς πόδας τῶν ἀποστόλων,* ad pedes non unius Petri, sed omnium universim apostolorum? unde ergo factum arbitrabimur, solum Petrum de caussa pronunciasse, quae ad commune apostolorum tribunal delata fuerat? inde e rei natura, bibliorumque analogia, quod Petrus praeire in omnibus deberet, quod ex eo iudiciorum ecclesiasticorum exemplar petendum esset, quod ipsi, utpote capiti, supremoque rectori cura tuendae ecclesiasticae disciplinae inprimis competeret. Hoc autem feliciter Baronius [19] expressit, inquiens: „Videas ex his Petrum, sicut in ceteris, ita etiam iudiciaria potestate praeferre primatum: primus quippe omnium ac solus inter ceteros de perpetrato peccato reos interrogat; quos convictos, mox a Deo dira poena immissa consequitur.“

242. Cuius prae ceteris primatus signum non minus luculentum ex iis desumitur, quae de Petro extructas ubivis ecclesias invisente, illisque iure oecumenici pastoris consulente, Lucas scribit. Ait [20] namque: *Αἱ μὲν οὖν ἐκκλησίαι καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας καὶ Γαλιλαίας καὶ Σαμαρείας εἶχον εἰρήνην, οἰκοδομούμεναι καὶ πορευόμεναι τῷ φόβῳ τοῦ κυρίου, καὶ τῇ παρακλήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπληθύνοντο. Ἐγένετο δὲ Πέτρον διερχόμενον διὰ πάντων, κατελθεῖν καὶ πρὸς τοὺς ἁγίους τοὺς κατοικοῦντας Λύδδαν.* Ecclesiae quidem per universam Judaeam et Galilaeam et Samariam pace fruebantur, et [21] auctae proficientesque in timore Domini et consolatione sancti Spiritus amplificabantur. Quum factum est, ut Petrus per eas omnes transiens veniret ad sanctos qui Lyddae morabantur.

Haec autem cum iis primum componenda existimo quae Tito Paulus [22] mandat: *Τούτου χάριν κατέλιπόν σε ἐν Κρήτῃ, ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορ-*

[16]) Matth. XVIII. 18.

[17]) Act. V. 3—8—9: *Εἶπε δὲ Πέτρος.*

[18]) Ibid. v. 2.

[19]) Ad annum XXXIV. n. CCLXIV.

[20]) Act. IX. 31—33.

[21]) Si qui cum Vulgato malint verba, *καὶ τῇ παρακλήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος,* non ad antecedentia participia, *οἰκοδομούμεναι καὶ πορευόμεναι,* sed ad subsequens verbum, *ἐπληθύνοντο* referre, non admodum repugnabimus.

[22]) Ad Tit. I. 5.

θώσῃ, καὶ καταστήσῃς κατὰ πόλιν[23] *πρεσβυτέρους, ὡς ἐγώ σοὶ διεταξάμην.* Idcirco te Cretae reliqui ut quae supersunt in ordinem redigas, et oppidatim presbyteros constituas, quemadmodum ego tibi mandavi.

Cum iis deinde quae de Paulo ac Barnaba Lucas[24] scribit: *Μετὰ δέ τινας ἡμέρας εἶπε Παῦλος πρὸς Βαρνάβαν· ἐπιστρέψαντες δὴ ἐπισκεψώμεθα τοὺς ἀδελφοὺς ἡμῶν κατὰ πᾶσαν πόλιν, ἐν αἷς κατηγγείλαμεν τὸν λόγον τοῦ κυρίου, πῶς ἔχουσι.* Post aliquot vero dies dixit Paulus Barnabae: revertentes visitemus fratres nostros per omnes civitates[25] in quibus annuntiavimus verbum Domini, cognituri quomodo se habeant.

Cum iis postremo quae ex alexandrino Clemente Eusebius[26] refert, in more fuisse Johanni, ut Asiae ecclesias quas ipse extruxerat, vel unus maxime excoluerat, pro potestate visitaret.

243. Hac enim comparatione intelligimus, quae de Petro narrantur, ad pascendi auctoritatem referri: ipsumque nihil ex iis fecisse reliquum, quae ad oecumenici pastoris officium, iuraque pertinent. Enimvero non ipse unus Jerosolymis erat, neque ipse unus ecclesias omnes Judaeae, Galilaeae et Samariae aedificaverat; nihilominus ipse unus e Jerosolymis profectus non unam alteramve invisit ecclesiam, neque iis dumtaxat consuluit quas ipse erexisset, sed omnibus et singulis sua cura adfuit, operamque impendit.

Cuius oeconomiae si caussam quaeras non confictam, neque ad arbitrium excogitatam, sed obviam, cum re ipsa cohaerentem et Scripturarum consensione probatam, non aliam comperies quam quae e propria eximiaque Petri dignitate depromitur. Omnes sane apostoli erant pastores, sed unus Petrus[27] universum ovile regendum administrandumque susceperat: omnes erant pastores, sed Christus princeps pastorum unum delegerat Petrum, cui suas vices committeret.

244. Unde animadversione dignum est, aliter de Petro, ac aliter de Paulo et Barnaba ecclesias invisentibus Lucam scribere. Testimonia e regione collocabo, ut quod intelligo, oculorum fide teneatur.

Act. IX. 32: *Ἐγένετο δὲ Πέτρον διερχόμενον διὰ πάντων, κατελθεῖν καὶ πρὸς τοὺς ἁγίους τοὺς κατοικοῦντας Λύδδαν.*	Act. XV. 36: *Ἐπιστρέψαντες δὴ ἐπισκεψώμεθα τοὺς ἀδελφοὺς ἡμῶν κατὰ πᾶσαν πόλιν, ἐν αἷς κατηγγείλαμεν τὸν λόγον τοῦ κυρίου, πῶς ἔχουσι.*

Id itaque intererat Petrum inter, Paulum et Barnabam, quod interest inter *διὰ πάντων*, et *κατὰ πᾶσαν πόλιν, ἐν αἷς κατηγγείλαμεν κ. τ. λ.* Haec autem

[23]) His consonant quae de apostolis habet Clemens in priore ad Corinthios, §. XLII: *Κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες, καθίσταναν τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν.*

[24]) Act. XV. 36.

[25]) Proprie, *per unamquamque civitatem, in quibus*: qua constructione *collectiva* acceptio declaratur.

[26]) H. E. lib. III. cap. XXIII. ex libro Clementis inscripto: *Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος.*

[27]) Joh. XXI. 15. seqq.

duo non minus ab invicem distant, quam a particulari et definito universale infinitumque distat. Quid porro? istud nimirum, Paulum et Barnabam ita fuisse pastores, ut oecumenicus omnium episcopus et pastor unus Petrus extiterit. Quod nobilissima imagine Chrysostomus [28] depinxit, inquiens: *Καθάπερ τις στρατηγὸς περιΐει τὰς τάξεις τὰς ἐπισκοπῶν, ποῖον εἴη συγκεκροτημένον μέρος, ποῖον ἐν κόσμῳ, ποῖον τῆς αὐτοῦ δέοιτο παρουσίας.* Quasi dux circuibat, ordines considerans; quae pars esset coadunata, quae ornata, quae sua praesentia egeret.

245. Atque hanc supremi ducis auctoritatem tum etiam apostolos, senioresque Petro detulisse constat, quum gravissimum dissidium ecclesiasticae unitati infensum exarsit, summaque animorum contentione vocatum in quaestionem fuit, an qui e gentilibus ad fidem accederent, mosaicarum legum custodiae essent subiiciendi.

Etenim e circumcisis fidelibus non pauci, iique potissimum [29] qui pharisaeorum haeresi [30] studuerant, et tenebant ipsi, et alios edocebant [31]: *ὅτι ἐὰν μὴ περιτέμνησθε τῷ ἔθει Μωϋσέως, οὐ δύνασθε σωθῆναι:* quod nisi mosaico ritu [32] circumcidamini [33], salutem consequi [34] non potestis.

Repugnabant [35] Paulus et Barnabas, et res ad *στάσιν* usque devenerat. Cui ut obviam iretur, expedire [36] visum est, ut aliquot ex utriusque sententiae patronis, et Paulus potissimum ac Barnabas ad apostolos et hierosolymitanos presbyteros mitterentur. Qui ut primum Hierosolymam venere, quamquam [37] ab ecclesia, apostolis, presbyterisque benevole reciperentur, continuo tamen intellexerunt, ex iis plures qui *ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν φαρισαίων* crediderant, hanc [38] profiteri doctrinam: *ὅτι δεῖ περιτέμνειν αὐτούς, παραγγέλλειν τε τηρεῖν τὸν νόμον Μωϋσέως:* quod oportet gentes Christum amplexas circumcidere, tum illis praecipere ut Moisis legem custodiant.

[28]) In Acta Apost. hom. XXI. n. 2.

[29]) Act. XV. 1—5.

[30]) De hac iudaeorum secta, deque placitis quibus distinguebatur, plura habet Josephus, Archaeolog. lib. XIII. capp. V—VI—IX—X, lib. XVII. cap. II, lib. XVIII. cap. I; de Bello Jud. lib. II. cap. VIII: plura in evangeliis occurrunt, Matth. IV. 18, X. 6; Luc. X. 33,.... quorum pleraque Johannes Jahn, Archaeolog. §§. 318. seqq. diligenter collegit.

[31]) Act. XV. 1.

[32]) Generale nomen *ἔθος* de ritibus, deque legibus caeremonialibus, quibus iudaei ab aliis populis discernebantur, *κατ' ἐξοχὴν* usurpatur.

[33]) Et per circumcisionem vos universae legi obnoxios profiteamini.

[34]) A qua rigidissima sententia ii abhorrebant, qui non solum proselytis הַצֶּדֶק iustitiae et circumcisis, verum etiam proselytis הַשַּׁעַר portae et incircumcisis spem salutis faciebant. Cf. Seldenum de Jure nat. et gent. lib. II.

[35]) Act. XV. 2.

[36]) Ibid. v. 3.

[37]) Ibid. v. 4.

[38]) Ibid. v. 5.

246. Itaque [39] ad synodum *τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν πρεσβυτέρων* relata caussa, quum in eam [40] sollicite inquireretur, *ἀναστὰς Πέτρος εἶπε πρὸς αὐτούς*, surgens Petrus, his eos verbis alloquutus est. Sed quid est, quod primus surgit Petrus, caussamque praefinit? quod primus esset apostolorum, quod propria illius esset praerogativa suffragii, quod supremus esset magister, ac princeps adeo controversiarum arbiter, unitatisque assertor.

Sic autem exorsus est: *Ἄνδρες ἀδελφοί, ὑμεῖς ἐπίστασθε, ὅτι ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων ὁ θεὸς ἐν ἡμῖν* [41] *ἐξελέξατο διὰ τοῦ στόματός μου ἀκοῦσαι τὰ ἔθνη τὸν λόγον τοῦ εὐαγγελίου, καὶ πιστεῦσαι.* Viri fratres, vos scitis, Deum [42] iampridem me [43] selegisse, ut per os meum, meamque praedicationem audirent gentes verbum evangelii, auditoque fidem adhiberent.

Verum unde Petro ea conveniebat *ὑπεροχή*, quae effertur verbis, *διὰ τοῦ στόματός μου, per os meum?* unde tanta illi inerat auctoritas, qua omnium sibi fidem conciliaret? horum caussa obscura esse non potest, quum illam omnibus fuisse exploratissimam Petrus significet, inquiens: *ὑμεῖς ἐπίστασθε, ὅτι ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων ὁ θεὸς ἐν ἡμῖν ἐξελέξατο:* vos scitis quod me iampridem Deus selegerit, seligendoque praetulerit. Electioni igitur Dei, cuius tot in Scripturis occurrunt indicia, immo etiam disertissima testimonia, quamque apostoli et presbyteri compertam plenissime habebant, tribui debet, quod Petrus praerogativa suffragii, ac iure supremi controversiarum arbitri potiretur.

247. Hoc autem instructus iure, sententiam [44] promit, argumentisque confirmat, et ratam esse iubet fidem, qua *διὰ τῆς χάριτος Ἰησοῦ Χριστοῦ πιστεύομεν σωθῆναι, καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι*, credimus salutem consequi per gratiam [45] Jesu Christi, quemadmodum [46] et illi. Qua vero auctoritate

[39]) Act. XV. 6.

[40]) Ibid. v. 7.

[41]) Chrysostomus legit *ἐν ὑμῖν*, unde hom. XXXII. sic habet: *Τί ἐστιν, ἐν ὑμῖν; ἤτοι ἐν Παλαιστίνῃ, φησίν, ἢ παρόντων ὑμῶν.*

[42]) Hesychius, *ἀρχαῖον· παλαιόν, πρῶτον.* Unde quidquid superioribus temporibus contigerit, sive remotiora ea fuerint, sive propiora, *τὸ ἀρχαῖον* non male dicitur.

[43]) Daniel Heinsius in Exercitt. sacris ad h. l. scribit: „Mirum, cur tantopere in postremis sese verbis torqueant interpretes. Quid enim magis usitatum, quam ut hebraeorum exprimatur constructio? ut sit, *ἐξελέξατο ἐν ἡμῖν, ἐξελέξατο ἡμᾶς.* Et quis nescit illud, *ὅτι ἐξελέξατο κύριος ἐν Σιών*, בחר בציון? quale est, *ἐξελέξατο ἐν σοί* בך בחר. Ita heic *ἐξελέξατο ἐν ἡμῖν, ἐξελέξατο ἐν ἐμοί:* quae enallage in primis usitata."

[44]) Act. XV. 8—12.

[45]) Haec expendens Chrysostomus hom. XXXII. n. 1. exclamat: „*Πόσης δυνάμεως γέμει ταῦτα τὰ ῥήματα; ἅπερ ὁ Παῦλος διὰ πολλῶν ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους εἶπε, ταῦτα καὶ οὗτος.* Quanta virtute plena sunt haec verba? quae Paulus multis in epistola ad Romanos dixit, eadem et hic dicit." Et mox de capitibus doctrinae Pauli rursum loquens, addit, *πάντων τούτων τὰ σπέρματα ἐν τῇ Πέτρου δημηγορίᾳ κεῖται.* horum omnium semina in Petri concione habentur. Quibus nihil ad efferendum Petri magisterium opportunius.

[46]) Quum duo, idest, *discipuli* et *pa-*

sententiam tulerit, triplici potissimum ex capite desumi potest. Ac e dignitate primum quae illi erat una cum apostolis reliquis communis, quamque summam fuisse et decretoriam patres concilii oecumenici quinti declaraverunt [47]. E verbis [48] deinde, *νῦν οὖν τί πειράζετε τὸν θεόν;* nunc ergo quid Deum tentatis? quae ad synodum direxit, quaeque cum hisce prorsus respondeant, quibus Ananiae et Saphirae [49] flagitium reprehendit: *τί ὅτι συνεφωνήθη ὑμῖν πειράσαι τὸ πνεῦμα κυρίου;* ab eo adhiberi dumtaxat poterant, qui omnibus iure, celsiorique auctoritate praeesset. Tandem e consequuta concionis adprobatione, quam Lucas significat [50] inquiens: *ἐσίγησε δὲ τὸ πλῆθος ἅπαν,* tacuit autem universa multitudo, annuendoque acquievit. In hac igitur capitali omnino quaestione [51], atque in concilio omnium celeberrimo orientis ecclesiae eam Petrus personam gessit, quae principem coetus, supremumque controversiarum arbitrum unice decebat; adeo ut si de illius gradu locoque ex hac una narratione ferri iudicium oporteret, statuendum necessario foret, culmen illi fastigiumque potestatis prae ceteris omnibus convenisse.

248. Ita plane, nisi Paulus et Barnabas [52] suam ipsi quoque sententiam dixissent: nisi Jacobus [53] multo adiecisset plura quam Petrus praemonuerat: et nisi supremum iudicium non *communi suffragio* [54], sed *unius Petri nutu* editum fuisset atque conclusum.

At ego vero candide fateor nescire me quo ista pertineant, licet probe noverim et plurimi a protestantibus [55] fieri, et in suis commentariis passim inculcari. Etenim idem ne valent *caput* esse, et esse *totum? praesidere* ceteris, atque his *ius* esse *nullum*, *nullamque deliberandi*, *decernendique potestatem?* distingui haec ab invicem, et infinito propemodum intervallo distare, quum rerum ipsarum naturis, tum exemplis, historiisque docemur. Ecquid enim capitis, praesidisque ratio proprie complectitur? istud ne ut omnia sibi arroget, omnia

tres, antecedant, ad quos demonstrativum *κἀκεῖνοι* referri potest; nobis certum est ad *patres* referri.

[47]) Collat. VIII. pag. 188. edit. Harduini: „Licet sancti Spiritus gratia et circa singulos apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea quae agenda erant; non tamén aliter voluerunt de eo quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati divinarum scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmaret.“

[48]) Act. XV. 10.

[49]) Ibid. V.9.

[50]) Ibid. XV. 12.

[51]) Quod in epistola ad Galatas Paulus plenissime ostendit.

[52]) Act. XV. 12.

[53]) Ibid. vv. 14—22.

[54]) Ibid. vv. 22 — 30. Hoc autem commune suffragium indicant verba v. 25: *Ἔδοξεν ἡμῖν, γενομένοις ὁμοθυμαδόν:* et v. 28: *Ἔδοξε γὰρ τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν.*

[55]) E quibus Franciscus Turrettinus, Loco XVIII. q. XVII. §. VII, tertium contra Petri primatum argumentum e concilio hierosolymitano desumit.

vindicet, tyrannidem [56] exerceat, nihilque ceteris membris reliquum faciat? ἄτοπα ista sunt et incredibiliter absurda. Eo igitur ratio praesidis et capitis revera spectat, ut qui eiusmodi dotibus praefulget, is antecedat, viam praemonstret, et quid facto aut creditu opus sit, primus edicat, potiorique iure determinet.

249. Quid horum iamvero non praestitit Petrus? quid omisit? facem praetulit, primus de quaestione deliberavit, eamque tulit sententiam, quam apostoli, ceterique pastores improbare quidem non possent, possent vero ac etiam deberent expendere et confirmare.

Hoc enim distant oves a pastoribus, discipuli a magistris, quibus Christus ecclesiam suam administrandam credidit: quod illis obsequii, obedientiaeque officium *unice* incumbit, his officium *praeterea* inquisitionis ac examinis. Quum enim sint doctores [57], et cathedrae [58] praerogativa insignes; quemadmodum ius habent cognoscendae caussae in controversiam adductae, ita officio obstringuntur expendendi maiori qua possunt cura, quid sit ad divinas litteras expressum, quid doctrina Salvatoris postulet, quid fidei concentus, partiumque omnium conspiratio exigant.

Quare non eadem est σχέσις, qua oves et discipuli, et qua pastores, doctoresque ad summum omnium praepositum, et principis cathedrae moderatorem referuntur. Oves namque ac discipuli nonnisi habitu obedientiae, docilisque assensionis ad eum referuntur; at vero pastores, doctoresque *proprio* ad eum referuntur *iudicum habitu:* iudicum, inquam, qui licet eiusdem imperio ac regimini obnoxii, veri tamen sunt iudices, vere arbitrantur, ac pro insita sibi auctoritate decernunt. Neque enim existimandum est, vel iudicem esse non posse qui sit ὑπόνομος, vel iudicem omnem esse a superioris lege solutum atque αὐτόνομον. Ratio haec est non iudicis καθόλου, sed εἰδικῶς summi supremique legislatoris. Quae igitur nobis opponebantur, eiusmodi fuisse apparet, quae non detraherent Petro vim primatus, rationemque capitis; sed Paulo, Barnabae, Jacobo, apostolisque reliquis auctoritatem, officiumque iudicis assererent.

250. Nisi illud fortasse gravius videri debeat, quod non *solus Petrus*, sed *omnes communiter* sententiam tulerint, legesque ab ecclesia servandas sanciverint. Unde et bis [59] repetitur, ἔδοξεν ἡμῖν: et Paulo ac Timotheo [60] adscribitur quod observanda promulgarint τὰ δόγματα τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν πρεσβυτέρων τῶν ἐν Ἱερουσαλήμ.

Omnes enim, etiam me non monente, intelligunt, aliud prorsus esse quid-

[56]) Quam sint haec ab omni specie veritatis aliena, quamque ecclesiae institutis contraria, pluribus explanat Chrysostomus hom. XXXIII.

[57]) Eph. IV. 11.

[58]) Unde *cathedrae* nomen in ecclesiasticis monimentis frequentissimum, quo et divina τῶν διδασκάλων institutio, et facta divinitus docendi auctoritas significatur. Cf. Melch. Canum, Loc. Theolog. lib. VI. cap. III, et Cardinalem Orsi, De auctoritate Rom. Pontif. lib. I. cap. VI. art. II.

[59]) Act. XV. 25—28.

[60]) Act. XVI. 4.

quam *κοινῶς* statui, ac idipsum aequo iure ab omnibus definiri. Decretum enim, quod pluribus *commune* fuerit, non iurium aequalitatem, sed singulis competentem decernendi auctoritatem demonstrat. Hinc communia decreta non ex aequalibus solum, verum etiam ex inaequalibus coetibus proficiscuntur. Quod ergo et quaestio communi iudicio diremta, legesque communi suffragio fuerint constitutae, ostendit quidem deliberandi, decernendique potestatem iis omnibus fuisse communem, qui in synodum convenere; nullatenus vero ostendit aut ostendere potest, vel eodem iure [61] omnes et singulos iudicasse, vel legum latores nulla fuisse iuris inaequalitate secretos.

Haec aliunde colligi [62], ac e facti totius serie deduci nominatim debent. Qua deductione instituta, perspicuum erit, commune decretum ad Petrum inprimis referendum esse, latasque communiter leges ad eum, tamquam caput, potissimum pertinere.

251. Quod antiqui ecclesiae doctores et viderunt ipsi, et memoriae posteritatis commendarunt. E quibus altero saeculo Tertullianus [63] de singularibus Petri dotibus verba faciens, inquit: „In ipso ecclesia extructa est, idest, per ipsum, ipse clavem [64] imbuit; vide quam: Viri Israelitae, auribus mandate quae dico, Jesum Nazarenum virum a Deo vobis destinatum, et reliqua. Ipse denique primus in Christi baptismo reseravit aditum caelestis regni, quo solvuntur alligata retro delicta, et alligantur quae non fuerint soluta, secundum veram salutem; et Ananiam vinxit vinculo mortis, et debilem pedibus absolvit vitio valetudinis. Sed et in illa disceptatione custodiendae nec ne Legis, *primus omnium Petrus Spiritu instinctus*, et de nationum vocatione praefatus: Et nunc, inquit, cur tentastis Dominum de imponendo iugo fratribus, quod neque nos neque patres nostri sufferre valuerunt? sed enim per gratiam Jesu credimus nos salutem consecuturos sicut et illi. *Haec sententia et solvit quae omissa sunt Legis, et alligavit quae reservata sunt.*“

Eadem perspicuitate saeculo quarto Hieronymus [65], qui Petrum scribit *solita libertate usum, atque in eius sententiam Jacobum ivisse apostolum, et omnes simul presbyteros transivisse, et principem huius fuisse decreti.* Quare saeculo quinto Theodoritus [66] litteras ad Leonem cognomento magnum his omnino verbis exorsus est: „*Εἰ Παῦλος, τῆς ἀληθείας ὁ κήρυξ, ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος σάλπιγξ, πρὸς τὸν μέγαν ἔδραμε Πέτρον, ὥςτε τοῖς ἐν Ἀντιοχείᾳ περὶ τῆς κατὰ νόμον πολιτείας ἀμφισβητοῦσι παρ' αὐτοῦ κομίσαι τὴν λύσιν, πολλῷ μᾶλλον ἡμεῖς οἱ εὐτελεῖς καὶ σμικροί, πρὸς τὸν ἀποστολικὸν ὑμῶν τρέ-*

[61]) Nisi et illud contendas, eodem iure apostolos et presbyteros fuisse instructos.

[62]) Neque enim licet in uno testimonio sic animum defigere, ut alia negligantur.

[63]) De Pudicit. cap. XXI.

[64]) Idest, adnotante Rigaltio, primus serae clavem inseruit: clave a Deo concessa uti coepit. Sic libro de Ieiuniis: *ubi iam restitutio hominis imbui potuit.*

[65]) Epist. LXXV. al. XI. inter Augustinianas.

[66]) Epist. XCIII. edit. Schulze.

χομεν θρόνον, ὥστε παρ' ὑμῶν λαβεῖν τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν ἕλκεσι θεραπείαν. Si Paulus, praeco veritatis, tuba Spiritus-sancti, ad magnum Petrum se contulit, ut iis qui Antiochiae de legali conversatione ambigebant, explicationem ab illo referret; multo magis nos humiles et pusilli ad apostolicam sedem vestram accurrimus, ut ecclesiarum ulceribus remedium a vobis accipiamus."

Sed quo pertinet appositum *magni* tributum Petro? quid sibi vult, Paulum ad magnum Petrum se contulisse, ut ab eo solutionem gravissimae contentionis obtineret? nonne ad omnes apostolos se Paulus contulit? indubitanter: ad Petrum tamen se nominatim contulisse dicitur, quod Petrus inter illos caput esset, sua magnitudine excelleret, et prae ceteris ligandi, solvendique auctoritate potiretur.

CAPUT XXIII.

Singularis ecclesiae apostolicae in Petrum cura: — eiusque capitis auctoritas inde deducta: — de norma qua statui debet, an Petrus munia primatus obierit, iuraque exercuerit: — praepostera Chamierii opinio: — sincera norma exhibetur, Petrique gestis cum ea collatis, efficitur, exercitium primatus negari non posse: — colligitur inde institutio, eaque cum exequutione comparatur: — quam sibi apte respondeant: — suffragioque apostolicae ecclesiae comprobentur: — similitudo inter Christum supremum ecclesiae caput, et Petrum vicaria potestate eidem praepositum.

252. Sapientissima naturae lege provisum est, ut numquam corpus, numquam corporis membra industriam acuant vehementius, viresque suas acrius intendant, quam dum caput periclitatur, graviorque illi pernicies impendet. Eodem enim insito pondere, quo natura conservatrix sui est, caput etiam tuetur ac protegit, et quae illi damna imminent, omni qua potest ope, repellit. Et merito, quum aliter neque consistere ipsa possit, neque suam incolumitatem retinere.

Hac autem naturae lege si normae instar utamur, qua gradum, Petrique in ecclesia apostolica dignitatem aestimemus; impeditum nobis haud erit intelligere, eo loco in ecclesia Petrum fuisse, qui patrisfamilias in domo, ducis in exercitu, et in corpore capitis proprius habetur.

253. Enimvero interfecto Jacobo[1] Johannis fratre, ut plenius Herodes iudaeis obsequeretur, eorumque odium in christianum nomen exsatiaret, decrevit[2] συλλαβεῖν καὶ Πέτρον apprehendere et Petrum, apprehensumque morti addicere.

[1]) Act. XII. 2. [2]) Ibid. vv. 3—4.

Sed quum primum innotuit[3] Petrum comprehensum, carceribusque detentum; *προςευχὴ δὲ ἦν ἐκτενὴς γινομένη ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας πρὸς τὸν θεὸν περὶ αὐτοῦ*, nullum ecclesia modum[4] posuit precibus, quibus Deum pro illius incolumitate ac libertate exoraret. Sunt haec apostolicis actis consignata, neque fas de his est dubitare.

Fas vero est, ac omnino decet rimari penitius, unde tanta ecclesiae sollicitudo, quidve Lucam moverit, ut de precibus pro Petro fusis, editoque miraculo[5] quo ille in libertatem assereretur, enucleatam adeo narrationem conscriberet.

254. Sane nonne Jacobus inter apostolos nobilissimus comprehensus ante fuerat, constrictus vinculis, gladioque percussus? omnino: neque tantas propterea fuisse ecclesiae curas legimus; neque Lucas de oblatis pro eo precibus vel levissime monuit. Nonne ipse quoque Paulus[6] in eadem hierosolymitana urbe et raptus in vincula fuit, et in apertissimum venit vitae discrimen? certissime, quin tamen orationes pro eo ab ecclesia factae memorentur.

Inde nimirum repeti discrimen debet, quod summa quidem esset Jacobi, Paulique auctoritas, summa existimatio; sed quae tamen ab ea longe distaret, qua Petrus in ecclesia potiebatur. Inerat illis auctoritas summa, summoque in pretio iidem habebantur: erant tamen *membra*, quum contra Petrus iure et dignitate *capitis* praecelleret. Unde[7] Chrysostomus: *Φιλοστοργίας δεῖγμα ἡ προςευχή. πατέρα πάντες ἐζήτουν, πατέρα ἥμερον.* Amoris indicium erat oratio. ***Patrem*** omnes quaerebant, patrem mansuetum.

255. Profecto quae ex Actorum libro per partes hactenus retulimus, relataque expendimus, talia mihi esse videntur quae duo pariter demonstrent: ac Petrum inprimis capitis, patrisque munere functum esse: tum vero iura, partesque capitis sic illi ecclesiam detulisse, ut compertam sibi exploratamque primatus institutionem a Christo profectam luculentissime significaverit.

Ecquid enim agere, quidve maxime aggredi Petrus debuisset, si illum reliquis praeposuisset Christus, omniumque caput designasset primum, deinde vero instituisset? omnia ne sibi adsciscere et non sine supercilio vindicare, *κυριεύειν*[8] *ἀδελφῶν καὶ ἐξουσιάζειν αὐτῶν*, dominari in fratres, atque suam in illos ostentare potentiam? vocari *εὐεργέτην*, magnosque sibi sumere titulos? ceteros a ministerio arcere, illorum operam aspernari, neque ferre, ut quam acceperant potestatem unanimes exercerent? non inania solum ista sunt, ac falsa, sed manifestissime absurda, et e quibus nemo non plane nescius evangelii, illiusque spiritus, qui christianismi proprius est, de primatus exercitio iudicandum esse arbitretur.

[3]) Act. XII. 5.

[4]) Haec enim est vis adiectivi *ἐκτενής*. Unde Gloss. Vet. *ἐκτενής, prolixus;* et Suidas, *ἐκτενῶς· ὁλοψύχως καὶ προθύμως*.

[5]) Act. XII. 6—11. Cuius occasione miraculi Arator cecinit:

Ferrea quid mirum si cedunt ostia Petro?
Quem Deus aethereae custodem deputat aulae,
Ecclesiaeque suae faciens retinere cacumen,
Infernum superare iubet?

[6]) Act. XXI—XXIII.

[7]) In Acta Apostol. hom. XXVI. n. 2.

[8]) Luc. XXII. 25.

Jam enim Christus[9] sententiam tulerat, *ὁ μείζων ἐν ὑμῖν, γενέσθω ὡς ὁ νεώτερος, καὶ ὁ ἡγούμενος, ὡς ὁ διακονῶν:* qui vos inter maior erit, semetipse gerat tamquam minor; et qui antecellet ac praeerit, non aliter se exhibeat ac si subesset et ministraret. Licet enim ego[10] vester fuerim *διδάσκαλος καὶ κύριος* magister et dominus, nihilominus *ἐν μέσῳ ὑμῶν* inter vos degi *ὡς ὁ διακονῶν* ut qui ministrat ac servit.

256. Quae si secum reputasset Chamierius[11], columen[12] illud calvinianorum, numquam in eam mentem venisset, ut necessaria ad ostendendum ex Actis primatus exercitium postularet: „Quod fuerit ab apostolis ad Petrum appellatum, quod mandata miserit ad reliquos apostolos, quod solus sua auctoritate controversias fidei definiverit, quod concilia indixerit, quod habuerit casus reservatos."

Nescio autem cur non item adiecerit: Quod legatos a latere miserit, quod indulgentias plenarias unus ipse erogaverit, quod canonicam episcoporum institutionem sibi tribuerit, quod limites dioecesibus posuerit, quod reliqua effecerit quae iuris canonici interpretes de romanis praesulibus disserentes uberrime exponunt.

257. Sed iocis sepositis, non facile dixerim, quid in his notari potissimum, quid acerbius coargui mereatur. An illud, quod *universalis* de primatu *quaestio* cum *particulari* perturbetur: cuiusmodi nimirum ille sit, quam late pateat, quosque singulatim actus complectatur. An alterum, quod ea *nominatim* praefiniantur, e quibus exercitium primatus colligi debeat; adeo ut si haec facta defuerint, reliqua quaecumque omnia imparia existimentur. An tertium, quod inter primatus functiones eae censeantur, quae sunt ab eiusdem genio alienissimae. Eiusmodi profecto est controversiarum fidei decisio, quae, ceteris exclusis, quibus *subordinatum* ius est, *illi uni* asseratur, qui omnium *προστάτης* extiterit. Neque enim idem valet, *primatu fidei ac magisterii* insignem esse, ac eumdem *unicum* esse magistrum atque doctorem. An quartum, quod propria ratio aetatis apostolicae funditus negligatur. Hanc enim nisi Chamierius neglexisset, numquam postulasset, vel ut appellationes ab apostolis ad Petrum interpositae, vel ut reservati casus ex Actorum historia ostenderentur. Infallibilis enim universalisque ligandi, solvendique potestas, qua divinitus aucti erant apostoli, neque appellationibus, neque casuum reservationibus locum ullum permittebat. An postremo quod insuper habeatur summi momenti discrimen inter

9) Luc. XXII. 26.

10) Ibid. v. 27. coll. Joh. XIII. 12—17.

11) Panstrat. lib. XII. cap. IV.

12) De quo Guillelmus Rivetus in epistola apologetica adversus Amyraldum scribit: „Reverendissimus et doctissimus Josephus Hallus Exoniensis in Anglia episcopus cum Chamierii meminisset, subiungebat: Deus bone! qualis! quantus! fuit ille unus tota davidicorum procerum cohors: totum davidicae turris armamentarium: totus exercitus Israelis. Ita admirari soleo igneum viri ingenium, multiiugem scientiam, acumen singulare. Nullo deinceps athleta opus habebit ecclesia Dei, quamdiu supererit (supererit autem aeternum) vester ille stupor mundi Chamierius."

substantiam ipsam, rationemque primatus, quae sibi semper constant, novasque numquam induunt facies; et modum quo exercetur, qui suapte conditione varius est ac multiplex, et pro adiunctorum varietate modo protenditur latius, ac modo angustiori ambitu coercetur.

258. Hisce ergo reiectis, quae imperitia solum vel fraude ad comprobandum primatus exercitium flagitarentur; percontemur rursum, sed prudenter ac sincere, quae ad illud stabiliendum desiderari legitime possint. Ac ne errore decepti, aliter aestimemus ac veritas exigit, normam aliquam praefigamus, ad quam arbitrium nostrum exprimi debeat. Puto autem loco normae praestitui posse: ***exercitium primatus inter certa explorataque habendum esse, si constiterit, in aedificanda ecclesia, in disciplina tuenda, in componendis dissidiis, in re communi administranda, prima sibi constanter propriaque capitis Petrum vindicasse.***

Duo enim sedulo animadverti debent, ac illud primum, adscribi Petro sine iniuria non posse, quod ea sibi veluti propria usurpaverit quae omnibus ex aequo apostolis convenirent: iam enim [13] virtute indutus ex alto, veteres animos deposuerat, et ad praescriptum spiritus non carnis ambulabat, sibique maxime id officii iniunctum noverat, quod ceteris [14] praescribebat: *Πρεσβυτέρους τοὺς ἐν ὑμῖν παρακαλῶ, ὁ [15] συμπρεσβύτερος καὶ μάρτυς [16] τῶν τοῦ Χριστοῦ παθημάτων, ὁ καὶ τῆς μελλούσης ἀποκαλύπτεσθαι δόξης κοινωνός· ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ θεοῦ, ἐπισκοποῦντες μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἑκουσίως [17]· μηδὲ αἰσχροκερδῶς, ἀλλὰ προθύμως· μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων [18],*

[13]) Act. I. 8.

[14]) I. Petr. V. 1—4.

[15]) Al. ὡς.

[16]) Quum videam 1) *μαρτύριον* et *μαρτυρεῖν* de praedicatione et evangelii praedicatoribus in N. T. frequenter usurpari: quum videam 2) testium nomen, officiumque apostolis *κατ' ἐξοχὴν* adscribi: quumque videam 3) summam evangelicae praedicationis I. Cor. I. 23. ad passiones, mortemque Christi revocari; non invitus phrasim, *μάρτυς τῶν τοῦ Χριστοῦ παθημάτων*, redderem, *praeco et doctor passionum Christi.*

[17]) Post adverbium *ἑκουσίως* plures codices, versiones ac patres legunt *κατὰ θεόν.*

[18]) De significatione huius vocis in praesenti contextu incredibilis est interpretum dissensio. Plures cum Grotio *christianos coetus* intelligunt, eosque, utpote peculiarem Dei sortem, dictos *κλήρους* existimant. Sed huic acceptioni Dodwellus repugnat, eamque in prima Cyprianica dissertatione argumentis refellere satagit. Is porro una cum Spanhemio, aliisque quos in Curis Wolfius citat, opinatur, *κλήρους* aptissime reddi *possessiones* ac *fundos.* Obnititur Julius Pott, et eiusmodi interpretationem non minus a contextu, quam ab usu loquendi in N. T. alienam esse contendit.

Est et tertia expositio, quam Oecumenius brevissime indicavit his verbis: *Κλῆρον τὸ ἱερὸν σύστημα καλεῖ, ὥςπερ καὶ νῦν ἡμεῖς.* Et Suidas, *λέγεται κλῆρος καὶ τὸ σύστημα τῶν διακόνων καὶ πρεσβυτέρων.* Mihi enimvero inspicienti consequens incisum, quo *οἱ κλῆροι* collectivo *τοῦ ποιμνίου* nomine efferuntur, probabile omnino

ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου. Presbyteros [19] vestros ego compresbyter ac testis passionum Christi, idemque revelandae gloriae particeps adhortor: pascite commissum vobis [20] gregem Dei, illi prospicite [21] non ingratiis sed sponte, non lucri cupiditate adducti sed ex animo, ne tyrannidem exerceatis in cleros, sed exemplaria estote quae ovile imitetur.

Animadverti deinde debet primatum, eiusque functiones ad *triplicem* potissimum *auctoritatem* referri, *legiferam*, *iudiciariam* et *magisterii;* adeo ut de illius exercitio dubitari minime possit, si in ea triplici adhibenda potestate eum modum, eamque rationem Petrus tenuerit, qua nemo, nisi qui dux caputque foret, legitime uteretur.

259. Jamvero consulantur Acta, unoque veluti mentis adspectu considerentur quae in iis ad exercitium triplicis potestatis spectantia comprehenduntur.

Primo occurrit *magisterii* auctoritas. Atqui Petrus [22] constanter praecedit, os est ac lingua apostolorum, ecclesias ipse solus vel primus docendo aedificat, vel inchoatas solus aut princeps absolvit: rationem divinae oeconomiae ipse θεοδίδακτος ceteris aperit, et quid alii in synodum coacti sequi debeant, gravissimis verbis edicit.

Succedit potestas *iudiciaria.* Atqui [23] non alia in Actis instituta perhibentur iudicia, nisi quorum Petrus vel *solus* vel *princeps* auctor extiterit. Ipse *solus* Ananiae et Saphirae caussam cognovit, cognitamque diremit: ac ipse *potissimum* de Simone iudicavit, et in eum excommunicatione animadvertit.

Sequitur tertio postremoque loco potestas *legifera.* Atqui [24] *solus* Petrus legem promulgavit de gentibus iam recipiendis: *solus* praefinivit legem de abrogatis mosaicis institutis: ac ipse *prae ceteris* auctor fuit decreti quo fidelibus usus sanguinis et suffocati οἰκονομικῶς interdiceretur.

Quid igitur efficere praeterea debuit, ut ex *actibus*, tamquam *certis indiciis*, omnium caput, omnibusque praepositus agnosceretur? ut ex *effectis* vis ipsa, ratioque primatus, tamquam *caussa* revelaretur?

260. Atque heic e re futurum arbitror cum testimoniis quae ad *primatus institutionem* pertinere docuimus, facta, gestaque componere, quibus *eiusdem exercitium* comprobari ostendimus. Illa ad hanc summam redeunt. I. Petrum, Christo auctore, designatum fuisse [25] ecclesiae fundamentum, cum quo ecclesiae

est, τοῖς κλήροις christianos universim coetus significari; praesertim quum Paulus ad Col. I. 12. meminerit κλήρου τῶν ἁγίων, et qui ad ecclesiam accederent, iidem Act. XVII. 4. προςκληρωθῆναι dicerentur.

[19]) Phrasis, πρεσβυτέρους τοὺς ἐν ὑμῖν, scilicet ὄντας, aequivalet alteri, πρεσβυτέρους ὑμῶν.

[20]) Sunt qui τὸ ἐν ὑμῖν vertant, *quantum in vobis est.* Male, quum non sit τὸ καθ' ὑμᾶς, vel τὸ ἐξ ὑμῶν: et dictio, ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον, supple ὄν, conferri debeat cum verbis Act. XX. 28.

[21]) Participium ἐπισκοποῦντες est pro ἐπισκοπεῖτε, quod et de sequentibus repetendum est.

[22]) nn. 183. seqq.

[23]) nn. 238. seqq.

[24]) nn. 215. seqq.

[25]) nn. 13. seqq.

aedificium arctissime cohaereret, et e quo conspicuam unitatem, invictumque robur mutuaretur. II. Collatam illi fuisse [26] oecumenici pastoris auctoritatem, officiumque impositum universi ovilis regendi. Adeoque III. ad eum spectasse fratrum confirmationem, talemque clavium potestatem [27], cui omnes subiicerentur. Age iam et quam praeclare istis dotibus gesta responderint, paullo diligentius expende.

Erat Petrus *fundamentum* ecclesiae; et propterea coetus e iudaeis, samaritanis, gentibusque conflatos in se recepit.

Erat *oecumenicus pastor;* et propterea ex iudaeis, samaritanis atque gentilibus oves collegit, collectas aluit, ne detrimentum caperent, vigilando invisendoque prospexit; effecitque ut pastorum numerus unius praevaricatione deminutus compleretur.

Illius erat *fratres confirmare;* et propterea caelestem illis patefecit visionem, qua universalis ad ecclesiam gentium vocatio significabatur: tum declaravit, nullam iam esse mosaicae legis obligationem, neque illius custodiam ad consequendam salutem postulari.

Ipse potissimum, eaque ratione quae caput deceret, *clavibus* potiebatur; et propterea in familia Domini versatus sic est, ut praeeundo, defendendo partes omnes fidelis, prudentisque oeconomi obiverit.

Ipse eximio proprioque nomine *ligandi solvendique potestatem* acceperat; et propterea Ananiae et Saphirae caussam ad suum tribunal vocavit, profanumque Simonem sententia lata punivit.

261. Sic ergo institutio primatus, gestaque Petri se mutuo excipiunt, sibique respondent, ut ea semel posita, *praedici* ista potuerint, his vero compertis, ea manifestissime *deducatur*. Quae autem tam arctis cohaerent vinculis, fidem sibi mutuo, auctoritatemque conciliant, impediuntque quominus alterutrum in dubitationem vocetur. Conspirant enim *caussa* et *effectus*, et utraque inferendi ratio sive quam *a priori*, sive quam *a posteriori* nuncupant; adeo ut ne effectum neges, caussa postulet, ne vero de caussa dubites, effectus exigat. Eodem prorsus modo, quo si e *subducta temporis ratione* solem obortum nosses, et omnia lumine colorari *sensu* perciperes; illius ortum e diffuso ubivis lumine, lumenque ubivis diffusum ex eiusdem ortu colligeres. Quemadmodum igitur *primatus institutio* iis stabilitur, quae illius *usum, exercitiumque* demonstrant: usus vero ac exercitium ex eiusdem *institutione* praesentitur; ita utriusque coniunctione veritas quam tuemur, longe evidentius refulget.

262. Ac sane eo usque refulsit, ut apostolica ecclesia illam perspicue viderit, et eo quo par erat obsequio comprobaverit. Ne enim singula persequar, omniumque oculos in Petrum conversos, deque eo maxime sollicitos rursus [28] commemorem; contigit ne vel semel ut novus aliquis Abiron [29] contra Petrum

[26]) nn. 100. seqq.

[27]) Matth. XVI. 19; de quo testimonio accurate quam primum disputabimus.

[28]) nn. 252. seqq.

[29]) Num. XVI. 3.

usurpaverit, quae ille contra Moisem effudit: ***sufficiat tibi, quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus. Cur elevaris supra populum Domini?*** contigit ne ut Petro opponeretur quod ipsemet severissime [30] notaverat: ne ***dominaris in cleris?*** an saltem contigit, ut novus Aaron [31] repeteret quae illi imprudenter exciderant: ***num per solum Moisem loquutus est Dominus? nonne et nobis similiter est loquutus?***

Nihil eiusmodi in Actis comparet, sed oves iuxta pastoresque se Petro morigeros praebent, illique praeeunti dociles obsequuntur.

263. Sed ideo ne quod Petrus unius instar e multis semet gereret, quod reclamandi occasio deesset, vel omnes sic essent animo comparati, ut mallent gravissima quaeque perferre, quam fratris licentius agentis ambitionem compescere? immo Petrus nemini umquam erat secundus, primas sibi constanter arrogabat, clementiae ita studebat ut severitati non parceret, ac inter fideles non deerant qui iusta quoque ac legitima iniquius ferre viderentur.

Ac severitatis quidem specimina existimari merito debent quum sententia [32] in Ananiam et Saphiram pronunciata, tum iudicium quo Simonem divinorum charismatum exsortem declaravit. Neque illa admodum ad lenitatem inflexa, quibus synodum alloquutus est [33]: *νῦν οὖν τί πειράζετε τὸν θεόν; **quid iam ergo Deum tentatis?***

Etsi vero negari minime debeat, omnigenis virtutibus [34] apostolicam ecclesiam floruisse; dissimulari item non potest fuisse nonnullos qui a tanto perfectionis culmine abessent. Erant [35] qui murmurarent, qui [36] seditiones cierent, qui contra ipsummet Petrum [37] animos sibi sumerent, audentiusque disceptarent.

Restitissent ergo Petro, neque facile sivissent ut ipse veluti ceterorum dux et caput plurima ***solus***, omnia ***primus*** capesseret et exequeretur, nisi liquido nossent, firmiterque credidissent, illi prae ceteris fuisse a Christo commissam ecclesiam, eum supra ceteros claves accepisse, iure officioque confirmandi fratres fuisse donatum, remque christianam in suam tutelam, uti Christi vicarium, recepisse.

264. Immo affirmare non dubitaverim, quo quisquis esset sanctior et in christiana perfectione provectior, eo diligentiorem daturus operam, ne se Petrus ceteris praeferret, nisi pro certo habuisset, eximiis illum donis, singularique auctoritate fuisse divinitus auctum. Quod quum obscurum suapte sponte [38] non sit, iis redditur evidentius quae sacrae litterae de Paulo referunt.

[30]) I. Petr. V. 3.

[31]) Num. XII. 2.

[32]) E qua Porphyrius natam sibi occasionem existimavit, qua Petri crudelitatem insectaretur. Cf. Baronium ad an. XXXIV. §. CCLXIV.

[33]) Act. XV. 10.

[34]) Ibid. IV. 32. seqq.

[35]) Ibid. VI. 1.

[36]) Ibid. XV. 2.

[37]) Ibid. XI. 2.

[38]) Summi enim momenti erat cavere, ne ratio administrandae ecclesiae a Christo instituta cuiuspiam temeritate subverteretur.

Censuerat Petrus indulgendum nonnihil esse circumcisis fidelibus, ac in eorum gratiam de christiana libertate nonnihil remittendum. Sensit id Paulus, sed quum una perspiceret, Petri *οἰκονομίαν* e caritate illam quidem profectam, eiusmodi tamen esse quae fraudi non paucis foret; impetrare a se nullatenus potuit [39] quominus *κατὰ πρόςωπον*, aperte, לִפְנֵי, *ἐνώπιον* ei obsisteret, ac [40] *ἔμπροσθεν πάντων* his eum verbis compellaret: *εἰ σύ, ἰουδαῖος ὑπάρχων, ἐθνικῶς* [41] *ζῇς καὶ οὐκ ἰουδαικῶς, τί* [42] *τὰ ἔθνη ἀναγκάζεις ἰουδαΐζειν;* idest *παραφραστικῶς*: *si tu, quamquam iudaeus sis, non e legum iudaicarum severitate, sed ea libertate qua ethnici fruuntur tum vivebas quum solus inter eos versareris; quid tu nunc cogis ethnicos iudaicis ritibus obsequi?*

265. Quid igitur, amabo, Paulus, quid ceteri egissent apostoli, si Petrum, quem semper praeeuntem, iuraque capitis exercentem animadvertebant, veluti unum e reliquis, ac apostolis omnino parem habuissent? illi *κατὰ πρόςωπον* restitissent, illumque *ἔμπροσθεν πάντων* monuissent, nulla apostolos iurium inaequalitate secerni, neminem inter eos *ἡγουμένου* dignitate potiri, atque adeo intollerabile videri, ut qui instar ceterorum foret, personam ducis ostentaret, et auctoritatem, partesque capitis sibi sumeret.

Sed horum ne vestigium quidem extat in Actis, e quibus tamen innumera petuntur indicia, quae Petrum veluti caput egisse, illique apostolos, universamque fidelium concionem *τὸ πρωτεῖον* detulisse, insigniter demonstrant. Concludi igitur debet, apostolis et apostolicae ecclesiae tributum Petro primatum ea perspicuitate innotuisse, ut sui esse officii existimaverint, illi tamquam fundamento adhaerere, tamquam primum inter pastores lilum sequi, eoque excipere honore, qui sine flagitio denegari illi non posset qui explendas Christi vices divinitus accepisset.

266. Quas sane Petrus accepit, cuius similitudo cum Christo *capite* iis coloribus in Scriptura depingitur, ut neque negari possit, neque in controversiam prudenter adduci. Non me latet infinitum esse discrimen, quo a Christo Petrus secernitur; neque me latet dignitatem capitisque appellationem *iis nominibus* [43] Christo convenire, quae nequeunt esse Petro communia.

Enimvero inter ea nomina quibus dignitas appellatioque capitis Christo asseritur, ista eminent: quod auctor ipse fuerit atque ecclesiae institutor: quod supremo iure leges illi dixerit: quod hierarchiae rationem determinaverit: quod sacramenta constituerit: quod sibi illam tam arcte coniunxerit, ut eam intus alat, foveat, mundet atque sanctificet. Quo testimonia pertinent a Paulo [44] saepius repetita: *καὶ πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ αὐτὸν ἔδωκε κεφαλὴν*

[39]) Gal. II. 11.

[40]) Ibid. v. 14.

[41]) Est enallage temporum, *ζῇς* pro *ἔζης*: adverbia autem, *ἐθνικῶς καὶ ἰουδαικῶς*, ad mores, ritusque externos, et ad delectum nominatim ciborum, Act. X. 28. seqq., referuntur.

[42]) Pro *τί* codices plures, versiones, patresque legunt *πῶς*.

[43]) Disserit hac de re praeclare, suo nempe more, Petavius de Incarnat. lib. XII. cap. XVII.

[44]) Ephes. I. 22—23.

ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, ἥτις ἐστὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ, τὸ [45] πλήρωμα τοῦ τὰ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου: Et [46] infra: ἀληθεύοντες δὲ ἐν ἀγάπῃ, αὐξήσωμεν εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, ὅς ἐστιν ἡ κεφαλή, ὁ Χριστός, ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας, κατ' ἐνέργειαν ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἑκάστου [47] μέρους, τὴν αὔξησιν τοῦ σώματος ποιεῖται εἰς οἰκοδομὴν ἑαυτοῦ ἐν ἀγάπῃ. Ac [48] rursum: ὅτι ἀνήρ ἐστι κεφαλὴ τῆς γυναικός, ὡς καὶ ὁ Χριστὸς κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας· καὶ [49] αὐτός ἐστι σωτὴρ τοῦ [50] σώματος. ἀλλ' ὥςπερ ἡ ἐκκλησία ὑποτάσσεται τῷ Χριστῷ, οὕτω καὶ αἱ γυναῖκες τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν ἐν παντί. Idcirco vero Christus sibi subiecit [51] ecclesiam, ἵνα αὐτὴν ἁγιάσῃ, καθαρίσας τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν [52] ῥήματι, ἵνα παραστήσῃ αὐτὴν [53] ἑαυτῷ ἔνδοξον τὴν ἐκκλησίαν, μὴ ἔχουσαν σπίλον ἢ ῥυτίδα ἤ τι τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἵνα ᾖ ἁγία καὶ ἄμωμος. Quibus ea consentiunt quae alibi [54] habet, atque ista [55] nominatim: καὶ οὐ κρατῶν τὴν κεφαλήν, ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα, διὰ τῶν ἁφῶν καὶ συνδέσμων ἐπιχορηγούμενον καὶ συμβιβαζόμενον, αὔξει τὴν αὔξησιν τοῦ θεοῦ.

267. Dignitas igitur atque appellatio capitis quae ex his nominibus sumitur, non πρώτως solum καὶ μάλιστα, sed omnino ἀποφατικῶς Christo competit. Sed et aliud est nomen quo ecclesiae caput Christus dicitur, indeque petitur, quod ipsemet ecclesiam ἔξωθεν regat, illiusque conspicuae unitati prospiciat. Hoc nomine caput quidem est πρώτως καὶ μάλιστα, non item ἀποφατικῶς: atque hoc nomine ad eum spectat Pauli [56] effatum: καὶ αὐτός ἐστι κεφαλὴ τοῦ σώματος, τῆς ἐκκλησίας· ὅς ἐστιν [57] ἀρχή, πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων.

Primatum obtinet, ac ut [58] eum decebat in quo πᾶν τὸ πλήρωμα inhabitat, prorsus excellit; neque tamen Petrum, cui speciatim [59] dixit, ***pasce oves meas***, ***tu me sequere***, a consortio huius dignitatis funditus excludit.

268. Similitudo enim, qua Christus adhuc mortalis, et qua Petrus, Christo ad Patris dexteram iam sedente, cum apostolis egisse in Scripturis perhibentur, talis est, ut hic illius *imago*, ille autem huius *exemplar* extitisse videatur. Comparatione enitescet quod dicimus.

[45]) Vulgatus addit καί, *et plenitudo*.

[46]) Ephes. IV. 15—16.

[47]) Grotius, Bengel et Griesbachius praeferunt μέλους, cui sane lectioni plurima sunt quae suffragantur.

[48]) Ephes. V. 23—24.

[49]) Omissionem καὶ ante αὐτὸς probant Millius et Bengelius, qui cum Griesbachio omittendum item putat ἐστὶ post αὐτός, addendum contra articulum ante σωτήρ.

[50]) Vulgatus addit, *eius*.

[51]) Ephes. V. 26—28.

[52]) Semlerus expungit, ἐν ῥήματι, sed prorsus temere. Additio Vulgati reddentis, *in verbo vitae*, ad explanationem pertinet.

[53]) Lectio αὐτὸς pro αὐτὴν criticis adiumentis defendi potest.

[54]) Coloss. II. 10—14.

[55]) Ibid. v. 19.

[56]) Ibid. I. 18.

[57]) Aliter, praemisso articulo, ἡ ἀρχή.

[58]) Coloss. I. 19.

[59]) Joh. XXI. 15. seqq.

Christus quum adhuc inter apostolos mortalis degeret, uti dux praeibat, solus docebat [60], ad turbas, ad sacerdotes, ad principes concionabatur, discipulos defendebat, quid facto quidve dicto opus esset praemonstrabat, miraculis sibi apostolisque fidem auctoritatemque conciliabat, sibique rem communem in primis creditam modis omnibus significabat. Atqui, Christo redivivo, iamque in caelis glorioso, eamdem Petrus viam iniit, eumque agendi modum suscepit, qui ad Christi exemplar omnino expressus appareret. Omnibus enim constanter praeivit, solus ad populum, ad principes, ad gentes sermonem habuit, solus communi caussae patrocinatus est, solus circumspexit ne inchoata dilaberentur, solus severitate iudiciorum providit ne disciplina infringeretur, solus quae tenenda quaeve reiicienda essent praefinivit, ac solus apostolorum collegio, exstructisque ubivis ecclesiis ita consuluit, ut sibi summam rerum delatam non obscure declaraverit.

Mirum propterea esse non debet, si scriptores θεόπνευστοι geminas omnino dicendi formas de Christo, deque Petro comparate ad apostolos adhibuerint. De Christo comparate ad apostolos [61] scribunt: *Jesus et discipuli eius; ibant cum eo discipuli eius; ibi morabatur cum discipulis suis.* De Petro vero [62] sic habent: *stans Petrus et undecim; dixerunt ad Petrum et reliquos apostolos; Petrus et apostoli dixerunt.* Nihil autem hisce omnibus opportunius, nihil accommodatius, ut Christo ac Petro *similis* prae apostolis ceteris *relatio*, capitisque auctoritas tribuatur.

CAPUT XXIII.

Testimonia Pauli e I. Cor. I. 12, IX. 5, et XV. 5: — quae cum his sint nexa et quo pacto ad statuendum Petri primatum conferant: — de iis quae scribit ad Gal. I. 18, et II. 7 — 8 — 11: — deque multiplici inde ducto argumento, quo et maior Petri auctoritas et necessitas eiusdem fidei cum eo profitendae comprobatur: — e qua necessitate et illud colligitur, auctum propterea summo iure fuisse Petrum, ut auctor ipse foret efficiensque conspicuae unitatis principium.

269. Si qui plurimum impendit operae, ut apostolatus dignitatem, ordinemque inter Christi legatos divinitus praestitutum sancte tueretur; is certe fuit [1] Paulus, in cuius epistolis et de utroque capite agitur frequenter, et minus

[60]) Neque ut scribis et pharisaeis mos erat, sed ut qui, Marc. I. 22. coll. Luc. IV. 32, ex potestate loqueretur.

[61]) Joh. II. 2. coll. Luc. VII. 11. et Joh. XI. 54.

[62]) Act. II. 14—37. coll. V. 29.

[1]) Uti colligere praesertim licet ex

veritati consona validissime profligantur. Quare sicuti oriri suspicio nequit, ne forte ea verba, dicendique formulas Paulus selegerit, quae occasionem credendae *inaequalitatis* praeberent, si Christi lege *omnimoda inter apostolos aequalitas* fuisset constituta; ita si quae apud eum occurrerint, quae discrimen dignitatis innuere, inaequalitatemque significare videantur, et adnotari accurate et expendi diligenter debent. Collatis porro testimoniis quae in eiusdem continentur epistolis, talia esse deprehenduntur, ut non dignitatem modo, sed potiorem etiam Petri auctoritatem demonstrent.

270. E quibus ea iuverit initio recolere quae superius [2] attulimus, quaeque in priori ad Corinthios epistola leguntur. Scribit [3] enim: *Λέγω δὲ τοῦτο, ὅτι ἕκαστος ὑμῶν λέγει· ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου· ἐγὼ δέ, Ἀπολλώ· ἐγὼ δέ, Κηφᾶ· ἐγὼ δέ, Χριστοῦ.* Et [4] rursum: *μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ ἀπόστολοι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ κυρίου, καὶ Κηφᾶς;* Ac [5] praeterea: *καὶ ὅτι ὤφθη Κηφᾷ, εἶτα τοῖς δώδεκα.*

In his autem duo sunt quae prae ceteris extant ac veluti in oculos incurrunt: illud primum, *nobiliorem semper locum* Cephae deferri; illud deinde, *seorsum* ac *distincte* Cepham compellari, dum reliqui apostoli *universim* solum *infiniteque* memorantur.

Atqui ratio est ista loquendi ad efferendam Petri dignitatem opportunissima, et de iis solum in Scripturis usitata qui ceteris antecellerent. Unde [6] illud: *Defuerunt de pueris David decem et novem viri*, וַעֲשָׂהאֵל, *καὶ Ἀσαήλ, et Asael:* idest, et inprimis Asael propter egregiam virtutem dignus qui *proprio nomine* a reliquorum turba secerneretur. Quod ut Vulgatus exprimeret, vertit *excepto Asael.* Alibi [7] vero: Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, וְאֶת־בַּת־פַּרְעֹה, *καὶ τὴν θυγατέρα Φαραώ, et filiam Pharaonis*, illam videlicet prae reliquis ac multo maxime. Et in novo [8] Testamento: *Οὗτοι (ἀπόστολοι) πάντες ἦσαν προςκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν τῇ προςευχῇ καὶ* [9] *τῇ δεήσει, σὺν γυναιξὶ καὶ Μαρίᾳ τῇ μητρὶ τοῦ Ἰησοῦ: cum mulieribus et cum Maria matre Jesu*, quae inter illas solis instar emicabat.

271. Jamvero qui nobis modus suppetit, quo illius mentem sententiamque assequamur, de cuius interpretandis scriptis curam gerimus? non alius quam quem signa praebent quae ille adhibet, ac formulae offerunt quas usurpat. Ea autem signa adhibuit Paulus, iisque formulis usus est, quae vi sibi insita, receptaque significatione illius excellentiam, dignitatemque praeferunt, cui tribuuntur.

priori ad Corinthios epistola, ac ex ea quam ad Galatas dedit.

[2]) nn. 148. seqq.

[3]) I. Cor. I. 12.

[4]) Ibid. IX. 5.

[5]) Ibid. XV. 5.

[6]) II. Reg. II. 30.

[7]) III. Reg. XI. 1.

[8]) Act. I. 14.

[9]) Vulgatus non legit *καὶ τῇ δεήσει.*

Credidit ergo Petrum antecellere, ac inter apostolos reliquos eximia quadam dignitate eminere.

272. De qua Pauli persuasione multo sunt his illustriora quae in epistola ad Galatas scribit. Postquam enim negavit [10], continuo a divina revelatione se Hierosolymam venisse, ut electos ante se apostolos conscios illius redderet, subdit [11]: *Ἔπειτα μετὰ ἔτη τρία ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα, ἱστορῆσαι* [12] *Πέτρον, καὶ ἐπέμεινα πρὸς αὐτὸν ἡμέρας δεκαπέντε· ἕτερον δὲ τῶν ἀποστόλων οὐκ εἶδον, εἰ μὴ* [13] *Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν* [14] *τοῦ κυρίου.* Deinde tribus [15] elapsis annis Hierosolymam veni Petrum invisendi [16] gratia, et apud eum diebus

[10]) Gal. I. 17.

[11]) Ibid. vv. 18—20.

[12]) Heinsius in Exercitt. Sacris occasione huius phraseos scribit: „Nemo nescit eos, qui videndi studio vel cognoscendi, loca adeunt lustrantque, *ἱστορεῖν τοὺς τόπους:* atque ita graecos loqui. Ut vero *ἱστορεῖν ἄνδρα* dicatur qui, visendi eius causa aut videndi, eum adit, graecis auribus *et novum est et absonum.* Licet magnus Chrysostomus, quum *ἰδεῖν* interpretatus esset, satisfacere sibi non potuit quin adderet, *ἱστορῆσαι γάρ, φησί, Πέτρον· καὶ οὐκ εἶπεν, ἰδεῖν Πέτρον, ἀλλ' ἱστορῆσαι Πέτρον, ὅπερ οἱ τὰς μεγάλας πόλεις καὶ λαμπρὰς καταμανθάνοντες λέγουσι.* Ait, *ἱστορῆσαι* Petrum, non autem vidisse se Petrum, quomodo qui magnas splendidasque lustrant urbes, loqui solent. Ubi distinctionem habes quam dixi. Si non venit autem aliquid ut disceret; certe ut de quibusdam eum consuleret (id autem *ἱστορεῖν* dicitur), ut de profectu suo in ecclesiis conferret cum eo ageretque, venire potuit. Quod et idem, quem iam dixi, auctor praeclare confirmat, quum ad Petrum venisse eum ait, ut Act. XXI. 18. idem Paulus ad Jacobum aliosque venit: ubi singula quae apud gentes, ut minister Dei, feliciter et cum successu gesserat, exponit. Neque hoc modo, sed ut recte idem Chrysostomus observat, *συμβουλεύοντος ἀνέχεται αὐτοῦ*, consilium Jacobi minime aspernatur, imo paret et exequitur. Nec videre possum, cur minori fuerit auctoritate Petrus (qui autem vir quantusque!), ut cum eo agere et interrogare de quibusdam erubuerit Apostolus.... Ergo *ἱστορῆσαι Πέτρον, ut interrogarem de quibusdam Petrum:* aut, *ut agerem cum Petro.* Optime Hesychius, *ἱστορεῖν· πυνθάνειν, ἐρωτᾶν, ἀνακρίνειν,* exponit. Nam pro *ὁρᾷν* eo modo usurpatur quo iam dixi, quum de urbibus agitur videlicet aut locis."

Jamvero sin minus reliqua, illud certe quod de phrasi, *ἱστορῆσαι Πέτρον*, Heinsius adnotavit, probant laudantque Bossuetus in meditationibus evangelicis, et Ballerinius, De vi et ratione Primatus, cap. XII. §. I. n. 50. Sed ne ego accipiam quod ille docet, apud me obtinent quae Fischerus de verbo *ἱστορεῖν* multo accuratius disputavit, et Josephi auctoritas scribentis Archaeolog. lib. VIII. cap. II. n. 5: *ἱστόρησα γάρ τινα Ἐλεάζαρον τῶν ὁμοφύλων.*

[13]) Si *εἰ μὴ* pro nativa significatione *exceptive*, non *adversative* sumatur, palam est, Jacobum fratrem Domini et hierosolymitanum antistitem inter apostolos censendum esse.

[14]) De Jacobo fratre Domini legesis Constitt. Apostolic. lib. VI. cap. XIV.

[15]) Definire nolim, unde trium annorum desumi initium debeat, an e Pauli ab Hierosolyma discessu, vel e reditu ex Arabia Damascum.

[16]) Beniaminus Koppe ad hunc locum notat: „Petrum apostolorum principem

quindecim permansi. Apostolorum autem neminem praeterea vidi quam Jacobum fratrem Domini.

Tandem igitur petiit Hierosolymam Paulus, ac certo destinatoque consilio petiit: *ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα, ἱστορῆσαι Πέτρον:* ut videlicet Petrum inviseret.

273. Sed cur ut unum inviseret Petrum, ac non item ut reliquos apostolos, fratresque Domini videret? cur de apostolis ceteris, et Domini fratribus, ipsoque Jacobo sic loquitur, ut sibi illos videndi non nimiam insedisse curam significet? Eiusmodi interrogationes et inculcari pluribus, et urgeri vehementius possunt; sed idonea iis enodandis expediendisque ratio reperiri alia nequit quam quae ***prophetico Petri nomine*** adumbratur, ac illius explicatione a Christo his verbis, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν,* edita [17] continetur.

274. Quod graeci iuxta latinique Patres et intellexerunt ipsi praeclare, et disertis apertisque sententiis explicarunt. Praetermitto quae tradit [18] Oecumenius, et Theodoriti inprimis verba [19] refero de Paulo scribentis: „Quum humana doctrina non indigeret, ut qui ab universorum Deo illam acceperat, *τὴν πρέπουσαν ἀπονέμει τῷ κορυφαίῳ τιμήν*, apostolorum principi convenientem honorem tribuit." Praeiverat Chrysostomus [20], e quo sua mutuatum esse Theodoritum, haec illius verba demonstrant: „Post tanta tamque praeclare gesta, *μηδὲν Πέτρου δεόμενος, μηδὲ τῆς ἐκείνου φωνῆς, ἀλλ' ἰσότιμος ὢν αὐτῷ· πλέον γὰρ οὐδὲν ἐρῶ τέως· ὅμως ἀνέρχεται, ὡς πρὸς μείζονα καὶ πρεσβύτερον*, quum neque Petro opus haberet, neque illius egeret institutione, sed honore par [21] illi esset: nihil enim heic dicam amplius; tamen ascendit velut ad maiorem et seniorem." Et [22] mox: „Profectus est, *ἀλλὰ διὰ τοῦτο μόνον, ὥστε ἰδεῖν αὐτόν, καὶ τιμῆσαι τῇ παρουσίᾳ*, sed tantum ut videret eum, suaque praesentia [23] honoraret. ***Ut viderem***, inquit, ***Petrum ascendi.*** *Οὐκ εἶπεν*

esse, Paulus quum adhuc Hierosolymis esset, fama acceperat." Et Rosenmüller in Scholiis: „Celebritas nominis, ait, quam Petrus inter apostolos erat consequutus, impulit Paulum, ut operae pretium putaret venire in aliquam eius consuetudinem."

[17]) Matth. XVI. 18.

[18]) Ad h. l.

[19]) Comm. ad Galat. I. 18.

[20]) Comm. in cap. I. epist. ad Galatas, n. 11.

[21]) Quae invicem comparantur, non magis *paria* quam *imparia* dici verissime possunt, pro aspectus discrimine quo conferuntur. Quod igitur Chrysostomus Paulum dicat *ἰσότιμον Πέτρῳ*, mirum esse non debet: erat enim *ἰσότιμος* dignitate apostolica, et accepto divinitus evangelio: sed idem erat auctoritate pascendi minor, ac propterea ad Petrum, *ὡς πρὸς μείζονα*, se contulit.

[22]) Comm. in cap. I. epist. ad Galatas, n. 11.

[23]) Verbum *τιμάω*, inflexumque ex eo *τιμή* nomen, numquam in Scripturis, numquam in ecclesiasticis monimentis de *honore* sumuntur, qui inani constet umbra, quique iustis meritis, celsiorique dignitati non rependatur. Quare idem saepissime valent ac *officium debitum praesto, officii exequutio.* Hinc illud Matth. XV. 4: *Τίμα τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα σου.* Hinc apud Alexandrinos, Levit. XIX. 32: *Καὶ τιμήσῃς πρόσωπον πρεσβυτέρου.* Hinc in

ἰδεῖν Πέτρον, ἀλλ' ἱστορῆσαι Πέτρον, ὅπερ οἱ τὰς μεγάλας πόλεις καὶ λαμπρὰς καταμανθάνοντες λέγουσιν. οὕτω πολλῆς ἄξιον ἡγεῖτο σπουδῆς εἶναι καὶ τὸ μόνον ἰδεῖν τὸν ἄνδρα. Non dixit ἰδεῖν Πέτρον, sed ἱστορῆσαι Πέτρον, quomodo loqui solent qui magnas splendidasque urbes invisunt cognoscendi gratia. Adeo iudicabat operae pretium esse etiam virum dumtaxat videre.“ Concludit [24] vero: „Haec et dico frequenter, et horum vos memores esse volo, ne si quae audieritis quae dicta contra Petrum videantur, propterea Apostolum suspectum habeatis. Διὰ γὰρ τοῦτο καὶ αὐτὸς τοῦτο προδιαρθρούμενος ταῦτά φησιν, ἵνα ὅταν λέγῃ, ὅτι ἀντέστην Πέτρῳ, μηδεὶς ἔχθρας καὶ φιλονεικίας ταῦτα εἶναι νομίσῃ τὰ ῥήματα. καὶ γὰρ τιμᾷ τὸν ἄνδρα, καὶ φιλεῖ μᾶλλον πάντων. Δι' οὐδένα γὰρ τῶν ἀποστόλων ἀνεληλυθέναι φησίν, ἀλλ' ἢ δι' αὐτὸν μόνον. Etenim hanc ob caussam et ipse ista loquitur, ut eiusmodi suspicionem [25] praeoccupet, et ne quis, quum dixerit, *restiti Petro*, haec propter simultatem contentionemque dicta arbitretur. Nam et virum honore prosequitur, et prae omnibus diligit. Neque enim propter alium quemvis ex apostolis, sed propter ipsum solum se venisse scribit.“

275. E latinis antiquissimus omnium Tertullianus [26] ait: „Dehinc sicut ipse narrat, ascendit Hierosolymam cognoscendi Petri causa, ex officio et iure scilicet [27] eiusdem fidei et praedicationis.“ Consentiunt Marius Victorinus, Ambrosiaster, Hieronymus, et ne sim nimius, sanctissimus martyr Thomas Cantuariae episcopus. Et Victorinus quidem sic [28] habet: „Post tres, inquit, annos Hierosolymam veni; deinde subiungit caussam, *videre Petrum*. Etenim si in Petro fundamentum ecclesiae [29] positum est, ut in evangelio dictum; cui revelata erant omnia, Paulus scivit, videre se *debere* Petrum, quasi eum cui *tanta auctoritas* a Christo data esset, non ut ab eo aliquid disceret.“ Ambrosiaster vero [30] qui tum claruit, quum romanae cathedrae Damasus moderaretur, inquit: „Dignum fuit ut cuperet videre Petrum, quia primus erat [31] inter apostolos, cui

ecclesiasticis canonibus *honorare* et *honor* pro officiis quae alteri debentur. Atque hinc usitata graecis loquendi ratio, qua τετιμημένους dicunt *proceres* et *duces*.

[24]) l. c.

[25]) Hoc exquisitum Patrum studium quo cavent, ne Petri ornamentis detractum videatur; mihi quidem argumentum est, quam illi de Petro praeclare sentirent, eiusque supremam auctoritatem vererentur.

[26]) De Praescriptt. cap. XXIII.

[27]) Ex *officio*, quo Paulus obstringebatur, ac ex *iure*, quo Petrus pollebat.

[28]) Comm. ad Galat. I. 18. apud Em. Mai, Scriptt. Vett. Nov. Collect. T. III.

[29]) Matth. XVI. 18.

[30]) Comm. ad Galat. I. 18.

[31]) Si appellatio *primi* referatur ad subiectam caussam, *cui delegaverat Salvator curam ecclesiarum*; liquet *primum* dici Petrum non aetate, ordine, vocatione, sed officio, iure, ministerio. Sane in ecclesiasticis monimentis qui deinceps *metropolitae*, et *capita*, *ducesque* reliquorum dici coeperunt, *primi episcopi* nuncupabantur. Cf. Guilielmi Beveregii opus inscriptum, *Codices canonum ecclesiae primitivae vindicati ac illustrati*, lib. I. cap. IV.

delegaverat Salvator curam ecclesiarum." Prolixius Hieronymus [32], qui adductis verbis, *deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum*, pergit: „Non ut oculos, genas, vultumque eius aspiceret, utrum macilentus an pinguis, adunco naso esset an recto, et utrum frontem vestiret coma, an, ut Clemens in Periodis eius refert, calviciem haberet in capite. Nec puto apostolicae fuisse gravitatis, ut post tantam triennii praeparationem, aliquid humanum in Petro voluerit aspicere. Sed his oculis aspexit eum, quibus et modo in epistolis suis videtur. His oculis Paulus vidit Cepham, quibus nunc a prudentibus, quibusque Paulus ipse conspicitur. Quod si cui non videtur, cum superiori sensu iungat haec omnia, quod nihil sibi apostoli contulerint. Nam et quod visus sit ire Hierosolymam, ad hoc ivisse ut videret Apostolum, non discendi studio, qui et ipse eumdem praedicationis haberet auctorem, *sed honoris priori apostolo deferendi.*" Unde Thomas cantuariensis [33] monet: „Doctor gentium, qui gloriatur, se non ab homine nec per hominem evangelium didicisse, sed instructum a Christo, ascendit Hierosolymam, cum *ecclesiarum principe* de fide contulit, ne forte in vacuum curreret vel cucurrisset."

276. Quae postrema verba occasionem nobis praebent, ut quae Paulus narrare pergit, non minori cura perpendamus. Quum igitur astu eorumque malevolentia qui [34] praepostero in Legem zelo ferebantur, malus increbresceret rumor, Pauli evangelium ab eo dissidere quod *duodecim* praedicabant; vidit ille quo calumnia pertineret, et quae quantaque ex ea proficisci detrimenta possent. Quamquam igitur minime dubitaret [35] non aliam a se doctrinam tradi nisi quam revelatione ab ipsomet Deo didicerat: et quamquam pro certo haberet praedicationem suam cum ea adamussim consentire, quae *duodecim* communis erat; nihilominus [36] post quatuordecim annos [37] Hierosolymam, quae sedes erat usitata apostolorum, *πάλιν denuo* et omnino *κατὰ ἀποκάλυψιν*, divino instinctu venit. Sed qua potissimum ratione inductus? *occasionem*, *internumque Numinis afflatum* aperuimus, *finalem* vero *caussam* ipsemet exponens [38] inquit: *Ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον, ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσι, κατ' ἰδίαν δέ, τοῖς δοκοῦσι, μή πως εἰς κενὸν τρέχω ἢ ἔδραμον·* Exposui iis qui Hierosolymae erant evangelium [39] quod gentibus annuncio; seorsum [40] vero idem evangelium exposui

[32]) In comm. ad h. l.

[33]) Epistt. lib. I. epist. XCVII.

[34]) Act. XV. 20—21. coll. XXI. 20—28.

[35]) II. Tim. IV. 7. coll. Galat. I. 11—13.

[36]) Galat. II. 1—2.

[37]) De hoc Pauli itinere confer quae scribunt Baronius ad an. LI, et Pagius in criticis adnotationibus.

[38]) Galat. II. 2.

[39]) Heic *εὐαγγέλιον* ipsa est Christi doctrina, quam Paulus Rom. I. 1—3. dicit *εὐαγγέλιον θεοῦ περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ*, et Rom. I. 9. *τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ*. Venit ergo Hierosolymam, ut de fidei doctrina cum apostolis conferret. Unde Schleusner ad verbum *ἀνατίθημι* sententiam Pauli sic reddit: *examinandam ipsis proposui doctrinam, quam inter paganos tradere soleo.*

[40]) Dictio est elliptica, de qua Lam-

τοῖς δοκοῦσι, idest [41] *τοῖς ἐπισήμοις*, insignibus et qui prae ceteris eminebant: hoc autem praestiti, ne si de mea [42] cum iis consensione ambigeretur, viderer frustra [43] meam operam impendere ac iampridem impendisse.

277. Sed inter *δοκοῦντας* quem potissimum nominat? inter *στύλους* quem maxime memorat? ac unde suae cum apostolis consensionis decretorium sumit argumentum? non alium primum nominat [44] quam Petrum, et quum reliquos universim [45] designet, eos vocans *τοὺς δοκοῦντας εἶναί τι*, Petrum contra distincte, insigniteque compellat. Unde [46] Chrysostomus: „*Καὶ ὅπου μὲν συγκρῖναι ἑαυτὸν ἔδει, Πέτρου μέμνηται μόνου· ὅπου δὲ μαρτυρίαν καλέσαι, τῶν τριῶν ὁμοῦ, καὶ μετ' ἐγκωμίου, Κηφᾶς, λέγων, καὶ Ἰάκωβος, καὶ Ἰωάννης οἱ δοκοῦντες στύλοι εἶναι·* Ac Petri quidem solius meminit, ubi cogitur se cum illis conferre; sed ubi citandum est testimonium, trium pariter mentionem facit, idque non sine laude: Cephas, inquiens, Jacobus et Johannes, qui columnae esse videbantur.“ Hieronymus [47] vero collata simul utraque [48] phrasi, scribit: „Sollicitus requirebam quidnam esset quod diceret, *qui videbantur*; sed nunc me omni scrupulo liberavit adiiciens, *qui videbantur columnae esse*. Columnae igitur sunt ecclesiae apostoli, et maxime Petrus.“

278. Ceterum ad Petri dignitatem commendandam illud etiam videri accommodatissimum debet, quod ita Paulus loquatur, ut non aliter Jacobum et Johannem cum Cepha, quam Barnabam et Titum secum contendat. Quae comparatio ut percipi facilius possit, e regione testimonia [49] collocabo:

Ἰδόντες, ὅτι πεπίστευμαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς ἀκροβυστίας,	*Καθὼς Πέτρος περιτομῆς·*
Ὁ γὰρ ἐνεργήσας Πέτρῳ εἰς ἀποστολὴν τῆς περιτομῆς,	*Ἐνήργησε καὶ ἐμοὶ εἰς τὰ ἔθνη·*

bertus Bos, Ellips. Gr. pag. 241; suppleri que debet, *χώραν*, unde *κατ' ἰδίαν* = *κατ' ἰδίαν χώραν* = *ἰδίᾳ* = *ἰδίᾳ χώρᾳ* = privatim, seorsum.

[41]) Sicut enim verba, quae *τὸ εἶναι* significant, accipi plus semel *φαινομένως* debent, ut Gen. XLII. 30, Prov. III. 7, Matth. X. 39, XIII. 12, coll. Luc. VIII. 18, Joh. V. 31. coll. VIII. 16, Rom. II. 25, VII. 9, et Philipp. III. 7; ita quae opinionem dumtaxat existimationemque praeferunt, *realiter* non raro intelligenda sunt, ut Philipp. II. 6, I. Thess. V. 13, Hebr. X. 29, et Marc. X. 42: *Οἱ δοκοῦντες ἄρχειν*, qui videntur regnare, idest, regnant.

[42]) Ad aliorum opinionem ac iudicium referri ista oportere, et graeci interpretes vere adnotarunt, et orationis series, ipsaque rei natura demonstrant.

[43]) Formula *εἰς κενόν* = *κενῶς* = *ματαίως* = לָרִיק = frustra, incassum.

[44]) Galat. II. 7.

[45]) Ibid. v. 6.

[46]) Comm. in cap. II. epist. ad Galatas, n. 3.

[47]) Comm. ad h. l.

[48]) Galat. II. 6. coll. v. 9: *Οἱ δοκοῦντες εἶναί τι*, et *οἱ δοκοῦντες στύλοι εἶναι.*

[49]) Galat. II. 7—9.

Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς[50] *καὶ Ἰωάννης, οἱ δοκοῦντες στύλοι εἶναι,* *Δεξιὰς ἔδωκάν ἐμοὶ καὶ Βαρνάβᾳ*[51] *κοινωνίας.*

En se cum Cepha Paulus confert, neque secus Jacobum et Johannem cum Cepha, quam Barnabam et Titum secum comparat. Illud vidit, adnotavitque Chrysostomus[52], inquiens: „*Καὶ δείκνυσιν αὐτοῖς ὁμότιμον ὄντα λοιπόν, καὶ οὐ τοῖς ἄλλοις ἑαυτόν, ἀλλὰ τῷ κορυφαίῳ συγκρίνει, δεικνὺς ὅτι τῆς αὐτῆς ἕκαστος ἀπέλαυσεν ἀξίας.* Jamque se ceteris honore parem ostendit, nec se reliquis illis, *sed ipsi coryphaeo comparat*, declarans quod horum unusquisque parem[53] sortitus sit dignitatem.“ De posteriori vero egregia sunt quae Ambrosiaster[54] animadvertit: „Petrum solum nominat Paulus, et *sibi comparat*, quia *primatum* ipse acceperat ad *fundandam ecclesiam*, se quoque pari modo electum ut *primatum* habeat in *fundandis gentium*[55] *ecclesiis*; ita tamen ut et Petrus[56] gentibus praedicaret si causa fuisset, et Paulus iudaeis. Nam uterque invenitur utrumque fecisse.“ Et aliquot interiectis[57]: „Ab apostolis, pergit, qui clariores inter ceteros erant, quos et firmitatis causa columnas appellat, quique cum Domino semper in secretis fuerant, gloriam eius digni in monte[58] conspicere, ab his probatum dicit donum quod accepit a Deo, ut dignus esset habere *primatum in praedicatione gentium*, sicut et habebat Petrus *in praedicatione*[59] *circumcisionis*. Et sicut dat Petro *socios viros egregios inter apo-*

[50]) Collatio appareret evidentius, si *Κηφᾶς* praeponeretur.

[51]) Ab eorum opinione alienus non sum, qui e commate primo, ductuque sermonis supplendum censent Titum.

[52]) Comm. in cap. II. epist. ad Galat., n. 3.

[53]) Apostolicam intellige, et ex divina cooperatione profectam, quum tam Deus Petro adfuerit praedicanti iudaeis, quam Paulo evangelium gentibus annuncianti. Quod sane non impedit, quominus Petrus dignitate et iure *τοῦ κορυφαίου* emineret.

[54]) Comment. ad Galat. II. 7—8.

[55]) Comparatis phrasibus, *ad fundandam ecclesiam*, et, *in fundandis gentium ecclesiis*, quibus Petri, Paulique primatum Ambrosiaster declarat; non difficile intelligetur, tantum inter utrumque extitisse discriminis, quantum primatus *absolute simpliciterque oecumenicus* ab eo secernitur, qui talis non est.

[56]) Similia habent ceteri ecclesiae scriptores, et nominatim Hieronymus in commentario.

[57]) Comment. ad Galat. II. 9—10.

[58]) Similitudine nominis deceptus Ambrosiaster Jacobum Johannis fratrem cum Jacobo fratre Domini confundit.

[59]) Postquam Baronius ad an. LI. §§. XXVI—XXVIII. demonstravit, Pauli verba de *iurisdictionis divisione* intelligi non posse; verissime adnotat §. XXIX, eximiam quamdam Petri dignitatem iisdem significari. „Nam, inquit, prae excellentia ipse Christus qui venit omnes homines salvos facere, apud quem non est distinctio iudaei et graeci, dictus est tamen *minister circumcisionis*, sic dicente (Rom. XV.) Paulo: *dico Christum ministrum fuisse circumcisionis*. Augustior plane titulus, nam ut idem ait (Rom. IX.) Paulus: *horum erat adoptio filiorum, gloria, testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa; gentes autem super misericor-*

stolos, ita et sibi iungit Barnabam, qui divino iudicio ei adiunctus est; ***gratiam tamen primatus sibi soli vindicat concessam a Deo, sicut et soli Petro concessa est inter apostolos.***"

Praeclare enimvero ac unde inferri hoc pacto liceat: Quemadmodum prae Barnaba ac Tito Paulus excellebat, illique eiusdem erant *συνεργοί*, alteroque gradu censebantur; ita prae apostolis exstabat Petrus, qui capitis, ducisque iure potiebatur.

279. Quod descripta [60] verba, et iam intimius consideranda non suadent modo, verum etiam persuadent. Ecquid enim est quod dicitur, *ὁ ἐνεργήσας Πέτρῳ εἰς ἀποστολὴν τῆς περιτομῆς*, qui Petrum constituit circumcisorum apostolum, eique adfuit? an uni Petro circumcisionis apostolatus creditus fuit? immo creditum fuisse et Jacobo et Johanni et reliquis res est manifestior quam ut demonstrari debeat, et Paulus declarat [61] de iisdem subdens: *Δεξιὰς ἔδωκαν ἐμοὶ καὶ Βαρνάβᾳ κοινωνίας, ἵνα ἡμεῖς εἰς τὰ ἔθνη, αὐτοὶ δὲ εἰς τὴν περιτομήν.* Cernis? *αὐτοί*, ***ipsi omnes*** evangelium circumcisis praedicandum acceperant.

Unde ergo profectum existimabimus, quod evangelium circumcisionis uni tributum Petro Paulus significaverit? ex eodem omnino fonte quo [62] dixit, creditum sibi *τὸ εὐαγγέλιον τῆς ἀκροβυστίας*, ac mox adiecit [63], *ἐνήργησε καὶ ἐμοὶ εἰς τὰ ἔθνη.* Atqui etiam Barnabas [64] segregatus fuerat in evangelium gentium, et Barnabas item ac Titus pro Christo apud gentes legatione fungebantur: *ἵνα ἡμεῖς εἰς τὰ ἔθνη:* ***nos***, inquit, non *ego*. Formulae igitur a Paulo adhibitae non *excludunt* ceteros, sed illius ***praestantiam*** exprimunt, qui unus prae ceteris nominatur, ac si solus iure, officioque potiretur. Quare sic illae reddi commodissime possunt: Viderunt apostoli non aliter mihi evangelium praeputii ***prae ceteris*** adscriptum, quam Petro ***prae ceteris*** evangelium circumcisionis tributum fuerit. Qui enim cum Petro ***prae ceteris*** operatus est in evangelio circumcisionis, idem mecum ***prae ceteris*** operatus est in evangelio praeputii.

Quid autem exinde illustrius, quam simili excellentiae, dignitatisque gradu inter apostolos Petrum, ac inter Barnabam [65], Titum, aliosque cooperatores et

dia honorare Deum. Sed sicut Christus Dominus noster sic dictus est minister circumcisionis, ut tamen esset pastor omnium atque salvator; eodem modo et Petrus sic circumcisionis minister est appellatus, ut tamen a Domino (Act. IX.) constitutus universi gregis pastor esset ac moderator. Unde et s. Leo (Serm. III. de sua assumpt.): ***De toto mundo Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus apostolis, cunctisque ecclesiae patribus praeponatur: ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.***"

[60]) n. 278.

[61]) Galat. II. 9.

[62]) Ibid. v. 7.

[63]) Ibid. v. 8.

[64]) Act. XIII. 2.

[65]) Ipsum quoque Barnabam inter apo-

secundi ordinis apostolos Paulum eminuisse? docet ergo Paulus Petri *πρωτεῖον*, eiusdem *ὑπεροχὴν* declarat, et *προστασίαν* confirmat.

280. Qua de re ne dubitari possit, argumentum praeterea efficit, quo impositas sibi calumnias, suamque cum apostolis consensionem demonstrat. Provocat sane Paulus ad illos *generatim*, et de societate cum iis inita *universim* loquitur; sed caussam tacitus non praeterit quae societatem conciliavit.

„Sed e contra, inquit [66], cum vidissent quod creditum est mihi evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis (qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes): et cum cognovissent gratiam, quae data est mihi, Jacobus et Cephas et Johannes, qui videbantur columnae esse, dexteras dederunt mihi et Barnabae societatis: ut nos in gentes, ipsi autem [67] in circumcisionem."

Conserendi igitur dexteras caussa fuit consensio cum Petro, missioque illi simillima qua Petrus delectus fuerat. Jungunt apostoli dexteras, sed quia primus iungit Petrus: probant apostolatum Pauli, sed quia illum expressum vident ad apostolatum Petri. Quae nisi idonea ad probandam Petri *ὑπεροχὴν* videantur, non diffitebor me nescire quid maxime idoneum censeri debeat.

281. Praesertim quum ea Paulus addat, quae non minus aperiunt unde sua potissimum caussa penderet, ac unde potissimum calumniandi ansam malevoli arriperent; quam unde singulares Petri dotes orirentur. Ita namque [68] pergit: *Ὅτε δὲ ἦλθε Πέτρος* [69] *εἰς Ἀντιόχειαν, κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέστην, ὅτι κατεγνωσμένος* [70] *ἦν:* cum autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem [71]

stolos *ordinis secundi* habendum esse, scriptores ecclesiastici testantur, et cl. Moehler in *Patrologia*, ubi de epistola disserit eidem tributa, ita breviter confirmat. Dignitatem proprii et *κατ' ἐξοχὴν* dicti apostolatus a Deo solum ac *ἀμέσως* obtineri potuisse probant ratio (Act. I. 24. seqq.) eligendi Matthiae, et extraordinaria missio (Galat. I. 1—12—20, II. 1. seqq., II. Cor. X. 13, Ephes. III. 1. seqq.) qua Paulus vocatus eamdem cum duodecim *ἐξουσίαν* sortitus est. Huic enim extraordinariae, immediataeque missioni, minime vero antiochenae (Act. XIII.) ordinationi referri in acceptis debet apostolica Pauli auctoritas. Quum igitur Barnabas eiusmodi charismate auctus a Deo non fuerit; consequens est, neque inter apostolos *κατ' ἐξοχὴν* censeri posse, neque apostolum aliter dici ac Epaphroditus (Philipp. II. 25.) apostolus nuncupetur.

[66]) Galat. II. 7—10.

[67]) Sermo est ellipticus, ac ex antecedentibus suppleri ita debet, *ut apostolico munere fungeremur.*

[68]) Galat. II. 11.

[69]) Bengelius et Griesbachius praefeferunt, *Κηφᾶς*, quam lectionem etiam Pearsonius Diss. I. de successione prim. rom. episcopp. cap. VII. praetulerat.

[70]) Commune est participiis *activis*, *passivisque*, ut *nominali significatione* frequenter accipiantur. Sic I. Cor. IX. 24. *ἀγωνιζόμενος* = *ἀγωνιστής*: Hebr. XII. 18. *ψηλαφώμενος* = contrectabilis, qui palpari potest: et *κατεγνωσμένος* = *καταγνωστός*, reprehensione dignus.

[71]) Singularis est Chrysostomi com-

ei restiti, quia reprehensibilis erat. Et [72] infra: *Ἀλλ' ὅτε εἶδον, ὅτι οὐκ ὀρθοποδοῦσι πρὸς τὴν ἀλήθειαν* [73] *τοῦ εὐαγγελίου, εἶπον τῷ Πέτρῳ ἔμπροσθεν πάντων· εἰ σὺ ἰουδαῖος ὑπάρχων, ἐθνικῶς ζῇς καὶ οὐκ ἰουδαϊκῶς, τί* [74] *τὰ ἔθνη ἀναγκάζεις ἰουδαΐζειν;* sed quum vidissem quod rationem agendi sequerentur ab evangelii veritate dissonam, dixi Petro [75] coram omnibus: si tu, iudaeus quum sis, libertate gentium vivis et non ritu iudaico, quid est quod gentes cogis [76] iudaizare?

Ubi ne omnia persequar, neve singula intimius explorem, dumtaxat quaeram, qui factum fuerit, ut in unum Petrum Paulus animadverteret. Ipso enim referente [77], non unus Petrus, sed et cum eo reliqui, ac ipsemet Barnabas divinitus segregatus ut gentibus evangelium annunciaret, haud rectis incedebant gressibus, neque christianam libertatem, uti par erat, tuebantur. Cur ergo *omnibus deviis*, unum adgreditur Petrum, illi in faciem publice resistit, omnesque in eo summa verborum gravitate castigat? dicam aperte, quod Petri *ὑποκρίσει* legalium rituum assertores periculosius abuterentur: quod ad conflandam in Paulum invidiam dissensionem a Petro animosius urgerent: quod in vacuum eum cucurrisse ac porro currere ex oeconomia, cui Petrus obsequebatur, fidentissime concluderent: quod tanta apud omnes Petri auctoritas foret, ut oves simul pastoresque in alterutram partem suo exemplo flecteret: quod denique in capite obnoxia eiusdem membra [78] corrigantur. Primatus [79] ergo Petri, ac ex eo oborta consentiendi necessitas effecerunt, ut Paulus illi publice obsisteret, eum unum commonefaceret, ceterisque propemodum neglectis, de eo se maxime sollicitum ostenderet.

mentarius n. 5: *Καὶ τό, κατὰ πρόσωπον δὲ ἀντέστην, σχῆμα ἦν.*

[72]) Galat. II. 14.

[73]) Haec metaphorica loquutio in Scripturis frequentissima reddi sic debet: *quod suam agendi rationem non exigerent ad veritatem doctrinae evangelicae*, tamquam ad praelucentem normam.

[74]) Quum Vulgatus interpretetur *quomodo*, legit idcirco non *τί*, sed *πῶς*, cui lectioni auctoritate criticorum adiumentorum Millius patrocinatur.

[75]) Vulgatus, *dixi Cephae.*

[76]) Non modo graecis *ἀναγκάζω*, sed et latinis *cogo*, saepe potius est *vehementer persuadeo*, ac *incito*, quam *necessitatem* pressius acceptam *iniicio*.

[77]) Galat. II. 13.

[78]) Huc pertinent Ambrosiastri verba ad Galat. II. 14: „Ideo in solum Petrum invehitur, ut in eo *qui primus est*, discerent ceteri."

[79]) Cuius vim primatus ita Hieronymus explicat epistola inter Augustin. LXXV. n. 8: „Denique tantae Petrus auctoritatis fuit, ut Paulus in epistola sua (Galat. I. 18.) scripserit: *Deinde post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum et mansi apud eum diebus quindecim.* Rursumque (cap. II. 1.) in consequentibus: *Post annos quatuordecim ascendi iterum Jerosolymam cum Barnaba assumto et Tito. Ascendi autem secundum revelationem, et exposui eis evangelium quod praedico inter gentes:* ostendens se non habuisse securitatem evangelii praedicandi, nisi Petri et qui cum eo erant, fuisset sententia roboratum."

CAPUT XXIV.

De reprehensione Petri, Gal. II. 11—15: — gnosticorum, marcionitarum, Porphyrii, Julianique calumniae: — protestantium opinio: — cuiusmodi videri debeat: — abhorret illa vehementer a sententia orthodoxorum qui ad Augustini usque aetatem claruere: — neque minus a doctrina abhorret ipsius Augustini, aliorumque qui eam deinceps complexi sunt: — praeiudicium inde obortum: — quod Pauli verbis intimius exploratis confirmatur: — ostenditurque ne coniecturam quidem peti ex iis posse, qua Petri primatus, celsiorque auctoritas oppugnetur.

282. Quum mecum dotes, proprietatesque reputarem, quibus utrumque Verbum *ὑποστατικὸν* et *θεόπνευστον* exornantur; multiplex animum subiit similitudinis ratio qua referuntur ad invicem, sibique praeclare respondent. Neque enim appellatione tantum, litterarumque sono [1] conveniunt, sed multo sunt plura, eaque intimiora quibus conspirant. Quemadmodum enim *ὁ λόγος ὑποστατικὸς* quum ante [2], tum post assumptam carnem [3] divina hominibus arcana patefecit, atque scriptum adeo [4] est, *θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε· ὁ μονογενὴς υἱός, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός, ἐκεῖνος ἐξηγήσατο*, Deum, divinaque nemo umquam hominum penitus comperta, explorataque [5] habuit: unigenitus Filius, qui proles est [6] germana Patris, ac in eius conquiescens sinu omnia quae Genitoris sunt complectitur, is [7] tandem [8] ea reseravit; sic *ὁ λόγος θεόπνευστος*

[1]) Quum utrumque verbum *ὁ λόγος τοῦ θεοῦ* dicatur.

[2]) In qua sententia Patres plerosque omnes fuisse Petavius, Bullus, Maranus, aliique demonstrarunt.

[3]) Hebr. I. 1.

[4]) Joh. I. 18.

[5]) Heic enim *ὁράω* non proprio sed metaphorico sensu accipiendum esse, quum Deus *visionis obiectum*, tum respondens *ἐξηγέομαι* demonstrant. Immo et insita *τῷ ὁράω* potestas, et Scripturarum *ἀναλογία*, et consequentia efficiunt, ut illud de perfecta, omnibusque absoluta numeris cognitione adhibitum censeatur. Unde Suidas, *ὅρασις· γνῶσις. καὶ ὁ εὐαγγελιστής· θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε, ἀντὶ τοῦ ἔγνω τρανῶς.*

[6]) Imago his exhibita verbis, *ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός* tria complectitur, Filii a Patre tamquam genitore originem, eiusdem cum Patre arctissimam, suavissimamque coniunctionem, et omnimodam eorum quae Patris sunt comprehensionem.

[7]) Sermo est ellipticus, ac ex membro antecedente expleri ita debet: Filius qui est in sinu Patris, *ipse solus Deum vidit*, ac ipse quem vidit, enarravit.

[8]) Interserui adverbium *tandem* ex analogia Scripturarum, quae manifestationem per Filium *ultimis temporibus* adscribunt.

epistolae instar est ad nos caelitus demissae, qua divinam voluntatem [9], sempiternaque consilia edoceamur. Quemadmodum ὁ λόγος ὑποστατικὸς sincerum est divinumque germen paternae mentis, quam uti imago perfectissima [10] repraesentat; sic ὁ λόγος θεόπνευστος species est ac nobilissimum [11] divinarum idearum simulacrum. Quemadmodum ὁ λόγος ὑποστατικὸς fons est ac inexhausta purissimae lucis origo qua [12] universum hominum genus illuminatur; sic [13] ὁ προφητικὸς λόγος simillimus est λύχνῳ φαίνοντι ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ, lucernae quae in tenebricoso splendet loco, viamque praemonstrat quae teneatur. Quibus similitudinis capitibus et quartum accedit, perspicuum illud quidem, sed quod amarissimas lacrimas merito exprimat. Sicut enim de Verbo ὑποστατικῷ ac in similitudinem [14] hominum facto sanctissimus vates [15] praedixit: ἰδού, οὗτος κεῖται εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν ἐν τῷ Ἰσραήλ, καὶ εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον, ecce, lamentabile dictu! positus hic est ut israelitarum multis occasio sit ruinae ac salutis, signumque cui plures contradicant; ita ὁ λόγος θεόπνευστος qui omnibus esse deberet arrha salutis, quemque Deus hominibus contulit, ut utilis eisdem [16] esset πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ· ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος [17], πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος: vix credi potest quam multis in perniciem, supremumque exitium convertatur. Iis nimirum omnibus qui in Scriptura [18] dicuntur οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι, indociles, et στηριγμῷ carentes, instabilesque, quique divina oracula στρεβλοῦσιν πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν, in alienum detorta sensum adulterant, et in suamipsorum perditionem prolabuntur.

283. Cuius flagitii quum tot prostent exempla quot umquam extitere haereses vel adhuc existunt; illud videri non ultimum debet, quo iam inde a christiani nominis primordiis homines perversi, proprioque iudicio condemnati in alienissimum sensum distraxere, quae Paulus in litteris ad Galatas [19] his verbis exposuit: Ὅτε δὲ ἦλθε [20] Πέτρος εἰς Ἀντιόχειαν, κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέστην, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν. Πρὸ τοῦ γὰρ ἐλθεῖν τινας ἀπὸ Ἰακώβου, μετὰ τῶν ἐθνῶν συνήσθιεν· ὅτε δὲ ἦλθον, ὑπέστελλε καὶ ἀφώριζεν ἑαυτόν,.

9) Joh. V. 39, Act. XVII. 11.

10) Coloss. I. 15: Ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου: et Hebr. I. 3: Ὅς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ.

11) Unde Rom. III. 2. coll. Hebr. V. 12. dicuntur τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, et Act. VII. 38. λόγια ζῶντα.

12) Joh. I. 9. coll. VIII. 12.

13) II. Petr. I. 19.

14) Philipp. II. 7.

15) Luc. II. 34. coll. Rom. IX. 33, I. Cor. I. 23, Matth. XXI. 42—44.

16) II. Tim. III. 16—17.

17) Si bene memini, numquam in Scripturis formula, ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος, eum designat qui nudus sit simplexque fidelis, sed vel prophetam, vel Deo, divinoque ministerio singulariter addictum. Quod secum recolere protestantes deberent, qui hoc testimonio abutuntur, ut singulis fidelibus consultum abunde esse lectione Scripturarum persuadeant.

18) II. Petr. III. 16.

19) Galat. II. 11—15.

20) Vulgatus, *Cephas*.

φοβούμενος τοὺς ἐκ περιτομῆς. καὶ συνυπεκρίθησαν αὐτῷ καὶ οἱ λοιποὶ ἰουδαῖοι· ὥςτε [21] *Βαρνάβας συναπήχθη αὐτῶν τῇ ὑποκρίσει. Ἀλλ᾽ ὅτε εἶδον, ὅτι οὐκ ὀρθοποδοῦσι πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου, εἶπον* [22] *τῷ Πέτρῳ ἔμπροσθεν πάντων· εἰ σὺ ἰουδαῖος ὑπάρχων, ἐθνικῶς ζῇς καὶ οὐκ ἰουδαϊκῶς, τί τὰ ἔθνη ἀναγκάζεις ἰουδαΐζειν;*

284. Enimvero gnostici primum ac deinde marcionitae, quibus nihil fuit adeo sanctum quod non polluerint, nihil adeo fixum quod non commoverint; Pauli verbis, quodam veluti clypeo abusi sunt, ut quae de apostolorum imperitia ac vero etiam ignorantia, deque pleniore veritatis luce, cuius ipsi nuncii essent atque magistri, comminiscebantur, si quo tandem modo possent, non sine Scripturarum auctoritate a se tradi, defendique persuaderent. En, inquiebant, Petrus erat *κατεγνωσμένος*, dignus qui reprehenderetur, vitamque, moresque non ad puram evangelii veritatem, sed commixtam et iudaico fermento corruptam exigebat. Quis ergo nos idcirco reprehendat, quod apostolorum sapientiae diffidamus? quis nobis idcirco succenseat, quod uberiorem, sincerioremque *γνῶσιν* polliceamur? De qua illorum sive temeritate, sive insania testis est locuples Tertullianus quum in opere [23] contra Marcionem, tum in libro de Praescriptionibus [24], inquiens: „Proponunt ergo ad suggillandam ignorantiam aliquam apostolorum, quod Petrus et qui cum eo, reprehensi sunt a Paulo. Adeo, inquiunt, aliquid eis defuit. Ut ex hoc etiam illud struant, potuisse postea pleniorem scientiam supervenire, qualis obvenerit Paulo reprehendenti antecessores." Et [25] infra: „Non mihi tam bene est, immo non mihi tam male est, ut apostolos committam. Sed quoniam perversissimi isti illam reprehensionem ad hoc obtendunt, ut suspectam faciant doctrinam [26] superiorem, respondebo quasi pro Petro."

285. Alia quidem mente, neque tamen meliore [27] Porphyrius, quem *rabidum adversus Christum canem* Hieronymus [28] vocat, reprehensione Petri usus

[21]) Vulgatus, *ita ut et*, *ὥςτε καί.*

[22]) Apud Vulgatum, *dixi Cephae.*

[23]) Adversus Marcionem, lib. I. cap. XX, lib. IV. cap. III, et lib. V. cap. III.

[24]) De Praescriptt. cap. XXIII.

[25]) Ibid. cap. XXIV.

[26]) In subiectis adnotationibus scribit Albaspinaeus: „Plerique cum interpretibus existimant, hisce verbis, *doctrinam superiorem*, ea intelligi debere, quae apostoli ante Pauli adventum praedicarant. Verum si animadverterent eiusmodi haereticos non solum Petri, verum etiam Pauli, ceterorumque apostolorum doctrinam suspectam habuisse, concederent mihi, haec de omni ea doctrina accipi debere, qua dicebant pleniorem postea supervenire posse." Atqui contextus communi interpretationi luculenter suffragatur, quam et illud germanam esse demonstrat, quod Tertulliano cum iis haereticis res sit, qui solas Pauli epistolas verebantur.

[27]) Nicephorus testimonio Eusebii innixus tradit lib. X. cap. XXXVI, Porphyrium antea fuisse christianum, quam eiurato sacramento bellum Christo, eiusque religioni indiceret.

[28]) Praefat. ad lib. de Scriptt. Ecclesiasticis. Similia habet Eusebius, Praeparat. Evangelic. lib. X. cap. IX. Omnia

est, ut apostolos auctoritate exspoliaret, Paulum vero ambitionis, temeritatisque convinceret. Ecquis enim iis admodum deferre velit, qui secumipsis digladiantur? quis uti testes *ἀξιοπίστους* eos audiat, qui in diversa contrariaque rapiuntur? quis Pauli ferat insolentem fastum, quo apostolorum primum et chori ducem non seorsum ac tacite, sed *κατὰ πρόςωπον* et *ἔμπροσθεν πάντων* coarguit, ac propemodum traduxit? Sic ille, uti Chrysostomus [29] et Hieronymus [30] confirmant, qui Pauli consilio in epistola ad Galatas exposito, subdit: „Quod nequaquam intelligens Bataneotes et sceleratus ille Porphyrius, in primo operis sui [31] adversum nos libro, Petrum a Paulo obiecit esse reprehensum, quod non recto pede incederet ad evangelizandum, volens et *illi maculam erroris* inurere, et *huic procacitatis*, et in commune ficti dogmatis accusare mendacium, dum inter se ecclesiarum principes [32] discrepant.“

286. Successit Julianus [33] cognomento apostata, qui in tribus adversus christianam fidem conscriptis libris e re sua fore existimavit, si contentionem Pauli cum Petro, atque huius reprehensionem in dedecus ipsius religionis converteret. Neque enim fieri posse contendebat, ut in pretio ea haberetur religio, cuius principes magistri, doctoresque hypocrisi, ignorantia, ambitionisque morbo aegrotarent. Refert ista [34] Cyrillus, qui Juliani libros refellendos sibi profligandosque suscepit, operique suo, dicteriis solum conviciisque praetermissis, totos propemodum intexuit.

287. Quid vero protestantes, quique postremis hisce saeculis in id sibi incumbendum maxime esse arbitrati sunt, ut ornamenta Petri, eximiamque auctoritatem, quibus auctum divinitus fuisse constat, e medio tollerent, neque repudiarent modo, verum etiam invisa, exosaque redderent? Minime mentiar si dixerim, nullum legi commentarium, nullum de ecclesiastica hierarchia ab iisdem profectum opus, in quo reprehensio Petri non memoretur, exaggeretur, ac nefarie detorta ad oppugnandam eiusdem *ὑπεροχὴν* non adhibeatur. „Romanae sedis hostes, inquit [35] Philippus Priorius, reprehensionem illam b. Petri mirifice extollunt; inde enim confectum putant, summum Pontificem reprehensioni esse

Porphyrii scripta Theodosius lege lata igne aboleri iussit. Cf. de summa Trinitate l. 3.

[29]) Comm. in cap. II. epist. ad Galatas, n. 4, et singulari homilia in ea verba, *κατὰ πρόςωπον αὐτῷ ἀντέστην*, quae habetur opp. T. III. pagg. 362. seqq.

[30]) Prooem. in epist. ad Galatas.

[31]) Quod inscriptum erat, *contra Christianos*, et quindecim libris constabat.

[32]) Simili loquendi forma Chrysostomus utitur in ea quam memoravimus homilia, n. 2. inquiens: *Ὅτι οἱ στύλοι τῆς ἐκκλησίας συγκρούονται καὶ ἀλλήλοις προςπίπτουσι.* Nihilominus n. 8. Petrum prae ipso Paulo, ceterisque apostolis *κορυφαῖον* dicit, et n. 5. *τὴν γλῶτταν τῶν ἀποστόλων.* Quod nimirum eiusmodi phrases non *simpliciter* sed *quadamtenus* aequalitatem referant.

[33]) Cf. Sozomenum, H. E. lib. V. cap. XVIII.

[34]) Con. Julian. lib. IX.

[35]) In notis ad cap. XXIII. libri de Praescriptionibus.

vere obnoxium." Heic, subdit[36] Baronius, „plane est lapis offensionis, heic petra scandali, in quam complures impegisse noscuntur: qui enim historiam captu difficilem, nulla alia adhibita diligentioris studii consideratione, cursim legentes sunt interpretati, eo insaniae progressi sunt, ut vel Paulum temeritatis arguerent, quod in Petrum non tam libere quam procaciter sit invectus; vel hypocrisis nomine sugillent Petrum, quod ageret simulate; vel utrumque condemnent, quod non in eamdem fidei regulam consentirent."

Quae quidem non temere, leviterque, sed consulto ac graviter a viris doctissimis affirmari, ex his perspicuum esse debet quae Calvinus[37] scribit: „Ista reprehensio signum est aequalitatis. Fateor quidem summos ab infimis iure reprehendi. Itaque non sequitur, eos qui quempiam reprehendunt, protinus esse pares. Nam libertas haec minoribus erga maiores permittitur a Deo. Sed *qualitas reprehensionis* heic notanda est. Neque enim simpliciter Paulus reprehendebat Petrum ut christianus christianum, sed id faciebat *ex officio*, ut loquuntur, hoc est, pro iure apostolicae personae quam[38] sustinebat. Atque heic altero fulmine prosternitur romanus papatus. Praesertim vero coarguitur illa impudentia, quod romanus Anti-Christus immunem se iactat a reddenda ratione, et quod universae ecclesiae iudicio se eximit. Hic unus homo non temere, non illicita audacia, sed concessa sibi a Deo potestate Petrum coram tota ecclesia castigat. Et Petrus *obedienter*[39] correctioni se submittit. Immo tota disputatio duorum istorum capitum nihil aliud fuit[40] quam aperta eversio tyrannici illius primatus, quem iure divino fundatum garriunt romanenses." Subscribit Franciscus Turrettinus[41] minori quidem petulantia verborum, sed non minori confidentia inquiens: „Oecumenicus pontifex est ἀνυπεύθυνος, qui omnes iudicare, et a nemine iudicari vel reprehendi[42] debet. Sed Petrus a Paulo iudicatus et repre-

[36]) Ad an. LI. §. XXXII.

[37]) Comm. in cap. II. epist. ad Galatas.

[38]) Seposita tantisper de principatu controversia, libenter a Calvino peterem, an ius apostolicae personae quam Paulus sustinebat, auctoritatem in ipsos quoque apostolos, atque adeo Petrum illi contulerit. Ne sibi repugnet, doctrinamque quam deperit de omnimoda apostolorum aequalitate imprudens reiiciat, respondeat necesse est: nullum Paulo ius, auctoritatem nullam in apostolos, Petrumque fuisse. Reprehendit tamen Petrum. Utique, sed eo iure quum naturali, tum divino, quo cuique licet, apostolo autem maxime, fratrem sibi aequalem, eumdemque devium ex obliquo calle revocare.

[39]) Obedivit sane Petrus, sed legi illi naturali, divinaeque quae maximis, mediis, infimis praecipit, ut fratrem vera iustaque monentem audiant, ac verum iustumque complectantur.

[40]) Et illa credo, quibus Paulus testatur, se propterea Hierosolymam venisse, ut Petrum videret, ac ex officio eiusdem praedicationis evangelium cum eo conferret, ne frustra currere ac iampridem cucurrisse videretur. Sed quid ab homine exspectes, qui odio occaecatus ne lucem quidem cernit?

[41]) Locus XVIII. q. XVII. §. IX.

[42]) Falsa ista sunt, et quae negari debent, nisi de iudicio et reprehensione

hensus [43] legitur Galat. II. 11, ***cum autem Petrus venisset Antiochiam, coram omnibus illi obstiti, quia reprehensibilis erat,*** quod non notat tantum ἔγκλημα, sed et ἐπίπληξιν et ἐπιτίμησιν σφοδροτέραν." Ac mox [44] Cardinalis Perronii sententiam expendens, subdit: „Non melius Perronius vult fuisse ***reprehensionem caritatis, non auctoritatis.*** Quia licet fuerit reprehensio ***caritatis,*** et non auctoritatis superioris ad inferiorem, fuit tamen ***iustae severitatis,*** quae sine aequalitate [45] Petri et Pauli non potest licita esse. Nam si Petrus caput et princeps fuisset ecclesiae, quomodo Paulus sine violatione obsequii illi debiti potuisset tam libere coram omnibus eum carpere?" Hinc Marcus Antonius de Dominis, qui non sine foenore in suo opere ***De Republica Ecclesiastica*** omnia congessit, quae fuerant ab antecessoribus absurde excogitata, impudenterque dicta, sic gestit ac triumphat [46], ut una Petri reprehensione et eiusdem primatum, et supremi magisterii [47] auctoritatem convelli funditus arbitretur.

288. In quibus quum plurima sint, quae et notari acriter, graviterque refelli mereantur, illud tamen praeponendum ceteris videtur, nihil esse hac opinandi, iudicandique apud protestantes usitata ratione, quod ab unanimi orthodoxorum patrum sententia manifestius dissideat. Quum autem orthodoxos patres appello, non eos intelligo solum qui post quartum quintumque saeculum floruerunt; sed eos inprimis ac potissimum ob oculos habeo, quorum studiis res christiana altero, tertio, quartoque nondum elapso saeculo maxime enituit. His omnibus, atque adeo sententiae iudicioque nondum corruptae [48], defloratae que ecclesiae adversa fronte repugnare affirmo quae de Petri reprehensione coniiciunt, quaeque ex ea contra supremam illius auctoritatem protestantes deducunt.

289. Sane non vulgatus solum Martialis [49], Pseudo-Dorotheus [50], auctor

intelligantur, quibus maior ac superior in minorem obnoxiumque animadvertat.

[43]) Legitur utique iudicatus et reprehensus, sed non ut minor a maiore, neque ut obnoxius a superiore. Sunt ergo ἀσύστατα quae Turrettinus copulat, et universa illatio pura putaque est ὁμωνυμία.

[44]) Ibid. §. X.

[45]) Unde haec ***iusta severitas?*** inde, opinor, quod Paulus non seorsum sed publice et coram omnibus Petro restiterit. Sed quid haec ad ***aequalitatem*** comprobandam? qua iuris regula cautum est, ne minor et inferior, si caussa postulet, maiori superiorive publice adversetur? hanc regulam Turrettinus comminiscitur, non leges statuunt.

[46]) Lib. I. cap. XI—XXI.

[47]) Docet enim Petrum a recta fide defecisse, idque probat Pauli verbis, ἀλλ' ὅτε εἶδον, ὅτι οὐκ ὀρθοποδοῦσι πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου. Sed quis umquam vel e protestantium numero dubitavit, utrum apostoli in edocenda fide, promulgandoque evangelio essent ***infallibiles?*** quis ad asserendam illis ἀσφαλείας dotem non adhibuit verba Salvatoris, ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας? Sunt ista certissima ac omnibus explorata, quae tamen ne Spalatensis videret, odium effecit quo in Petri primatum furebat.

[48]) Sunt haec ad normam cogitandi, loquendique protestantium expressa.

[49]) Tom. II. Biblioth. Patrum, edit. Lugdun. pag. 110.

[50]) In Synopsi, T. III. Biblioth. Pa-

Chronici alexandrini [51] et Oecumenius [52]: neque ii solum quorum meminere Chrysostomus [53], Hieronymus [54], Gregorius [55] et Hervaeus [56]; sed ipse etiam alexandrinus Clemens, secundi saeculi doctor, vir [57] *ἐνάρετος καὶ δόκιμος*, quique magistros [58] nactus erat *ἄνδρας μακαρίους καὶ τῷ ὄντι ἀξιολόγους*, verbis minime obscuris significarunt, illam sibi probari sententiam, qua reprehensus a Paulo Cephas alius a Petro apostolorum principe existimatur. Clementis sententiam e quinto *τῶν ὑποτυπώσεων* libro refert, neque improbat [59] Eusebius, quum de Servatoris nostri discipulis loquens ait: „In quo (Clementis libro) etiam Cepham illum cui Antiochiam ingresso Paulus se palam restitisse dicit, traditur *ἕνα γεγονέναι τῶν ἑβδομήκοντα μαθητῶν, ὁμώνυμον Πέτρῳ τυγχάνοντα τῷ ἀποστόλῳ*, unum fuisse e septuaginta discipulis Petro apostolo cognominem.“

290. Jam mihi facultas permittatur velim scitandi, unde tam antiquis, eruditisque scriptoribus haec opinio videri *probabilis* potuerit. E contextu ne ductuque sermonis? dicam, quod sentio, quodque plerisque omnibus [60] placere intelligo, contextum epistolae ad Galatas talem esse, qui vix ac ne vix quidem sinat, ut Cephae nomine alter a Petro significatus credatur. Apposite [61] Hieronymus: „Sunt qui Cepham, cui hic in faciem Paulus restitisse se scribit, non putent apostolum Petrum, sed alium de septuaginta discipulis isto vocabulo nuncupatum, et dicunt nequaquam Petrum a convictu gentium se potuisse subtrahere, qui et centurionem Cornelium baptizarat, et cum ascendisset Hierosolymam, disceptantibus adversus se qui erant ex circumcisione, et dicentibus: *quare introisti ad viros praeputium habentes, et manducasti cum illis?* post narrationem visionis, tali responsionem suam fine concluserit: *si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus sicut et nobis qui credimus in Dominum Jesum Christum, ego quis eram qui possem prohibere Deum?* quibus auditis *tacuerunt et glorificaverunt Deum, dicentes: ergo et gentibus Deus poenitentiam ad vitam*

trum, edit. Lugdun. pag. 429. Huic adde Pseudo-Hippolytum Thebanum in libro *de duodecim apostolis*, T. II. opp. Hippolyti, pag. 39. edit. Fabricii; tum corrige Christiani Lupi errorem in Scholiis ad cap. XXIII. libri de Praescriptionibus affirmantis: „Primus istius vanae opinionis auctor videtur fuisse in Synopsi de septuaginta duobus Domini discipulis sanctus Dorotheus.“

[51]) Ad annum Christi XXX, apud Raderum, pag. 213. edit. Paris. 1688.

[52]) In comm. ad Galat. II.

[53]) Hom. in illud, *In faciem Petro restiti*, n. 15.

[54]) In comm. ad Galat. II.

[55]) In Ezechiel. hom. XVIII.

[56]) Qui vulgo Anselmus dicitur, in comm. ad Galat. II.

[57]) Quibus titulis ornatur in epistola Alexandri hierosolymitani ad Origenem, apud Eusebium H. E. lib. VI. cap. XI.

[58]) Apud Eusebium, H. E. lib. V. capp. XI — XIII.

[59]) H. E. lib. I. cap. XII.

[60]) Paucissimi enim sunt, qui cum Harduino in dissertatione qua ostendere conatur, *Cepham a Paulo reprehensum Petrum non esse*, aliter existimaverint.

[61]) Lib. I. in epist. ad Galatas, cap. II.

dedit. Maxime cum Lucas scriptor historiae nullam huius dissensionis faciat mentionem, nec dicat umquam Petrum Antiochiae fuisse cum Paulo, et locum dari Porphyrio blasphemanti, si aut *Petrus errasse*, aut Paulus procaciter *apostolorum principem* confutasse credatur.“ Mox enim subdit: „Quibus primum respondendum, alterius nescio cuius Cephae nescire nos nomen, nisi eius qui et in evangelio, et in aliis Pauli epistolis, et in hac quoque ipsa modo Cephas [62] modo Petrus scribitur: non quod aliud significet Petrus, aliud Cephas, sed quod quam nos latine et graece petram vocemus, hanc hebraei et syri propter linguae inter se viciniam, cepham nuncupent. Deinde totum argumentum epistolae quod oblique de Petro, Jacobo et Joanne dicitur, huic intelligentiae repugnare. Nec mirum esse si Lucas hanc rem tacuerit, quum et alia multa quae Paulus sustinuisse se replicat, historiographi licentia praetermiserit, et non statim esse contrarium, si quod alius ob caussam dignum putavit relatu, alius inter cetera dereliquit. Denique primum episcopum antiochenae ecclesiae Petrum fuisse accepimus, et Romam inde translatum, quod Lucas penitus omisit. Ad extremum si propter Porphyrii blasphemiam, alius nobis fingendus est Cephas, ne Petrus putetur errasse, infinita de scripturis erunt radenda divinis, quae ille, quia non intelligit, criminatur.“

291. Illis igitur argumenta deerant *insita* et hermeneutica, quibus Cepham a Petro distinguerent: neque minus deerant *historica*, quaeque e primaeva traditione desumerentur. Irenaeus [63] enim ὁ ἐγγὺς τῶν ἀποστόλων γενόμενος, idemque [64] Polycarpi discipulus iampridem [65] scripserat: „Hi qui circa Jacobum apostoli gentibus quidem libere agere permittebant, concedentes nos Spiritui Dei. Ipsi vero eumdem scientes Deum perseverabant in pristinis observationibus, ita ut et *Petrus quoque timens ne culparetur ab ipsis, ante manducans cum gentibus*, propter visionem et propter Spiritum qui requieverat super eos, quum tamen advenissent quidam ab Jacobo, separavit se, et non manducavit cum eis. Hoc ipsum autem dixit Paulus et Barnabam fecisse.“ E quibus perspicue apparet quod de primaeva traditione contendimus, eumdem omnino fuisse, qui Petrus quique Cephas in epistola ad Galatas nuncupatur.

292. Quare rursum interrogabo, quum Cepham a Petro distinguendi nulla sive *insita* et *hermeneutica*, sive *adscita* et *historica* suppeterent argumenta;

[62]) Quod apostolorum princeps modo כיפא, *Κηφᾶς*, modo *Πέτρος*: quod Thomas modo תאום, *Θωμᾶς*, modo *Δίδυμος*: quod mulier quam ad vitam Petrus revocavit, modo ܛܒܝܬܐ, צבי, *Ταβιθά*, modo *Δορκὰς* nuncupentur: quod alia item nomina hebraice, syro-chaldaice et graece *ἀδιαφόρως* adhibeantur; indicium esse posset, utramque linguam Christo et apostolis usitatam fuisse ac propemodum vernaculam. Ceterum hac de re vide Simon, De Rossi, Pfankuchen, Diodati, Arigler, Hug, Binterim, Maltby, alios.

[63]) Apud Basilium, *De Spiritu-sancto*, cap. XXIX.

[64]) Apud Eusebium, H. E. lib. V. cap. XX.

[65]) Con. Haeres. lib. III. cap. XII.

quidnam tandem tot, tantosque veteres scriptores commovere potuit, ut de huiusmodi discrimine cogitarent primum, excogitatumque defenderent? manifestum est nullam adduci caussam posse, nisi earum numero comprehensam, quas vulgo *dogmaticas* dicere solemus. Quod de iis, qui post editos a Porphyrio libros contra christianam religionem, huius in se defensionem susceperunt, disertis ab Hieronymo [66] confirmari verbis demonstravimus. Sed quid de Clemente arbitrabimur, qui antea claruit, opusque *ὑποτυπώσεων* conscripsit, quam sceleratum Porphyrii nomen resonaret? non admodum a veritate discesserimus, si illud ipsum arbitremur, quod Chrysostomus de iis testatur [67], qui quarto etiam saeculo Clementis opinionem tuebantur. Sic enim illos disserentes inducit: „Non erat hic Petrus, inquiunt, *ὁ τῶν ἀποστόλων πρῶτος, ὁ παρὰ τοῦ κυρίου τὰ πρόβατα πιστευθεὶς, ἀλλ' ἑτερός τις εὐτελὴς καὶ ἀπεῤῥιμμένος, καὶ τῶν πολλῶν εἷς,* ille primus apostolorum, cui fuerunt oves a Christo creditae, sed alius quispiam vilis et abiectus, et unus e multis. Unde id constat? cum ceteros iudaeos abductos fuisse cum illo dixisset Paulus, adiecit, *ita ut et Barnabas duceretur cum eis in illam simulationem. Τὸ δὲ εἰπεῖν, ὥςτε καὶ Βαρνάβας, δηλοῦντός ἐστιν, ὅτι πολὺ τοῦτο θαυμαστότερον ἦν τοῦ Πέτρου ἀπαχθῆναι. ὡς γὰρ μείζονα αὐτὸν τιθεὶς, οὕτως εἶπεν, ὅτι οὐ μόνον Πέτρος, ἀλλὰ καὶ Βαρνάβας. Πέτρου δὲ ἐκείνου μείζων Βαρνάβας οὐκ ἦν.* Quod autem dixit; *ita ut etiam Barnabas*, indicat multo fuisse mirabilius illud, quam Petrum abductum esse. Sic enim loquutus est, ut maiorem illum censere videatur: non modo Petrus, inquit, sed et Barnabas. Atqui Barnabas Petro illo maior non erat.“

293. Hactenus illi, quorum improbaturus sententiam Chrysostomus [68] subdit: „Verumtamen non ita se res habet, plane ita se non habet. *Οὐ γάρ, ἐπειδὴ μείζων ἦν ὁ Βαρνάβας, διὰ τοῦτο ἐπὶ τούτῳ θαυμάζει μᾶλλον, ἀλλὰ τίνος ἕνεκεν;* neque enim eo quod Barnabas maior esset, ideo vehementius miratur: quam igitur ob caussam? quod nimirum ille quidem in circumcisionem missus esset, at Barnabas cum Paulo gentibus praedicaret, et ubique cum Paulo copularetur. Quemadmodum igitur alibi [69] dicit, *aut ego solus et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi?* et [70] rursus, *ascendi Jerosolymam cum Barnaba:* et ubique vides illum cum Paulo docere. Non ergo quod Petro maior esset, idcirco eum quoque abductum esse miratur; sed quod is qui secum semper praedicabat, cuique nihil erat commune cum iudaeis, verum inter gentes docebat, ipse quoque esset abductus. Ceterum Petrum illum esse, de quo haec omnia dicit, cum ex iis quae praecesserunt, tum ex iis quae sequuntur, manifestum est. *Τὸ γὰρ εἶπεν, ὅτι κατὰ πρόςωπον αὐτῷ ἀντέστην, καὶ ὡς μέγα θεῖναι τοῦτο, οὐδὲν ἕτερον δηλοῦντος ἦν, ἀλλ' ἢ ὅτι οὐκ ᾐδέσθη τοῦ προςώπου τὸ ἀξίωμα· οὐκ ἂν δὲ περὶ ἑτέρου λέγων, ὅτι κατὰ πρόςωπον αὐτῷ*

[66]) n. 290.

[67]) Hom. in illud, *In faciem Petro restiti*, n. 15.

[68]) Ibidem.

[69]) I. Cor. IX. 6.

[70]) Galat. II. 1.

ἀντέστην, ὡς μέγα τι τοῦτο ἂν ἔθηκε. Πάλιν, εἰ ἄλλος ἦν ὁ Πέτρος, οὐκ ἂν μετάστασις αὐτοῦ τοσοῦτον ἴσχυσεν, ὥςτε καὶ τοὺς λοιποὺς ἐφελκύσασθαι ἰουδαίους. οὔτε γὰρ παρῄνεσέ τι, οὔτε συνεβούλευσεν, ἀλλὰ μόνον ὑπέστελλε, καὶ ἀφώριζεν ἑαυτόν· καὶ ἴσχυσεν ἡ ὑποστολὴ καὶ ὁ ἀφορισμὸς πάντας ἐπισπάσασθαι τοὺς μαθητὰς διὰ τὸ τοῦ προςώπου ἀξίωμα. Quod enim se in faciem restitisse illi dicit, ac pro magno illud habet, nihil aliud indicat nisi se dignitatem minime reveritum esse personae: porro de altero quopiam si dixisset, se in faciem illi restitisse, nequaquam hoc pro magno habuisset. Praeterea si quispiam alius Petrus fuisset, non tantum valuisset eius mutatio, ut ceteros etiam iudaeos attraheret. Neque enim adhortatus est, neque consuluit, sed tantum subtrahebat et segregabat se: atque illa subtractio et segregatio ceteros omnes discipulos attrahere potuit propter personae dignitatem."

294. Praeclara sane dissensio, et quae protestantibus stupori merito sit. Negabant illi eumdem esse Cepham et Petrum, ne si concederent, non omnium maximus, coetusque apostolici *ἡγούμενος* Petrus videretur. Repugnabat Chrysostomus, quod ea Cephae tribui, eaque a Paulo de illo referri animadverteret, quae non alteri quam apostolorum principi, supremoque doctori rite adscriberentur. Videlicet suprema Petri dignitas, quae omnium animos, mentesque occupabat, norma utrisque fuit, qua unum eumdemque Cepham ac Petrum esse vel contenderent vel negarent. Quae quidem norma apud eos, quorum Chrysostomus opinionem refellit, tantas vires habuit, ut satius duxerint, quae in epistola ad Galatas legebantur, minus commode accipere quam pati ut de summo Petri iure quidpiam detractum crederetur.

295. Praevaluit tamen sententia argumentis insitis, historicisque comprobata, et graeci latinique Patres unanimi prope consensione docuerunt, memoratum a Paulo Cepham non alium ab eo esse, cui Servator [71] dixit: *σὺ εἶ Σίμων, ὁ υἱὸς Ἰωνᾶ· σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς.* Incredibile autem dictu est quam sollicita ac anxia veluti cura iidem caverint, ne quid propterea a Paulo scriptum censeretur, quod cum eximia Petri dignitate minus apte consentiret. Tria potissimum erant quae scrupulum iniicerent: reprehensio primum, caussa deinde reprehensionis, ac illud postremo quo Petrus in transversum actus videri poterat. Quid igitur Patres? si de graecis loquimur, omnium haec fuit concors sententia: et reprehensionem fuisse oeconomicam, et caussam reprehensionis innoxiam, et id cuius gratia a convictu gentium se Petrus subduxit, ad illius laudes pertinere. Quae ne videar temere affirmasse, gravissimo Hieronymi testimonio demonstrabo.

296. Is enim et in commentario, et in prolixa quam hac super re ad Augustinum dedit epistola, de reprehensione Petri ita [72] statuit: „Ex eo quod Petrus antequam quidam de Hierosolymis Antiochiam venirent, edebat cum gentibus, ostenditur, non eum oblitum fuisse praecepti, nullum hominem communem et immundum dicere. Sed quia propter eos qui adhuc legem observandam

[71]) Joh. I. 43.

[72]) Lib. I. in epist. ad Galat. II. 12.

putabant, paululum se a convictu subtraxerat gentium, ita ut etiam ceteri qui ex iudaeis erant, similiter facerent, et Barnabas qui cum Paulo in gentibus evangelium praedicabat, hoc facere cogeretur; hi qui Antiochiae crediderant ex gentibus, nec fuerant circumcisi, compellebantur ad legis onera transcendere, non intelligentes [73] dispensationem Petri, qua iudaeos salvari cuperet, sed putantes ita se evangelii habere rationem. Cum itaque vidisset apostolus Paulus periclitari gratiam Christi, nova bellator eius usus est arte pugnandi, ut dispensationem Petri qua iudaeos salvari cupiebat, *nova ipse contradictionis dispensatione* [74] corrigeret, et resisteret ei in faciem, non arguens propositum, sed quasi in publico contradicens, ut ex eo quod Paulus eum arguens resistebat, hi qui crediderant ex gentibus servarentur. Quod si putat aliquis vere Paulum Petro apostolo restitisse, et pro veritate evangelii intrepide fecisse iniuriam praecessori; non ei stabit illud [75] quod et ipse Paulus iudaeis iudaeus factus est ut iudaeos lucrifaceret, et eiusdem simulationis [76] tenebitur reus, quando caput totondit in Conchreis, et facto calvitio, oblationem obtulit in Hierusalem, et Timotheum circumcidit, et nudipedalia exercuit, quae utique manifestissime de caeremoniis iudaeorum sunt." Et [77] infra: „Sicut hi

[73]) Simili loquutione utitur epistola LXXV. inter Augustinianas, n. 4.

[74]) In epistola quam citavimus, n. 11. scribit: „Didicimus, quod propter metum iudaeorum, et Petrus et Paulus aequaliter finxerint se Legis praecepta servare. Qua igitur fronte, qua audacia Paulus in altero reprehendat quod ipse commisit? ego, immo alii ante me exposuerunt caussam quam putaverunt, non *officiosum mendacium* defendentes, sicut tu (Augustinum alloquitur) scribis, sed docentes *honestam dispensationem*; ut et apostolorum prudentiam demonstrarent, et blasphemantis Porphyrii impudentiam coercerent, qui Petrum et Paulum puerili dicit inter se pugnasse certamine; immo exarsisse Paulum in invidiam virtutum Petri, et ea scripsisse iactanter, quae vel non fecerit, vel si fecerit, procaciter fecerit, id in alio reprehendens quod ipse commiserit. Interpretati sunt illi ut potuerunt: tu quomodo istum locum edisseres? utique meliora dicturus, qui veterum sententiam reprobasti."

[75]) I. Cor. IX. 20; de quibus Pauli verbis accurate disserit Augustinus epist. XL.

[76]) Durius hoc vocabulum sic accipi debet, ut *οἰκονομίαν* exprimat, qua Paulus ita se gessit, ac si liber non esset, et iugo mosaicorum rituum premeretur.

[77]) Lib. I. in epist. ad Galat. II. 14. Idipsum paullo superius hac imagine adumbraverat: „Aliquoties quum adolescentulus Romae controversias declamarem, et ad vera certamina fictis me litibus exercerem, currebam ad tribunalia iudicum, et disertissimos oratorum tanta inter se videbam acerbitate contendere, ut omissis saepe negotiis in proprias contumelias verterentur, et ioculari se invicem dente morderent. Si hoc illi faciunt, ut apud reos nullam suspicionem praevaricationis incurrant, et fallunt populum circumstantem; quid putamus tantas ecclesiae columnas, Petrum et Paulum, tanta vasa sapientiae inter dissidentes iudaeos atque gentiles facere debuisse? nisi ut eorum simulata contentio, pax credentium fieret, et ecclesiae fides, sancto inter eos iurgio concordaret." Similitudine eodem pertinente, eaque elegantiore utitur Chrysostomus in ea quam citavimus homilia, nn. 16—17.

qui sanis gressibus claudicare se simulant, non vitium habent in pedibus, sed est aliqua caussa cur claudicent; ita et Petrus sciens circumcisionem et praeputium nihil esse, sed observationem mandatorum Dei, edebat quidem ante cum gentibus, sed pro tempore ab eis se, ne iudaeos a fide Christi perderet, subtrahebat. Unde et Paulus eadem arte qua simulabat, ei restitit in faciem, et loquitur coram omnibus, non tam ut Petrum arguat, quam ut hi quorum causa Petrus simulaverat corrigantur. Quod si cui iste non placet sensus, quo nec Petrus peccasse, nec Paulus procaciter ostenditur arguisse *maiorem*, debet exponere qua consequentia hoc Paulus in altero reprehendat quod ipse commisit." Quare [78] verbis, *κατὰ πρόςωπον αὐτῷ ἀντέστην*, hunc subiicit commentarium: „Ut ante iam diximus, restitit secundum faciem publicam Petro et ceteris, ut hypocrisis observandae legis, quae nocebat eis qui ex gentibus crediderant, correptionis hypocrisi [79] emendaretur, et uterque populus salvus fieret, dum et qui circumcisionem laudant, Petrum sequuntur, et qui circumcidi nolunt, Pauli praedicant libertatem." De iis autem quae sequuntur [80], *ὅτι κατεγνωσμένος ἦν*, ait: „Propterea medie temperavit, ut intelligamus non tam a Paulo eum fuisse reprehensibilem, quam his fratribus cum quibus antea edens se ab eis postea separabat."

297. Quod autem Hieronymus probe sciret aliter Augustino videri, interpretationi a se editae fidem auctoritatemque patrocinio veterum conciliavit. Illius propterea [81] auctores, testesque adduxit Origenem in decimo Stromatum libro, Alexandrum, Apollinarem laodicenum, Didymum, Eusebium emisenum, et Theodorum heracleotem; tum his verbis Augustinum compellavit: „Si quid igitur reprehensione dignum putaveras in explanatione nostra, eruditionis tuae fuerat quaerere, utrum ea quae scripsimus, haberentur in graecis, ut si illi non dixissent, tunc meam proprie sententiam condemnares." Sed nonne hi sunt plerique omnes, qui tertio quartoque saeculo explanandis Scripturis suam operam impenderunt? certissime. Et nihilominus addere iis Hieronymus poterat Clementem alexandrinum [82], cuius mentem sententiamque Adamantius expressit; nos vero addere praeterea possumus et alexandrinum Cyrillum [83], et quotquot apud graecos consequutis aetatibus Pauli epistolas enarrarunt. Numquam enim apud eos

[78]) Galat. II. 11.

[79]) Correptione nimirum *κατὰ συγκατάβασιν* adhibita, de qua pluribus agit Chrysostomus in homilia quam memoravimus, nn. 17—18.

[80]) Galat. II. 11.

[81]) Epistola LXXV. al. XI. inter Augustin. n. 4. Quibus Chrysostomum addit n. 6. inquiens: „Quid autem dicam de Joanne, qui dudum in pontificali gradu constantinopolitanam rexit ecclesiam, et proprie super hoc capitulo latissimum exaravit librum (ea est homilia, cuius saepe meminimus), in quo Origenis et *veterum* sententiam est sequutus? si igitur me reprehendis errantem, patere me, quaeso, errare cum talibus: et cum me erroris mei multos socios habere perspexeris, tu veritatis tuae saltem unum adstipulatorem proferre debebis."

[82]) Stromat. lib. VII. pag. 730.

[83]) Ad calcem libri IX. con. Julianum.

alia interpretationis ratio obtinuit quam quae vetustioribus Patribus arriserat, quamque prae reliquis Chrysostomus splendidissime adornaverat.

298. Quae quum ita sint, non minimum iuverit momenta rationum cognovisse quibus effectum est, ut nobilissimi quique, iidemque antiquissimi graeci scriptores hanc prae ceteris interpretationem deligerent, delectamque tuerentur. Mihi enim eos falli certissimum est, qui caussam inde arcessendam existimant, quod ea interpretatio omnium maxime obvia esset, prona, ac e verbis ipsis sua sponte profecta. An illud obvium, quodque ultro se offerret, initis amice consiliis [84], Petrum a convictu se gentium subduxisse, ut Paulo reprehensionis, libertatisque evangelicae asserendae copiam faceret? quidnam est in tota orationis serie, quod umbram vestigiumque huius conspirationis praeseferat? immo quid deest, quo [85] omnia non *οἰκονομικῶς* sed *ἀληθῶς* contigisse videantur? interpretationes autem phrascon, *κατὰ πρόςωπον αὐτῷ ἀντέστην*, et, *ὅτι κατεγνωσμένος ἦν*, non exquisitae modo sunt, longiusque deductae, sed plane dixerim incommodae ac detortae.

Quod enim Paulus [86] scribit: *κατὰ πρόςωπον αὐτῷ ἀντέστην*, hunc ex sese fundit sensum: *ipsi palam restiti.* Talis namque est vulgatissima potestas loquutionis *κατὰ πρόςωπον*, cui [87] respondent hebraicum לִפְנֵי, et graecum *ἐνώπιον*, illamque confirmant quae mox sequuntur, *ἔμπροσθεν πάντων*. At graeci interpretes ut Petri reprehensionem referre ad *οἰκονομίαν* et *συγκατάβασιν* possint, *κατὰ πρόςωπον* reddunt *κατὰ σχῆμα*, *specie ac larva* [88] *tenus.*

Alterum vero, *ὅτι κατεγνωσμένος ἦν*, sive ad praecedentia referas, *ipsi palam restiti*, sive cum insequentibus compares, *εἶπον τῷ Πέτρῳ ἔμπροσθεν πάντων*, *dixi Petro coram omnibus*, non aliter commode accipias, quam si de Petro interpreteris, qui Paulo *κατεγνωσμένος*, idest [89], *καταγνώσεως ἄξιος* vi-

[84]) E qua amica consiliorum conspiratione interpretatio tota dependet.

[85]) Quod prae ceteris Augustinus epist. LXXXII. al. XIX. ostendit, iisque omnino argumentis quae ipsum quoque Hieronymum a pristina tandem sententia revocarint. Cuius rei idem testis est Augustinus epist. CLXXX. al. CCLX. ad Oceanum, n. 5. inquiens: „Sed quid hinc diutius? cum de hac quaestione inter nos, ego et praedictus venerabilis frater Hieronymus satis litteris egerimus; et in hoc opere recentissimo, quod sub nomine Critobuli adversus Pelagium modo edidit, *eamdem* de ista re gesta dictisque apostolicis *sententiam tenuit*, quam beatissimi Cypriani etiam nos secuti sumus.“

[86]) Galat. II. 11.

[87]) I. Regg. I. 23, Ps. L. 21. Cf. Raphelium in Observatt. Polyb. pag. 513, et Elsnerum Observatt. Sacr. T. II. pag. 179.

[88]) Significatione etymologica, quum *πρόςωπον* sit *πᾶν πρὸς τὸν ὦπα*, quod oculis et faciei admovetur, larva.

[89]) Alexander Morus in notis ad Galat. II. 11: *ὅτι κατεγνωσμένος ἦν*, scribit: „Reddo, *quia condemnatus erat*, quae propria est potestas huius vocis. Hesychius, *κατεγνωσμένος· κατακεκριμένος*, *condemnatus.* Notum illud Juliani, *ἔγνων*, *ἀνέγνων*, *κατέγνων*· et argute responsum, *ἀνέγνως*, *ἀλλ' οὐκ ἔγνως*, *εἰ γὰρ ἔγνως*, *οὐκ ἂν κατέγνως*. Quamquam vero vox haec simplicem increpationem interdum

deretur. Atqui in alia prorsus graeci abeunt, et illa de Petro exponunt, qui ab iis reprehenderetur, a quorum se convictu separaverat.

299. Haec autem, aliaque his similia quae animadverti facile [90] possent, quid tandem probant? istud profecto, neglectis obviis, pronis, expeditisque ad ea se graecos interpretes recepisse quae impedita forent, salebrosa, ac vix aliqua probabilitatis specie commendarentur. Neminem autem futurum arbitror, qui neget, tot tantisque viris citra maximas caussas id accidere non potuisse. Quas illi ita memorant, ut crebro etiam inculcent, ampliterque declarent. Quid igitur eos impulit, ut [91] Petri, Paulique dissidium non verum sed apparens et *οἰκονομικὸν* crederent? quid ut usurpatas a Paulo sententias [92] alieno prope sensu interpretarentur? Eos primum reverentia movit qua utrumque apostolum prosequebantur, quaque ferre non poterant, ut [93] columnae ecclesiae inter se collidi, ac in se invicem incurrere putarentur. „Fortasse, inquiebat [94] Chrysostomus, Paulum ob loquendi libertatem laudastis, quod personae dignitatem non reveritus, propter evangelii veritatem praesentes non erubuerit. At licet ea sit laus Pauli, *ἡμετέρα δὲ αἰσχύνη γίνεται*, in nostrum tamen dedecus cedit. *Τί γάρ, εἰ Παῦλος καλῶς ἐποίησεν; ἀλλ' ὁ Πέτρος κακῶς, εἴγε οὐκ ὠρθοπόδει. τί οὖν ἐμοὶ τὸ ὄφελος, ὅταν τῆς ξυνωρίδος θἀτερος ἵππος χωλεύῃ; οὐ γὰρ πρὸς Παῦλόν μοι νῦν ὁ λόγος, ἀλλὰ πρὸς τοὺς ἔξωθεν.* Quid enim, si Paulus praeclare egerit? at male se gessit Petrus, siquidem non recte ambulabat.

significat, heic tamen cum bona omnium venia reddere liceat, *condemnatus erat*. Sed a quo? ab hierosolymitana synodo, Act. XV., et a seipso. Quam enim sententiam in ea synodo ipse dixerat, ei nunc ipso facto repugnabat. Praecessisse autem illam synodum hanc apostolorum principum concertationem, non mea modo, sed praestantissimorum theologorum opinio est. At omisisse prorsus Paulum id quod erat praecipuum in causa sua, et nullatenus attigisse decretum illius synodi quod adeo diserte Petro adversabatur, cui tandem fiet verisimile? *Κατεγνωσμένος* positum volunt pro *καταγνωστός*, quod admitti non posse reor in his libris absque catachresi dura et rariori."

Sed neque *philologica*, neque *realia* argumenta, quibus suam Morus sententiam tuetur, alicuius ponderis videri debent. Non illud inprimis quod e nativa *τοῦ καταγινώσκομαι* potestate repetit; quum eiusmodi verbum pro *reprehendor* saepissime adhibeatur, et alexandrini, Deut. XXV. 1, ac Symmachus, Job. XLII. 3, eo utantur in reprehendendi notione pro hebraico הִרְשִׁיעַ. Non alterum e nominali participii significatione desumptum, ac si eiusmodi usus et durior esset et rarior; canon namque est loquendi a Glassio lib. III. tract. IV. can. II. his verbis propositus: „Participia crebro pro nominibus usurpantur, seu in nomina degenerant." Non denique tertium, quum manifestum sit, decretum hierosolymitanum ad praesentis casus speciem traduci non posse.

[90]) Quaeque post Augustinum Thomas, Estius, aliique animadverterunt.

[91]) nn. 295. seqq.

[92]) n. 298.

[93]) Ita Chrysostomus loquitur in memorata saepius homilia, n. 9.

[94]) Ibid.

Quae ergo mihi utilitas, quando alter ex biga equus claudicat? neque enim mihi cum Paulo res est, sed cum profanis." Et infra, eorum interpretatione [95] relata, qui Petrum a Paulo *καλῶς* reprehensum docebant, quod ille *πέρα τοῦ μέτρου τῇ συγκαταβάσει ἐχρήσατο* ultra modum indulgentia uteretur, subdit: *„Ἀλλὰ τοῦτο οὐκ ἔστι λύσις, ἀλλ' ἐπίτασις τοῦ ζητήματος.* At enim hoc non iam solutio est, sed amplificatio quaestionis. Quod enim in exordio dixi orationis, non id nobis propositum est ut ostendamus recte reprehendisse Paulum; sic enim adhuc reliqua erit quaestio. Petrus enim obnoxius criminationi videbitur; sed id potissimum quaerimus, quo pacto et hunc et illum reprehensione liberemus." Quod quum perfecit, quasi obligatam fidem praestitisset, concludendo [96] scribit: *„Οὕτως ἡμῖν ἑκάτερος τῶν ἀποστόλων ἐγκλημάτων μὲν ἀπήλλακται, μυρίων δέ ἐστιν ἐγκωμίων ἄξιος, πρὸς τὴν τῶν λοιπῶν σωτηρίαν ἅπαντα καὶ ἀκούειν καὶ λέγειν σπουδάζων.* Ita nos utrumque apostolorum crimine liberavimus, utrique vero laudes debentur innumerae, quod ad aliorum salutem omnia audire studuerint simul ac dicere."

300. Movit deinde illos eximia Petri dignitas, quam vera ac ex animo profecta reprehensione non minimum laedi existimabant. Quare Chrysostomus descriptis testimoniis [97], quibus modestissimus Pauli animus ad vivum depingitur, pergit [98]: „Vides ut se omnium sanctorum minimum statuat, non apostolorum tantum? *ὁ δὲ οὕτω περὶ πάντας διακείμενος, ᾔδει καὶ πόσης τὸν Πέτρον προεδρίας ἀπολαύειν ἔχρην, καὶ ᾐδεῖτο μάλιστα πάντων ἀνθρώπων τοῦτον, καὶ ὡς ἄξιος ἦν, οὕτω περὶ αὐτὸν διέκειτο.* Porro qui sic erga omnes affectus erat, sciebat et quanta honoris praerogativa Petro deberetur, eumque prae ceteris omnibus colebat hominibus, ac ut dignus erat, erga illum afficiebatur." Quod ut confirmet, argumentum ducit e Pauli itinere, quo licet innumeris distentus curis, ecclesiarumque sollicitudine fatigatus Hierosolymam venit, ut Petrum inviseret et cum eo quindecim solidis diebus permaneret. Hoc autem epiphonemate [99] concludit: *οὕτως αὐτὸν ἐτίμα, καὶ πρὸ πάντων ἦγε, sic ipsum honorabat, ac omnibus praeferebat.*

Accessit suspicio, ne qui forte e verbis Pauli sinistre acceptis occasionem arriperent de invicta Petri fide dubitandi. Quapropter Chrysostomus Paulum de Petro narrantem, quod semet a convictu gentium seiungeret, *φοβούμενος τοὺς ἐκ περιτομῆς, timens eos qui ex circumcisione erant*, his omnino verbis [100] alloquitur: *„Τί λέγεις; δειλὸς ὁ Πέτρος καὶ ἄνανδρος; οὐ διὰ τοῦτο Πέτρος*

[95]) Ibid. n. 16.

[96]) Ibid. n. 20. Alia via, eaque expeditiore utrumque apostolum a quavis vel tenuissima labe immunem demonstrare studuerunt Baronius ad an. LI. §. XXXII. seqq., et Johannes Gisbert in priore dissertatione theologica inscripta, *Petrus Paulo concors, seu discordia inter Petrum et Paulum, salvo utriusque iure et honore, composita.*

[97]) I. Cor. XV. 9. coll. Ephes. III. 8.

[98]) Homil. citat. n. 8.

[99]) Ibid. n. 8.

[100]) Ibid. n. 4.

ἐκλήθη, ἐπειδὴ ἄσειστος ἦν κατὰ τὴν πίστιν; τί ποιεῖς, ἄνθρωπε; αἰδέσθητι τὴν προσηγορίαν τοῦ δεσπότου, ἣν ἔθηκε τῷ μαθητῇ. δειλὸς ὁ Πέτρος καὶ ἄνανδρος; καὶ τίς σου ταῦτα ἀνέξεται λέγοντος; Quid ais? timidus Petrus et parum strenuus? an non idcirco *Petrus* est appellatus, quod immobilem haberet fidem? quid agis, mi homo? reverere nomen quod discipulo imposuit Dominus. Timidus Petrus et parum strenuus? et quis hoc ab ullo sinat affirmari?"

301. Denique ne singula [101] persequar, id eos commovit, de quo testis est locuples [102] Hieronymus, inquiens: „Hanc autem explanationem, quam primus [103] Origenes in decimo Stromatum libro, ubi epistolam Pauli ad Galatas interpretatur, et ceteri deinceps interpretes sunt sequuti, illa vel maxime causa subintroducunt, ut Porphyrio respondeant blasphemanti, qui Pauli arguit procacitatem, quod *principem apostolorum* Petrum ausus est reprehendere, et arguere in faciem, ac ratione constringere, quod male fecerit, idest, in eo errore fuerit, in quo fuit ipse qui alium arguit delinquentem."

Verum unde Porphyrio venire in mentem potuit, ut de Petro apostolorum principe, deque Pauli procacitate, qua contumeliosus in illum fuerit, cogitaret? inde profecto, quod pervulgatissima esset Petri celebritas, compertaque illius inter apostolos praestantia. Quo factum etiam est ut Phlegon Adriani [104] libertus illum cum Christo, maximo sane errore, neque aliunde tamen oborto, praepostere commutarit. De quo errore sic habet [105] Origenes: „Verumtamen Phlegon in decimo-tertio, aut, ni fallor, in decimo-quarto Chronicorum, καὶ τὴν περί τινων μελλόντων πρόγνωσιν ἔδωκε τῷ Χριστῷ, συγχυθεὶς ἐν τοῖς περὶ Πέτρου ὡς περὶ τοῦ Ἰησοῦ, rerum quarumdam futurarum praescientiam Christo tribuit, quamvis erret in nomine, Petrum pro Jesu appellans."

302. Age iam, rationemque interpretandi a Clemente alexandrino ad Chrysostomum usque in graeca ecclesia unice obtinentem cum ea componito, quam a saeculo sexto-decimo praehabendam, defendendamque protestantes existimarunt. Cuiusmodi tibi utraque videtur? consona ne an dissona? similis an diversa? ad eamdem an ad dissimilem potius contrariamque normam exacta? neque anceps potest esse iudicium, neque difficilis et impedita responsio. Etenim I. nullus est graecorum patrum, qui e primo alteroque epistolae ad Galatas capite singularem Petri auctoritatem non colligat ac demonstret. Atqui nemo est protestantium qui ex eodem fonte ea se haurire posse diffidat, quibus Petri primatum quatiat, funditusque convellat. Ad haec II. graeci patres singula quaeque diligenter venantur, quae efferendis Petri laudibus conducerent. Atqui protestantes haec omnia silentio ita premunt, ut ne advertisse quidem videantur.

[101]) Quae magno numero Patres collegerunt.

[102]) Epist. inter Augustin. LXXV. n. 6.

[103]) Praeivisse Clementem alexandrinum suo loco (n. 297.) monuimus.

[104]) De Phlegontis Chronico quod sedecim constabat libris, et in quartum Antonini Pii annum desinebat, non pauca habent Photius Cod. XCVII., Suidas in *Φλέγων*, Vossius de Historic. Graecis lib. II. cap. XI. et Salmasius in Spartianum.

[105]) Con. Celsum, lib. II. n. 14.

Praeterea III. si quae in Pauli narratione occurrerent, quae prima saltem fronte ab eximia Petri dignitate dissidere viderentur, ea et amoliri sollicite, et maiori qua possent industria complanare graeci patres contenderunt. Atqui protestantes hoc sibi maxime cordi esse significarunt, ut quam plurima corraderent, quibus Petri ὑπεροχὴ in discrimen vocaretur. Tandem IV. graeci patres longe satius censuerunt obvias pronasque verborum significationes nonnihil inflectere, et a commentario qui primus mentem occuparet, tantisper discedere, quam vel apostolos secumipsis committere, vel Petrum apostolorum caput non eo quo par erat obsequio habitum confiteri. Atqui protestantes omnia in immensum augent, in deteriorem partem rapiunt, eoque praeclarius suo se interpretum munere functos autumant, quo in Petrum acerbius invehuntur.

303. Quid iamvero hac sententiarum oppositione manifestius? aut quid hisce studiis dissimilius? sed frugibus sua sunt semina, suaque effectis principia, nec erumpere illa ac prodire possunt, quin haec antecesserint. Caussae ergo antecesserunt dissimiles et contrariae, e quibus tanta doctrinarum oppositio, tantaque interpretationum diversitas oborta est. Quaenam vero illae? *amor* et *odium*, *πίστις* et *ἀπιστία*. Credebant graeci patres Petri primatum, eoque in illum amore ferebantur, qui divinis institutionibus debetur. Negabant et negant Petri primatum protestantes, eoque in illum odio et ferebantur olim et modo feruntur, quo tyrannidem, invisamque supremi iuris usurpationem et verbis proscindere et exsecrari animo solemus.

In hoc autem dissidio quam partem praeferemus, cui dabimus nomen? et quae hucusque disputavimus, et examen quod de Pauli doctrina nominatim habuimus, ipsaque christiana pietas summo a nobis iure postulant, ut factione protestantium deserta, choro nos graecorum patrum coniungamus. Praesertim quum ab illorum mente sententiaque ne transverso quidem digito *latini* discesserint. Quorum antiquissimus Tertullianus non simillimam modo interpretationem adhibuit, sed Petri auctoritatem luculentius adstruxit, ac ulterius quam decebat progressus, sic illum defendit, ut ab accusando Paulo non penitus abstinuerit.

304. Et ad interpretationem quod attinet, sunt ista [106] praeclara: „Ceterum si reprehensus est Petrus, quod cum convixisset ethnicis, postea se a convictu eorum separabat personarum respectu: utique *conversationis* [107] *fuit*

[106]) De Praescriptt. cap. XXIV.

[107]) Quo id unum effici potest, ne ipsos quidem apostolos a quavis vel minima labecula penitus fuisse exemptos. Unde Thomas in commentario: „Dicendum quod post gratiam Spiritus-sancti nullo modo peccarunt *mortaliter* apostoli, et hoc donum habuerunt per potentiam divinam quae eos confirmaverat. .... Peccaverunt autem *venialiter*, et hoc fuit eis ex fragilitate humana, I. Joh. 1: *si dixerimus*, *quia peccatum non habemus*, scilicet veniale, *ipsi nos seducimus*. Ex praedictis ergo habemus exemplum: praelati quidem humilitatis, ut non dedignentur a minoribus et subditis corrigi: subditi vero exemplum zeli et libertatis, ut non vereantur praelatos corrigere, praesertim si crimen est publicum, et in periculum multitudinis vergat.“

vitium, *non praedicationis*. Non enim ex hoc alius Deus quam Creator, et alius Christus quam ex Maria, et alia spes quam resurrectio annuntiabatur. Non mihi tam bene est, immo non mihi tam male, *ut apostolos committam*. Sed quoniam perversissimi isti illam reprehensionem ad hoc obtendunt, ut suspectam faciant doctrinam superiorem, *respondebo quasi pro Petro:* ipsum Paulum dixisse, factum se esse omnibus omnia, iudaeis iudaeum, non iudaeis non iudaeum, ut omnes lucrifaceret. Adeo pro temporibus et personis et causis quaedam reprehendebant, in quae et ipsi aeque pro temporibus et personis et causis committebant: quemadmodum si et Petrus reprehenderet Paulum, quod prohibens circumcisionem, circumciderit ipse Timotheum. Viderint qui de apostolis iudicant. Bene quod Petrus Paulo et in martyrio [108] adaequatur." Quae et alibi [109] repetens, ait: „Sed enim Marcion nactus epistolam Pauli ad Galatas etiam ipsos apostolos sugillantis, ut non recto pede incedentes ad veritatem evangelii, simul et accusantis pseudo-apostolos quosdam pervertentes evangelium Christi, connititur ad destruendum statum eorum evangeliorum quae propria, et sub apostolorum nomine eduntur, vel etiam apostolicorum; ut scilicet fidem quam illis adimit, suo conferat. Porro etsi reprehensus est Petrus et Joannes et Jacobus, qui existimabantur columnae, *manifesta causa est. Personarum enim respectu videbantur variare convictum.* Et tamen cum ipse Paulus omnibus omnia fieret, ut omnes lucraretur, *potuit et Petro hoc in consilio fuisse, aliquid aliter agendi quam docebat.*" Et [110] denuo: „Sed reprehendit Petrum non recto pede incedentem ad evangelii veritatem. Plane reprehendit, *non ob aliud tamen quam ob inconstantiam victus*, quem pro personarum qualitate variabat, timens eos qui erant ex circumcisione; non ob aliquam divinitatis perversitatem, de qua et aliis in faciem restitisset, qui de minore causa conversationis ambiguae *Petro ipsi* [111] non pepercit." Sed nonne sunt haec iis gemina quae e graecis patribus adduximus? nonne illis adamussim concinunt, eamdemque formam praeseferunt?

305. Quid autem de Petri dignitate Tertullianus senserit, quamque de ea magnifice existimarit tum sane aperuit quum scripsit [112]: „Latuit aliquid Petrum

[108]) Scite et ad mentem omnino Tertulliani monet Priorius in notis: „Ne putes haec *directe* proferri ab erudito viro; id enim quasi *per concessionem* dicere videtur, quod solus evincit contextus, quasi diceret: concedatur, quod tamen concedendum non est, Petrum et Paulum pares non fuisse, sive dispari extitisse sententia. Tamen aequales omnino fuisse fatendum in martyrio, quod pro Christo passi sunt."

[109]) Con. Marcion. lib. IV. cap. III.

[110]) Ibid. lib. V. cap. III.

[111]) Cuius formulae manifesta est emphasis, qua singularis Petri dignitas significatur.

[112]) De Praescriptt. cap. XXII. Quum vero ἀμέσως subdat: „Latuit et Joannem aliquid, dilectissimum Domino, pectori eius incubantem, cui soli Dominus Judam traditorem praemonstravit, quem loco suo filium Mariae demandavit?" apparet, tam *proprium* Petri fuisse, ut *ecclesiae fundamentum*, *supremusque claviger*, quam *proprium* Johannis fuit, ut dilectus κατ'

aedificandae ecclesiae petram dictum, claves regni caelorum consecutum, et solvendi et alligandi in caelis et in terris potestatem?" Neque minus luculenter aperuit, quum de caussa loquens suscepti a Paulo itineris ut Petrum inviseret, illam ex officio repetiit quo ad unam eamdemque cum Petro fidem praedicandam ipsemet Paulus obligabatur. Ait[113] enim: „Dehinc, sicut ipse enarrat, ascendit in Hierosolyma cognoscendi Petri causa, ex officio et iure scilicet eiusdem fidei et praedicationis." Viden qua confidentia, quave animi securitate necessitatem cum Petro consentiendi inculcat et effert?

306. His tamen non se continuit, sed ea adiecit quae licet abnormia, dignaque plane quae repudientur, ostendunt nihilominus quantopere aetas martyrum ab aetate protestantium dissenserit, et quam altas ab exordiis usque christiani nominis fides de primatu Petri radices egerit. Sic enim[114] marcionitarum impetus repellit: „Nam et ipsum Petrum[115], ceterosque, columnas apostolatus, a Paulo reprehensos opponunt, quod non recto pede incederent ad evangelii veritatem; ab illo certe Paulo, qui adhuc in gratia rudis, trepidans denique ne in vacuum cucurrisset aut curreret, tunc primum cum antecessoribus apostolis conferebat. Igitur si ferventer, ut adhuc neophytus, adversus iudaismum aliquid in conversatione reprehendendum existimavit, passivum scilicet convictum, postmodum et ipse usu omnibus omnia futurus ut omnes lucraretur, iudaeis quasi iudaeus, et eis qui sub lege, tamquam sub lege: tu illam solius conversationis, placiturae postea accusatori suo, reprehensionem, suspectam vis haberi etiam de praedicationis erga Deum praevaricatione. Atquin de praedicationis unitate, quod supra legimus, dexteras iunxerant, et ipsa officii distributione, de evangelii societate condixerant: sicut et alibi[116], *sive ego*, inquit, *sive illi sic praedicamus*." Non probo quae de Paulo adhuc rudi, et nescio quo neophyti fervore percito comminiscitur: improbo quae de Paulo παλινῳδίαν canente affirmat; sed probo, vehementerque studium commendo quo unitatem evangelicae praedicationis tuetur, Petrique auctoritatem integram inviolatamque custodit.

307. Nollem vero reperirentur qui et ipsi crederent, et aliis dicendo persuaderent, longe visum esse aliter consequutis latinae ecclesiae doctoribus, ac inprimis Augustino[117], qui Pauli factum, universamque agendi rationem ita probaverit, ut *veram Petri reprehensionem*, *ipsum autem Petrum devium*,

ἐξοχὴν discipulus haberetur. Quod mirum quantopere a protestantium opinionibus abhorreat, qui nihil deferunt Petro quod aliis commune fuisse non contendant.

[113]) Ibid. cap. XXIII.

[114]) Con. Marcion. lib. I. cap. XX.

[115]) Qua distinctione ostendit, ita apostolos reliquos fuisse columnas, ut haec ipsa proprietas eximio quodam modo uni Petro conveniret.

[116]) I. Cor. XV. 11; ubi in multis Vulgatae codicibus, ac aliquot item editionibus est, *praedicavimus*. Sed cum Tertulliano consentiunt Ambrosiaster, Augustinus, emendatiores latini mss. codices, itemque graeci, qui habent κηρύσσομεν.

[117]) Comm. in epist. ad Galatas, et in litteris quas ad Hieronymum dedit.

eaque dignum censuerit. Nihil enim Augustinus docuit quod ab antiquioribus patribus non acceperit: et nihil omnino scripsit quod a suprema Petri dignitate alienum merito videretur.

Pressus namque Hieronymi verbis [118] instanter flagitantis, ut si quos suae interpretationis testes auctoresque haberet, in lucem promeret, nominatimque compellaret; ad extremum quidem ita [119] respondit: „Ipse mihi pro his omnibus (quos Hieronymus citaverat), immo supra hos omnes apostolus Paulus occurrit. Ad ipsum confugio: ad ipsum ab omnibus, qui aliud sentiunt, litterarum eius tractatoribus provoco: ipsum interrogans interpello et requiro in eo, quod scripsit [120] ad Galatas, vidisse se Petrum non recte ingredientem ad veritatem evangelii, eique in faciem propterea restitisse, quod illa simulatione gentes iudaizare cogebat, utrum verum scripserit, an forte nescio qua dispensativa [121] falsitate mentitus sit. Et audio eum paulo superius in eiusdem narrationis exordio religiosa voce mihi clamantem, *quae autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior.* Dent veniam quilibet aliud opinantes: ego magis credo tanto apostolo in suis et pro suis litteris iuranti quam cuiquam doctissimo de alienis litteris disputanti.“ Praemiserat [122] tamen: „Porro si quaeras vel recolas quid hinc senserit noster [123] Ambrosius, quid noster itidem Cyprianus, in-

[118]) Epist. LXXXII. al. XIX. n. 23: „Flagitas a me, ut aliquem saltem unum ostendam, cuius in hac re sententiam sim sequutus, cum tu tam plures nominatim commemoraveris, qui te in eo quod adstruis, praecesserunt; petens ut in eo si te reprehendo errantem, patiar te errare cum talibus; quorum ego fateor neminem legi.“

[119]) Ibid. n. 24.

[120]) Galat. II. 14.

[121]) Ex Augustini et Hieronymi litteris mutuo redditis, iterum atque iterum a nobis lectis, cognitis et accurate perspectis, inquit Baronius ad an. LI. §§. XXXVII—XXXVIII, nunquam satis exploratam habuisse Hieronymi sententiam nobis visus est Augustinus; quippe qui in eo semper versetur, Apostolum non esse mentitum, sed eadem epistola quae vera essent scripsisse ad Galatas. At Hieronymus non haec dicebat, Paulum esse mentitum, et ad Galatas scripsisse mendacia: quod tum contigisset, si quae minime facta essent, ea perinde ac facta scripsisset, vel aliter quam gesta fuissent: quorum neutrum Hieronymus impingit Apostolo: sed ipsum, quae vere facta, et ut facta essent, scripsisse, nullatenus dubitavit. At longe aliud est, a Paulo vera esse narrata; aliud ea quae sunt vere narrata, per simulationem ex composito facta; quod Hieronymus ac citati omnes auctores affirmabant. ... Non igitur inter se pugnant, ut simul vera esse non possint, Paulum vera scripsisse, eorum scilicet quae facta essent, puram sinceramque historiam enarrasse; et ea ipsa quae scripsit atque recensuit, non serio sed simulate esse peracta. Illud affirmabat Augustinus, hoc contendebat Hieronymus: sed quamdiu alterius sensum alter minus est assecutus, tamdiu mutuis altercati sunt litteris.

[122]) Epist. LXXXII. n. 24.

[123]) Ambrosius, notant maurini editores, vel quisquis est auctor commentariorum in epist. ad Galatas, de quo Scipio

venies fortasse nec nobis defuisse quos in eo quod asserimus, sequeremur.“ Vestigiis ergo Cypriani Augustinus institit, eaque repetiit ornavitque quae Ambrosius supremis lineis adumbraverat.

308. Sed quid uterque statuit, quid affirmavit Cyprianus, quid tradidit Ambrosius? mentem sententiamque Cypriani ex iis novimus, quae in acerrima de haereticorum baptismate contentione his plane verbis [124] ad Quintum fratrem scripsit: „Quia nihil potest esse commune mendacio et veritati, tenebris et luci, morti et immortalitati, antichristo et Christo; per omnia debemus ecclesiae catholicae unitatem tenere, nec in aliquo fidei et veritatis hostibus cedere. Non est autem de consuetudine [125] praescribendum, sed ratione vincendum. Nam nec Petrus quem primum [126] Dominus elegit, et super quem aedificavit ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid [127] insolenter, aut arroganter assumsit; ut diceret se primatum [128] tenere; et obtemperari a novellis et posteris [129] sibi potius oportere.

Maffeius in Historia Theologica, *De Gratia*, ea habet quae utiliter conferantur.

[124]) Epist. LXXI.

[125]) Quid si consuetudo sit legitima, a sincero fonte dimanans, quaeque apostolicae traditioni aequipolleat? ne tum quidem erit de consuetudine praescribendum? nemo hoc dixerit, et omnium minime Cyprianus, qui Tertullianum magistrum verebatur. Atqui consuetudo, qua pugnabat Stephanus, erat apostolica, ipsosque apostolos auctores habebat. Unde, testibus Hieronymo adversus Luciferianos, Augustino con. Cresconium, et Vincentio in Commonitorio, tandem vicit, et Cypriani *ratio* profligata iacuit. Sed beatus martyr aestu disputationis nonnihil abreptus, laxius et καταχρηστικῶς loquutus est.

[126]) Matth. X. 2; ad quem locum ita Grotius: „Princeps haud dubie collegii a Christo designatus ad retinendam corporis compagem.“ Praeiverat Optatus lib. VII. scribens: „Stant tot innocentes, et peccator accipit claves, ut *unitatis negotium* formaretur; provisum est ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores, et quae necessaria est unitas, esse non posset.“

[127]) Id enim erat quemadmodum ceteris apostolis, ita et Petro lege Christi interdictum.

[128]) Similia notat Facundus hermianensis libro IX. et X. pro defensione trium Capitulorum.

[129]) Rigaltius in notis subdit: „Primatui opponit novellitatem et posteritatem; Petro apostolorum primo, Paulum novellum et postremum. Nam se ipse dicit, ἐλάχιστον et ἔκτρωμα.“ Quid propterea? hoc nimirum, pergit ille, *non imperium*, *non dominatum*, *non potentatum*, *sed primum locum* Petro adscribi. Quae Fellus repetens, inquit: „*Πρῶτος ὁ Πέτρος,* non autem *πρωτεύων*, prioritatem, aut si libet primatum, at non principatum habuit.“

Verum sepositis verborum litigiis, candide respondeatur quaestioni: *an Petrus propter primatum potiori quodam regendi, praecipiendique iure emineret.* Si conceditur, nihil manifestius quam illius primatum ad excellentiorem auctoritatem pertinere, neque intra inanes *primi loci* fines adstringi posse. Sin autem negatur, explicari debet, quo auctoritas recidat, quam Cyprianus Petro facit, quaque Petrus suo iure obedientiam a Paulo postularet.

Nec despexit Paulum quod ecclesiae prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, et rationi legitimae quam Paulus vindicabat, facile consensit; documentum scilicet nobis et concordiae et patientiae tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quae aliquando a fratribus et collegis nostris utiliter et salubriter suggeruntur, si sint vera et legitima, ipsa [130] potius nostra ducamus."

309. In quibus duo sunt omnino secernenda, ne dum innoxia recipimus, ea item quae noxia, falsaque sunt amplecti videamur. Igitur quod Cyprianus scribit, suam cum Stephano in controversia de baptismate contentionem esse illi simillimam, quae Paulum cum Petro commisit, verum est si γενικῶς, falsum si εἰδικῶς intelligatur. Verum est γενικῶς, quia contentio utrinque fuit, ac inferior et obnoxius maiori praepositoque obnitendum esse utrinque existimavit. Sed falsum est [131] εἰδικῶς, quia quum nihil doceret Stephanus quod ad evangelii regulam non esset perfectissime exactum; Cyprianus contra bona quidem mente, pioque consilio, miserrime tamen et agendo et docendo a veritate christiana ambiguo *consuetudinis* vocabulo dissimulata, non minimum abscessit.

Alterum sequitur quod idem addit, quodque nos ultro concedimus, asserendaeque caussae quam tuemur, opportunissimum arbitramur. Ecquid enim addit? principio effert Petri dignitatem, illum primum, idest, apostolorum principem a Christo constitutum docet, primatum cui ab ipso Paulo obedientia deberetur, illi tribuit, originemque tantae auctoritatis inde ducit quod Christus ecclesiam suam super illum aedificaverit, vel, ut in epistola synodica [132] ad Numidiae episcopos loquitur, quod Christus unicam a se conditam ecclesiam *super Petrum origine unitatis et ratione fundaverit.* Encomiis deinde prosequitur tam Pauli libertatem, quam Petri modestiam, animumque ad humilitatem compositum, utpote qui non illi silentium indixerit, sed meliora suadenti obsecundarit. Verum quid hisce aut cum nostra de Petri primatu doctrina consonum magis, aut ab haeresi protestantium de omnimoda apostolorum aequalitate disiunctius? quid quod vehementius protestantibus adversetur, quam inde Cypriano commendandi Petri primatum occasionem fuisse, unde ipsi arma sibi suppetere quibus illum oppugnent, confidentissime gloriantur?

310. Neque vero aliud de Ambrosio ferri iudicium debet, qui alter ex iis est quos Augustinus praeeuntes habuit ac veluti duces sectatus est. Non iterabo quae superius [133] ex eo retuli, et quibus catholicam caussam vindicavi: sed id addam quod vel solum sufficere debet, ut Ambrosium sibi protestantes hostilem infensumque confiteantur. Sane inciso [134], *quia reprehensus erat,* hunc adnectit commentarium: „Reprehensibilis utique ab evangelica veritate, cui hoc factum adversabatur. Nam quis eorum auderet *Petro primo apostolo, cui*

[130]) Sunt qui legant, *ipsa potius amplectamur.*

[131]) Cf. Christianum Lupum in Scholiis ad cap. XXIII. de Praescriptionibus.

[132]) Epist. LXX.

[133]) n. 278.

[134]) Galat. II. 11.

claves regni caelorum Dominus dedit, resistere; nisi alius talis, qui fiducia electionis suae sciens se non [135] imparem, constanter improbaret quod ille sine consilio fecerat?" Et post verba [136], *dixi Petro coram omnibus*, subdit: „Ideo in solum Petrum invehitur, ut in eo qui *primus* est, discerent ceteri." Adiuncta igitur narrationis argumentum Ambrosio praebent, quo Petri primatum extollat: eum videlicet primatum, cuius fides, ipsomet testante [137], pervulgata sic erat, ut *propterea subversi sint galatae a iudaeis quod dicerent, quia aliud tradebat Petrus quam Paulus: quo etiam factum est, ut admonitus revelatione Domini ascenderet Hierosolymam cum testibus praedicationis suae, idest, Barnaba et Tito, uno ex iudaeo, altero ex gentili, ut si qui de eo haberent scandalum, horum testimonio tolleretur, adaperiens illis sensum praedicationis suae.*

311. Ex his autem pronum est colligere quid Augustinus crediderit, quamque de primatu Petri sententiam foverit. Credidit quod Cyprianus, Ambrosiusque docuerant, et quemadmodum hi *vere* a Paulo Petrum reprehensum ita tradiderant, ut simul singularem eius modestiam, nobilissimamque primatus dignitatem summis laudibus celebrarent; sic ille [138] et veritatem reprehensionis defendit, et nihil omisit eorum quae ad efferenda Petri ornamenta conducerent.

Ac huiusmodi profecto sunt quae ad Hieronymum [139] respondens, scribit: „Ipse vero Petrus, quod a Paulo fiebat utiliter libertate caritatis, sanctae ac benignae pietate humilitatis accepit: atque ita rarius et sanctius exemplum posteris praebuit, quo non dedignarentur, sicubi forte recti tramitem reliquissent, etiam *a posterioribus* corrigi; quam Paulus, quo confidenter auderent etiam *minores maioribus* pro defendenda evangelica veritate salva fraterna caritate, resistere. Nam cum satius sit, a tenendo itinere in nullo quam in aliquo declinare; multo est tamen mirabilius et laudabilius libenter accipere corrigentem, quam audacter corrigere deviantem. Est laus itaque iustae libertatis in Paulo, et sanctae humilitatis in Petro: quae, quantum mihi pro modulo meo videtur, magis fuerat adversus calumniantem Porphyrium defendenda, quam ut ei daretur obtrectandi maior occasio; qua multo mordacius criminaretur christianos fallaciter vel suas litteras scribere, vel Dei sui sacramenta portare."

Neque haec minus luculenta, quibus adducto Cypriani ex epistola ad Quintum testimonio [140], pergit: „Commemorat Cyprianus quod etiam nos in scripturis sanctis didicimus, apostolum Petrum, *in quo primatus apostolorum tam excellenti gratia praeeminet*, aliter quam veritas postulabat de circumcisione

[135]) *Se non imparem* immediata divina electione, et ad apostolatum vocatione. Auctoritate enim ac iure Paulum fuisse Petro imparem, non semel Ambrosiaster inculcat.

[136]) Galat. II. 14.

[137]) Comm. ad Galat. II. 1.

[138]) In commentario et in epistolis.

[139]) Epist. LXXXII. n. 22.

[140]) De Baptismo con. Donatist. lib. II. cap. I.

agere solitum, a *posteriore* apostolo Paulo esse correctum. Si ergo potuit Petrus non recte in aliquo [141] ingredi ad veritatem evangelii, ita ut gentes cogeret iudaizare: si potuit Petrus contra veritatis regulam [142] quam postea ecclesia tenuit, cogere gentes iudaizare; cur non potuit Cyprianus contra regulam veritatis, quam postea tota ecclesia tenuit, cogere haereticos vel schismaticos denuo baptizari?" Unde in septimo eiusdem operis libro *de baptismo contra Donatistas*, his omnino verbis concludit: „Sicut ergo nazaraei, Petro *in primatu apostolorum* martyrii gloria coronato, in sua perversitate praecisi ab ecclesia remanserunt; ita donatistae, Cypriano per abundantiam caritatis in sortem sanctorum passionis caritate suscepto, seipsos agnoscunt exules veritatis."

312. Porro si quae a graecis latinisque patribus hucusque retulimus, ea qua par est ratione intelligantur; de pugna, deque multiplici oppositione eos inter reformataeque religionis assertores nulla oriri poterit dubitatio. Quamquam enim non una illis eademque sententia fuerit, sed in *tres* omnino *opiniones* discesserint, aliis negantibus reprehensum a Paulo Cepham ipsum fuisse apostolorum principem Petrum, aliis id quidem aientibus, sed universam narrationem ad prudentem quamdam *οἰκονομίαν*, piamque utriusque apostoli *συγκατάβασιν* revocantibus, ac aliis demum ita narrationem defendentibus, ut oeconomia reiecta, reprehensionis veritatem asserendam esse censuerint; nihilominus commune omnibus fuit, ut I. quo possent evidentius, cum Petri reprehensione, principem illius dignitatem componerent: ut II. multo extollerent magis impensiusque mirarentur Petri modestiam quam Pauli libertatem: ac III. ut singula narrationis adiuncta ad commendandum Petri primatum spectantia diligentissime persequerentur. Atqui protestantibus nihil magis cordi fuisse videtur, quam ut I. reprehensione Petri, quodam veluti acutissimo gladio ad potiorem eiusdem auctoritatem infringendam abuterentur: quam ut II. eo Petri auctoritatem profundius deprimerent quo Pauli libertatem magnificentius celebrarent: quam ut III. apices etiam litterulasque venarentur, quas auctoritati Petri obesse posse existimarent, taciti contra ea omnia praeterirent quae ad illam stabiliendam accommodata reperirentur.

313. Quae tanta, tamque perspicua oppositio sententiarumque diversitas et nobis et prudenti cuiquam argumentum esse debet concludendi: I. ab ea fide de primatu Petri descivisse protestantes, quae primis quatuor saeculis in universa ecclesia dominabatur: II. conflictum interpretationum e diversitate fidei quam patres profitebantur, quamque protestantes delegerunt, repeti oportere: III. horum commentarios et ductas ex iis opiniones probari non posse, quin fides et sapientia totius christianae antiquitatis repudietur: tandem IV. merito praesumi ne

[141]) Hoc est quod ad Galat. II. 14. Paulus dicit, *οὐκ ὀρθοποδεῖν*, idest, *ὀρθῶς περιπατεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου.*

[142]) Sunt haec paullo duriora, atque ideo a Baronio, Lupo, aliisque reprehensa, quae tamen nihil impedit, quominus in mitiorem partem accipiantur.

apicem quidem eorum Pauli narratione comprehendi quae protestantes iactitant, quaeque nemo patrum vidit, ac iis contraria esse demonstravimus [143] quae Paulus certissime scripsit.

314. Et re sane vera Pauli narratio ad quatuor commode capita redigitur, ad *caussam* quam proponit, ad eiusdem *declarationem confirmationemque*, ad *consilium quod iniit*, et ad *modum quo illud exequutus est*. Et caussae quidem *τὸ κρινόμενον* his verbis [144] exponit: *Ὅτε δὲ ἦλθε Πέτρος εἰς Ἀντιόχειαν, κατὰ πρόςωπον αὐτῷ ἀντέστην, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν.* Sed quae Paulo ratio fuit, propter quam Petrum *κατεγνωσμένον* [145], idest, *καταγνώσεως ἄξιον* diceret? an quod ille falsa et ab evangelii veritate dissona doceret? ne id suspicemur, facit Actuum historia quae Petrum exhibet ut qui omnium primus libertatem gentium declaraverit, defenderit, constituerit. Facit apostolatus *χάρισμα*, quo qui insignes essent, iidem ab errore immunes in praedicando evangelio reddebantur. Facit contextus in quo de doctrina ne levissimum quidem vestigium apparet. Faciunt diserta verba, quibus Petri defectum ad *πολιτείαν*, institutumque vivendi spectasse ostenditur; unde Paulus [146] eum dicit *ὑπόκρισιν*, simulationem qua quis se alium externa specie praebet quam vere est.

315. Quare ad declarandam confirmandamque caussam progrediens apostolus, inquit [147]: *Πρὸ τοῦ γὰρ ἐλθεῖν τινας ἀπὸ Ἰακώβου, μετὰ τῶν ἐθνῶν συνήσθιεν· ὅτε δὲ ἦλθον, ὑπέστελλε καὶ ἀφώριζεν ἑαυτόν, φοβούμενος τοὺς ἐκ περιτομῆς· καὶ συνυπεκρίθησαν αὐτῷ καὶ οἱ λοιποὶ Ἰουδαῖοι, ὥςτε καὶ Βαρνάβας συναπήχθη αὐτῶν τῇ ὑποκρίσει.* Idcirco (sic enim nectendas esse orationis partes, particula *γὰρ* ostendit) Petrus *καταγνωστὸς* erat, quod I. liberam solutamque a legalibus caeremoniis vivendi rationem commutarit, suoque

[143]) nn. 272. seqq.

[144]) Galat. II. 11.

[145]) Placet quod notat Koppe, participium passivum *κατεγνωσμένος* adhiberi pro adiectivo *καταγνωστός*, ex hebraeorum scriptorum imitatione, qui ut omnino vocabulis adiectivis, ita maxime iis, quibus dignitas hominis exprimitur, fere destituuntur.

[146]) Galat. II. 13.

[147]) Ibid. vv. 12—14. Non male in notis advertit Morus, *συνυποκριθῆναι* verbum esse polybianum, cui *συνυπόκρισις* propemodum idem quod *οἰκονομία*. Mox addit: „Patribus graecis, non recta et aperta, sed circumspecta et dextre sagax agendi ratio, *κατὰ τὴν ὑπόθεσιν*, ut Aristoteles loqueretur, quod latini vocant *simulare, obliquare*, graeci *ταμιεύειν τὴν ἀλήθειαν*. Qua simulatione prudenti volunt heic usos esse Petrum et Paulum apostolos Chrysostomus et Hieronymus Origenem secuti; quasi nulla fuerit inter apostolos vera contentio, sed consulto consilio atque de industria res ita fuerit ab apostolis administrata, ut per hoc fictum certamen utriusque populi saluti consuleretur *κατ' οἰκονομίαν*, quae vox proprie idem sonat apud graecos theologos quod apud Polybium *συνυπόκρισις πολιτική*, quam *ἀπὸ τοῦ κακουργήματος* late distinguit: nam simulationem fraudulentam, dolumque malum *κακούργημα* vocat; sed cata consilia ex usu et in tempore adhibita, quod artis est et prudentiae, *συνυπόκρισιν πολιτικὴν* appellat."

exemplo II. tantum valuerit, ut reliquos iudaeos ac ipsum quoque Barnabam gentium apostolum ad suimetipsius imitationem pertraxerit. Immutandae autem *πολιτείας* duplex illi ratio adfuit, adventus primum quorumdam iudaeorum ex ecclesia hierosolymitana fidelium, qui gentium libertatem aegerrime [148] ferebant; timor deinde quo fuit illorum caussa correptus. Quod postremum Paulus effert, inquiens: *φοβούμενος τοὺς ἐκ περιτομῆς*. Sed quid haec proprie sibi volunt? istud ne quod Petrus *sibi a iudaeis* timuerit? huiusmodi interpretatio et ab iis est alienissima [149] quae de Petri constantia novimus, et a Patribus [150] reiicitur, et cum potestate verborum nullo necessario nexu cohaeret. Nihil enim impedit quominus phrasim, *φοβούμενος τοὺς ἐκ περιτομῆς*, reddamus, *timens iis*, iisque prospiciens qui ex iudaismo ad christianismum accesserant. Hoc profecto sensu idem Paulus in eadem epistola [151] de semetipso scribit: *φοβοῦμαι ὑμᾶς*. An sibi Paulus a galatis timebat? immo *propter galatas* timebat, et *φοβοῦμαι ὑμᾶς* idem plane valet ac *φοβοῦμαι δι' ὑμᾶς*, vestrum caussa in timore versor. Non male [152] Koppe, *metuens, ne ab iis desertae religionis mosaicae nomine obtrectaretur;* et [153] Rosenmüller, *metuens ne christianos ex iudaeis offenderet, et ad prorsus deserendam religionem christianam sollicitaret*. Caritate igitur actus Petrus a convictu se gentilium subduxit, et libertate qua uti poterat, quaque usus antea fuerat, se privavit, ne fratres adhuc infirmos, molliusque habendos offenderet. Id nimirum gessit quod sibi fixum esse Paulus declaravit [154] his verbis: *Διόπερ εἰ βρῶμα σκανδαλίζει τὸν ἀδελφόν μου, οὐ μὴ φάγω κρέα εἰς τὸν αἰῶνα, ἵνα μὴ τὸν ἀδελφόν μου σκανδαλίσω*. Quae si ad animi *propositum, intentionemque* referantur, laudari omnino debent, carpi reprehendique non possunt.

316. Pergit tamen Paulus, et quid consilii ceperit declarat [155], subdens: *Ἀλλ' ὅτε εἶδον, ὅτι οὐκ ὀρθοποδοῦσι πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου, εἶπον τῷ Πέτρῳ ἔμπροσθεν πάντων*. Quid est quod audio, obliquo pede una cum reliquis Petrum incessisse, et a norma evangelicae veritatis aberrasse? quid illud, quod Petrum coram omnibus Paulus commonefecerit? an doctrina quam traderet a recto evangelii tramite Petrus discessit? atqui nihil docebat. An proposito animique intentione? sed haec laudem merebantur, et quaecumque tandem forent, neque noverat illa Paulus neque videbat. Scribit autem se Petrum iudicasse devium, et illi eorum caussa restitisse quae videbat, *ἀλλ' ὅτε εἶδον*.

Duo autem vidit, ac inprimis vidit Petrum a pristina vivendi libertate ideo abstinentem, ut fratrum infirmitati prospiceret: tum vidit reliquos iudaeos, ipsum-

[148]) Act. XXI. 17. seqq.

[149]) Quod Chrysostomus quodam veluti eloquentiae flumine demonstrat in ea quam saepe memoravimus homilia, nn. 4. seqq.

[150]) Ut illorum quae retulimus testimonia, praeclare ostendunt.

[151]) Galat. IV. 11.

[152]) Ad Galat. II. 12.

[153]) In scholiis ad h. l.

[154]) I. Cor. VIII. 13.

[155]) Galat. II. 14.

que Barnabam Petri συγκατάβασιν, libertatisque dissimulationem imitantes. Sed nonne fas erat Petro sive ἐθνικῶς sive ἰουδαϊκῶς pro optione vivere? nonne inter eius laudes recenseri debuit, quod ἰουδαϊκῶς potius quam ἐθνικῶς viveret, ne iis qui ἐκ περιτομῆς erant, offensionis ansam praeberet? sunt haec adeo luculenta ut concedi ab omnibus necessario debeant.

317. Atqui non minus concedi ab omnibus debet, Petrum et qui eius imitabantur ὑπόκρισιν, haud ὀρθῶς ambulasse πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου. Quum igitur defectus, reprehensionisque caussa *neque ex animi proposito*, *neque ex ipso opere* [156] desumi possit, reliquum est ut unde ea repeti debeat, investigetur. Nihil autem praeterea superest quam propositi, operisque *eventus*, qui alius ab eo fuerit quem sibi Petrus praestituerat, quique in damnum evangelicae libertatis cedere posse videretur. Scilicet hoc unum ob oculos habuerat Petrus, ut honesta suapte natura oeconomia circumcisos fideles leniret, illisque paterna benevolentia satisfaceret. Sed aliter ac ipse animo designasset, susceptam οἰκονομίαν, paternamque συγκατάβασιν interpretati sunt cum reliqui iudaei, tum ipsemet Barnabas, qui ex ea deduxisse visi sunt, nefas esse ἐθνικῶς vivere, ipsasque gentes iudaicis institutis subiici oportere. Hoc est quod nexus paulinae orationis demonstrat, hoc quod antecedentia, comitantia et sequentia persuadent. Quare Petri culpa, si quae [157] fuit, quantaque illa fuit, huc redit: quod quum rectissima mente id egerit quod nullo iure interdicebatur, *non satis providerit*, quid alii, secus ac ipse vellet, et praeter οἰκονομίαν cui obsequendum esse crediderat, *essent inde deducturi*. Verum culpa ne haec est, siqua tamen est, propter quam Petrus aut *dogmatici erroris* merito accusetur, aut suprema caruisse auctoritate censeatur? iniurius in lectores essem, si puram putamque calumniam argumentando refellerem.

318. At Paulus illum reprehendit, et ἔμπροσθεν πάντων commonefecit. Quasi vero id ego negem, aut quasi *eventus* a mente quidem et οἰκονομίᾳ Petri alienissimus, *per se tamen noxius*, *quique in evangelicae libertatis perniciem trahi posset*, par non fuisset ut Paulus consilium iniret commonendi Petri, initumque exsequeretur. Illud miror non advertisse protestantes quo pacto, quave ratione Paulus restiterit Petro, illumque commonefecerit. An illi *dogmaticum errorem*, *fallacemque praedicationem* obiecit? an illum sua auctoritate ad officium revocavit? accipiantur ipsissima Pauli [158] verba: Εἰ σύ, ἰουδαῖος ὑπάρχων, ἐθνικῶς ζῇς καὶ οὐκ ἰουδαϊκῶς, τί τὰ ἔθνη ἀναγκάζεις ἰουδαΐζειν; *si tu ipse*, *qui iudaeus licet sis*, *non ex legum iudaicarum severitate*, *sed libertate ea qua ethnici fruuntur*, *vivebas* [159]; *quid est quod tu ipse* [160]

[156]) Custodia enim legalium etsi antiquata, nondum tamen noxia evaserat.

[157]) Nullam enim fuisse, et olim contenderunt plures, et in praesentia non desunt qui affirment.

[158]) Galat. II. 14.

[159]) Enallage temporum, et usus praesentis, ζῇς, pro imperfecto, ἔζης, per se patet.

[160]) Vel si pro τί legas πῶς, *quonam pacto tu ipse*.

exemplo factoque auctor es ut ipsi etiam ethnici iudaicis ritibus subiiciantur? Quis autem hisce auditis non suspiciat tantam libertatem ***cum tanta reverentia*** coniunctam? reprehendit sane Paulus Petrum, ***sed ipsius Petri nomine atque auctoritate:*** opponit Petrum Petro, factum antecedens facto consequenti, factum liberum facto oeconomico, paternaeque dispensationis, idque assequitur quo spectabat, ut Petri imitatores intelligerent, vel neminem esse, vel Petrum maxime esse qui sua auctoritate, agendique ratione libertatem gentium tueretur.

Unde nihil succurrit opportunius quam prolixiori disputationi commentario Hieronymi [161] modum ponere. „Indissolubili, inquit, argumento constringit Petrum, imo ***per Petrum eos*** qui pugnantia illum inter se facere cogebant. Si, inquit, o Petre tu natura iudaeus es, circumcisus a parva aetate, et universa legis praecepta custodiens, nunc ob gratiam Christi scis ea nihil per se habere utilitatis, sed exemplaria esse et imagines futurorum, et cum his qui ex gentibus sunt, cibum capis, nequaquam ut ante superstitiose, sed libere et indifferenter victitans; quomodo [162] eos qui ex gentibus crediderunt, nunc recedens ab eis, et quasi a contaminatis te separans et secernens, compellis iudaizare? si enim immundi sunt a quibus recedis, idcirco autem recedis quia non habent circumcisionem, compellis eos circumcidi et iudaeos fieri, quum tu ipse natus iudaeus gentiliter vixeris. Et latenter ostendit caussam quare adversus eum disputaverit, quia scilicet gentes simulatione sua [163] iudaizare compelleret, dum eum cupiunt aemulari.“

[161]) In comm. ad h. l. Suffragatur Chrysostomus in hom. toties citata, n. 17. inquiens: „Animadverte prudentiam. Non dixit illi, male agis dum iudaice vivis, sed priorem eius arguit conversationem: *Ἵνα μὴ ἐκ τῆς Παύλου γνώμης ἡ παραίνεσις καὶ ἡ συμβουλή, ἀλλ' ἐκ τῆς Πέτρου κρίσεως τῆς ἤδη γεγενημένης εἰςενηνέχθαι δοκῇ*, ut non iam ex sententia Pauli admonitio et consilium, sed ex Petri iudicio iam expresso videatur inferri. Nam siquidem dixisset, male agis dum legem observas, reprehendissent Petri discipuli: *Νυνὶ δὲ ἀκούσαντες, ὅτι οὐ τῆς Παύλου γνώμης ἡ παραίνεσις ἦν καὶ ἡ διόρθωσις αὐτή, ἀλλ' αὐτὸς ὁ Πέτρος οὕτως ἔζη, καὶ ταῦτα εἶχεν ἐν τῇ ψυχῇ τὰ δόγματα, καὶ ἑκόντες καὶ ἄκοντες ἡσύχαζον*, iamvero quum audiunt, non esse e sententia Pauli admonitionem illam, correctionemve, sed ipsum Petrum ita vivere solitum, et haec dogmata in animo babuisse, vellent nollent, quiescere debuerunt.“

[162]) Legit itaque Hieronymus non *τί*, sed *πῶς*.

[163]) Qua cum iis qui sub lege erant, non aliter semet gerebat ac si onere legis ipse quoque premeretur.

CAPUT XXV.

De hierarchia quam Paulus describit 1. Cor. XII. 28. et Ephes. IV. 11: — ea abutuntur protestantes ut e principe auctoritatis gradu Petrum deiiciant: — quam praepostere, quamque id infeliciter contendant: — obiecta difficultas in suos auctores convertitur: — inde primatus adstruitur, unde subverti illum posse protestantes censuerunt: — quae eius sit ratio, penitius consideratur, atque sita in eo esse ostenditur, ut per supremum omnium caput pastoremque ad unitatem conspicui corporis ecclesia revocetur.

319. Ne quis nostrum credat, Petri primatum testimoniis suffragioque [1] Pauli comprobari, eo protestantes argumento pugnant, quod et plurimi se facere declarant, et catholicis molestissimum esse arbitrantur. Inde autem illud promunt, quod Paulus nullam primatus mentionem iniecerit sive in duodecimo prioris epistolae ad Corinthios [2] capite, sive in capite quarto litterarum [3] quas ad Ephesios dedit. Iniecisset autem dubio procul, si in ea fuisset sententia, quam nos profitemur, ac Petri primatum credidisset; quum utroque in loco munera, gradus, iura omnia diligentissime recensuerit, quibus Christus initiis, progressionibus, conservationi ac tutelae ecclesiae suae divina prorsus benevolentia consuluit.

Dignus est Franciscus Turrettinus, qui communem perorans caussam audiatur. Sic igitur [4] ille: „Si Christus in ecclesia monarcham aliquem et oecumenicum pontificem constituisset, Paulus eius mentionem aliquam facere debuisset in iis locis, ubi ordines et munera ecclesiastica a Christo instituta enarrat, quia hoc plurimum intererat [5] ecclesiam rescire, ut obsequium illi eo promptius exhiberet; alias si hoc reticuisset, vel hoc factum fuisset *ex ignorantia*, quia hoc nesciebat, quod quis dixerit de apostolis θεοπνεύστοις? vel *ex negligentia* aut *malitia* [6], quod noluerit. Sed hoc esset malae fidei [7] eum arguere et

[1]) nn. 269. seqq.

[2]) I. Cor. XII. 28.

[3]) Ephes. IV. 11.

[4]) Institut. Theolog. Loc. XVIII. q. XVI. §. IX.

[5]) Sed rescire id ecclesia potuit ex evangeliorum testimoniis, ex Actibus apostolicis, ac interpellata numquam christiani nominis traditione.

[6]) Vel ideo omissa primatus mentio censeri posset, quod a) esset vulgatissima, quod b) ad Pauli σκοπὸν non conduceret, et quod c) eam alibi non obscure apostolus expressisset.

[7]) Quam accusationem a se Paulus abunde repulit, quum opere ipso, factisque luculentis in epistola ad Galatas relatis Petri primatum reveritus est.

παραπρεσβείας, ob non expletum suum munus. Sed Paulum penitus de eo siluisse constat ex illustri loco Ephes. IV. 11, ubi varios ordines munerum ecclesiasticorum recensens tum ordinarios tum extraordinarios, quoad istos meminit quidem *apostolorum*, *evangelistarum* et *prophetarum*, quoad illos vero *pastorum* et *doctorum*; sed de monarcha et oecumenico pontifice ecclesiae altum apud ipsum silentium; ut et I. Cor. XII. ubi eadem fit enumeratio. Nec elabetur qui dixerit cum Bellarmino lib. I. cap. IX, Paulum eius mentionem facere, quum ait, *Christum dedisse alios apostolos, siquidem summa potestas non solum data sit Petro, sed etiam reliquis apostolis; Petro vero ut ordinario pastori, cui succederetur; aliis vero ut delegatis, quibus non succederetur.* Nam quum de oecumenico pontifice disputatur, non simpliciter agitur de infallibili auctoritate in ecclesia [8], quam in omnibus et singulis apostolis fuisse nemo negare potest; sed de uno dumtaxat, qui auctoritatem istam sic obtineat, ut collegam nullum admittat, et qui sit, ut illi loquuntur, *centrum*, *principium* et *radix unitatis*. At apostolus de omnibus in plurali loquitur, quum ait dedisse *apostolos*, non de uno aliquo individuo, in quo pluralitas reducatur ad unitatem visibilem. Adde, quod munus apostolatus temporale [9] fuit et extraordinarium, quod cessare debuit, non ordinarium et perpetuum."

320. Ego autem sic existimo, ne moderatissimos quidem a semetipsis impetraturos, quo minus exclament, quis risum teneat? quis fallacissimas strophas non aspernetur? Ut enim hinc auspicer, qua lege, quove canone praeceptum est, ut omnia ubivis dicantur: ut si quae alicubi fuerint praetermissa, eadem etiam alibi indicta censeantur? an quia Petrus in prima [10] ad populum concione de Christo verba faciens non eum dixit *λόγον τοῦ θεοῦ, θεόν, ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ πατρός*, immo nude simpliciterque dixit *ἄνδρα ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς δυνάμεσι καὶ τέρασι καὶ σημείοις*: fas propterea erit inani conclusione deducere, neque alibi in divinis litteris *τὴν θεότητα* Christo deferri, illumque *τὸν ἐπὶ πάντων θεὸν εὐλογητὸν εἰς τοὺς αἰῶνας* praedicari? hoc semel admisso canone nullus erit reliquus christianae professionis articulus, qui sibi constet, quique non manifestissime periclitetur.

321. Sed erat, inquiunt, cur Paulus, siquidem novisset, Petri primatum commemoraret. Quid si reponam, non minorem fuisse caussam, ob quam Petrus divinam Christi naturam audientium concioni credendam exhiberet? aegre, nisi totus fallor,

[8]) Nullo plane vinculo haec responsio cum Bellarmini exceptione cohaeret.

[9]) In omnibus ne apostolis ac in ipso etiam Petro *quoad regendi pascendique auctoritatem*? qui ergo fit, ut orthodoxi patres unanimi consensione testentur, et in suis successoribus Petrum vivere, et in sua cathedra iugiter praesidere, et ovilis administrationem, quam semel suscepit, neque dimisisse neque porro esse dimissurum? qui fit, ut iidem doceant, ecclesiam non ideo solum esse dicique apostolicam, quod exstructa ab apostolis fuerit, quod apostolorum fidem custodiat, quod pastores habeat legitima ordinationum serie ad apostolos usque assurgentes; sed praeterea quod apostolica auctoritate gubernetur? sed haec innuisse sufficiat.

[10]) Act. II. 22.

idoneum discrimen protestantes reperiant. Sed ut haec similiaque contemnam, illud a me obtinet, quod nemini ignotum esse arbitror, vix quidpiam inanius, quidpiam esse periculosius, quam *necessitatis caussas* sine certis tabulis comminisci aut vicissim negare. Quod ut omnes experimento sentiant, interrogabo, quaenam potissimum caussa ad inculcandum Petri primatum impellere Paulum debuerit. An quod propositum illi esset *οἰκονομίαν distincte* referre, institutionemque *enucleate* patefacere, qua voluit Christus ut ecclesia gubernaretur? atqui de hoc apostoli consilio neque verba diserta, nec quae his virtute aequipolleant, alterutro in textu leguntur. An quod in eo esset, ut *doctrinae caput* explicaret cum institutione primatus devinctum atque cohaerens? Sed si animo repetantur quae in utraque epistola antecedunt, quaeque sequuntur, continuo innotescet, eo Paulum spectasse [11], ut ex imagine humani corporis in quo cum multiplici quadam membrorum distinctione, functionumque varietate singularis unitas, miraque *totius* consensio harmoniaque copulatur, discrimen munerum officiorumque illustraret, quo *mysticum Christi corpus* non minus varietate splendet quam perfectissima unitatis forma commendatur. Quis porro non ludens sed serio contendat, eiusmodi veritatem neque rite exponi, neque illustrari apte potuisse, quin Petri primatus nominatim celeretur? immo, quis non intelligat ad eam declarandam explicandamque abunde fuisse, si munerum distinctio a Christo profecta universim aperiretur? nulla igitur fuit commemorandi primatus necessitas, nisi quam sibi confingendam protestantes existimarunt.

322. Cuius commenti error atque fallacia inde etiam deprehenditur, quod deductae e Pauli silentio consequutioni hac solum lege species aliqua veritatis tribui possit, si constet, ne unum quidem eorum munerum ab eo fuisse praetermissum, quae ad pulcritudinem, decus constantiamque ecclesiae Christus instituerit. At vero comparatio utriusque textus ad invicem et cum aliis Scripturarum locis demonstrat, neutro in textu gradus omnes, omniaque divinitus instituta munera recenseri. Sane conferantur mutuo textus, qui sic habent:

I. Cor. XII. 28. *Καὶ οὓς μὲν ἔθετο ὁ θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πρῶτον ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας, τρίτον διδασκάλους, ἔπειτα δυνάμεις, εἶτα χαρίσματα ἰαμάτων, ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις, γένη γλωσσῶν.*

Ephes. IV. 11. *Καὶ αὐτὸς* [12] *ἔδωκε τοὺς μὲν ἀποστόλους, τοὺς δὲ προφήτας, τοὺς δὲ εὐαγγελιστάς, τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους.*

Enimvero si alter textus omnes complectitur gradus, prior redundat, in quo praeterea censentur *δυνάμεις, χαρίσματα ἰαμάτων, ἀντιλήψεις, κυβερνή-*

[11]) I. Cor. XII. 12. seqq. coll. v. 29.

[12]) Verba *διδόναι* et *τιθέναι* promiscue adhibentur, et potestate respondent hebraico נתן, quod alexandrini modo uno, modo altero verbo interpretantur. Ceterum hierarchiae institutio, quae I. Cor. XII. 28. adscribitur Patri, et Ephes. IV. 11. asseritur Filio, eadem Act. XX. 28. tribuitur Spiritui-Sancto: quo sicut unitas *operationis* divinae Trinitatis, ita arctissime cum ea cohaerens *naturae* unitas comprobatur.

σεις, γένη γλωσσῶν: sin autem ille nihil omittit, posterior deficit, in quo desunt δυνάμεις, χαρίσματα ἰαμάτων, ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις, γένη γλωσσῶν. Unde liquet, neutrum adhiberi tuto posse, ut ordines omnes, gradusque divinitus instituti certa rataque sententia definiantur. Praesertim quum in aliis bibliorum [13] locis, aliisque eiusdem Pauli [14] epistolis alii memorentur gradus episcoporum, presbyterorum, diaconorumque, quorum heic vel altum est silentium, vel mentio adeo obscura [15], ut luce ἔξωθεν hausta illuminari debeat.

323. Ad haec, quum Paulus scribit omnium primos in ecclesia positos esse apostolos, una ne docet, eos *undequaque* [16] fuisse pares, nullaque a Christo inaequalitate secretos? illud quidem affirmat, inquiens: *καὶ οὓς μὲν ἔθετο ὁ θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πρῶτον ἀποστόλους*, et gemina [17] plane formula, *καὶ Χριστὸς ἔδωκε τοὺς μὲν ἀποστόλους:* alterum vero non negat, aut siquidem negat, ne graventur protestantes nobis ostendere, quibus id tandem verbis efficiat. Porro simplex nudaque Pauli *affirmatio*, principem christianae hierarchiae locum apostolis convenire, Petri ὑπεροχήν, altioremque auctoritatem neque oppugnat neque tollit. An quia ecclesiastica hierarchia [18] dicitur crediturque *episcopis*, *presbyteris*, *ministrisque* constare, nullo propterea episcopi, qui principatum prae subiectis gradibus obtinent, dignitatis, auctoritatisque discrimine separantur? sunt illi sane primi prae ministris, presbyterisque: sunt etiam *simpliciter* primi, quod nullus existat gradus *episcopatu* potior; sed inquirendum restat, an iuribus, eiusque principis gradus [19] dignitate omnes et singuli ex aequo potiantur. Sint igitur apostoli primi, nullaque sit τάξις apostolica dignior; an ideo inter ipsos apostolos nullum admitti poterit honoris auctoritatisque discrimen? Ut id eruant protestantes, necesse est affirmantem Pauli propositionem in negantem convertant, illamque hoc, similive commentario explanent: ἔθετο ὁ θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πρῶτον ἀποστόλους, id est, sic apo-

[13]) Act. XIV. 22, XV. 2, XX. 28, Jacob. V. 14.

[14]) Philipp. I. 1, I. Tim. III. 2—8—12, Tit. I. 5—7.

[15]) Cuius obscuritatis inde promi argumentum potest, quod interpretes tam veteres quam recentiores in definiendis singulis gradibus summopere discrepent. Quo factum arbitror, ut Semlerus in notis ad I. Cor. XII. 28. scribere non dubitaverit, *incerta sunt pleraque, nihil enim historiae antiquioris superest.*

[16]) Qua particula idcirco utor, ne confusione duarum quaestionum veritas amittatur. Aliud enim est interrogare, utrum duodecim, *prout erant apostoli et comparate ad apostolatum* pares fuerint, quod nemo negat; ac aliud percontari, utrum *undequaque* fuerint pares, quod catholici omnes negamus, et falsum esse hucusque comprobavimus.

[17]) Ephes. IV. 11.

[18]) Concil. Trident. Sess. XXIII. can. 6.

[19]) Quod ne credamus, exigunt vetustissimi canones qui de episcopis loquentes τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον saepissime memorant, tum metropolitanorum institutio, quae ad ἀξίωμα auctoritatemque quod attinet, ad ipsos apostolos referenda est. Cf. Beveregium in Codice canonum ecclesiae primitivae illustrato, lib. II. cap. V.

stoli simpliciter, praeque obnoxiis gradibus primi sunt, ut nullus inter eos maiori auctoritate praecellat; id est, sic apostoli sunt primi, ut sint etiam undequaque pares. Sed eiusmodi additiones, conversionesque propositionum haeresim quidem protestantium continent, Pauli vero doctrinam nullatenus referunt.

324. Immo ab ea sic abhorrent, ut nihil inter utrumque hostilius cogitari posse videatur. Tradit enimvero repetitque Paulus eminere apostolos, omniumque primos in ecclesia esse constitutos: sed mutuum eorum respectum ac veluti *habitum* neque explicat neque definit. Non explicat utrum *aequales penitus* fuerint, neque definit *num unus forte alterve* honore atque auctoritate ceteris antecelluerit. Quare ut de his, quibus tota constat praesentis controversiae ratio, apte iudicetur, necesse omnino est cum obiectis testimoniis alia componere quae Scripturis consignata ad mutuam inter apostolos σχέσιν referuntur. Necesse est evangelia consulere, primitivae ecclesiae historiam expendere, et si quae in aliis epistolis aut diserte Paulus scripserit, aut opportune indicarit, diligenter considerare. Quum enim ipsemet testetur, principem in ecclesia locum, Christo auctore, apostolis convenire, neque id uti par est intelligi, neque exponi accurate potest, nisi prius Christi ordinatio, institutioque clare evidenterque innotuerit.

Quid porro est quod vel in evangeliis cernimus, vel in Actis legimus, vel in Pauli litteris reperimus? omnes ne apostolos fuisse prorsus aequales, an contra unum ex illis, eumque Simonem Petrum omnibus et singulis praerogativa auctoritatis excelluisse? quae hucusque non perfunctorie leviterque, sed data opera, diligentiaque qua potuimus maiori in medium protulimus, expendimus, vindicavimus, ita se habent ut Petrum propriis eximiisque auctum donis, potiorique auctoritate donatum luculenter ostendant. Quod enim Matthaeus in texendo apostolorum catalogo[20] scribit, πρῶτος, Σίμων ὁ λεγόμενος Πέτρος, *primus, Simon qui dicitur Petrus*, idest, princeps, ceterorumque iure et auctoritate caput, id Christi gestis dictisque, id evangelistarum scribendi ratione, id historia nascentis ecclesiae, atque id Pauli suffragio tanta perspicuitate confirmatur, ut integra Scripturarum fide negari haud possit, fuisse Petrum, ut Eusebius[21] notat, *τὸν κρἀτερον καὶ μέγαν τῶν ἀποστόλων, τὸν ἀρετῆς ἕνεκα τῶν λοιπῶν ἁπάντων προήγορον*, vel ut vulgatus Dionysius[22] subdit, *τὴν κορυφαίαν καὶ πρεσβυτάτην τῶν θεολόγων ἀκρότητα.*

Quo igitur pacto non probabili coniectura, neque tenui suspicione, sed certo libratoque iudicio interpretabimur quod dicitur, *ἔθετο ὁ θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πρῶτον ἀποστόλους?* videlicet necessario ita interpretabimur: ***Deus omnium primos prae prophetis, evangelistis, pastoribus et doctoribus posuit in ecclesia apostolos, ipsos autem apostolos ita mutuo devinxit copulavitque, ut eos inter auctoritate, capitisque honore Petrus antecelleret.*** Sicut enim reli-

[20]) Matth. X. 2.
[21]) H. E. lib. II. cap. XIII.
[22]) De divinis nominibus, cap. III.

quos gradus apostolis subiecit, ita apostolorum collegio Petrum praeposuit: et quemadmodum obnoxios ordines ad apostolos, tamquam ad centrum quoddam principiumque unitatis revocavit, ita apostolos ipsos per Petrum, tamquam per caput, supremumque rectorem ad eam unitatis nobilissimam speciem provexit, qua ecclesia perfectissimus ectypus divini archetypi qui in augusta Trinitate refulget, et quo *ὑποστάσεων οἰκονομία* ad *μοναρχίαν* adducitur unius supremae originis, omnium oculis appareret.

325. Quam ecclesiae suae praestantissimam unitatem et ad divinum expressam archetypum non obscure Christus adumbravit [23] his ad apostolos directis verbis: *'Αμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὑμεῖς οἱ ἀκολουθήσαντές μοι, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνους, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραήλ.* ***Sancte vobis dico, quod vos, qui*** omnibus posthabitis, ***me sectati estis, in*** [24] ***novo meo regno***, in quo omnia nova erunt, regenitique homines inter Dei filios censebuntur, ***quum sederit*** [25] ***filius hominis in throno maiestatis suae, sedebitis et vos*** mecum *σύνθρονοι* ***super sedes duodecim iudicaturi*** [26] ***duodecim tribus Israel.*** Et [27] rursum: *Κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου βασιλείαν, ἵνα ἐσθίητε καὶ πίνητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μου ἐν τῇ βασιλείᾳ μου· καὶ καθίσησθε ἐπὶ θρόνων, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραήλ.* ***Quemadmodum Pater*** [28] ***mihi regnum***, supremamque in ecclesiam [29] potestatem ***addixit, ego pariter vobis regnum*** et auctoritatem [30] regiae maiestati proximam ***addico, ut*** [31] ***edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.***

His enim non obscura impeditaque deductione, sed aperta planaque con-

[23]) Matth. XIX. 28.

[24]) Quum *παλιγγενεσία* metaphorice dicatur quaevis magna insignisque pristini status instauratio, contextus postulat, ut heic de absoluto consummatoque prisco foedere per institutionem novi amplioris-que pacti intelligatur. Sane 1) ad novum foedus Paulus refert II. Cor. V. 17, quod apud Isaiam LXV. 17. legimus, *ecce creo ... novum caelum*; idem 2) ad Tit. III. 5. baptismum vocat *λουτρὸν παλιγγενεσίας*, et 3) interpres syrus quod graece est, *ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ*, vertit, *in seculo novo*, qua phrasi nulla solemnior ad tempus novi foederis indicandum.

[25]) Quod tum primum contigit quum redivivus ascendit ad dexteram Patris.

[26]) Judicare idem heic *μεταληπτικῶς* valet ac *praeesse*. Qua praesidendi amplissima significatione adhibetur nomen שֹׁפֵט Jos. XVI. 31, Is. XI. 4, I. Reg. III. 9.

[27]) Luc. XXII. 29 — 31. Vix puto monendum esse, *οἰκονομίαν*, rationemque novi regni coloribus depingi e priori eoque typico Israelis regno desumptis.

[28]) Sic enim ordinanda sunt verba: *Καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου βασιλείαν, κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν κ. τ. λ.*

[29]) Matth. XXVIII. 18. coll. Rom. XIV. 9, I. Cor. XV. 27, Ephes. I. 10, I. Petr. III. 22.

[30]) Matth. XXVIII. 19. coll. Act. II. 38.

[31]) His verbis *duplex* continetur *signum*, quo eximia apostolorum dignitas, et simillima potestati Christi auctoritas declaratur.

ficitur, *οἰκονομίαν* rationemque novi regni, novique Israelis [32] ad eam formam, speciem ac prope imaginem exprimendam esse, quae in prisco regno, priscoque Israele *ὡς ἐν τύπῳ* praecessit: apostolos vero dignitatem illi persimilem consequuturos, quam in duodecim tribus totidem *φυλάρχαι* obtinuerunt.

326. Porro neque tribus erant aequales, neque illarum capita, etsi communi appellatione נְשִׂיאִים, נְשִׂיאֵי שִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל, et רָאשֵׁי שְׁבָטִים dicerentur, eodem honoris, dignitatisque gradu excellebant. Tribus enim ab Juda nuncupata mirum quantopere prae undecim reliquis eminuerit. Illius erat [33] praeire: illa promissionem divinitus acceperat [34] *αὐθεντίας* non antea desiturae quam vetus pactum in novum longeque praestantius commutaretur: ex illa opperiendum semen erat [35], quo in gentes omnes duodecim tribubus praesignatas benedictio refunderetur: et cum illa cohaerere, illiusque reliquae tribus profiteri religionem debebant, ne schismaticae [36] et a divino foedere extorres haberentur. Unde Jacobus fatidico numine plenus Judam [37] illius caput, stipitemque his omnino verbis [38] alloquutus est:

[32]) Hunc similitudinis respectum inter *οἰκονομίαν* utriusque regni pluribus Tertullianus explanat in quarto adversus Marcionem libro, ubi capite XIII. nominatim quaerens, *cur duodecim apostolos elegit Christus, et non alium quemlibet numerum?* reponit: *nae et ex hoc meum Christum interpretari possem, non tantum vocibus prophetarum, sed et argumentis rerum praedicatum?*

Quare Moshemius, etsi lutheranae addictus factioni, obsequendum tamen perspicuae veritati censuit, scribens Institutt. H. E. saec. I. Par. I. cap. III. §. VI: „Quaerunt viri docti, quaenam Christum caussa commoverit, ut duodecim, non plures nec pauciores apostolos, atque septuaginta discipulos crearet, variisque coniecturis hanc quaestionem dirimere student. At quum manifestum sit, ipsis Christi verbis Matth. XIX. 28, Luc. XXII. 30. duodenarium apostolorum numerum ad duodecim populi hebraeorum tribus respicere; vix dubitari potest, ipsum per eum iudaeis significare voluisse, se supremum Dominum, Pontificemque totius gentis hebraicae in duodecim tribus divisae, esse."

[33]) Num. II. 3—9, X. 14, Jud. I. 1—3, XX. 18.

[34]) Gen. XLIX. 10.

[35]) Ibid. Quo ea pertinent Christi, Joh. IV. 22: *Ὅτι ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν.*

[36]) I. Reg. XII.

[37]) XLIX. 8.

[38]) Apposite Jahn in exercit. exeget. ad h. locum: „Ut hic locus intelligatur, meminisse oportet, duas (praeter sacerdotium familiae, Exod. XXIV. 5, Num. XVIII. 15—16.) fuisse primogeniti praerogativas: I. duplicem haereditatis portionem, Deut. XXI. 17. et II. eminentiam et quasi patriam potestatem inter fratres, cf. Gen. XXVII. 29—36. cum XXV. 30—34. Has praerogativas Jacobus primogenito suo Rubeni, ob nefarium incestum Gen. XXXV. 22, ademit Gen. XLIX. 3—4, ac ius duplicis ex haereditate portionis Gen. XLVIII. 1—7. transtulit in Josephum, cuius duos filios, Manasse et Ephraim, adoptavit, quorum dein posteri ex hac caussa duas tribus constituebant, et duas quoque sortes regionis obtinuerunt. Alterum autem primogeniti ius, scilicet eminentiam et quasi

יְהוּדָה אַתָּה יוֹדוּךָ אַחֶיךָ
יָדְךָ בְּעֹרֶף אֹיְבֶיךָ
יִשְׁתַּחֲווּ לְךָ בְּנֵי אָבִיךָ׃

Tu vere es *Juda*, laus [39] nimirum, planeque dignissimus, qui lauderis, *te* enim *laudabunt fratres tui: manus tua in cervice hostium tuorum*, quos vinces debellabisque: *adorabunt te* [40], teque honore prosequentur *filii patris tui.*

327. Quibus sane accommodatius nihil, nihilque validius, quo Judae *prae undecim fratribus*, *tribuumque principibus* singularis dignitas, eximiaque auctoritas commendetur. Igitur ne a typo antitypus dissideret, ne imago a supremis lineis discreparet, ne ab umbra [41] corpus discederet, necessarium fuit unum e duodecim apostolis deligi, qui propriis auctus promissionibus, propriisque donis cumulatus ceteris omnibus praestaret, et ab undecim veluti primogenitus, dux atque caput observaretur. Hunc autem quemnam fuisse putabimus? non alterum profecto ab eo, quem Scripturae a reliquis tanta cura secernunt, illisque anteponunt: quem uti omnium *κορυφαῖον* constanter describunt: cui Christus [42] dixit, *μακάριος εἶ, Σίμων βὰρ Ἰωνᾶ:* super quem [43] ecclesiam suam aedificavit, quemque [44] *τὸ τῆς ἐκκλησίας ἔρεισμα* constituit: cui aeternam firmitatem, certissimamque de hostibus victoriam [45] spopondit, inquiens, *καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς:* quem [46] universo ovili praeposuit, eoque *apostolatus* [47] *principatu* locupletavit, qui *cuilibet episcopatui praeferri debet.* Quare non eo pertinet suprema apostolorum dignitas iustissimis a Paulo encomiis celebrata, ut Petri primatus, eiusque *προστασία* denegetur, sed ut illius excellentia, vis ac ratio uberius penitiusque cognoscatur.

328. Quo ea item pertinere censenda sunt, quae in utriusque epistolae contextu *de unitate* ecclesiae, deque eiusdem *typis*, *archetypis*, *variisque*

patriam inter fratres potestatem, Jacobus Gen. XLIX. 8—10. transfert in Judam; et quia tum Abrahamo Gen. XVII. 6—16, tum ipsi Jacobo Gen. XXXV. 11. promissi erant reges ex posteris descensuri, Jacob etiam hanc promissionem Judae assignat, quae aliunde cum eminentia primogeniti cohaerebat; ipsam quoque debellationem hostium Abrahamo Gen. XXII. 17. et Jacobo Gen. XXVIII. 14. promissam, inprimis huic eminenti inter fratres, Judae attribuit."

[39]) Insignis est allusio ac respectus inter nomen יְהוּדָה, quod *laus* est, dotesque illi tributas. Cf. Gen. XXIX. 35.

[40]) Respondent haec priori ex tribus incisis, seque mutuo illustrant.

[41]) Typi enim ac umbrae non sunt nisi *σχέσει ἀντιτύπων, σώματος, ἀληθείας.*

[42]) Matth. XVI. 17.

[43]) Ibid. v. 18. Unde Origenes in Ps. I: *Ἐπὶ Πέτρῳ οἰκοδομεῖται ἡ Χρίστου ἐκκλησία, ἧς πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν.*

[44]) Verba sunt quibus Nazianzenus Orat. VII. Petrum ornat.

[45]) Matth. XVI. 18.

[46]) Joh. XXI. 15. seqq.

[47]) Ut Augustinus de Petro loquitur lib. I. de Baptismo con. Donatist. cap. I.

quibus continetur principiis, Paulus tradit, luculenterque declarat. Ad ephesios enim conversus illos quo vehementius potest, cohortatur, ut [48] velint impensa cura *τηρεῖν τὴν ἑνότητα τοῦ πνεύματος ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης tueri unitatem* spiritus, qua [49] idem dicant et sentiant, perfecti sint *ἐν τῷ αὐτῷ νοΐ καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ*, et e qua [50] pax prodeat, cuius vinculo nihil adeo seiunctum est ac diversum quod non in unum colligetur. Tum multiplices subiicit adhortationis caussas [51], inquiens: *Ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα, καθὼς καὶ ἐκλήθητε ἐν μιᾷ ἐλπίδι τῆς κλήσεως ὑμῶν· εἷς κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα, εἷς Θεὸς καὶ πατὴρ πάντων· ὁ ἐπὶ πάντων καὶ διὰ πάντων καὶ ἐν πᾶσιν [52] ὑμῖν.* Quibus haec inest sententia: contendendum idcirco a vobis est ut *τὴν ἑνότητα τοῦ πνεύματος* sancte custodiatis, quia nihil est quod hanc a vobis unitatem non postulet, nihil quod illius necessitatem non demonstret. Demonstrat *unitas corporis mystici* (*ἓν σῶμα*) quod est ecclesia, et cuius vos pars, membraque estis: demonstrat *unitas Spiritus*, (*ἓν πνεῦμα*), quo totum corpus, singulaque membra intus aluntur, penitusque informantur: demonstrat *unitas bonorum quae omnes sperant, qui supernam vocationem* (*μία ἐλπὶς τῆς κλήσεως ὑμῶν*) sequuti sunt: demonstrat *unitas Domini* (*εἷς κύριος*) cui omnes paremus, *unitas* [53] *fidei* (*μία πίστις*) omnibus propositae, *unitas ritus* quo *per baptismum* (*ἓν βάπτισμα*) in unum corpus copulamur, ac *unitas Dei et Patris omnium* (*εἷς Θεὸς καὶ πατὴρ πάντων*), quae non sinit ut cohaeredes, fratresque in oppositas pugnantesque partes discedant.

329. Jamvero quum tot sint nomina, quibus necessitatem servandae unitatis Paulus confirmat, illud tamen omnium primum [54] recenset, quod ecclesia unum sit corpus, *ἓν σῶμα*, atque adeo suapte natura ita comparata, ut partibus dissidentibus manifestissime periclitetur. Sed quodnam significat corpus? visibile ne et *αἰσθητόν*, an invisibile et *ἀόρατον?* plenum ne, integrum, suisque partibus absolutum, an mancum, mutilum, *ἀκέφαλον* et capite deminutum? persuadere mihi non possum fore aliquos, qui opinentur, esse quidem ecclesiam et a Paulo *ἓν σῶμα* nuncupari, sed invisibile et *ἀόρατον*, non conspicuum et *αἰσθητόν*, mancum et *ἀκέφαλον*, non plenum suoque capite instructum. Quod enim *ἀόρατον* est, nonnisi absurde *τοῦ σώματος* nomine exprimitur: et quod *ἀκέφαλον* est, monstrum quidem ac portentum, corpus vero censeri non potest. Ac longe minus censeri potest *ἓν σῶμα*, quum distincta diversaque membra unitate solum capitis, veluti efficiente quodam principio, ad unitatem corporis redigantur.

[48]) Ephes. IV. 3.

[49]) I. Cor. I. 10.

[50]) Nobis igitur *σύνδεσμος τῆς εἰρήνης* est *effectus*, cuius caussa *ἑνότης τοῦ πνεύματος*. Aliis est *caussa*, particulamque *ἐν* reddunt *per*.

[51]) Ephes. IV. 4—7.

[52]) Al. *ἡμῖν*, sed utrumque omittendum putant Millius, Bengelius, Griesbachius.

[53]) Nomina *πίστις* et *ἐλπὶς* utramque significationem *subiectivam, obiectivamque* commode retinent.

[54]) Omnino opportune, quum reliqua mente solum et fide teneantur, istud vero ipsis quoque oculis usurpetur.

Quare numquam in Scripturis [55] ad repraesentandam ecclesiam imago corporis adhibetur, quin ea visibilis ostendatur: ac numquam cum corpore, quasi cum typo confertur, quin illud integrum, suoque praeditum capite exhibeatur. Neque ut secus fieret, arctissimus sinebat nexus, quo *mysticum corpus* cum *naturali corpore* cohaeret, quod sibi Verbum ὑποστατικῶς copulavit. Hoc enim illius est *ἀρχέτυπον*, illud autem huius est *ἔκτυπον*. Sed docetarum fuit invisibile comminisci corpus, quod Verbum ὑποστατικῶς assumpsit: et delirium est hucusque inauditum, fuisse illud quidem visibile sed mancum et *ἀκέφαλον*. Ut igitur *ἔκτυπον* respondeat *ἀρχετύπῳ*, et mysticum corpus sincera sit naturalis corporis imago, fateamur oportet, ecclesiam esse *ἓν σῶμα, corpus unum*, idemque conspicuum, membrisque omnibus et capite inprimis absolutum.

330. Heic autem quaestio oboritur ex se quidem plana ac perspicua, sed quam protestantes [56] asperam obscuramque reddiderunt. Quum enim quaereretur, cuinam partes iuraque adscribi debeant *capitis*, prae quo mysticum et visibile ecclesiae corpus *ἓν σῶμα* nuncupatur et creditur, reponunt illi concordes, deferri alteri non posse quam Christo, cui disertis Scripturarum verbis asse-

[55]) Huc faciunt solemnes imagines unius domus, regni, civitatis, ovilis, templi Deo sacri. Atque huc illud etiam facit quod eorum unitas quae distincta per se sunt ac diversa non aliunde in Scripturis quam e capitis unitate depromitur. In matrimonio (Ephes. V. 31.) *unum* dicuntur *vir* et *uxor*, et ea quidem unitate, quae *μυστήριον* (v. 32.) referat, quo Christus cum ecclesia *unus* dicitur. Sed cur? quod (v. 23.) *ἀνήρ ἐστι κεφαλὴ τῆς γυναικός*. Unus dicitur cum fidelibus Christus, sed quia (I. Cor. XI. 3.) *παντὸς ἀνδρὸς ἡ κεφαλὴ ὁ Χριστός ἐστι*. Unus cum Christo Deus, sed quia *κεφαλὴ Χριστοῦ ὁ Θεός*. Si ergo ecclesia unum est corpus, suam hanc dotem non aliunde quam e capitis unitate mutuatur: et vix quidpiam fingi absurdius potest quam ecclesiam esse *ἓν σῶμα*, illudque *ἄκεφαλον*.

[56]) E quibus Franciscus Turrettinus Loco XVIII. q. XVI. §. X. scribit: „Christus solus est monarcha, *caput* et sponsus ecclesiae, cui se profitetur semper affuturum usque ad consummationem seculi, Matth. XXVIII. 20. Sed hoc est *ἀσύστατον* cum *vicario*, qui absentis tantum aut impotentis vices supplet; alias *monarcha* non esset *μόνος*, et *corpus* esset *biceps*, et *sponsus* admitteret thori socium, quod non est ferendum. Confirmatur ex eo quod Paulus qualitatem *capitis* quam Christus obtinet respectu ecclesiae, fundat in relatione Servatoris, quum ait Ephes. V. 23. *Christum esse caput ecclesiae, servatorem corporis sui*, ut nemo possit esse caput, qui non sit etiam servator. Unde addit, *viros diligere debere uxores, sicut Christus dilexit ecclesiam, et se ipsum pro illa dedit.* Sic I. Cor. I. 12. damnat eos omnes, qui factionibus inter se divisi vel Petrum vel Paulum vel Apollo in *caput* sibi asciscebant. .... Et sane ut unum est corpus et unus spiritus, ita unicum tantum caput dari debet, maxime cum eodem modo Christus sit caput ecclesiae, quo vir uxoris, qui in maritali officio vicarium non admittit: *Ἡ μία καὶ μόνη ἀληθῶς κεφαλή*, *unum et solum vere caput*, ait Basilius in Asceticis, et Gregorius epist. XXXVI. lib. IV. *unus rex, unus monarcha, unum solum caput.*“

runtur. Illi namque asseruntur ubi [57] dicitur, *ἀνήρ ἐστι κεφαλὴ τῆς γυναικός, ὡς καὶ ὁ Χριστὸς κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας· καὶ αὐτός* [58] *ἐστι σωτὴρ τοῦ σώματος:* itemque ubi [59] repetitur, *καὶ αὐτὸν ἔδωκε κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα* [60] *τῇ ἐκκλησίᾳ, ἥτις ἐστὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ*, et [61] *καὶ αὐτός ἐστι κεφαλὴ τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας.*

Sed mihi liceat animadvertere, quidnam proprie in controversiam veniat, quidve sit a praesenti contentione remotissimum. Itaque in controversiam nullatenus venit, utrum Christus sit supremum ecclesiae caput, illique suprema auctoritate dominetur, neque in controversiam venit, utrum quamdiu inter homines mortalis vixit, *conspicuum* fuerit illius coetus *caput*, qui instar fecundissimi seminis universum deinde orbem occupavit. Utrumque enim indubium est, ac utrumque non protestantibus magis quam catholicis certum ac exploratum. Quod igitur in controversiam *proprie* adducitur, hoc est: utrum militanti in terris ecclesiae, et spe ad supernam patriam anhelanti, praeter Christum invisibile caput, *αὐτοκεφαλήν*, eumque iam gloriosum, alterum credi debeat praepositum visibile caput, invisibili obnoxium, ab eoque institutum, et cum quo apta nexaque ecclesia habitum ac speciem unius conspicui integrique corporis praeseferat; utrum Paulus ecclesiam dicat *ἓν σῶμα*, illique unitatem conspicui corporis propterea adscribat, quod cum Christo invisibili capite devinciatur. Quibus circumscripta finibus disputatio neque difficilem habebit exitum neque reconditum.

331. Ecquis enim dixerit *ἰδέαν* formamque unius visibilis corporis integram incolumemque manere, si illud visibili capite destituatur? quis vel imaginando corpus fingat, quod unum sit et visibile, idemque non alio praeditum capite quam invisibili? nisi monstra haec sint ac ludibria, plane nescio quae debeant hisce appellationibus designari. Quum igitur Paulus ecclesiam vocat *ἓν σῶμα*, caput illi tribuit visibile, sine quo *ἓν σῶμα* esse non potest. Quum autem Christum ecclesiae caput affirmat, caput intelligit [62] invisibile, cui *ἡ ἐκκλησία ὑποτάσσεται:* caput [63] intelligit quod ecclesiam sanctificat et mundat; minime vero caput e quo illa unitatem visibilis corporis *ἀμέσως* mutuetur. Hinc licet legamus [64] in bibliis Christum esse *unum* ecclesiae *Dominum*, *unum mediatorem*, numquam tamen in iisdem

[57]) Ephes. V. 23. Dicitur autem *vir mulieris caput*, vel quia is est *γεννήτωρ αὐτῆς καὶ προβολεύς:* vel *διὰ τὸ κατάρχειν καὶ ἐξουσιάζειν αὐτῆς*. Ita apud Oecumenium Photius ad I. Cor. XI. 3.

[58]) Voces *καί, ἐστί* cum vulgato interprete omittunt versiones aliae, pluresque codices. Hanc omissionem probant Millius, Bengel et Griesbachius.

[59]) Ephes. I. 22.

[60]) Vulgatus aliter legit. Ceterum *κεφαλὴ ὑπὲρ πάντα* idem est ac *κεφαλὴ ὑπέρτατος*.

[61]) Coloss. I. 18. Si simul textus comparentur, quibus Christus *κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας* nuncupatur, perspicuum erit, hanc illi dignitatem eximia prorsus ratione adscribi, *ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων*. Qua praestituta significatione nihil eo verius quod Orat. XXXI. pag. 501. Gregorius nazianzenus scribit: *Εἷς Χριστός, μία κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας.*

[62]) Ephes. V. 24.

[63]) Ibid. vv. 26—27.

[64]) Ibid. IV. 5, I. Tim. II. 5.

legimus, eum esse *unum* ecclesiae *caput*. Idcirco autem hoc non legimus, quod praeter Christum summum ac invisibile caput necessario ecclesiae insit caput visibile, quo unum in se corpus ostenditur atque constituitur.

332. Quae quidem tanti esse momenti Henrico Dodwello anglicanae sectae erudito theologo visa sunt, ut operae pretium duxerit [65] expolire illa diligentius, certisque argumentorum momentis stabilire. Principio itaque [66] notat, „*externam* ecclesiae unitatem eo esse consilio a Deo institutam, ut per illam fiamus *spiritualis* atque *invisibilis*, cum Deo Christoque eius, *unitatis* participes. Erat enim id mysteriorum omnium ethnicorum consilium, unde mysteriorum ipsum ad christianos manavit [67] exemplum, ut *visibilium invisibiliumque* quoddam institueretur quasi commercium, ut per symbola quaedam atque ectypa sensibus obnoxia ad *νοητὰ* et *ἰδέας*, atque ipsa adeo rerum illarum exemplaria archetypa aditus patefieret. Ergo mystica illa ecclesiae *ἕνωσις* ad intellectualem illam *λόγου ἕνωσιν*, de qua tam multa [68] platonici, aspirabat. Ut igitur *κοινωνία* cum orthodoxis [69] apud s. Johannem viam parabat ad *κοινωνίαν* cum Patre Filioque; ita de *ἑνώσει* erat similiter statuendum, qui illam externam cum ecclesia communem haberent, eos de intellectuali quoque cum Patre Filioque *ἑνώσει* participes futuros.“

333. Notat [70] deinde, „ita intellectualia rerum exemplaria per symbola fuisse communicata, quod symbola eo ipso consilio a Deo instituta intelligerentur, ut innueret ea se spiritualia beneficia praestiturum quae per symbola repraesentasset, ut proinde sollicite cavendum esset de vera symboli [71] repraesentatione, cum alioqui spem omnem beneficiorum intellectualium alioqui repraesentandorum, falsa esset repraesentatio praecisura. Id solemne erat prophetis, quorum haec sunt idiomate concepta. Joasum [72] reprehendit Elisaeus quod terram *ter* dumtaxat percussisset, fore dicens propterea ut *trinam* a syris victoriam reportaret, si saepius ictum repetiisset, penitus profligaturus. Et vero ipso unitatis procurandae consilio instituta videntur a Deo sacramenta. *Baptizamur* [73] scilicet *in unum corpus*. *Multi etiam* [74] *unus sumus panis et unum corpus*,

[65]) Dissert. Cyprianic. VII. De episcopo unitatis principio, et s. Petri in apostolos primatu unitatis exemplari.

[66]) Ibid. §. XIX.

[67]) Longe castius huius exempli origo e mosaica *οἰκονομίᾳ* desumeretur.

[68]) Satius omnino fuerat, platonicis omissis, ad ea animum convertere, quae habentur Joh. XVII. 21—23.

[69]) I. Epist. I. 3.

[70]) Dissert. cit. §. XX.

[71]) Cuius rei insigne occurrit exemplum Hebr. VI. 4—7. Eccur enim *ἀδύνατον* est, *τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας*, ... *καὶ μετόχους γενηθέντας πνεύματος ἁγίου*, denuo *ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν*, renovari ea poenitentia, quae prima est quaeque regenerationem parit? quod baptisma sit repraesentatio mortis et resurrectionis Christi, ac iterari ideo nequeat quin secundo ac tertio Christus mori et resurgere videatur.

[72]) II. Reg. XIII. 18—19.

[73]) I. Cor. XII. 13.

[74]) Ibid. X. 17.

quia de uno pane participamus. Ita igitur unitas ecclesiae externa internam illam intellectualemque praestitura est, si eam quam accuratissime et ad verum expresserit, idest, si unitas ectypa respondeat archetypae. Aliter fiet ut ne Deus ipse obstringatur ad praestandam intellectualem illam, quae maximi facienda est, unitatem. Praesertim cum haec sacramentorum symbola ideo instituta sint ut *pacti* vicem obtinerent. Jam enim sequetur, ut eam praestare unitatem, si non repraesentetur, ne pactus quidem Deus intelligatur."

334. Ad haec [75] subdit, „ut haec intellectualis unitas ad vivum repraesentetur, eiusdem generis unitatem esse debere in ecclesia ectypa, qualis fuerat in archetypa. Cum igitur in intellectuali illa unitate a capite arcessatur omnis unitas (est enim *Christi caput Deus*, ut ipse *Christus est caput ecclesiae*), sequitur ut in ecclesia unitas a capite sit similiter inchoanda. Cum a capite illo ad membra deriventur unitatis influentiae, a Deo ad Christum, a Christo ad ecclesiam; sequitur in ecclesia idem esse agnoscendum, ut quaecumque unitatis beneficia participant membra, ea non sint alteri quam capiti tribuenda. Utque omnis corporis, membrorumque unitas a capitis unitate profluit, idem in ecclesia valebit, a capitis eius unitate ecclesiae membrorumque eius omnem unitatem profluere debere. Christus unus est, quia unum habet caput, Deum Patrem; ecclesia similiter una est, quia unum habet caput, ipsum Christum."

335. Verum [76] concludit, indubitatum existimari debet, „non sufficere ad ecclesiae unitatem caput Christum, sed vero in ecclesia visibili de visibili haec esse capite intelligenda. Jam enim ostendimus nihil esse invisibilium expectandum a Deo nisi quod a visibilibus externisque symbolis repraesentetur atque significetur. Proinde nisi in ecclesia visibili [77] sit etiam unitas visibilis in eius constitutione repraesentata, unitatem illam invisibilem ecclesiae membra a Deo frustra expectabimus. Ni adsit in ecclesia visibile etiam caput, nec visibilem unitatem habere possumus a visibili, ut dixi, capite repetendam, nec etiam cum Christo invisibili capite coniungemur. Ni deriventur in ecclesia visibiles illi gratiae canales a visibili eius capite [78] per sacramenta, nec erit quod a Christo invisibili capite invisibilem sacramentorum gratiam speremus. Ni unum praeterea sit visibile caput, non erit unitatis visibilis primordium, nec invisibilis capitis ipsius Christi ἀῤῥαβών. Quid quod ipsa etiam sacramenta visibilis unitatis instrumenta atque pignora, probant omnino eorum omnium necessitatem quae sunt ad visibilem unitatem necessaria, nec esse aliter de invisibili quoque unitate participandum."

[75]) Dissert. cit. §. XXI.

[76]) Dissert. cit. §. XXII.

[77]) Utrumque enim iunctum connexumque Christus voluit, qui non aliam quam ecclesiam visibilem, eamdemque unam suis promissionibus, donisque locupletavit.

[78]) Etenim Ephes. IV. 12. ὁ καταρτισμὸς τῶν ἁγίων καὶ ἡ οἰκοδομὴ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ab iis proficisci visibiliter debent, quibus ἔργον διακονίας commissum est. Atqui hos inter is eminet, qui oecumenici capitis dignitate donatus a Christo audivit, *pasce oves meas.*

336. Quum itaque insita ecclesiae ratio, qua est diciturque *ἓν σῶμα, unum ac visibile corpus*, universaque *οἰκονομία*, qua visibilia invisibilibus tamquam *ἀρχετύποις* respondere debent, unum postulent visibile caput; definiendum restat, cuinam Christus tam insignem, tamque praeclaram supremi visibilisque capitis dignitatem contulerit. At dubitabimus ne hanc illi tributam affirmare, quem omnibus Christus anteposuit, quem ceteris maiorem renunciavit, quem universi gregis pastorem constituit, cui fratres confirmandos tradidit, qui primas sibi semper assumpsit, cui principem gradum apostoli constanter detulerunt, quemque christiani iam inde ab ecclesiae primordiis appellatione titulisque [79] *capitis*, *centri*, *fontis*, *radicis*, *principiique* ecclesiasticae unitatis exornarunt? si qui sint adeo morosi ut hac etiam de re ambigere fas sibi esse opinentur, hi quidem neque sibi nefas existimabunt dubitare, niteat nec ne sol dum omnia lumine colorantur. Atqui Petrus est cui ea conveniunt omnia, quae pluribus antea a nobis demonstrata, angusto verborum ambitu in praesentia comprehendimus. Quibus ergo verbis de ecclesia Paulus testatur, esse illam *ἓν σῶμα*, unum conspicuumque corpus, iisdem *δυνάμει* et ex analogia fidei, Scripturarumque docet, Petrum illi tamquam visibile caput, unitatisque originem fuisse praepositum.

337. Non sum autem nescius quae ex verbis a Paulo mox adiectis sumi difficultas possit, et adversus ea quae deduximus, intorqueri. Etenim ne sibi in animum ephesii inducerent, tantam ecclesiae [80] unitatem, quantam celebraverat, impedire quominus in uno eodemque conspicuo corpore membra haberentur officiis distincta, secreta donis, ac alia aliis auctoritate iuribusque praestantia, continuo [81] subiecit: *Ἑνὶ δὲ ἑκάστῳ ἡμῶν ἐδόθη ἡ χάρις κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ· διὸ λέγει· ἀναβὰς* [82] *εἰς ὕψος ἠχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν, καὶ ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις .... καὶ αὐτὸς ἔδωκε τοὺς μὲν ἀποστόλους, τοὺς δὲ προφήτας, ... πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ.* E quibus hoc, vel huic certe non dissimile argumentum colligi posse videtur: „Non negabimus, immo sponte dabimus, dotem proprietatemque ecclesiae, qua est *ἓν σῶμα, unum ac visibile corpus*, postulasse ut unum ac visibile caput unitatis conspi-

[79]) Hieronymus in priore adversus Jovinianum libro, Optatus adversus Parmen. lib. II. cap. II, et Philippus apostolicae sedis legatus in ephes. concilio, Act. III. *nulli dubium, immo seculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus ὁ ἔξαρχος καὶ κεφαλὴ τῶν ἀποστόλων .... claves regni accepit.*

[80]) Ephes. IV. 3—7.

[81]) Ibid. vv. 7—13.

[82]) Prompsit ista Paulus ex Ps. LXVIII. 19, sed a) personam secundam in tertiam mutavit, *ἠχμαλώτευσεν, ἔδωκε*: alexandrini, *ἠχμαλώτευσας, ἔλαβες*: textus, שָׁבִיתָ, לָקַחְתָּ: b) inseruit particulam *καὶ* ante *ἔδωκε*: c) notionem *adsignificatam significatae* praetulit, *ἔδωκας* pro *ἔλαβες*, לָקַחְתָּ: et d) omisit praefixum ב, quod reddunt alexandrini, *ἐν ἀνθρώποις*, quodque textus praefert, בָּאָדָם.

cuae origo et caussa eidem praeponeretur. Unum autem conspicuumque caput intelligi *dupliciter* potest, unum inprimis *unitate personae*, quae propria est *monarchiae*, unum deinde *unitate collegii*, cuiusmodi in *aristocratia* reperitur. Quare investigandum est, quem unitatis modum Paulus docuerit. Atqui sunt ista perspicua, *καὶ αὐτὸς ἔδωκε τοὺς μὲν ἀποστόλους ... πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ:* planeque ostendunt, unum quidem visibile caput, sed unum *unitate multitudinis* et *aristocratiae propria*, non unum *unitate personae* et *propria monarchiae*, esse ecclesiae praepositum, eiusque propterea conspicuam unitatem non ex uno Petro, sed ex universo apostolorum collegio repeti oportere."

338. Quod qui inferunt, citius quam eis liceat, gressus figunt, nec id omne colligendo eruunt quod est cum antecedentibus copulatum. Quare auctor illis sum ut porro pergant, totamque sententiam explicent, concludantque, unitatis perficiendae opus sic esse apostolis creditum, ut ad prophetas quoque, evangelistas, pastores doctoresque pertinere existimandum sit. Quemadmodum enim de apostolis scribitur, eos esse divinitus datos *πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ:* ita de prophetis, evangelistis, pastoribus doctoribusque idipsum confirmatur. Sed num propterea hierarchicum subvertitur discrimen inter descriptos ordines, quod ad unum eumdemque *σκοπὸν* efficiendae, tuendaeque unitatis conspirent? num propterea a summo hierarchiae gradu ac veluti culmine apostoli deiiciuntur? minime sane, quum neque plurium ad eumdem *σκοπὸν* conspiratio hierarchiae adversetur; neque solvi Scriptura [83] possit quae docet, *ἔθετο ὁ θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πρῶτον ἀποστόλους.* Qui ergo fit, ut protestantes concludant, idcirco Petrum propria capitis dignitate spoliari, quod apostoli prae ceteris ad opus quod dicitur *καταρτισμὸς τῶν ἁγίων καὶ οἰκοδομὴ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ,* electi fuerint? an id *e rei ipsius natura* deducunt? sed ea talis non est, quae hierarchiam funditus tollat, eximiamque unius Petri dignitatem excludat. An forte *e silentio* id eruunt Scripturarum, quod nihil Petro tributum narrent, quod non fuerit apostolis reliquis commune? atqui innumera sunt in Scripturis quae verissimum esse demonstrant quod Cyprianus [84] scripsit: *una est ecclesia a Christo Domino super Petrum origine unitatis et ratione fundata.* Sicut ergo Scriptura quae docet, *ἔθετο ὁ θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πρῶτον ἀποστόλους,* non sinit, ut unus idemque apostolis, prophetis, evangelistis, pastoribus doctoribusque tributus gradus iudicetur; ita Scriptura quae docet fuisse Petrum inter apostolos

[83]) I. Cor. XII. 28.

[84]) Ad episcopos Numidiae, epist. LXX. pag. 302. edit. Felli, qui e Rigaltio ita subiicit: „Versio graeca tantum habet, *ἐπάνω Πέτρου τοῦ ἀποστόλου ἀρχῆθεν ἑνότητος τεθεμελιωμένης.* Ipse Cyprianus libro de unit. eccles., *super unum aedificat ecclesiam.* Et paulo post, *ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.* Pacianus epist. III: *ad Petrum loquutus est Dominus, ad unum ideo ut unitatem fundaret ex uno. Mox idipsum in commune praecipiens.*"

πρῶτον, *μείζονα*, *ἡγούμενον*, inter fratres primogenitum, in universo aedificio fundamentum, ac in ovili oecumenicum pastorem, non patitur ut eidem honos capitisque *maiestas* [85] detrahatur.

339. Ac nemo sane, inquit [86] Dodwellus, adducere in controversiam potest, utrum conspicua *visibilis capitis* unitas „de *personae* sit unitate, non *multitudinis*, qua commune confletur caput, intelligenda. Id enim ea primum ratione efficitur apud Cyprianum [87] solemni, indeque prompta, quod *unus* est Christus, et *unus* item Deus. In utroque enim *archetypo* non est multitudinis, sed vero personae, unitas. Et quidem tanti semper fecit ecclesia hanc unitatem, ut pro haereticis haberet si qui hanc personarum unitatem quovis modo labefactandam censerent. *Οἱ* [88] *καταλύοντες Ἰησοῦν*, sive plures Christos introduxissent, sive etiam Jesum a Christo distinguendum censuissent, ab ipsis etiam apostolorum usque temporibus in haereticorum censum relati sunt; ne iam recentioris ecclesiae decreta commemorem adversus Nestorium. Nec aliam existimo fuisse caussam cur etiam in *trinitate unitatem* tantopere depraedicarent apostoli, cur eam ipsam, in trinitate etiam, unitatem a capitis unitate deduxerint, nisi ut omnibus modis ostenderent, ad capitis unitatem ne tres quidem personas esse adhibendas, sed in unam dumtaxat esse referendam. Si itaque plus quam una esset in ecclesiae visibilis capite persona, iam coelestem illam unitatem minime referret, cum illa nihil commune habitura. Etiam haeretica esset illa repraesentatio. Cum enim christiani ita unum esse debemus, ut est unus cum Christo suo Pater: innueretur plures esse in Christo aut Patre personas, si ad Christi Patrisve repraesentationem plures personas adhiberemus. Nec enim est quod in *verbis* magis quam in *factis* [89] haeresim constituamus,

[85]) Opportunissimum hoc vocabulum existimavi, quo *ἐξουσίαν*, *ἀρχήν*, *αὐθεντίαν*, *δυναστείαν*, *ἡγεμονίαν* uni Deo Christoque eius obnoxiam significarem.

Neque sint qui opponant, aut cum ecclesiae modestia minus apte illud convenire, aut ab usu loquendi ecclesiastico abhorrere. Etenim a) *maiestatis* nomine usi sunt Augustinus et Cyprianus, ille dum in libro de utilitate credendi, cap. XIII. *maiestatem catholicae disciplinae* laudavit: hic dum epistola LIX. ad Cornelium, et epistola LXVIII. ad Stephanum *maiestatem* extulit ac *dignitatem ecclesiae*. Petri autem b) eiusque successorum *maiestatem* memorant, encomiisque laudum extollunt Bernardus in epistola CCLXI. ad Eugenium, concilium viennense in epist. synodica ad Paschalem II. et Carolus Calvus in epist. ad Nicolaum primum, quae Actis tricassinae synodi continetur.

[86]) Dissert. cit. §. XXIII.

[87]) De unit. ecclesiae, pagg. 78—79.

[88]) I. Joh. IV. 3.

[89]) Hinc damnatos ab ecclesia scimus qui mysticam baptismalis ritus repraesentationem nullatenus reveriti, trinae mersioni *ad plenam et adunatam trinitatem* exprimendam adhibitae, unicam qua ostenderent vel unum esse Deum tam *φύσει* quam *ὑποστάσει*, vel eum ritum *εἰς τὸν θάνατον τοῦ κυρίου*, non autem *εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος* conferri, suffecerunt.

Consuli possunt Socrates H. E. lib. V. cap. XXIV, Sozomenus H. E. lib. VI.

cum certa esse debet facti repraesentatio. Quo magis Deum irritari oporteat ne ratam habeat in coelo falsam illam unitatem, non modo quia coelestem illam unitatem falso vitioseque repraesentaret capitis illa terrestris multitudo, ut non illam sed plane aliam exprimeret; sed vero quia in eo ipso male repraesentaret, in quo alioqui accuratissime fuisset cautum, ne, quam esset, aliter repraesentaretur."

340. Atque haec omnino ratio fuit, quae [90] Maximum, Urbanum, Sidonium et Macarium gloria confessionis insignes, et a Novatiani schismate ad pacem unitatemque ecclesiae redeuntes permovit, ut suam his verbis fidem profiterentur: „Nos Cornelium *episcopum sanctissimae catholicae ecclesiae* electum a Deo omnipotente et Christo Domino nostro scimus. Nos errorem nostrum confitemur: nos imposturam passi sumus. Circumventi sumus perfidia et loquacitate captiosa; nam etsi videbamur quasi quamdam communicationem cum schismatico et haeretico homine habuisse, sincera tamen mens nostra semper in ecclesia fuit. *Nec enim ignoramus unum Deum esse, unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum Sanctum, unum episcopum in catholica ecclesia esse debere.*" Eadem ratio Cornelio persuasit, ut in litteris ad Fabium antiochenum datis [91] hac sententia, brevi illa quidem, gravissima tamen, Novatiani scelus demonstraret: *Ὁ ἐκδικητὴς οὖν τοῦ εὐαγγελίου, οὐκ ἠπίστατο ἕνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ergo ille evangelii vindex ignorabat unum episcopum esse oportere in ecclesia catholica.*

Neque alia de caussa factum videri debet, ut Dionysius alexandrinus [92] his verbis Novatianum perstringeret: Ἔδει μὲν γὰρ πᾶν ὁτιοῦν παθεῖν ὑπὲρ τοῦ μὴ διακόψαι τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ· καὶ ἦν οὐκ ἀδοξοτέρα τῆς ἕνεκεν τοῦ μὴ [93] θῦσαι μαρτυρία, κατ' ἐμὲ δὲ καὶ μείζων· ἐκεῖ μὲν γὰρ ὑπὲρ μιᾶς

cap. XXVI, Theodoritus Haeretic. Fabul. lib. IV. cap. III, canon quinquagesimus ex apostolicis, et Tertullianus qui contra Praxeam disputans sic habet cap. XXVI: „Et post resurrectionem spondens Christus missurum se discipulis promissionem Patris, et novissime mandans ut tingerent in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, *non in unum*. Nam *nec semel sed ter*, ad singula nomina in singulas personas tingimur."

[90]) Narrat ista Cornelius in epistola XLIX. al. XLVI. pag. 235. ad Cyprianum.

[91]) Apud Eusebium H. E. lib. VI. cap. XLIII. Monet autem in subiecta adnotatione Valesius, eadem verba legi in epistola Cornelii Papae ad Cyprianum; tum addit: „Ecclesiam catholicam specialiter appellari romanam; eo quod radix sit et matrix ecclesiae catholicae, ut ait Cyprianus in epistola ad Cornelium. Sic catholicam ecclesiam idem Cyprianus in epistola ad Antonianum initio vocat romanam: *ut iam sciret te secum, hoc est, cum catholica ecclesia communicare.*"

[92]) Apud Eusebium H. E. lib. VI. cap. XLV.

[93]) In vulgatis editionibus ac in ipsa quoque valesiana legitur, τοῦ μὴ σχίσαι, sed legendum esse τοῦ μὴ θῦσαι felici coniectura Pearsonius in Annalibus Cyprianicis ad an. CCLI. §. X. vidit, et latina Ruffini versione confirmavit.

τις τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς, ἐνταῦθα δὲ ὑπὲρ ὅλης τῆς ἐκκλησίας μάρτυρεῖ. *Satius quidem fuerat quidvis pati ne ecclesia Dei discinderetur. Nec minus gloriosum fuisset quam martyrium subire ne idolis sacrificares. Immo illud meo quidem iudicio illustrius fuisset. Heic enim pro sua unius anima: illic pro universa ecclesia martyrium quis sustinet.*

Sicut enim inter duodecim apostolos unus omnium caput eminuit Petrus; ita inter episcopos multo plures, qui ad consummationem usque saeculi vicaria ordinatione erant apostolis successuri, necessarium fuit unum Petri vicarium ceteris omnibus antecellere, ut eamdem semper formam conspicuum ecclesiae corpus exhiberet, et unitate conspicui capitis unum esse Christum, unumque Deum Patrem constanter referret.

Porro simillimum est discrimen quod existit inter *caput* et *membra*, quodque dirimit sive *necessitatem* cohaerendi cum capite et cum membris, sive *schisma* quo quis a capite vel a membrorum aliquo separatur. Illa enim necessitas est omnimoda, princeps, absoluta: haec nonnisi altero in loco haberi potest; illud schisma est plenum, *δυνάμει* universale [94], et quo seiunctae partes motu vitaque privantur: hoc per se ac suapte natura [95] *particulare* dumtaxat est, idque efficit unum ut particula penitioris societatis inter pugnantia membra [96] desideretur.

341. Verum haec quae nobis sunt luculentissima, non Rigaltio [97] solum ac [98] Fello, sed ipsi quoque Henrico Dodwello [99], quem consentientem hactenus experti sumus, adeo displicent, ut primum exclamet: *mirum sane viros alioquin eruditissimos ita posse argutari!* subdat deinde: „Quasi vero *ecclesiae catholicae* nomen non esset *ecclesiis* etiam *particularibus* commune. Quis nescit

[94]) Quae enim est separatio *a capite*, eadem separatio ab universo corpore merito censetur. Hinc illud Ambrosii in Ps. L. n. 30: *ubi ergo Petrus*, *ibi ecclesia*, quia ut idem docet, scriptum est: *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.*

[95]) Per se, inquam, et suapte natura; contingere enim *ex accidenti* potest, ut unio ac societas cum particulari aliquo episcopo necessaria penitus habeatur. Cuius rei exempla extant in Cod. Theodos. lib. VI. Tit. de his qui super religione contendunt, lib. XVI. Tit. I. LL. 1—3, et in Synodico adversus Traged. Irenaei cap. XLIII. pag. 845. edit. Balutii, ubi uterque Theodosius et Arcadius communionem cum Petro alexandrino, Johanne antiocheno, Theophilo, Arsacio et Porphyrio tamquam necessariam praescribunt. Quod ea scilicet essent *rerum adiuncta*, ut dissidium a memoratis episcopis dissensio ab orthodoxa fide iure praesumeretur, non quod iis vis ac dignitas *per se* inesset, quae omnium communionem postularet.

[96]) Cf. Petri Ballerinii appendicem ad §. I. capitis XI. operis inscripti, *De vi ac ratione primatus Romanorum Pontificum.*

[97]) In notis ad epist. XLIX. inter Cyprianicas.

[98]) Fellus Rigaltii verba adducit et probat, in Pamelium contra irascitur qui dixerit, *unum episcopum simpliciter pro romano episcopo accipi.*

[99]) Dissert. cit. §. VIII.

ecclesiam quoque *smyrnensem*, in antiquissima forte [100] huius vocis mentione, catholicam appellari? ita scribunt ipsi [101] de Polycarpo suo episcopo: γενόμενος ἐπίσκοπος τῆς ἐν Σμύρνῃ καθολικῆς ἐκκλησίας. Quis Cyprianum [102] ipsum de suo quoque schismatico Felicissimo, eiusque pseudo-episcopo Fortunato idem scribere, fuisse illos *sacerdotum hostes*, *et contra ecclesiam catholicam* rebelles, idque vacillante adhuc Cornelio? De Meletio episcopo schismatico decrevit [103] synodus nicaena, nihil illum tentare debere χωρὶς γνώμης τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου τῶν ὑπὸ Ἀλέξανδρον, idest, episcoporum ecclesiae alexandrinae subditorum. Idem concilium canone VIII. de haereticis catharis sive novatianis: εἰ δὲ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου ἢ πρεσβυτέρου ὄντος. Rursus ecclesiae alexandrinae ita scribit [104] Constantinus: Κωνστάντινος Σεβαστὸς τῇ καθολικῇ Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίᾳ. Eumdem etiam suae quoque Ptolemaidis ecclesiae titulum adhibet Synesius. Et si id fuisset apud eruditos minus in confesso, vel haec ipsa loca quae de ecclesia romana loquuntur, satis ipsa probarent, neutiquam de alia quam de particulari ecclesia romana esse intelligendum. Cum enim *unus* dumtaxat *episcopus in ecclesia catholica* agnoscitur, id ne verum quidem erat nisi de particulari ecclesia romana. Quod enim commentus est de *ecclesia catholica virtuali* Cardinalis Perronius, novum est omnino, nec ullis saeculis auditum."

342. Tribus igitur argumentis Dodwellus pugnat, eaque labefactare contendit quibus oecumenici capitis dignitatem inde Petro asserendam existimavimus, quod unus in ecclesia catholica antistes, unusque episcopus esse debeat. E quibus primum illud est, *catholicae* appositum ita ecclesiarum συλλογῇ ac veluti summae proprium esse, ut singulis quibusque orthodoxis ecclesiis aequali iure tribuatur. Quod aliquot adductis exemplis continuo illustrat. Addit non posse quod de Petri vicario [105] romanoque antistite dicitur, *unum in ecclesia catholica epi-*

[100]) Quae adeo invaluit, ut in ipsa quoque symbola referretur, quorum vetustissimum ab apostolis nuncupatum sic habet: Πιστεύω τὴν ἁγίαν ἐκκλησίαν καθολικήν.

[101]) Apud Eusebium H. E. lib. IV. cap. XV.

[102]) Epist. LV. al. LIX. pag. 261.

[103]) Apud Socratem H. E. lib. I. ex can. VI. eiusdem concilii.

[104]) Apud Socratem H. E. ubi supra.

[105]) Etsi *vicarii*, *successorisque* nomina significandi potestate proprie discrepent; in monimentis tamen ecclesiasticis non raro ἀδιαφόρως usurpantur. Atque ita Gregorius lib. I. epist. IV. electum mediolanensis cathedrae antistitem dicit *vicarium s. Ambrosii*, Thato eiusdem sedis episcopus se *vicarium Ambrosii* appellat apud Puricellum in Ambros. Basilicae Monumentis pag. 200, et in Diplomate Ottonis apud Ughellum Italiae Sacr. T. V. pag. 66. Hildericus episcopus veronensis *vicarius s. Zenonis* nuncupatur.

Quum autem sermo est de romanis praesulibus, qui ut Cyprianus ait epist. LV. pag. 243, *locum Petri et gradum cathedrae sacerdotalis* tenent, ea appellatio est longe frequentissima. Ea utuntur Leo Serm. III. in Natali ipsius cap. IV, Symmachus epist. I. apud Labbé, Ivo carnotensis epist. CCXXXVI, Leo VII. epist. ad

scopum esse oportere, de universo orthodoxorum nomine intelligi, quia singulis gregibus praefecti pastores suo iure, suisque cathedris expolientur. Subdit postremo nihil Confessores, nihil Cornelium de romana ecclesia, romanoque episcopo Petri vicario tradidisse, quod Cyprianus de episcopo, deque carthaginiensi ecclesia non affirmaverit.

343. His autem ut eodem respondeam ordine quo a Dodwello proponuntur, principio interrogabo, quid illud sibi velit, *catholicae* appositum et universo orthodoxorum nomini, et singulis quibusque orthodoxis coetibus *aequo iure* convenire. Istud ne, ex origine, usuque loquendi ecclesiastico *per se* ac *primum* de diffuso ubivis Christi regno non usurpari? nemo qui vel mediocriter in ecclesiasticis sit monimentis versatus, aut ipse teneat, aut aliis hanc persuadendam opinionem arbitretur. Sicut enim *πίστις καθολικὴ* ea est [106] diciturque quae *καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ*, quaeque [107] praedicatur *in universa creatura quae sub caelo est*; ita *primum ac per se* ecclesia catholica nuncupatur [108] quae *ab oriente usque in occidentem diffunditur*, quae [109] *καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἕως περάτων τῆς γῆς διεσπαρμένη*, quae [110] *πανταχοῦ κρατεῖ, πανταχοῦ ἕστηκε*, quae [111] *plenum est corpus et solidum, et toto iam orbe propagatum*.

Unde singulares quique orthodoxi coetus ea sermonis lege *catholici* dicuntur, qua partes seorsum acceptae titulis appellationibusque *totius* nuncupantur. Apposite Chrysostomus [112], qui in commentario ad Pauli [113] verba, *ὑμεῖς δέ ἐστε σῶμα Χριστοῦ, καὶ* [114] *μέλη ἐκ μέρους*, petit: *Τί δέ ἐστι, τὸ ἐκ μέρους;* ac reponit: *Τόγε εἰς ὑμᾶς ἧκον, καὶ ὅσον εἰκὸς ἐξ ὑμῶν οἰκοδομηθῆναι μέρος. ἐπειδὴ γὰρ εἶπε, σ ῶ μ α, τὸ δὲ πᾶν σῶμα ἦν, οὐχὶ ἡ παρὰ κορινθίοις ἐκκλησία, ἀλλ' ἡ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης, διὰ τοῦτο ἔφησεν, ἐκ μέρους· τούτεστιν, ὅτι ἡ ἐκκλησία ἡ παρ' ὑμῖν μέρος ἐστὶ τῆς πανταχοῦ κειμένης ἐκ-*

Gallos et Germanos apud Labbé, Walafridus Strabo in lib. de rebus ecclesiast. cap. XXXI, Bonifacius II. apud Labbé, T. VI. col. 1438, et Bernardus epist. CXC. ad Innocentium II.

Unde autem orta illa sit, explicant Petrus Chrysologus et Leo, ille in epist. ad Eutychen n. 2. inquiens, *s. Petrus qui in propria sede et vivit et praesidet;* hic dum Serm. II. al. I. in Assumptione sua ad Pontificat. cap. III. ait, *cuius* Petri *in sua sede vivit potestas et excellit auctoritas*, et cap. IV. *cuius dignitas etiam in indigno herede non deficit.*

[106]) Rom. I. 8.

[107]) Coloss. I. 23. coll. I. Cor. I. 23, IX. 20.

[108]) In Actis s. Fructuosi, qui martyrium fecit anno CCLIX. n. 3.

[109]) Irenaeus adv. Haeres. lib. I. cap. X. n. 1.

[110]) Chrysostomus in epist. ad Coloss. Hom. I. n. 2.

[111]) Pacianus ad Sympron. epist. III. n. 4.

[112]) In epist. I. ad Cor. Hom. XXXII. n. 1.

[113]) I. Cor. XII. 27.

[114]) Quum Vulgatus interpretetur, *et membra de membro*, omnino legit, *καὶ μέλη ἐκ μέλους*.

κλησίας, καὶ τοῦ σώματος τοῦ διὰ πασῶν συνισταμένου τῶν ἐκκλησιῶν. Quantum ad vos attinet et quantum consentaneum est, esse partem ex vobis aedificatam. Quia enim dixit, corpus, totum autem erat corpus, non corinthiorum ecclesia, sed quae ubique terrarum erat; ideo dixit, ex parte: idest, quia ecclesia vestra pars est eius quae ubique terrarum est ecclesiae, et corporis quod omnibus ecclesiis coalescit.

Igitur quod tanta constantia affirmatum vidimus, unum esse *catholicae ecclesiae* episcopum, neque esse plures posse, quemadmodum plures neque sunt neque esse possunt Christi, si vim proprietatemque verborum tenemus, ita interpretemur oportet: non minus singulis gregibus suos praeesse pastores, quam universo gregi, universisque pastoribus oecumenicum caput antecellere.

344. Quod quidem prolata a Dodwello in medium exempla tantum abest ut infirment, ut contra praeclare evidenterque stabiliant. Recolantur enim et cum iis quae nos adduximus, comparentur. Idem ne valent sive *κατὰ λέξιν*, sive *κατὰ διάνοιαν ecclesia catholica*, et *ecclesia catholica* quae est *ἐν Σμύρνῃ*, vel *τῶν Ἀλεξανδρέων?* distant hae formulae verbis, distant significandi potestate: prior enim *universalis* est, posteriores *definitae* sunt, *circumscriptae, particulares.*

Atqui illa tum adhibetur [115], quum de Petro, eiusque in romana cathedra successoribus sermo est: hae in iis apparent [116] testimoniis quae tamquam gemina ac prioribus *ἐκ παραλλήλου* respondentia Dodwellus citavit. Contulit ergo dissimilia ac diversa, eaque comparatione caussam non firmavit sed perdidit.

Ecquae enim afferri ratio potest, ut quod de aliis episcopis usurpatum numquam cernimus, idipsum tanta solemnitate de Petri successoribus inculcetur? non alia sane nisi quae a dignitate oecumenici capitis [117] sumitur, quae primum

[115]) n. 340.

[116]) n. 341.

[117]) De qua dignitate Thomas in IV. con. Gentes, cap. LXXVI. scribit: „Ecclesia militans ex triumphanti ecclesia per similitudinem derivatur. In triumphanti autem ecclesia unus praesidet, qui etiam praesidet in toto universo, scilicet Deus. Ergo et in ecclesia militante unus est, qui praesidet universis. Si quis autem dicat quod unum caput et unus pastor est Christus, qui est unus unius ecclesiae sponsus, non sufficienter respondet. Manifestum est enim, quod omnia ecclesiastica sacramenta ipse Christus perficit, ipse etiam est qui baptizat, ipse est verus sacerdos, qui se obtulit in ara crucis, et cuius virtute corpus eius in altari consecratur; et tamen quia corporaliter non cum omnibus fidelibus praesentialiter erat futurus, elegit ministros per quos praedicta fidelibus dispensaret, ut supra dictum est. Eadem igitur ratione, quia praesentiam erat ecclesiae subtracturus, oportuit ut alteri committeret qui loco sui universalis ecclesiae gereret curam. Hinc est quod Petro dixit ante ascensionem, *pasce oves meas;* et ante passionem, *tu iterum conversus confirma fratres tuos;* et ei soli promisit, *tibi dabo claves ....,* ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda ad conservandam ecclesiae unitatem.“

tributa Petro, in eiusdem deinde successores continua serie permanavit. Quare vel ab omni abstinendum comparatione arbitror, vel hanc utpote omnium accommodatissimam usurpandam, quam verba smyrnensis ecclesiae in epistola [118] de martyrio s. Polycarpi exhibent: „Per tolerantiam devicto iniusto praeside, sicque immortalitatis corona recepta, cum apostolis, omnibusque iustis (Polycarpus) exsultans Deum ac Patrem glorificat, *καὶ εὐλογεῖ* [119] *τὸν κύριον ἡμῶν καὶ κυβερνήτην* [120] *τῶν σωμάτων ἡμῶν, καὶ ποιμένα τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς ἐκκλησίας*, atque benedicit Dominum nostrum, gubernatorem [121] animorum et corporum nostrorum, nec non pastorem oecumenicae et catholicae ecclesiae.“ Est enim Petrus [122] non alterius, sed eiusdem omnino ovilis conspicuum caput et praeses, cuius Christus invisibilis [123] *ποιμὴν καὶ ἐπίσκοπος*, immo [124] *ἀρχιποιμήν*. Quis autem fidelium a superno Christi regimine subducitur? ne unus quidem, sive maximus ille sit, sive medius, sive infimus, unde *ὁ ποιμὴν τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς ἐκκλησίας* appellatur.

345. Jam [125] alterum, si propriis efferendum vocabulis est, inane prorsus nugatoriumque declarari debet. Sane num quia caput corpori praeest, aliis idcirco membris nullus est locus? num quia metropolitae maiori iure potiuntur, suo idcirco a gradu obnoxii illis praesules excidunt? num idem est auctoritate gaudere eaque frui soluta penitus, ac nemini subiecta? quisque cernit *ἄτοπα* haec esse et prorsus *ἀσύστατα*. Praesunt igitur singulis gregibus successores apostolorum, sed universo ovili, universisque pastoribus is vicissim praeest qui Petrum refert, qui Petri locum occupat, ac e Petri cathedra docet et regit. Sicut enim unaquaeque ecclesia [126] grege continetur qui suo adhaeret pastori, ita universa ecclesia ovile est quod supremo pastore gubernatur: et sicut unaquaeque ecclesia suam *ἀμέσως* unitatem nanciscitur ex unico cui subest praeside, atque ex eo habet ut sit *ἓν σῶμα*, ita catholica ecclesia [127] quae *in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur*, una est, unumque Christum sua unitate repraesentat, quia unius supremi capitis auctoritate continetur. Animadverti namque debet, unitatem corporis non dotem magis esse singularum seorsum ecclesiarum, quam dos et proprietas sit [128] ecclesiae totius atque catholicae. Sane quum Paulus ecclesiam docet [129] esse *ἓν σῶμα*, ecclesiam spectat quam Christus instituit, redemit, sanctificavit, ac porro sanctificat. Instituit

118) §. XIX.

119) Latinus interpres praeterea legit, *Ἰησοῦν Χριστόν, σωτῆρα τῆς ψυχῆς ἡμῶν.*

120) Deest *τῶν ψυχῶν καί.*

121) Haec ex veteri latino interprete suppleta sunt.

122) Joh. XXI. 15. seqq.

123) I. Petr. II. 25.

124) Ibid. V. 4.

125) n. 341.

126) Quod nobiscum anglicani tuentur.

127) Cyprianus de Unit. Ecclesiae, pag. 78.

128) Praeclare Theodoritus in Ps. XLVII. 4: *Μία μὲν οὖν ἐστι κατὰ πᾶσαν γῆν καὶ θάλασσαν ἐκκλησία· διὸ προσευχόμενοι λέγομεν· ὑπὲρ ἁγίας καὶ μόνης καθολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἀπὸ περάτων ἕως περάτων τῆς οἰκουμένης.*

129) Ephes. IV. 4, et V. 23. seqq.

autem Christus [130], redemit, sanctificavit et sanctificat ecclesiam catholicam. De ecclesia igitur catholica illud inprimis ac vero maxime accipi debet, eam esse ἓν σῶμα. Hinc Cypriani [131] effatum, *una est ecclesia per totum mundum in multa membra divisa*, et [132] *per omnia debemus ecclesiae catholicae unitatem tenere:* hinc simillima Origenis [133] sententia, *ἓν σῶμά ἐσμεν καὶ ἓν πρόβατον:* cui altera respondet [134] Alexandri alexandrini, *ἓν σῶμα ὂν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας.* Quare in symbolis [135] profitemur, *πιστεύω εἰς μίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν.*

Sed unde corporis unitas e tanta partium membrorumque varietate prodit ac exstat? quo principio efficitur? qua caussa, quave forma determinatur? ipsemet Dodwellus [136] auctor est, neque illam aliunde repeti, neque proficisci aliunde posse, quam e capitis omnia complectentis unitate. Quod insigni imagine Cyprianus [137] depingit, inquiens: „Ecclesia quoque una est, quae in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur: quo modo solis multi radii, sed lumen unum: et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice [138] fundatum: et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in [139] origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: a fonte praecide rivum, praecisus arescet. Sic ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur: ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit: *unum tamen caput est, et origo una, et una mater* fecunditatis successibus copiosa.“ Tam certum igitur haberi debet, Petrum esse oecumenicum ecclesiae catholicae caput, quam certum est quod Paulus tradit, eam esse *ἓν σῶμα*, quodque symbola his verbis referunt: *πιστεύω εἰς μίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν.*

346. Noluissem vero mentionem Cypriani a Dodwello [140] iniectam: noluissem Cypriani suffragio defendi, eodem pacto romanam et carthaginiensem ecclesiam vocari catholicam, neque plus Petro eiusque vicariis, quam apostolis

[130]) Marc. XVI. 20, Act. II. 6—12, XI. 19—20, Rom. I. 8, X. 18. coll. Ps. XIX. 5.

[131]) Epist. LII; cum qua conferri ista debent ex epist. XL: „Deus unus est, et Christus unus, et una ecclesia, et cathedra una super Petrum Domini voce fundata.“ Quae *cathedrae unitas* ab Optato in altero libro de schismate Donatistarum dicitur *prima de dotibus*, quibus ecclesia refulget.

[132]) Epist. LXXI.

[133]) Select. in Jerem. L. 17.

[134]) Apud Athanasium T. I. Part. II. pag. 313. edit. Montfauconii.

[135]) Cf. Symboli expositionem apud Cyrillum hierosolym. Catech. XVIII. n. 26.

[136]) n. 339.

[137]) De unit. eccles. pag. 78.

[138]) Hanc autem *radicis* proprietatem Petro, atque institutae ab eo ecclesiae Cyprianus frequenter adscribit.

[139]) Quam unitatis *originem* a Petro saepissime ducit.

[140]) n. 341.

reliquis eorumque successoribus tribui oportere. An umquam Cyprianus de carthaginiensi ecclesia dixit, radicem illam esse matricemque catholicae ecclesiae? numquam. At de romana [141] scripsit: *nos enim singulis navigantibus, ne cum scandalo ullo navigarent, rationem reddentes, scimus nos hortatos eos esse, ut ecclesiae catholicae radicem et matricem agnoscerent ac tenerent;* ac alibi [142] repetiit: *post ista adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab haereticis constituto, navigare audent; et ad Petri cathedram, atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse romanos, quorum fides apostolo praedicante [143] laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum.* An umquam docuit idem esse cum carthaginiensi et cum catholica ecclesia communicare? numquam. Id tamen semel ac rursum de romana affirmavit, sive quum Cornelium alloquens [144] operam se dedisse significavit, ut *te collegae nostri et communionem tuam, idest, catholicae ecclesiae unitatem pariter et caritatem probarent firmiter ac tenerent;* sive quum ad Antonianum [145] scribens tamquam synonyma habuit, *communicare cum Cornelio, hoc est, cum catholica ecclesia communicare.* An umquam de aliquo ex apostolis testatus est, vel super eum fundatam esse ecclesiam, vel ex eo catholicae unitatis originem proficisci? numquam, quum tamen utrumque praeclarissimis sententiis de Petro declararit. Ac tales profecto videri istae [146] debent: *loquitur illic Petrus, super quem aedificata fuerat ecclesia:* et [147] *Petrus, quem primum Dominus elegit, et super quem aedificavit ecclesiam suam:* tum [148], *quando et baptisma unum sit, et Spiritus Sanctus unus, et una ecclesia a Christo Domino super Petrum origine unitatis et ratione fundata:* ac [149] postremo: „Loquitur Dominus ad Petrum, *ego dico tibi,* inquit, *quia tu es Petrus, et super istam petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni coelorum, et quae ligaveris super terram, erunt ligata et in coelis: et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in coelis.* Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: *pasce oves meas.* Super unum aedificat ecclesiam suam. Et quamvis apostolis omnibus parem potestatem tribuat et dicat, *sicut misit me Pater, et ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, si cui remiseritis peccata, remittuntur illi, si cui tenueritis, tenebuntur;* tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem [150] ab uno incipientem sua

[141]) Epist. XLVIII. al. XLV. pag. 234; quae adeo perspicua ipsi quoque Rigaltio visa sunt, ut scribere non dubitaverit: *haec fuere tunc monarchiae christianae crepundia.*

[142]) Epist. LIX. al. LV. pag. 266. Et Hieronymus adversus Ruffinum: „Scito romanam fidem, apostolica voce laudatam, istiusmodi praestigia non recipere."

[143]) Rom. I. 8.

[144]) Epist. XLVIII. al. XLV. pag. 234.

[145]) Epist. LV. al. LII.

[146]) Epist. LXVI. al. LXIX. pag. 286.

[147]) Epist. LXXI. pagg. 303—304.

[148]) Epist. LXX. pag. 302.

[149]) De unit. eccles. pagg. 76—78.

[150]) Vis igitur ratioque primatus huc redit, ut qui eo pollet Petrus, idem *origo*

auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti [151] et honoris et potestatis, sed [152] exordium ab unitate proficiscitur, ut ecclesia una monstretur; quam unam ecclesiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex persona Domini designat et dicit: *una est columba mea, perfecta mea, una est matri suae, electa genitrici suae.*"

347. Itaque quum in priori ad Corinthios [153] epistola Paulus repetit, *νῦν δὲ πολλὰ μὲν μέλη, ἓν δὲ σῶμα*, id confirmat quod de Petro conspicuo ecclesiae capite defendimus. In tanta enim tamque diffusa membrorum varietate ac multitudine unum idcirco corpus est, quod unum est vinculum quo omnia adstringuntur, unumque visibile caput cui subsunt, et cuius nutu temperantur. Neque obest quod [154] additur: *Καὶ οὓς μὲν ἔθετο ὁ θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πρῶτον ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας, τρίτον διδασκάλους, ἔπειτα δυνάμεις, εἶτα χαρίσματα ἰαμάτων, ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις, γένη γλωσσῶν.* Quamquam sit, et *efficiens conspicuae unitatis principium.* Dos autem haec est propria capitis, quaeque intelligi nullatenus potest, si a potiori iure seiungatur, cui membra singula subsint, quoque ad unitatem revocentur. Dignitate ergo capitis, potiorique iure ad unitatem constituendam, tuendamque accommodato vis tota, ratioque primatus absolvitur.

[151]) Sed unde, quaeso, Cyprianus eruit fuisse apostolos ceteros quod fuit Petrus, pari consortio praeditos honoris et potestatis? non aliunde quam e praemissis bibliorum testimoniis. Tria vero praemiserat, quorum primum e Matth. XVI. 18—19, alterum e Joh. XXI. 15. seqq. ac tertium e Joh. XX. 22—23. desumpsit. Sed duo priora a) ad unum pertinent Petrum, et quid illius fuerit *proprium* ita declarant, ut quod reliquis *commune* censeri debeat, nullatenus significent. Quare b) Cyprianus ex iis proprium colligit Petri *ἀξίωμα*, quo initium est et unitatis origo.

Superest ergo tertium testimonium, prae quo apostoli omnes Petro pares affirmantur. Sed quum ita se res habeat, duo consequuntur: ac 1) nonnisi *quadamtenus*, et *comparate* ad eam auctoritatem quam Christus Joh. XX. 22—23. apostolorum collegio tribuit, *pares* illos nuncupari: tum 2) eiusmodi aequalitate nullatenus discrimen subverti, quod testimoniis Matth. XVI. 18—19, et Joh. XXI. 15. seqq. stabilitur.

[152]) Verbis, *sed exordium ab unitate proficiscitur*, in editionibus manutiana, pameliana, baluziana, aliisque subditur: *et primatus Petro datur, ut una Christi ecclesia, et cathedra una monstretur.*

De quo inciso monendum arbitror: 1) illud, utpote *γνήσιον*, auctoritate veterum codicum, quantum satis est, comprobari: 2) comprobari auctoritate testium, ac inprimis Pelagii II. qui in litteris ad Istriae episcopos illud retulit: 3) comprobari gemino Hieronymi loco ex lib. I. con. Jovinianum n. 26, qui ad Cypriani verba omnino expressus videtur: 4) comprobari Cypriani sententiis plane simillimis, quas Maranus in praefat. ad Cypriani opera collegit: comprobari tandem 5) serie ipsa ductuque sermonis, quum institutio primatus e testimoniis Matth. XVI. 18—19, et Joh. XXI. 15. seqq. arctissime dependeat. Cf. Schelstratium in Antiquitt. Illustrat. T. II. Diss. II. cap. V, et Mamachium, Origg. et Antiquitt. Christ. T. V. pagg. 71. seqq.

[153]) I. Cor. XII. 20.

[154]) Ibid. v. 28.

enim apostoli excellerent, principesque inter eos forent quibus opus formandae tuendaeque unitatis concreditum erat; ad unum tamen Petrum, tamquam ad praepositum omnibus caput, unitatis origo redigebatur. Quam *σύνθεσιν* plura sane erant, quae omnino postulabant: ac fidei primum analogia, qua Petrus apostolorum princeps et *ἡγούμενος* perhibetur: ratio deinde unius conspicui corporis ita ecclesiae insita ut ab ea divelli ne cogitando quidem possit: *δεικτική* tandem repraesentatio, qua ecclesia unum referre Deum unumque Christum debet.

348. Atque heic duo se mihi offerunt quae nolim praetermissa, et quibus praesenti capiti modum ponam. Est autem illud primum quod passim, triumphumque veluti agentes protestantes inculcant: ad unitatem ecclesiastici corporis opus propterea non esse conspicuo et oecumenico capite, quod huius expleat munera, partesque obeat Christus qui ecclesiae caput *κατ' ἐξοχὴν* nominatur.

Ne enim repetam *ἄτοπον* esse visibili corpori invisibile dumtaxat caput praeesse: ne repetam ab analogia fidei, Scripturarumque *ἁρμονίᾳ* id vehementissime abhorrere: ne repetam id dici de catholica ecclesia non [155] posse, quin de singulis seorsum coetibus affirmetur, quod tamen affirmari posse anglicani negant, negandumque [156] demonstrant; solum adnotabo, eiusmodi argumento, si quid illi ponderis concedatur, non magis oecumenicum caput, quam gradus omnes hierarchicos excludi, funditusque convelli.

Eccur enim dedit Deus primum apostolos, deinde prophetas, ac ceteros rursum quos Paulus recenset [157] ministrorum ordines? ut ecclesia unum esset corpus, unumque appareret, ut eiusdem unitati prospiceretur, ut omnia membra ad unitatem perducta in unitate continerentur. Idcirco, inquit [158] Paulus, constituti sunt apostoli, prophetae, evangelistae, pastores doctoresque, ut ipsorum ministerio, ipsisque aedificantibus Christi corpus, *καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ· ἵνα μηκέτι ὦμεν νήπιοι, κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας, ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, ἐν πανουργίᾳ πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης*, *adducamur omnes* [159] *per unitatem fidei cognitionisque filii Dei* ad eum per-

[155]) Mihi enim ii semper visi sunt *παραδόξως* agere, qui quum necessitatem unius praesidis pro singulis coetibus affirment, necessitatem contra unius praesidis, cui totum subsit corpus, pugnacissime inficiantur.

[156]) Vulgatissimae sunt anglicanorum cum presbyterianis contentiones, quibus divinam episcoporum originem tuentur.

[157]) I. Cor. XII. 28, Ephes. IV. 11.

[158]) Ephes. IV. 13—15.

[159]) Quod plures censent, *εἰς τὴν ἑνότητα*, adhiberi pro *ἐν τῇ ἑνότητι*, minus nobis arridet, opinamurque propterea hanc esse Pauli mentem, per hanc ipsam *ἑνότητα τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ*, eam nos esse perfectionem consequuturos, quae formulis *εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ*, exprimitur.

fectionis gradum, *qui virum maturum*[160] *decet*, *quemque virilis ecclesiae*[161] *aetas postulat; ne simus amplius* in fide et cognitione[162] *pueri*, *fluctuantes animo et circumlati quacumque doctrinae*[163] *vanitate*, *pro hominum versutia*[164], *dolisque malis*, *quibus nos fallunt ac in transversum*[165] *abripiunt.*

349. Sed quorsum haec, si Christus suo numine ecclesiae sic adest, ut quae ad conspicuam illius unitatem spectant, ipse solus atque *ἀμέσως* efficiat? quorsum haec, si Christus corpori suo, quod est ecclesia, tamquam supremum et invisibile caput sic praeest, ut ipse solus ac *ἀμέσως* illius membra iungat, iunctaque conservet? Hisce geminisque interrogationibus nemo apte prudenterque respondeat, cui ratum haud sit, providentiam qua divinitus ecclesia regitur, esse illi simillimam, qua haec rerum universitas administratur, ac principes nobilioresque partes ita Deo asseruntur, ut secundae ac obnoxiae hominibus non denegentur. Quis sane neget verissimum esse, quod in Scripturis[166] toties repetitur, *cor novum*, *novumque spiritum* Deo maxime referri in acceptis oportere? neque tamen falsum est quod Ezechiel[167] scribit: *abiicite a vobis omnes praevaricationes vestras quibus praevaricati estis*, וַעֲשׂוּ לָכֶם *et facite vobis cor novum et spiritum novum;* quodque Paulus et Johannes affirmant, ille dum[168] inquit, *καθαρίσωμεν ἑαυτοὺς ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος, ἐπιτελοῦντες ἁγιωσύνην ἐν φόβῳ θεοῦ:* hic dum[169] ait, *πᾶς ὁ ἔχων τὴν ἐλπίδα ταύτην ἐπ' αὐτῷ, ἁγνίζει ἑαυτόν, καθὼς ἐκεῖνος ἁγνός ἐστι.* Quis neget Deum esse principem caussam quae[170] in nobis operatur *καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας?* neque tamen falsum est id etiam verbo revelato convenire[171], quod propterea *δύναμις θεοῦ εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι* nuncupatur. Quid magis Christi proprium quam nomen et opus[172] Salvatoris? neque tamen falsum est quod Jacobus[173] scribit, *γινωσκέτω, ὅτι ὁ ἐπιστρέψας ἁμαρτωλὸν ἐκ πλάνης ὁδοῦ αὐτοῦ, σώσει ψυχὴν ἐκ θανάτου:*

[160]) Graecis *ἀνὴρ τέλειος*, cui opponitur *ἀνὴρ νήπιος*, est *vir maturae aetatis.*

[161]) Heic, non secus ac alibi, et nominatim cap. I. 23. *πλήρωμα Χριστοῦ* est *ecclesia.*

[162]) Carnales nimirum, et quibus adhuc lacte opus sit.

[163]) Vanitatis, levitatisque notio continetur voce *ἀνέμῳ*.

[164]) Vocabulum *κυβεία*, quod heic occurrit, est in N. T. *ἅπαξ λεγόμενον*, et quum *proprie* designet *talorum ludum*, ad *fraudem* exprimendam *metaphorice* transfertur.

[165]) *Μεθοδεία* est vocabulum *μέσον*, quod heic in deteriorem partem accipitur, adeo ut *μεθοδεία τῆς πλάνης* sit ars subdole excogitata alios decipiendi.

[166]) Ps. L. 12—13, Ezech. XXXVI. 26, Jerem. XXXI. 33.

[167]) Ezech. XVIII. 31.

[168]) II. Cor. VII. 1.

[169]) I. Joh. III. 3.

[170]) Philipp. II. 13.

[171]) Rom. I. 16.

[172]) A quo opere nomen ipsi factum est, dictusque *Ἰησοῦς*, יְהוֹשֻׁעַ, *Salvator*, quia Matth. I. 21. *αὐτὸς σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν.*

[173]) Jacob. V. 20.

quodque Paulus de semetipso loquens [174] habet, *εἴπως παραζηλώσω μου τὴν σάρκα, καὶ σώσω τινὰς ἐξ αὐτῶν.*

350. Itaque praefinita divinitus providentiae ratio haec est, ut vis, supremique capitis dignitas quae Christo inprimis et *ἐξαιρέτως* convenit, non magis *διακονίαν* tollat conspicui capitis, cui opus efficiendae tuendaeque unitatis creditum sit, quam *διακονίαν* impediat apostolorum, prophetarum, evangelistarum, pastorum doctorumque, quibus propterea Christus ecclesiam donavit, ut illorum opera ad sanctitatem perfectionemque adduceretur.

Hinc vetusti Patres quamquam probe nossent, Christum esse atque ecclesiae caput in Scripturis appellari; numquam tamen in eam venere sententiam quae protestantibus communis est, quaque capitis titulo exornari Petrum posse inficiantur. Immo, quod multo illi mirentur magis, et capitis nomen [175] Petro frequentissime deferunt, et aliis eum honestant titulis significandi potestate simillimis. En quibus verbis Ignatius constantinopolitanus episcopus Nicolaum Pontificem [176] alloqueretur: „Ad artus humani corporis plagis, vulneribusque saucios curandos, medendi ars magnam medicorum copiam suppeditavit; in membris autem Christi Salvatoris omnium capitis ac sponsi catholicae et apostolicae ecclesiae, unum tantum ac solum delectum et universalissimum medicum, tuam nempe fraternam, paternamque sanctitatem supremum et fortissimum Dei Verbum constituit, quum Petro *τῷ τιμιωτάτῳ καὶ κορυφαιοτάτῳ τῶν ἀποστόλων* dixit, ***tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.***" Ac rursum en quibus verbis Johannes hoc nomine octavus Basilium, Constantinum et Alexandrum imperatores [177] compellaret: „Ad auctorem romanae ecclesiae, hoc

[174]) Rom. XI. 14. coll. I. Tim. IV. 16.

[175]) Deferunt sardicenses patres in epist. synod. ad Julium Pontificem, n. 2: *ad caput, idest, ad Petri apostoli sedem:* defert Marcellus ancyranus in epist. ad eumdem Pontificem: deferunt patres constantinopolitani, qui in litteris ad Damasum datis n. 3. seipsos quidem *membra*, Petri autem vicarium *caput* appellant: deferunt patres chalcedonenses qui in synodica ad Leonem relatione de semetipsis aiunt, *quibus tu quidem sicut membris caput praeeras, cui vineae custodia a Salvatore commissa est:* deferunt archimandritae et monachi Syriae his verbis Hormisdam Pontificem alloquentes, *Christus Deus noster principem pastorum et doctorem et medicum constituit vos, vos caput estis omnium*: deferunt Fulgentius et Avitus, quorum ille de Incarnat. et Grat. cap. III. ait, *romana, quae mundi caput est, ecclesia;* hic autem epist. ad Hormisdam christianos esse docet *gregem per tota Petro universalis ecclesiae membra commissum:* defert postremo Bruno astensis qui in Tract. de Sacrificio azymo sic habet, *absit hoc a catholica atque apostolica et romana ecclesia, quae caput et fundamentum ac speculum dicitur, et probatur esse omnium ecclesiarum, quam Deus et Dominus noster Jesus Christus per semetipsum aedificare dignatus est.*

[176]) Apud Labbé T. VIII. coll. 1009. seq.

[177]) Scripta fuit haec epistola anno DCCCLXX. Cum qua conferri debent quae ad Leonem IV. Pontificem Lotharius im-

est, apostolorum omnium principem, Domino loquente, praeceptum est, ***pasce oves meas; quem esse vere omnium ecclesiarum Dei caput***, et beatorum patrum praecipuae regulae, et orthodoxorum principum statuta declarant, et pietatis vestrae reverentissimi apices attestantur."

351. His autem sane perspicuis alterum addi iam debet quod sumus [178] polliciti, quodque neque levioris momenti est, neque minus luculentum: tres nimirum de ecclesia distinctas formulas a Paulo adhiberi, illamque seorsum dici *ἓν σῶμα, σῶμα τοῦ Χριστοῦ*, ac simpliciter *Χριστόν*. E quibus quum duo priora extra controversiam sint, antea quod tertium est, confirmari debet, quam ad consequutiones, illationesque progrediamur.

Itaque de ecclesia loquens [179] apostolus, eiusque multiplicem varietatem cum eximia quadam unitate consertam comparatione illustrans ex humano corpore desumpta, ait: *Καθάπερ γὰρ τὸ σῶμα ἕν ἐστι, καὶ μέλη ἔχει πολλά, πάντα* [180] *δὲ τὰ μέλη τοῦ σώματος τοῦ* [181] *ἑνός, πολλὰ ὄντα, ἕν ἐστι σῶμα· οὕτω καὶ ὁ Χριστός.* ***Quemadmodum enim corpus*** nostrum ***est unum, et habet*** tamen ***membra multa, atque omnia*** ista ***unius corporis membra, quae sunt multa, unum sunt corpus; ita etiam Christus.*** Ubi ***Christi*** appellatione mysticum eiusdem corpus, ecclesiamque significari evidenter ostendunt series ipsa, ductusque sermonis, tum quae illico [182] sequuntur, graeci [183] deinde latinique [184] interpretes quorum haec est concors sententia: Christi nomine eiusdem corpus ecclesiamque insigniri. Unde Semler, qui verba, *οὕτω καὶ ὁ Χριστός*, suppleverat [185] atque ita *παραφραστικῶς* reddiderat, ***ita etiam Christus suum corpus illud informavit e multis membris et ministeriis***, in subiecta adnotatione adiecit: ***nec male alii, ecclesiam christianorum societatem, volunt Christi, capitis, mariti*** [186] ***quasi, nomine venire.***

Quisquis sane eo in contextu legit, *οὕτω καὶ ὁ Χριστός*, illico cogitet

perator scripsit, apud Labbé T. VIII. col. 32: „Sedem apostolicam, quae per beatissimum apostolorum principem in universo orbe, quaquaversus religio christiana diffunditur, ***caput*** et fundamentum est sanctitatis, idcirco superna dispositio ***primatum*** obtinere voluit ***ecclesiarum***, ut in quibuscumque causis, quaestionibus sive negotiis ecclesiastica suaderet necessitas, omnes quasi ad matrem religionis, fontemque recurrerent aequitatis."

178) n. 348.

179) I. Cor. XII. 12.

180) Interpres armenius legit, *πάντα δὲ τὰ πολλὰ μέλη τοῦ σώματος ἓν σῶμά ἐστι.*

181) Voces, *τοῦ ἑνός*, non vulgatus modo, sed alii quoque veteres interpretes, itemque codices, patresque omittunt.

182) I. Cor. XII. 13.

183) Chrysostomus in epist. I. ad Cor. hom. XXX. n. 1, et Theodoritus qui in commentario ad h. l. scribit: *Χριστὸν ἐνταῦθα τὸ κοινὸν σῶμα τῆς ἐκκλησίας ἐκάλεσεν, ἐπειδὴ κεφαλὴ τοῦδε τοῦ σώματός ἐστιν ὁ δεσπότης Χριστός.*

184) Pseudo-Hieronymus ad h. l.: ***notandum quod Christus per corpus suum dicatur ecclesia.***

185) In Paraphrasi ad h. l.

186) Ephes. V. 23. coll. vv. 31—33.

necesse est vel *de metaphora* [187], qua quae sunt Christi ad eiusdem *πλήρωμα* traducuntur, vel *de metonymia* [188], qua possessor pro re possessa usurpatur, qua Christus accipitur pro ecclesia quae est [189] *populus eius περιούσιος, genus* [190] *electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, quam* [191] *sibi Christus acquisivit, suoque sanguine propriam fecit, quae* [192] *est haereditas eius iucunda et speciosa,* et cum qua [193] propter *μυστικὴν ἕνωσιν* illi simillimam de qua scriptum est, *καὶ ἔσονται δύο εἰς σάρκα μίαν,* unum censetur.

352. Jamvero commemoratae formulae neque eumdem fundunt sensum, neque tales sunt quae vel mutuo confundi, vel divelli ab invicem possint. Non reddunt eumdem sensum, quum ex illis duae, quibus ecclesia dicitur *σῶμα Χριστοῦ,* et simpliciter *Χριστός,* sint *relativae;* tertia vero, qua *ἓν σῶμα* nuncupatur, *absoluta* sit, et ad ipsam *in se* spectatam ecclesiam referatur. Unde confundi non debent, quum *ab absolutis relativa* distent, diversasque rerum facies exhibeant. Sed neque ab invicem divelli possunt, quum singulae ad repraesentandam ecclesiae rationem conspirent, eaque non ex una alterave, sed ex omnibus simul collectisque haurienda sit. Profecto percontanti cuiusmodi ecclesiae ratio censeri debeat, nullatenus uti par est occurres, si reponas, *vel μυστικῶς* eam esse dicique *Χριστόν, vel σῶμα Χριστοῦ* appellari, *vel* tamquam *ἓν σῶμα* proponi, sed simul atque coniunctim reponendum tibi erit, eam *et σχετικῶς* esse dicique *Χριστὸν καὶ σῶμα Χριστοῦ, et absolute ἓν σῶμα* nuncupari.

Porro id exstat inter *relativas* formulas, *absolutamque* discriminis, quod illae nonnisi *comparate ad Christum* unam esse ecclesiam ostendunt; hac vero una *in se, simpliciterque* demonstratur. Sicut enim ecclesia est diciturque *Χριστὸς* et *σῶμα Χριστοῦ,* quia *μυστικῇ ἑνώσει* una cum Christo est, unitatemque suam a Christo vivifico capite mutuatur; ita est diciturque *ἓν σῶμα,* quia in ea qua constat membrorum partiumque varietate desideratur nihil, quo *unum in se sit corpus, unumque videatur.* Sed neque in se unum esset corpus, neque unum appareret, si visibili careret capite, quod insitae visibilisque unitatis origo foret ac principium. Qua igitur formula ecclesia dicitur *ἓν σῶμα,* eadem visibile illius caput demonstratur.

De quo visibili ecclesiae capite praeclarissima sunt quae subiicimus Valentiniani imperatoris [194] verba: „Cum igitur sedis apostolicae primatum s. Petri

[187]) Quemadmodum enim nonnulla e personis typicis desumpta de Christo usurpantur, Jerem. XXX. 9, Ezech. XXXIV. 23—24, Hos. III. 5; ita nonnulla quae sunt Christi propria, ad ecclesiam transferuntur, Ephes. IV. 13—14. coll. Luc. II. 40. 52, Rom. VI. 4—6, Galat. II. 20, Coloss. II. 12.

[188]) Cf. Glassii Rhetoricam Sacr. lib. V. tract. I. cap. III. §. III.

[189]) Tit. II. 14.

[190]) I. Petr. II. 9.

[191]) Act. XX. 28.

[192]) Ps. XVI. 6.

[193]) Ephes. V. 31—32.

[194]) In celeberrima lege, quam instantia Leonis Pontificis edidit, et de qua mira comminiscitur Samuel Basnagius in Anna-

meritum, qui princeps est episcopalis coronae, et romanae dignitas civitatis, sacrae etiam synodi [195] firmavit auctoritas: ne quid praeter auctoritatem sedis istius [196] illicitum praesumptio attentare nitatur: tunc enim demum ecclesiarum pax ubique servabitur, *si rectorem suum agnoscat universitas.*"

CAPUT XXVI.

De corinthiorum dissidiis, I. Cor. I. 12. coll. III. 3—4: — ductum ex iis a Francisco Turrettino argumentum, quo visibilis capitis ἐξουσίαν Petro assertam impetit: — cuiusmodi illud sit: — refellitur, et oppugnata Petri dignitas in tuto collocatur: — duplex incidens quaestio: — utrum catholica ecclesia romanae apposito rite distinguatur: — ac utrum ecclesia esse dicique possit Petri corpus: — utraque expeditur: — ac prior quidem affirmatione, negatione posterior: — cuius intimior caussa aperitur.

353. Postquam ea praemisit [1] quae ad conciliandos sibi corinthiorum animos accommodata viderentur, pergit apostolus, ac rem aggressus ipsam quaestionis caput his omnino verbis [2] exponit: *Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, διὰ τοῦ ὀνόματος [3] τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἵνα τὸ αὐτὸ λέγητε [4] πάντες, καὶ μὴ ᾖ ἐν ὑμῖν σχίσματα [5], ἦτε δὲ κατηρτισμένοι [6] ἐν τῷ αὐτῷ νοΐ καὶ ἐν*

libus Politico-Eccles. ad annum CDXLV. nn. 5. seqq.

[195]) Respicit ad sardicense concilium habitum anno CCCXLVII, in cuius canonibus diserta est mentio *primatus*, quo Petrus excelluit.

[196]) Unde Julius apud Athanasium in Apolog. con. Arianos, n. 35. his illos verbis notabat: *an ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et hinc quod iustum est decernatur?* Et Socrates H. E. lib. II. cap. XVII, atque Sozomenus H. E. lib. III. cap. X. testantur, *ecclesiastica regula interdictum esse, ne praeter sententiam romani pontificis quidquam ab ecclesiis decernatur.*

[1]) I. Cor. I. 1—10.

[2]) Ibid. v. 10.

[3]) Hac formula quum obtestatio continetur omnium gravissima, tum obtestantis auctoritas significatur.

[4]) Phrasis τὸ αὐτὸ λέγειν exprimit unitatem *externam*, neque confundi debet cum phrasibus τὸ αὐτὸ φρονεῖν et ὁμοφρονεῖν, Philipp. II. 2, I. Petr. III. 8, quibus unitas *interior*, ac prioris origo et caussa declaratur.

[5]) Idem vitium, eodemque nomine insectatur Paulus cap. XI. 18, et XII. 25. Porro notat Theodoritus: *Οὐ δογμάτων αὐτοῖς διαφορὰν ἐπιμέμφεται, ἀλλὰ τὴν περὶ τῶν προεστώτων ἔριν τε καὶ φιλονεικίαν. Non eos reprehendit quod de fidei dogmatibus diversa sentirent, sed quod de praesidentibus litigarent et contenderent.*

[6]) Licet in Alberti Glossario κατηρτισμένοι dicantur τετελειωμένοι, *perfecti,*

τῇ αὐτῇ γνώμῃ. ***Obtestor autem vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum***, eaque quam ab ipso auctoritate accepi, ***ut idipsum dicatis omnes, et ne sint in vobis schismata, sitis autem mutuo iuncti cohaerentesque in eadem mente, eademque sententia.*** Hanc autem verborum, sententiarum, voluntatumque concordiam, quam ipsum *fratrum* [7] nomen expostulat, quaeque schismati e diametro adversatur, propterea vobis et inculco et praecipio, quod [8] a testibus fide dignis, ὑπὸ τῶν Χλόης, a domesticis [9] Chloes acceperim vos inter ἔριδες *contentiones* fervere. Quasnam vero? idonea transitione continuo explanat [10], inquiens: *Λέγω δὲ τοῦτο, ὅτι ἕκαστος* [11] *ὑμῶν λέγει· ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλώ, ἐγὼ δὲ Κηφᾶ, ἐγὼ δὲ Χριστοῦ.* ***Quod scilicet e vobis alii*** non [12] sine fastu, ceterorumque contemptione ***dicant, ego quidem sum*** pars [13] ***Pauli, ego autem Apollonii, ego vero Cephae, ego autem Christi.*** Quibus plane respondent quae deinceps [14] subdit: *Ἔτι γὰρ σαρκικοί ἐστε· ὅπου γὰρ ἐν ὑμῖν ζῆλος καὶ ἔρις καὶ* [15] *διχοστασίαι, οὐχὶ σαρκικοί ἐστε, καὶ κατὰ ἄνθρωπον περιπατεῖτε; ὅταν γὰρ λέγῃ τις· ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου· ἕτερος δέ· ἐγώ, Ἀπολλώ· οὐχὶ σαρκικοὶ* [16] *ἐστε;* ***Etiamnum profecto carnales estis*** et imbecilli. ***Quum enim vos inter sint livor et contentio factionesque contrariae, nonne*** manifestum est ***vos esse carnales et secundum hominem ambulare? quum enim alter dicat, ego quidem sum Pauli, et alter, ego vero Apollonii, nonne carnales vos esse*** probatis?

354. Ex his autem Franciscus Turrettinus, qui illustrem sibi nominis

quam significationem Vulgatus amplexus est; nihilominus et continuatio metaphorae, et propria verbi καταρτίζειν potestas exigunt, ut illi subiiciatur notio ***reficiendi abrupta***, et ***diremta inter se conciliandi.***

[7]) Dicuntur enim ἀδελφὰ quae maxime coniuncta sunt, mutuoque devincta.

[8]) I. Cor. I. 11.

[9]) Lambertus Bos de Ellips. Graec. ad v. οἰκεῖοι, supplendum putat, δούλων sive οἰκείων: at Grotius, τέκνων vel υἱῶν.

[10]) I. Cor. I. 12; ubi formula, λέγω δὲ τοῦτο, aequivalet particulae latinorum *scilicet*, eoque spectat, ut quod antea fuerat latius dictum, pressius deinde explicetur. Cf. Galat. III. 17, Rom. XV. 8.

[11]) Ne repeteret formulas, οὗτος μέν, ἄλλος δέ, ... semel apostolus scribit, ἕκαστος.

[12]) Collatio cum cap. III. 21. ostendit, λέγει idem heic esse ac καυχᾶται, ***gloriatur alios despiciens.***

[13]) Explendas esse formulas, ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου, ἐγώ ...., liquet; quum autem expleri possint, intersertis nominibus μαθητὴς vel μέρος, quod sequitur v. 13. verbum, μεμέρισται, suadet alterum supplendi modum esse praeferendum.

[14]) I. Cor. III. 3—5.

[15]) Incisum, καὶ διχοστασίαι, quod plures codices, versiones, patresque omittunt, Millius in Proleg. n. 986. subditicium esse arbitratur, a cuius opinione non admodum Griesbachius abludit.

[16]) Semlerus nullo iure inter glossas reiicit verba, οὐχὶ σαρκικοί ἐστε. Alii non sine gravi codicum, versionum, patrumque suffragio, ἄνθρωποι pro σαρκικοί legendum putant.

famam inter calvinianos theologos comparavit, sine ulla dubitatione [17] concludit: „Damnari a Paulo eos omnes, qui factionibus inter se divisi, vel Petrum, vel Paulum, vel Apollo *in caput* sibi adsciscebant, dicentes, *ego sum Pauli, et ego Apollo, et ego Cephae; numquid divisus est Christus? an Paulus crucifixus est pro vobis, et an baptizati estis in nomine Pauli?* Quasi diceret, ut Christus unus est, non divisus in plures; ita membra ecclesiae non debent in partes scindi sub hoc vel illo ministro, sed in unum coalescere sub Christo, qui solus pro fidelibus est crucifixus, et in cuius nomine sumus baptizati; ut innuat illum solum pro capite cui adhaereamus agnoscendum esse, qui pro nobis mortuus est, et in cuius nomine baptizati sumus. Et sane ut unum est corpus et unus spiritus; ita unicum tantum caput dari debet.“ Hactenus ille, in cuius disputatione nescio quid primum, quidve secundo ac tertio notem atque reprehendam.

355. Neque enim principio assequor, quanam de caussa in allegandis Pauli verbis incisum, ἐγὼ δὲ Χριστοῦ, tacitus praeterierit, nisi forte quod molestum illud experiretur, ac celatum propterea lectoribus vellet, ne eo prope excitati aliam esse Pauli mentem suspicarentur. Neque deinde intelligo, quo nexu, quove glutine ista duo cohaereant, quibus eiusdem oratio continetur: *damnat Paulus exsecraturque schismatis flagitium; sua igitur conspicui capitis dignitate Petrum exspoliat.* Videtur mihi eiusmodi illatio huic esse simillima: *divisiones factionesque civium omni ope studioque exstinguendae sunt; ferri ergo non debet ut quis in civitate illustris auctoritate capitis credatur.* Nonne sunt ista ἀσύστατα, ac vero etiam talia e quibus opposita sententia non sine maxima veritatis specie deducatur? profecto quo deterius habetur schismatis malum, et ab ecclesiae indole naturaque alienius, eo consultum illi fuisse diligentius nemo non existimet. Jamvero quemadmodum certo rationis iudicio, experientiaeque suffragio illud esse indubitatum ostenditur quod Hieronymus [18] scribit, *ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens tribuatur potestas, tot in ecclesia efficientur schismata quot sacerdotes;* ita ratione simul experientiaque docemur, neque unitatem totius corporis obtineri posse, neque partium membrorumque schismata impediri, nisi conspicuum praesit caput, quod et partes iungat, et divisionum semina praefocet, factionumque incitamenta imperio et auctoritate compescat. Unde illud eiusdem Hieronymi [19] tritum quidem, sed tamen repetendum, *propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio.*

356. Quibus verbis admoneor ut a Turrettino flagitem, quid tandem ipse de corinthiorum ecclesia censuerit. Carere ne illam proprio antistite, proprioque visibili capite idcirco debuisse, ne in Pauli reprehensionem offenderet, et in partes scissa divisaque videretur? si in hac ipse mente foret, quum Paulo,

[17]) Institutt. Theologg. Elenctic. Loco XVIII. q. XVI. §. X.

[18]) Dialog. con. Lucifer. n. 9.

[19]) Con. Jovin. lib. I. n. 26.

tum apostolis universis, historiaeque originum ecclesiasticarum adversa fronte repugnaret. Ac Paulo inprimis, utpote qui et ecclesiis [20] capita praeposuerit, et praeponenda esse [21] mandarit. Apostolis deinde reliquis, de quibus Clemens fide sane dignissimus [22] testatur: „Apostoli nobis evangelizarunt a Domino Jesu Christo, Jesus Christus a Deo. Missus igitur est Christus a Deo, et apostoli a Christo, et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis, et certo persuasi per resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, et in fide confirmati per verbum Dei cum sancti Spiritus plenitudine ac securitate, egressi sunt, annunciantes adventurum esse regnum Dei. *Κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες, καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς* [23] *αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν.* Praedicantes igitur per regiones ac urbes, primitias earum, spiritu cum probassent, in episcopos et diaconos eorum qui credituri erant, constituerunt.“ Tum historiae repugnaret originum ecclesiasticarum, quam idem Clemens [24] his verbis enarrat: „*Καὶ οἱ ἀπόστολοι ἡμῶν ἔγνωσαν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτι ἔρις ἔσται ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς· διὰ ταύτην οὖν τὴν αἰτίαν πρόγνωσιν εἰληφότες τελείαν, κατέστησαν τοὺς προειρημένους, καὶ μεταξὺ ἐπινομὴν* [25] *δεδώκασιν, ὅπως ἐὰν κοιμηθῶσιν, διαδέξωνται ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν.* Et apostoli nostri cognoverunt per Dominum nostrum Jesum Christum, quod futura esset contentio de nomine episcopatus: ob eam ergo caussam, accepta perfecta praecognitione, constituerunt supra dictos, et deinceps futurae successionis regulam tradiderunt; ut cum illi decederent, publicum eorum munus alii probati viri exciperent.“ Reprehensio igitur Pauli, usurpataque ab eo verba non eo pertinent, ut vel singulae ecclesiae suis destitutae capitibus, vel universalis ecclesia suo privata oecumenico, conspicuoque capite censeantur.

357. Quo igitur pertinent? si mihi id esset unice propositum ut quae adversus Petri dignitatem obiiciuntur, repellerem; possem illico breviterque respondere: non hanc esse quaestionem, neque de eo in praesentia agi, quaenam Pauli verbis germana insit sententia, sed utrum conspicui, supremique capitis auctoritas Petro asserta iisdem denegetur. Quoniam vero mihi inprimis destinatum est, veritati quo aptius possim consulere, sinceramque Scripturarum doctrinam suo in lumine collocare: tum etiam opportunis exemplis ostendere, in

[20]) I. Tim. IV. 14.

[21]) Tit. I. 5.

[22]) Epist. ad Corinth. §. XLII.

[23]) Sicut proprie *ἀπαρχή* = רֵשִׁית apud alexandrinos Levit. XXIII. 10—17, et Deut. XXVI. 2. denotat *frugum primitias*; ita metaphorice exprimit quidquid est in suo genere praestantissimum. Unde Num. XVIII. 12—29—30—32. *ἀπαρχὴ* respondet *τῷ* חֵלֶב *adipi*, et metaphorice, *rei optimae*.

[24]) Epist. ad Corinth. §. XLIV.

[25]) De propria *ἐπινομῆς* significatione pluribus egerunt Junius, Salmasius, Usserius, De Marca, Hammondus, Fellus, quorum coniecturas refert Clericus in amstelodamensi Apostolicorum Patrum editione.

mutuis catholicorum protestantiumque dissidiis usuvenire, ut hi utraque laborent caecitate, quam his verbis Tertullianus [26] depingit, *caecitatis duae species facile concurrunt, ut qui non vident quae sunt, videre videantur quae non sunt;* dabo idcirco operam, ut de vera sinceraque Pauli interpretatione neque prudenter ambigi, neque iure dubitari possit.

Quem in finem duas esse προληπτικῶς explanandas quaestiones intelligo, quarum prior haec est: *utrum Pauli, Apollonii, Cephae, Christique nomina* [27] *speciminis solum gratia et κατὰ μετασχηματισμόν, an contra propria obviaque significatione adhibeantur.* De qua quidem ita Chrysostomus [28] statuit: „*Καίτοιγε οὐδὲ περὶ ἑαυτοῦ, οὐδὲ περὶ Πέτρου, οὐδὲ περὶ Ἀπολλὼ ἔλεγον, ἀλλὰ δείκνυσιν, ὅτι εἰ τούτοις ἐπερείδεσθαι οὐ χρῆ, πολλῷ μᾶλλον ἑτέροις. ὅτι γὰρ οὔτε περὶ αὐτῶν ἔλεγον, προϊών φησι· ταῦτα δὲ μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλώ, ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται, φρονεῖν. Εἰ γὰρ Παύλου καὶ Ἀπολλὼ καὶ Κηφᾶ οὐκ ἔχρην ἐπιφημίζειν ἑαυτοῖς τὰ ὀνόματα, πολλῷ μᾶλλον ἑτέρων. εἰ τὸν διδάσκαλον, καὶ πρῶτον τῶν ἀποστόλων, καὶ τοσοῦτον κατηχήσαντα δῆμον, οὐκ ἔχρην ἐπιγράφεσθαι, πολλῷ μᾶλλον τοὺς οὐδὲν ὄντας. Μεθ' ὑπερβολῆς τοίνυν ἀπαγαγὼν αὐτοὺς τοῦ νοσήματος, σπεύδων ταῦτα τίθησι τὰ ὀνόματα· ἄλλως δέ, καὶ ἀνεπαχθέστερον ποιεῖ τὸν λόγον, οὐκ ὀνομαστὶ μεμνημένος τῶν διατεμνόντων τὴν ἐκκλησίαν, ἀλλ' ὥςπερ τισὶ προςώποις* [29] *ταῖς τῶν ἀποστόλων προςηγορίαις κρύπτων αὐτούς.* Atqui nec de seipso, nec de Petro, nec de Apollo dicebant; sed ostendit, quod si his innitendum non est, multo minus aliis. Quod autem non de his dicerent, infra [30] significat: *haec autem transfigurari in me et Apollo, ut in nobis discatis non supra id quod scriptum sapere.* Quod si Pauli, Apollo et Cephae non oportebat sibi nomina adscribere, multo minus aliorum. Si doctorem et primum apostolorum, qui tantum instituerat populum, non oportebat sibi adscribere, multo minus eos qui nihil erant. Cum hyperbole itaque illos a morbo abducens, festinans haec nomina ponit. Alioquin vero minus molestam orationem reddit, non nominatim recensens eos qui scindebant ecclesiam, sed quasi larvis quibusdam apostolorum nominibus ipsos obtegens."

358. Sed pluribus impedior quominus hanc interpretationem amplectar.

[26]) Apologet. cap. X.

[27]) „Sunt, iique sat multi, scribit Julius Pott in Proleg. ad epist. I. ad Corinthios, §. IV, qui Paulum nomina illa tantum usurpasse existiment ad denotandos homines alios, unde factiones Corinthi nomina vere traxissent. Argumento inprimis utuntur, quod Paulus cap. IV. 6. subiecerit haec: *Ταῦτα μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτόν, καὶ εἰς Ἀπολλώ*, ita ut Paulus priori loco (I. 12.) enuntiando nil aliud significare voluerit, quam esse Corinthi sectas, quae a coryphaeis nomina gerant, *perinde ac* si corinthiorum alius magistri alius, ex. gr. Pauli, Apollo, Kephae, et vel ipsius Christi, spretis reliquis, discipulum se profiteri velit."

[28]) In epist. I. ad Corinth. hom. III. n. 1.

[29]) Ita quidem legit Montfauconius, sed Savilius legendum censuit *προςωπείοις*.

[30]) I. Cor. IV. 6.

Etenim verba ipsa, seriesque orationis nihil continent, quo coniectura suspicioque de figurata nominum acceptione confirmetur. Immo quae Paulus continuo [31] addit, μὴ Παῦλος ἐσταυρώθη ὑπὲρ ὑμῶν; ἢ εἰς τὸ ὄνομα Παύλου ἐβαπτίσθητε; comparata sic sunt, ut Pauli nomen proprie acceptum demonstrent. Quod autem de acceptione nominis Pauli dicitur, id de nominibus Apollonii, Cephae atque Christi repetendum est. Praeterea [32] quis sibi persuadeat, ipsum *Christi* nomen, divinum plane ac sanctissimum, a Paulo usurpatum, ut vera sectae factionisque appellatio tegeretur? Neque illud verisimilius, nonnisi capite quarto, prolixaque disputatione interiecta declarasse Paulum, producta in medium nomina non proprie sed figurate intelligi oportere.

Quid quod ea ipsa collatione locorum, qua figuratam nominum acceptionem probare alii contendunt, eadem proprie adhibita demonstrantur? atqui sic omnino se res habet. „Etenim, inquit [33] Pott, si *Paulus proprie et Apollo* cap. IV. 6. certorum hominum imago esse debebant, cur cap. III. 22. praeter illa duo etiam *Kephae* nomen appellatur? sin hoc quoque capite, quemadmodum capite I. 12. non suo tantum et Apollo, sed *Kephae* etiam nomine figurate uti voluit, cur verbis cap. IV. 6, ταῦτα μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ εἰς Ἀπολλώ, neglexit addere, καὶ εἰς Κηφᾶν? Quae cum ita sint, statuendum esse videtur: locum illum cap. IV. 6. τοῦ μετασχηματισμοῦ εἰς Παῦλον καὶ εἰς Ἀπολλὼ mentionem iniicientem, non tam proxime pertinere ad caput primum, principumque sectarum quaternionem [34] ibi commemoratum, quam [35] ad locum III. 4—IV. 5, apostolumque cap. I. 12. sectarum tantum nomina, principesque enumerasse, id quod alicubi, et rectissime in initio totius de sectis disputationis, fieri debebat; capitibus vero III. 4. et IV. 5. id egisse ut demonstraret, quam vanum esset gloriolae insigne a celebri principis alicuius sectae nomine in se translato mutuatum, quam tamen demonstrationem apostolus, licet ad omnes sectas, sectarumque coryphaeos omnino pertineret, pro urbanitate sua ad se atque Apollo solos transtulisse, ideoque per μετασχηματισμὸν quemdam, qui ex dictis latens aliquid erui vult (sic), ita enuntiasse putandus est, ut et Kephae et Christi [36] sectae facile perducerentur ad inveniendum, quod non diserte enuntiare, sed ab ipsis per ratiocinationem accipi, et ad semetipsos transferri voluit apostolus."

Denique propriam nominum acceptionem sua firmat auctoritate Clemens in

[31]) I. Cor. I. 13. seqq. Hoc argumento utitur Pareus, monetque nullam fingi caussam posse, quamobrem Paulus sibi gratularetur, paucissimos dumtaxat a se fuisse baptismate ablutos, si nemo ipsum cupidius sectaretur, sed alium nescio quem larva proprii nominis celatum.

[32]) Cf. Vitringae Observatt. Sacr. lib. III. cap. XXI. §. II.

[33]) Proleg. in epist. I. ad Corinth. §. IV.

[34]) Dicendum esse *ternionem* ex iis constabit quae mox addentur.

[35]) Sane cap. III. 4. non minus quam cap. IV. 6. de Paulo dumtaxat ac Apollonio sermo est.

[36]) Nihil hac denominatione durius, sed nihil etiam falsum magis, uti mox innotescet.

litteris ad eosdem corinthios datis [37], inquiens: „Ἀναλάβετε τὴν ἐπιστολὴν τοῦ μακαρίου Παύλου τοῦ ἀποστόλου. Τί πρῶτον ὑμῖν ἐν ἀρχῇ τοῦ [38] εὐαγγελίου ἔγραψεν; ἐπ' ἀληθείας πνευματικῶς ἐπέστειλεν ὑμῖν, περὶ αὐτοῦ τε, καὶ Κηφᾶ, καὶ Ἀπολλώ, διὰ τὸ καὶ τότε προςκλίσεις ὑμᾶς πεποιῆσθαι. Ἀλλ' ἡ πρόςκλισις ἐκείνη ἧττον ἁμαρτίαν ὑμῖν προςήνεγκεν. προςεκλίθητε γὰρ ἀποστόλοις [39] μεμαρτυρημένοις, καὶ ἀνδρὶ δεδοκιμασμένῳ παρ' αὐτοῖς. Νυνὶ δὲ κατανοήσατε, τίνες ὑμᾶς διέστρεψαν, καὶ τὸ σεμνὸν τῆς περιβοήτου φιλαδελφίας ὑμῶν ἐμείωσαν. Sumite epistolam beati Pauli apostoli. Quid primum vobis in principio evangelii scripsit? profecto in Spiritu ad vos litteras dedit, de seipso, et Cepha, et Apollo, quia etiam tum diversa in studia scissi eratis. Sed varia illa animorum inclinatio minus peccatum vobis intulit: propendebatis enim in apostolos testatae sanctitatis, et in virum ab illis probatum. Nunc vero quinam sint qui vos perverterint, et nominatissimi vestri fraterni amoris imminuerint decus, animadvertite."

359. Hoc expedito nodo, alter, isque non multo implexior solvendus antea est, quam ipsa interpretatio proponatur. Quum enim Paulus [40] universum corinthiorum coetum *in quatuor veluti classes* diribeat, e quibus tres priores designantur verbis, ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλώ, ἐγὼ δὲ Κηφᾶ: quarta vero et postrema eos complectebatur, quibus solemnis erat formula, ἐγὼ δὲ Χριστοῦ: merito quis petat, ***an omnes ex aequo classes eodem numero haberi debeant, eaeque censeri, quae indiscriminatim ab apostolo reprehendantur.***

Ac mihi sane certum est, tres priores classes secerni a quarta oportere, et illas quidem a Paulo notari ac reprehendi, hanc vero commendari [41] et veluti exemplar proponi quod omnes imitarentur.' Enimvero quis putet notari eos potuisse, aut schismatis accusari, qui hanc tesseram praeseferrent, ἐγὼ δὲ Χριστοῦ? quid hac professione sanctius? quid vel ab umbra schismatis remotius? An ii schismatici, qui primum [42] Antiochiae *christianorum* nomen assumpsere? immo coniunctissimi, planeque digni qui eximiis laudibus celebrarentur. Atqui nullum hos inter illosque discrimen, quibus apud Paulum [43] haec erat tessera,

[37]) Epist. ad Corinth. §. XLVII.

[38]) Videtur Clemens τοῦ εὐαγγελίου nomine ipsam Pauli epistolam designare. Sane Origenes ad Matth. XXI. 45. locum ex I. Cor. XII. 15, et Gregorius nyssenus ad Theophilum alexandrinum con. Apollinarem, textum ex I. Joh. V. 19. evangelii nomine appellant. Idem vero Origenes praefat. comm. in Johannem, et auctor Constitutt. Apostolic. lib. I. cap. V. evangelii titulo libros omnes N. T. complectuntur.

[39]) Hoc Clementis testimonio videtur extra controversiam poni, Cepham a Paulo memoratum ipsum esse apostolorum principem Petrum.

[40]) I. Cor. I. 12.

[41]) Idem quoque censuit Eichhornius, quem e recentioribus non pauci sectati sunt.

[42]) Act. XI. 26.

[43]) I. Cor. I. 12.

ἐγὼ δὲ Χριστοῦ. Praeterea quibus rationum momentis aut accusationem munit Paulus, aut obiurgationem amplificat? legantur quae pluribus exsequitur, et perspicue apparebit, inde ab eo argumenta peti, quod qui in partes factionesque discindebantur, hi [44] Christum dividerent, cum fonte [45] rivos confunderent, ministrisque deferrent quod sine piaculo alteri quam institutori adscribi non potest. Sed quid horum in illos cadit quibus haec erat publica solemnisque professio, *ἐγὼ δὲ Χριστοῦ?* et vicissim quid horum in eos adamussim non quadrat qui dictitabant, *ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλώ, ἐγὼ δὲ Κηφᾶ?* quamvis igitur illi cum his [46] numerentur, haud tamen cum his similiter vituperantur.

Qua de re plenior etiam nobis persuasio erit si animadverterimus, non ultimum accusationis momentum inde ab apostolo repeti, quod factiosi corinthii [47] non *in Domino, quemadmodum scriptum est, sed ἐν ἀνθρώποις gloriarentur*, ac [48] *εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς alter adversus alterum κατὰ τοῦ ἑτέρου* propter sectae suae principem superbiret. Quis porro haec, hisque similia ad eos transferre ausit, qui hoc veluti symbolo distinguebantur, *ἐγὼ δὲ Χριστοῦ?* an ii verba, *ἐγὼ δὲ Χριστοῦ*, (in quae insuper abit sectarum recensus), et ipsa *ad sectam* referamus, *cum* quia Paulo forsitan vel corripiendae orationis causa veros Christi discipulos sic designare libuit, ne ipsi opus esset verborum plurium copia atque circuitu fere hoc: *superesse tamen iuxta sectas commemoratas, qui ab omni sectarum studio alieni, ex cuiusvis doctoris vere christiani institutione proficere studeant, quo pleniori iure ad solum Christum pertinere videantur:* quo quidem circuitu apostolus eo magis supersedere potuit, cum eos, ad quos scriberet, satis cognitum habere sciret, quomodo illud *τοῦ Χριστοῦ εἶναι* intelligi vellet; *tum* quia interrogati, cum quonam doctore facerent, se *τοῦ Χριστοῦ εἶναι* ingenue profiterentur ipsi, quia nec verius nec paucioribus verbis respondere poterant; *tum* quia fortassis ob id ipsum, vel augendi factionum numeri causa ab aliis male sedulis, *οἱ Χριστοῦ* vocari soliti erant, ut et ipsi sectae speciem praeseferrent."

[44]) I. Cor. I. 13.

[45]) Ibid. vv. 18—31, III. 5—15, IV. 1—7.

[46]) Ne similis loquendi ratio, quae I. Cor. I. 12. adhibetur, *ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλώ, ἐγὼ δὲ Κηφᾶ, ἐγὼ δὲ Χριστοῦ*, difficultatem creet, animadverti debet, aliud prorsus esse plures *simul* connumerari, ac aliud, omnes et singulos *eodem numero* censeri. Profecto si dolendum esse scriberem, urbem Romam in factiones tam turpiter distrahi, quum alii e civibus dicant, *ego sum sterbinianus*, alii, *ego autem massinianus*, ac alii, *ego vero pianus:* miserrimam quidem urbis faciem depingerem, nullatenus vero *pianos* cum reliquis confunderem, aut reprehensione dignos, divisionisque reos significarem. Ab his autem licet *materia* discrepent quae scribit Paulus, cum iisdem tamen *forma*, *loquendique modo* consentiunt.

Paullo aliter nodum expedit Julius Pott in Proleg. §. IV. inquiens: „Ex eo quod in proxime praecedentibus per idem illud, *ἐγὼ δέ*, ter adhibitum, sectae atque factiones significantur, nullo modo cogimur, ut

[47]) I. Cor. III. 21.

[48]) Ibid. IV. 6; ubi *εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς* idem est ac, *ἄλλος ὑπὲρ τοῦ ἄλλου*, nimirum *ὑπὲρ ἀλλήλων*.

gloriam *ex hominibus* captabant? an ab reliquis propter hominem, ducemque factionis dissidebant? Pauli igitur reprehensio ad eos non pertinet, qui quum illud in ore haberent, *ἐγὼ δὲ Χριστοῦ*, se a Christo christianos nuncupabant.

Quare quum denuo [49] apostolus accusationem instaurat, eorum quidem meminit qui iactabant, *ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλώ:* sed de iis prorsus silet qui se Christi asseclas profitebantur. Immo quum normam praefinit schismati oppositam, quamque omnes sequerentur, illorum caussam luculentissime statuit, quibus ratum id erat ut se a Christo nuncuparent. Principio [50] repetit: *ὥςτε μηδεὶς καυχάσθω ἐν ἀνθρώποις*, ***nemo igitur in hominibus glorietur.*** Tum his verbis [51] rationem subiecit: *Πάντα γὰρ ὑμῶν ἐστιν, εἴτε Παῦλος, εἴτε Ἀπολλώ, εἴτε Κηφᾶς ...., πάντα ὑμῶν ἐστιν· ὑμεῖς δέ, Χριστοῦ.* ***omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas ...., omnia*** omnino ***vestra sunt; vos autem estis Christi.*** Qui ergo se Christi dicerent, qui hanc tesseram praeseferrent, *ἐγὼ δὲ Χριστοῦ*, hi probi germanique erant discipuli, neque veritati minus quam Pauli praecepto obsequebantur.

360. Jamvero his, uti decebat, in antecessum constitutis, arduum non erit quae habet Paulus rite interpretari, idoneamque reperire caussam, qua factum est, ut nulla primatus, quo Cephas insignis erat, ***diserta*** [52] mentio iniiceretur. Sane ut ab interpretatione ordiar eorum quae Paulus scribit, is, accusatione [53] proposita, eiusdem gravitatem, insitumque schismati flagitium continuo patefacit [54], inquiens: *Μεμέρισται* [55] *ὁ Χριστός; μὴ Παῦλος ἐσταυρώθη ὑπὲρ ὑμῶν; ἢ εἰς τὸ ὄνομα Παύλου ἐβαπτίσθητε;* ***an Christus*** [56] ***divisus est***, ac prope multiplicatus [57], adeo ut plures sint eius imperii, dignitatisque consortes? *μὴ κοινωνούς*, ita scholion apud Matthaei [58], *ἔχει τῆς δεσποτείας καὶ τῆς ἐξου-*

[49]) I. Cor. III. 3—4.

[50]) Ibid. v. 21.

[51]) Ibid. v. 22—23. In hanc autem sententiam graeci latinique interprêtes, Chrysostomus, Theodoritus, Ambrosiaster, Pelagius, aliique unanimes conveniunt.

[52]) Mentionem enim aliquam factam esse, superius n. 148. comprobavimus.

[53]) I. Cor. I. 12.

[54]) Ibid. v. 13.

[55]) Sunt, inquit Theodoritus, qui hoc incisum *ἀποφαντικῶς* ***enuntiative*** legendum esse arbitrantur; ego vero positum illud esse *κατ' ἐρώτησιν* ***per interrogationem*** existimo. Quod ex iis confirmat quae mox sequuntur, et confirmari denuo potest ex ea lectione, quam plures codices, pluresque versiones referunt, quaque particula *μὴ* ad interrogationem evidentius significandam praemittitur verbo *μεμέρισται*.

[56]) Meminit Theodoritus interpretum, qui *Χριστὸν* pro *ἐκκλησίᾳ* acciperent, verbaque Pauli sic redderent: ***an ecclesia Christi, quae unicum est ac esse corpus debet, in partes scissa est?*** Sed neque necessaria est huiusmodi interpretatio, neque satis cum contextu cohaeret.

[57]) Quamquam *μερίζειν* proprie sit ***secare, dividere***, adsignificat tamen *πολλαπλασιάζειν*, ***multiplicare.***

[58]) Hoc scholion e Theodorito desumptum est, qui scribit: *Ὃ δὲ λέγει τοιοῦτόν ἐστι· μὴ κοινωνοὺς ἔχει τῆς δεσποτείας καὶ τῆς ἐξουσίας ὁ Χριστός, καὶ διὰ τοῦτο διῄρηται, καὶ οἱ μὲν ἐξ αὐτοῦ καλεῖσθε, οἱ δὲ ἐκ τοῦ δεῖνος καὶ τοῦ δεῖνος;* ***Quod***

σίας ὁ Χριστός; an pro vobis crucifixus est Paulus, adeo ut illius morti salutem vestram debeatis? *an in Pauli nomine baptizati estis*, adeo ut illi per regenerationis sacramentum [59] nomen adiunxeritis? Quae profecto omnia, ceu totidem absurda consectaria ex eo deducta, quod digladiantes inter se corinthii dicerent, *ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλώ, ἐγὼ δὲ Κηφᾶ*, ostendunt, in eo totum esse Paulum, ut supremi Domini, Redemptoris, Auctorisque christianae religionis *ἐξουσίαν* Christo integram, nullaque sui parte imminutam asserat: tum vero inde schisma dimanasse, quod quae *Christi propria* sunt, eadem corinthii hominibus, Christique ministris adscriberent.

361. Utrumque porro [60] confirmare pergit, atque eam esse docet [61] selectam divinitus *οἰκονομίαν*, qua ad salutem christianamque iustitiam perduci homines debent, *ὅπως μὴ καυχήσηται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον* [62] *τοῦ θεοῦ, e qua existit* [63] *ut nemo glorietur in conspectu Dei*, sibique, humanisque dotibus vindicare possit, quod uni Deo referri in acceptis debet. Etenim [64] subdit: *Ἐξ αὐτοῦ δὲ ὑμεῖς ἐστε ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὃς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία* [65] *ἀπὸ θεοῦ, δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμὸς καὶ ἀπολύτρωσις· ἵνα, καθὼς γέγραπται· ὁ καυχώμενος, ἐν κυρίῳ καυχάσθω. Ex ipso* Deo, et non ex hominibus *vos estis in Christo Jesu*, adoptionem [66] filiorum percepistis, membraque eius evasistis, *qui* Deo sic omnia moderante, *factus nobis est sapientia* non humana et terrestris, sed *divina* et caelestis, *et iustitia, et sanctificatio, et redemptio, adeo ut* ratum sit *quod scriptum* [67] *est, qui gloriatur, in Domino* [68] *glorietur*, suamque

autem Paulus *dicit, tale est: numquid dominii et potestatis socios habet Christus, et propterea divisus est, atque alii quidem ab ipso, alii vero ab hoc et illo denominamini?*

[59]) Neque enim dubium est, quod pluribus Vitringa, Observatt. Sacr. lib. III. cap. XXII, ostendit: formula, *βαπτίζεσθαι εἰς τὸ ὄνομά τινος*, significari, *initiatione per baptismum profiteri se discipulum alicuius.*

[60]) I. Cor. I. 14—29.

[61]) Ibid. v. 29.

[62]) Vulgatus pro *τοῦ θεοῦ* legit *αὐτοῦ*, quae lectio neque codicum, neque patrum, neque aliarum versionum auctoritate destituitur.

[63]) Particula enim *ὅπως*, ut Suidas ait, non est *αἰτίας δηλωτική, ἀλλ' ἐκβάσεως*, notatque, *adeo ut, διὰ τοῦτο.*

[64]) I. Cor. I. 30—31.

[65]) Formula *σοφία ἀπὸ θεοῦ*, reddi potest, quum *σοφία ἀπὸ θεοῦ δοθεῖσα*, sapientia non humana, sed caelestis et a Deo donata, tum *σοφία θεία*, idest, divina, utpote a Deo Patre genita.

[66]) Scite Theodoritus: „*Ex ipso* dixit, *οὐ κατὰ τὸν δημιουργίας λόγον, ἀλλὰ κατὰ τὸν τῆς σωτηρίας*, non ratione creationis, sed ratione datae salutis. Quicumque enim, inquit Joh. I. 12, eum receperunt, dedit eis *ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι*. .... Generationis autem modum etiam ostendit, cum dixit, *in Christo Jesu*. Non enim ab hoc vel illo denominati estis, sed per Christum regeneratione digni estis habiti."

[67]) Sunt haec ex iis *compendio* quodam decerpta quae habentur Jerem. IX. 23—24, et quoddam veluti *generale axioma* praeseferunt.

[68]) Non iis admodum obstiterim, qui *κυρίου* nomine non *Χριστὸν Ἰησοῦν*, sed *τὸν θεὸν* intelligerent.

gloriam collocet non in Paulo, Apollonio, Cepha, sed in uno Christo Jesu, e quo bona omnia nostra proficiscuntur.

362. Quibus ea rursum confirmantur quae monuimus, eo spectare Paulum, ut inanem fidelibus interdicat gloriationem quam ex hominibus mutuabantur; illos ad Christum supremum Dominum, Redemptorem, Auctorem christianae oeconomiae, fontemque totius sapientiae, sanctitatisque revocet; caussamque aperiat conflati schismatis sane deterrimam, neque aliunde arcessendam, quam e praepostera eorum confusione, quae domino, quaeque servis, ministrisque tribui debent.

Quam confusionem ut e suis radicibus convellat, interrogando [69] petit: *Τίς οὖν ἐστι Παῦλος, τίς* [70] *Ἀπολλώ; quis igitur est Paulus, quis Apollonius?* ac e vestigio [71] reponit, *ἀλλ' ἤ* [72] *διάκονοι, δι' ὧν ἐπιστεύσατε; nisi ministri, per quos credidistis*, et quorum studiis christianam religionem amplexi estis? Neque sint qui opponant, inter ipsos evangelii doctores, veritatisque magistros alios aliis sapientia, eloquentia, ac eorum quae tradunt sublimitate praestare. Etenim neque idcirco *e ministrorum classe* eximuntur, neque tam illis tribuendum id est, quam Domino cui famulantur, quum singuli eam obeant ministerii partem, quam *ἑκάστῳ ὁ κύριος ἔδωκεν, unicuique Dominus dedit*, explendamque commisit. En [73], *ἐγὼ ἐφύτευσα, Ἀπολλὼς ἐπότισεν, ἀλλ' ὁ θεὸς ηὔξανεν, ego plantavi*, semina ieci, vosque christianae institutionis elementis imbui, *Apollonius irrigavit*, iactumque a me semen excoluit, elementaque uberiori explicatione cumulavit, *sed Deus incrementum largitus est*, effecitque ne utriusque curae in irritum cederent. Quare [74] *οὔτε ὁ φυτεύων ἐστί τι, οὔτε ὁ ποτίζων, ἀλλ' ὁ αὐξάνων θεός, neque* [75] magni aliquid est *qui plantat*, institutionemque orditur, *neque qui rigat*, inchoatamque institutionem promovet, *sed* magnus est *Deus qui incrementum largitur;* unde neque in eo gloriandum est qui opus auspicatur, neque in eo qui incoeptum iuvat, sed in Deo qui utriusque curas fortunat.

363. Quantopere autem a praescripto rationis ea gloriatio abhorreat, quae

[69]) I. Cor. III. 5. al. 4.

[70]) Utroque in loco plures codices habent *τί* pro *τίς*.

[71]) I. Cor. III. 5.

[72]) Hae particulae videntur subditiciae, ac revera desunt in pluribus codicibus, et versionibus, ipsaque Vulgata, quae post vocem, *διάκονοι*, interserit *eius*, idest, Dei.

[73]) I. Cor. III. 6; ad quem locum sic habet Theodoritus: *Ἐγὼ ἐφύτευσα. πρῶτος γὰρ ὑμῖν ἐκήρυξα. Ἀπολλὼς ἐπότισεν. μετ' ἐμὲ τὴν ἐμὴν διδασκαλίαν ἐκράτυνεν. Ἀλλ' ὁ θεὸς ηὔξανε. τῆς γὰρ αὐτοῦ χάριτος τὸ κατόρθωμα. Ego plantavi.* Primus enim vobis praedicavi, *Apollo rigavit.* Post me doctrinam confirmavit. *Sed Deus incrementum dedit.* Est enim eius gratiae quod res feliciter successit.

[74]) I. Cor. III. 7.

[75]) Quae heic adhibetur formula, *οὔτε εἶναί τι*, respondet praecedenti v. 5, *τίς ἐστι;* et non aliter accipi debet ac si diceretur, *οὔτε εἶναι μέγα τι.* Cf. Luc. VII. 49, Galat. II. 6, et Vigerum de Idiotismis Linguae Graecae, pag. 144. edit. Zeune.

humanis institutorum ornamentis innititur, inde etiam, addit Paulus [76], erui potest, quod ὁ φυτεύων δὲ καὶ ὁ ποτίζων ἕν εἰσιν· ἕκαστος δὲ τὸν ἴδιον μισθὸν λήψεται κατὰ τὸν ἴδιον κόπον, *et qui plantat et qui rigat*, et qui incipit et qui progreditur, *unum sunt*, uni eidemque operi vacant, ac unum idemque ministerium implent, ea tamen lege, *ut quisque pro impenso labore*, pro pietate qua operi studuit, *propriam mercedem accipiat*, atque adeo dignitas quidem ministerii sit communis, merces vero cuiusque propria.

Utrumque deinde illustrat, ac alterum quidem a commate duodecimo usque ad sextum-decimum, primum vero continuo [77] subdens: *Θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί· θεοῦ γεώργιον, θεοῦ οἰκοδομή ἐστε. Dei enim sumus cooperatores*, sive qui elementa tradimus, sive qui celsiora docemus. *Vos* autem *estis Dei ager*, quem omnes quotquot sumus ministri, sub Deo excolimus, *estis Dei aedificium*, ad quod exstruendum, expoliendumque operam nostram omnes conferimus. Sed quum quisquis ea perfungi debeat ministerii parte, quam ab agri aedificiique domino sortitus [78] est [79]: *κατὰ τὴν χάριν τοῦ θεοῦ τὴν δοθεῖσάν μοι, ὡς σοφὸς ἀρχιτέκτων, θεμέλιον τέθεικα· ἄλλος δὲ ἐποικοδομεῖ*, ego *pro concessa mihi Dei gratia*, proque demandato mihi [80] gentium apostolatu, *tamquam sapiens architectus*, peritusque christianae institutionis doctor, *fundamentum posui* illius aedificii, quod Dei *οἰκοδομὴ* est, *alter vero superaedificat*, quaeque ego delineavi, excitat atque perficit.

Sed quod nominat christianae doctrinae fundamentum? ac unde christianam institutionem inchoavit? Id primum ex ipsa rei natura coniici potest; fundamentum enim christianae institutionis idem plane est ac princeps caput, quo christiana doctrina distinguitur, et ad quod universa revocatur. Hoc vero est, Jesum esse Christum, Messiam Domini, per quem iudaei pariter gentilesque salute potirentur. Ex iis deinde statui potest, quae apostolus praemisit, et quibus declaravit, quidnam potissimum corinthiis praedicaverit. Jamvero haec omnino sunt quae [81] praemisit: *Οὐ ... ἔκρινά* [82] *τι εἰδέναι·ἐν ὑμῖν, εἰ μὴ Ἰησοῦν Χριστόν, καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον. decrevi nullius* [83] *apud vos rei cognitionem profiteri, quam Jesu Christi, et huius crucifixi.*

[76]) I. Cor. III. 8—9.

[77]) Ibid. v. 9.

[78]) Ibid. v. 6.

[79]) Ibid. v. 10.

[80]) Gratia, cuius heic meminit, est Rom. XII. 3—6, Gal. II. 9, Ephes. III. 2. ἀποστολὴ ἐκ χάριτος τοῦ θεοῦ δοθεῖσά μοι.

[81]) I. Cor. II. 2.

[82]) In vulgatis editionibus legimus, οὐ .... ἔκρινα τοῦ εἰδέναι τι ..... Sed legendum esse, οὐ ... ἔκρινά τι εἰδέναι ..., Griesbachius et Vaterus demonstrasse videntur.

[83]) Particula οὐ potest iungi vel cum ἔκρινα, ut sensus sit, *non iudicavi, operae pretium non putavi;* vel cum pronomine *τί*, ac si scriptum esset, ἔκρινα γὰρ οὔ τι εἰδέναι, *mihi proposui* et apud me ratum habui *nullam profiteri notitiam.* Quaenam vero *σχέσις* praeferenda sit, Pauli σκοπὸς ostendit, cum quo posterior longe praeclarius consentit.

Quamquam vix opus his esse videtur, quum Paulus illico tradat[84] quod iecerit christianae institutionis fundamentum, inquiens: *Θεμέλιον γὰρ ἄλλον οὐδεὶς δύναται θεῖναι παρὰ τὸν κείμενον, ὅς ἐστιν· Ἰησοῦς Χριστός· **fundamentum namque aliud***, neque aliud christianae doctrinae supremum caput ***ponere*** ac veluti praestruere ***quispiam***[85] ***potest, praeter illud quod*** a me tamquam perito architecto ***positum est***, et super quod aedificari debet, ***quod*** fundamentum, princepsque doctrinae caput ***est***, contineturque hac fidei professione: ***Jesus Messia***, nimirum, Jesus est semen illud benedictum, quod promissum patribus, in mundum tandem venit, ac nobiscum versatum morte quam pertulit universo hominum generi vitam, salutemque comparavit.

364. Cui interpretationi[86], ut mihi quidem videtur, perspicue suffragantur series, ductusque sermonis: ratio apostolicae institutionis quam in suis commentariis Lucas describit, quaeque eo redibat, ut Jesus licet cruci affixus, Messias tamen, divinusque Deum inter ac homines mediator crederetur: tum quae Johannes[87] prorsus gemina tradit, *ὃς ἂν ὁμολογήσῃ, ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ*[88], *ὁ θεὸς ἐν αὐτῷ μένει, καὶ αὐτὸς ἐν τῷ θεῷ*, et[89] rursum, *πᾶς ὁ πιστεύων, ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστός, ἐκ τοῦ θεοῦ γεγέννηται:* ac postremo veterum commentarii, Ambrosiastri inprimis, Pelagii, Chrysostomi ac Theodoriti, cuius ista sunt verba: „*Ἐποικοδομεῖν δεῖ, οὐ θεμέλια καταβάλλειν. ἄλλον γὰρ θεμέλιον καταβάλλειν ἀδύνατον τὸν ἐπιστημόνως οἰκοδομῆσαι βουλόμενον. Τοῦτον καὶ ὁ μακάριος Πέτρος τέθεικε τὸν θεμέλιον, μᾶλλον δὲ αὐτὸς ὁ δεσπότης. Πέτρου γὰρ εἰρηκότος, σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὁ κύριος εἶπεν, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. Μὴ τοίνυν ἐξ ἀνθρώπων ἑαυτοὺς ὀνομάζετε· Χριστὸς γάρ ἐστιν ὁ θεμέλιος.*

[84]) I. Cor. III. 11. Non desunt codices, in quibus articulus *ὁ* ante *Χριστὸς* praemittitur: neque desunt codices, patresque qui ad augendam sententiae vim terminos invertunt, ***praedicatumque subiecto*** anteponentes legunt, *Χριστὸς Ἰησοῦς*. Porro nomen *Ἰησοῦς* non ad verbum *ἐστὶν* referri, sed ad *Χριστὸν* pertinere, mihi est omnino persuasissimum, atque adeo arbitror, formulam, *Ἰησοῦς Χριστός*, huic aequipollere, *Ἰησοῦν εἶναι Χριστόν*.

[85]) Jure scilicet, adeo ut *οὐδεὶς δύναται* idem valeat ac, *οὐδενὶ ἔξεστι*, *fas nemini est*.

[86]) Qua semel probata, nihil evidentius quam inania esse quaecumque omnia adversus Petri dignitatem, qua est, diciturque *πέτρα τῆς ἐκκλησίας*, eo nomine opponuntur, quod Paulus hanc *ἐξουσίαν* uni Christo vindicaverit. Etenim a) Petrus est *πέτρα*, ecclesiaeque fundamentum ***iure ac potestate regendi, tuendaeque unitatis***; at vero b) Christus a Paulo *θεμέλιος* dicitur christianae institutionis, quia princeps fidei nostrae articulus, cui reliqui innituntur, et e quo christiana professio nomen, formamque mutuatur, hac propositione continetur, *Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστός*.

[87]) I. Joh. IV. 15.

[88]) His verbis contineri periphrasin *τοῦ Χριστοῦ*, patet ex altero quod subiicimus testimonio, itemque ex insigni Petri confessione, Matth. XVI. 16: *Σὺ εἶ ὁ Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος.*

[89]) I. Joh. V. 1.

Oportet superaedificare, non fundamenta iacere. Neque enim aliud potest iacere fundamentum, qui vult sapienter aedificare. Hoc fundamentum iecit beatus Petrus, vel potius ipse Dominus. Cum enim dixisset Petrus, *tu es Christus filius Dei vivi*, dixit Dominus, *super*[90] *hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Ne vos ergo denominate ab hominibus: Christus enim est fundamentum."

365. Quibus innuitur vinculum, quo haec cum capite totius disputationis cohaerent. Si enim Christus est unicus Dominus, Redemptor, auctorque religionis: si universa doctrina ad ipsum, tamquam ad supremum verticem redigitur: si omnes tam qui plantant quam qui rigant, tam qui fundamentum iaciunt quam qui superaedificant, sunt *διάκονοι, δι' ὧν ἐπιστεύσατε*, illiusque *συνεργοὶ* qui est *τοῦ γεωργίου καὶ τῆς οἰκοδομῆς* unicus dominus; manifestum est neque ab iis sumi nomen posse, neque eos veluti duces, principesque factionum haberi.

Quod postremo[91] inculcans atque confirmans, ait: *Itaque μηδεὶς καυχάσθω ἐν ἀνθρώποις, nemo in hominibus glorietur*, vanaque ex iis nomina captet. Cur nam vero? quod *πάντα ὑμῶν ἐστιν, omnia vestra sunt*, tam homines ac ministri a Deo propterea electi ut vestris utilitatibus consulant, quam quaecumque sunt reliqua, quum[92] *omnia τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεὸν συνεργεῖ εἰς τὸ ἀγαθόν.* Proindeque vestra sunt et ad vos[93] pertinent *εἴτε Παῦλος, εἴτε Ἀπολλώς, εἴτε Κηφᾶς, εἴτε κόσμος, εἴτε ζωή, εἴτε θάνατος, εἴτε ἐνεστῶτα, εἴτε μέλλοντα.* In summa, *πάντα ὑμῶν ἐστιν*, et[94] *πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων*, Christo ordinante referuntur. Neque existimare idcirco debetis, sic omnia ad vos, vestramque utilitatem spectare, ut in vobis tandem consistant, et non altius sublimiusque conscendant. Etenim sic omnia vestra sunt, ut vos vicissim sitis *Χριστοῦ· Χριστὸς δέ, θεοῦ, Christi, Christus autem, Dei.* Quo fit ut catena ad Deum postremo assurgat, profectique ex eo annuli in eum rursum necessario veluti reditu colligantur. Quemadmodum enim a Deo, tamquam inexhausto quodam fonte per Christum mediatorem, perque datos ab eo ministros omnia ad vos bona, omnisque iustitia, sapientiaque permanarunt, adeo ut communione bonitatis, iustitiae, sapientiaeque divinae boni, iusti, sapientesque merito videamini; ita rivuli tandem omnes suam repetunt originem, insitoque motu ad suum caput, principiumque referuntur.

366. Quae profecto eiusmodi sunt, ut intelligere quisque debeat, cur Paulus neque eximiam Cephae dignitatem diserte memoraverit, neque vero tulerit, ut suum a Cepha nomen corinthii mutuarentur. Dignitatem enim auctoritatemque contemplabatur, quae propria est *Domini*, quae *institutori religionis* convenit, quae *Redemptori* debetur, quaeque illi tribuenda est, qui una cum Deo Patre non minus *principium* sit bonorum omnium, quibus fideles locupletantur, quam *finis*, propter quem omnia, ipsique fideles et sunt, et ad subli-

[90]) Sunt haec eo sensu adhibita, quem *accommodatum* nominant, ac propterea ab orationis serie, ductuque avulsa considerantur.

[91]) I. Cor. III. 21.

[92]) Rom. VIII. 28.

[93]) I. Cor. III. 22—23.

[94]) Ephes. IV. 12.

miorem perfectionis gradum in dies provehuntur. Paucis, dignitatem auctoritatemque contemplabatur illius, qui [95] *ἐγενήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ θεοῦ, δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμὸς καὶ ἀπολύτρωσις*, qui [96] incrementum largitur, qui [97] est *τοῦ γεωργίου καὶ τῆς οἰκοδομῆς* dominus, in quo [98] solum fas est gloriari, quique unus affirmare [99] de semetipso vere potest, *ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω*. Quibus, Tertulliano [100] interprete, ***sic duas Graeciae litteras summam et ultimam sibi induit Dominus, initii et finis concurrentium in se figuras; uti quemadmodum Α ad Ω usque evolvitur, et rursus Ω ad Α replicatur, ita ostenderet, in se esse et initii decursum ad finem, et finis recursum ad initium; ut omnis dispositio in eum desinens per quem coepta est, per Sermonem scilicet Dei, qui caro factus est, proinde desit quemadmodum et coepit.***

Jamvero quaecumque foret Cephae dignitas, quaecumque auctoritas, ea ***ministri*** dignitas erat non ***domini***, et auctoritas ***legati*** non ***institutoris*** ac ***regis:*** deque ipso repeti debuit quod de omnibus omnino *συνεργοῖς* Paulus [101] proclamavit: *Οὕτως ἡμᾶς λογιζέσθω ἄνθρωπος, ὡς ὑπηρέτας* [102] *Χριστοῦ καὶ οἰκονόμους* [103] *μυστηρίων θεοῦ*. ***sic nos existimet homo***, atque hoc potius [104] modo de nobis quisque iudicet, rationesque [105] subducat, ut nos habeat ***veluti ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei***, quae quum hactenus impervia [106] hominibus fuerint, per Christum lumen Patris, nostroque ministerio eisdem innotuere.

95) I. Cor. I. 30.

96) Ibid. III. 7.

97) Ibid. v. 12.

98) Ibid. I. 31.

99) Apoc. I. 8—11, XXI. 6, XXII. 13.

100) De Monogam. cap. V.

101) I. Cor. IV. 1. Quibus verbis hunc Theodoritus commentarium subiicit: *Ὁ τιμῆσαι βουλόμενος ἡμᾶς, ὡς ὑπηρέτας Χριστοῦ τιμάτω, ὡς οἰκονόμους αἰδείσθω, μετρείτω τῇ φύσει τὸ γέρας.* ***Qui vult nos honorare, honoret ut Christi ministros, revereatur ut dispensatores, honorem natura metiatur.***

102) Quamquam *ὑπηρέται Χριστοῦ* ex usu loquendi idem plane sint ac *δοῦλοι Χριστοῦ*, Jacob. I. 1, *ὑπηρέται τοῦ λόγου*, Luc. I. 2, *διάκονοι, δι' ὧν πιστεύομεν*, I. Cor. III. 5, et *ὑπηρέται τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ*, Sap. VI. 4; proprie tamen ac *ἀμέσως* significant ***subremiges***, *ἀπὸ τοῦ ἔρω, ἐρέω, ἐρέσσω*, ***remigo***, ecclesiamque solemni apud christianos scriptores ***navis*** imagine repraesentant, cuius princeps *ναύκληρος* est Christus, reliqui autem omnes per gradus discreti *ὑπηρέται* atque ***subremiges.***

103) Alia heic eaque frequentissima imagine ecclesia instar ***domus*** exhibetur, cuius ***paterfamilias*** Christus, quamque reliqui omnes, veluti *οἰκονόμοι* maiori minorive auctoritate praediti administrant.

104) Hanc subintelligendam esse comparationem, correctionemve antecedentia ostendunt.

105) His nativam reddimus potestatem *τοῦ λογίζεσθαι*, quod de iis proprie usurpatur, qui subducto calculo rationes conficiunt.

106) De notione rei, doctrinaeve sacrae, imperviae, seclusae, quae *τοῦ μυστηρίου* nomini subest, pluribus egit Casaubonus in Exercit. Anti-Baronian. XVI.

367. Ex his autem duae oboriuntur quaestiones, quae quum enodari facile possint, praeteriri silentio non debent; praesertim quum utraque ad rem totam illustrandam non minimum conducat, et posteriori non leviter protestantes abutantur. Primum vero de quo ambigitur, istud est: *an fides christiana, fides catholica esse dicique debeat fides Petri, fidesque romana.* Si enim, teste Paulo, integrum fidelibus non est suum a Cepha nomen desumere, videri consequens posset, neque fas esse, christianam catholicamque fidem *appositis fidei Petri, fideique romanae distinguere.* Sed quod consequens videri posset, idipsum paullo inspectum intimius, plane falsum, et a veritate alienissimum deprehenditur. Quum enim christiana fides atque catholica, Petri fides romanaque nuncupatur, id intelligi duplici modo potest, quorum alter huc redit: fidem, qua christiani sumus, censemurque catholici *a Petro auctore* proficisci, ac e romana Petri cathedra *tamquam principe fonte* dimanare; alter vero est: eamdem fidem ad Deum per Christum, eiusque Spiritum revolvi, illius autem *sincerum, authenticumque* *παράδειγμα* fide Petri, romanaque praedicatione contineri.

368. Jamvero quum prior acceptio praepostera sit, absurda, cum ipsa fidei ratione pugnans, et a Paulo luculentissime proscripta; posterior contra vera est, indubitata, et cum fidei analogia tam arcte connexa, ut nuda simplicique expositione comprobetur. Ecquis enim est Petrus, aut quae fides e romana Petri cathedra praedicata? nisi penitus ex animo exciderint quae hucusque [107] demonstrata dedimus, Petrus est universalis ecclesiae magister ac doctor, totius dominicae familiae princeps oeconomus, qui officium confirmandi fratres accepit, auctoritatemque obtinuit, qua Christi ovile salutari doctrina et oecumenici pastoris nomine aleret atque gubernaret. Sed fieri ne potest, ut ecclesiae fides ab ea dissideat, quam universalis illius magister profitetur? ut dominica familia aliud credat quam quod princeps eiusdem oeconomus tradit? ut fratres aliud sentiant quam quod ab eo accipiunt qui illis confirmandis praepositus est? ut ovile denique alia sibi permissa pascua existimet, quam quae illi ab oecumenico pastore suggeruntur? Talia haec sunt quae nemini vera, nemini probabilia, nemini non apertissime falsa videantur. Ratio igitur et *authentici* sincerique paradigmatis virtus *per se* inest fidei Petri, quam omnes habere propositam debent, normaeque instar sequi, qua christianam catholicamque professionem ab hominum commentis, haereticorumque deliriis tuto secernant.

369. Et de hac quidem *normae* praestantia, quae fidei Petri, romanaeque cathedrae tribuenda sit, numquam orthodoxos patres dubitasse, luculentis eorumdem suffragiis comprobatur. Non repetam quae superius [108] e Cypriano descripsi, et e quibus constat phrases illi fuisse synonymas, *cum romana ecclesia* et *cum ecclesia catholica communicare:* neque repetam omnium ore celebratum

§. 43, eaque inductione locorum N. T. stabilitur, Ephes. I. 9, III. 3, IV. 9, VI. 19, Coloss. I. 26—27, II. 2, IV. 3, et I. Tim. III. 9.

[107]) nn. 30. seqq., 49. seqq., 85. seqq., et 104. seqq.

[108]) n. 346.

Ambrosii [109] dictum, *ubi Petrus, ibi ecclesia*, e quo consequitur, ecclesiam non esse quae a Petri fide desciverit: tacitus item praeteribo quae de Satyro fratre idem narrat [110] Ambrosius, *advocasse* illum *ad se episcopum* regionis ad quam naufragio facto appulerat, *nec ullam veram putasse nisi verae fidei gratiam, percunctatumque ex eo esse, utrum cum episcopis catholicis, hoc est, cum romana sede* [111] *conveniret;* sed initio κριτήριον memorabo auctore Hieronymo adhibendum, ut sincera fides atque catholica certissime dignoscatur. Sic ergo ille de Rufino [112] scribit: „Fidem suam quam vocat? eamne qua *romana* pollet ecclesia, an illam quae in Origenis voluminibus continetur? *si romanam responderit, ergo catholici sumus.*“ Appositum ergo *romanae* tessera est atque κριτήριον fidei *catholicae*, adeo ut quae romana sit fides, eadem sit catholica, catholica vero esse non possit, quae vicissim non sit romana. Quare Theodosius iunior eodem habuit [113] numero *catholicam, romanamque religionem;* Fulgentius [114] vero ac [115] Hormisda *romanam fidem* per ἐπεξήγησιν *fidem apostolicam et catholicam* interpretati sunt.

370. Et quoniam Hormisdae memini, viderer mihi caussam prodere, nisi *formulam* in medium proferrem, quam Orientis episcopis antea probandam, subscribendamque praecepit, quam in consortium unius eiusdemque communionis, e qua propter acacianum schisma exciderant, Justino imperante reciperentur. Ea porro his omnino verbis [116] inchoabatur: „Prima salus est rectae fidei regulam custodire, et a patrum traditione nullatenus deviare; quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica inviolabilis semper catholica custoditur religio. De hac igitur fide non cadere cupientes, et patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes haereses.“

109) In Ps. L. n. 30.

110) In Orat. de ipsius obitu, n. 47.

111) Formula est ista dicendi illi prorsus gemina, qua usus antea fuerat Irenaeus, scribens con. Haeres. lib. III. cap. III: *ad hanc enim ecclesiam propter potiorem* (al. *potentiorem*) *principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles.* Quot vero, quamque praepostera et absurda de subiecta illi significatione protestantes confinxerint, omnium uberrime patefecit Johannes Jacobus Griesbach in *Commentatione de potentiori ecclesiae romanae principalitate*, edita Jenae 1779.

112) Con. Rufinum, lib. I. n. 4.

113) In epist. ad Acacium, aliosque episcopos et anachoretas, recitata in ephesino concilio.

114) In epist. ad Joannem et Venerium, quam nomine episcoporum Africae in Sardinia exsulum conscripsit.

115) Epist. X. ad Avitum viennensem, et epist. LXX. ad Possessorem.

116) Refertur in epist. Johannis constantinopolitani ad Hormisdam, et habetur in T. V. Conciliorum. Eadem formula proposita fuit ab Hadriano I, et subscriptione episcoporum omnium concilii oecumenici VIII. comprobata. Cf. Muzzarelli opus, *De auctoritate Romani Pontificis*, T. II. pagg. 265. seqq. edit. Gandavi.

Statum videlicet erat Hormisdae, statum Orientis episcopis, rectae fidei regulam ab eo peti oportere, qui a Domino audierit, *tu es Petrus*, *et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*. Et merito sane quum neque sincera fides alia esse possit quam fides ecclesiae verae, neque alia ecclesia vera quam quae Petro, super quem a Domino aedificata est, incumbat, et cum eo fidei professione conspiret. Praesertim quum divinam promissionem de invicta Petri stabilitate atque constantia sequuti effectus illustriorem reddiderint, historiaeque monimenta patefecerint, numquam aliam ex apostolica Petri cathedra profectam esse doctrinam, nisi quam caelestis Pater revelaverit.

Unde subditur: „Quapropter sequentes in omnibus sedem apostolicam, et *praedicamus* omnia quae ab ipsa decreta sunt, et propterea spero in una communione vobiscum, quam apostolica sedes praedicat, me futurum, in qua est *integra religionis et perfecta soliditas:* promittentes in sequenti tempore sequestratos a communione ecclesiae catholicae, *idest in omnibus non consentientes sedi apostolicae*, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria." Una igitur eademque censebatur esse *communio cum catholica ecclesia* et *cum apostolica Petri sede*, ad quam consequendam *ea erat omnibus* [117] *praefinita conditio*, ut eamdem sibi tenendam esse fidem scirent quam e sua cathedra Petrus praedicaret. Sed qui potuit eiusmodi conditio praefiniri, nisi traditae a Petro fidei *vis ac regulae potestas* unanimi orthodoxorum suffragio deferretur? deferebatur igitur, et eo quidem modo quo nullus solemnior merito desiderari posse videatur.

In ipsis enim sanctissimis liturgiae precibus hanc suam animi certissimam persuasionem manifestabant his Deum verbis [118] exorantes: „Deus qui secundum

[117]) Cuius praefinitae conditionis plura eaque insignia in ecclesiastica historia occurrunt exempla. Non antea Hormisdas (epistt. VIII—IX.) Epiri praesules ad communionem admisit quam illi propositam fidei formulam recepissent. Tamdiu magnus Leo communionis litteras (epistt. LXIX—LXX—LXXI—CXI. edit. Ballerin.) Anatolio non reddidit, quamdiu ille in unam eamdemque fidei regulam non consensit.

Quum autem Antiochiae ex imperatoris lege adscribendae illi ecclesiae essent, qui suam cum Damaso societatem probaret, et hanc sibi societatem Paulinus et Apollinarius (apud Theodoritum H. E. lib. V. cap. III.) contra Meletium assererent; Paulinum quidem his verbis alloquutus est Flavianus: *Εἰ τὴν Δαμάσου, ὦ φιλότης, κοινωνίαν ἀσπάζῃ, ἐπίδειξον ἡμῖν σαφῶς τὴν τῶν δογμάτων συγγένειαν. Si Damasi communionem amplècteris, o amice, tuae nobis et illius doctrinae cognationem aperte demonstra.* Tum ad Apollinarium conversus, sic eum compellavit: *demiror te, o amice, tam impudenter repugnare veritati, idque quum exploratum habeas, Damasum, perfectam a Deo Verbo adsumptam esse naturam nostram, profiteri; σὺ δὲ τοὐναντίον λέγων διατελεῖς, tu vero contraria docere non desinis.* Cf. appendicem Garnerii ad notas Diurni ecclesiae romanae, cap. II. n. 24.

[118]) Habentur haec in vetustissimo sacramentario romanae ecclesiae edito a Blanchinio, recuso a Muratorio, et uberius a

promissionis tuae inviolabile constitutum apostolicae confessioni superna dignatione largiris, ut in veritatis tuae fundamine solidatae nulla mortiferae falsitatis iura praevaleant ...., ipsaque sit sacri corporis ubique vera compago, *quae te dispensante devota subsequitur quidquid sedes illa censuerit, quam tenere voluisti totius ecclesiae principatum.*" De qua fidei necessaria unitate accipi quoque ista [119] debent: „Deus qui ut hanc sedem regimen ecclesiae totius efficeres, et quod haec praedicasset, ostenderes ubique servandum." A quibus ne minimum quidem ea distant, quae de apostolica Petri cathedra *iure apostolici principatus* profitentur [120], ut quae ex illa fides, quaeve traditio permanasset, *eam christianae devotionis sequeretur universitas, salubrique compendio* [121] *et hi, qui ab illorum tramite deviassent, haberentur* [122] *externi, et tantummodo filii veritatis existerent, qui a principali* [123] *nullatenus traditione discederent.*

371. Expedita priori quaestione, alteram non meis, sed theologi calviniani verbis exponam, ut quisque evidentius perspiciat, quid de illa protestantes opinentur, et quantum illi inesse momenti sibi persuasisse videantur. Itaque ubi controversiam habet [124] *de regimine ecclesiae*, atque hoc nominatim doctrinae caput expendit, *an regimen ecclesiae debeat esse monarchicum*, scribit Turrettinus: „Si praeter Christum daretur aliquod aliud caput ecclesiae; ergo ecclesia *diceretur alterius corpus quam Christi*, ex perpetua relatione capitis et corporis. Sed hoc inauditum est in Scriptura, quae passim dicit ecclesiam esse *corpus Christi*, ut Christum vocat eius caput, Ephes. I. 20, et IV. 11—12, et V. 23. et Col. I. 18. Sed nuspiam vocat ecclesiam corpus [125] papae. Nec distinctio capitis principalis et ministerialis huic incommodo potest mederi. Quia praeterquam quod est falsa et ἀσύστατος, ut iam dictum, repugnans scilicet ana-

Balleriniis illustrato, in praefat. Missae XIV. pro die natali apostolorum Petri et Pauli.

[119]) Ibid. in praefat. Missae XX.

[120]) Ibid. in praefat. Missae X.

[121]) Eadem mente Cyprianus in libro de unitate ecclesiae, pag. 76: „Hoc eo fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec magistri caelestis doctrina servatur. Quae si quis consideret et examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis *compendio veritatis*. Loquitur Dominus ad Petrum: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus* ...."

[122]) Tamquam ethnici scilicet et publicani; ethnici enim a Paulo I. Cor. V. 12. dicuntur *οἱ ἔξω*, opponunturque *τοῖς ἔσω*, idest, *τοῖς οἰκείοις τῆς πίστεως*, Galat. VI. 10.

[123]) Traditio *principalis* dicitur traditio cathedrae Petri, quia, ut Innocentius docet in litteris de caussa pelagiana ad carthaginiensem synodum datis, *ex ea, veluti de natali suo fonte aquae cunctae procedunt, et per diversas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti dimanant.*

[124]) Institt. Theolog. Elenct. Loco XVIII. q. XVI. §. XII.

[125]) Sed quorsum heic mentio *papae*, et incivilis illa ac rustica phrasis, *corpus papae?* an eadem ἀμέσως est quae de Petro, quaeque de romano praesule quaestio initur? sed necessarium Turrettino fuit omnia turbare, ne lux splendesceret.

logiae corporis humani, a quo metaphora desumpta est, est etiam inutilis: nam non obstat principalis et non principalis differentia, quominus in suo cuiusque rei genere agnoscatur reciprocatio. Quomodo vero posset dici caput ecclesiae ille qui potest esse [126] reprobus et haereticus, atque adeo nec ipsius ecclesiae membrum?" Qua interrogatione innuit, rem sibi adeo exploratam manifestamque videri, ut neque illam pluribus ornare verbis, neque validioribus stabilire argumentis, operae pretium esse censuerit. Ego vero efficiam ut omnes intelligant, quam male quae diversissima sunt Turrettinus commiscuerit, fucum ea confusione lectoribus fecerit, sincerumque veritatis candorem obscurarit.

372. Igitur quae *simplex* prima fronte videtur quaestio, ea revera *multiplex* est, neque perduci ad liquidum potest, nisi quod *ex sese* ad formam spectat, rationemque loquendi in antecessum explanetur. Est autem huiusmodi: *an ecclesia, si praepositus illi* [127] *Petrus credatur, possit aut debeat eiusdem Petri corpus nuncupari.* Ad quam enodandam quaestionem duplex nobis κριτήριον suppetit, *externum* alterum, ac e divinis litteris, monimentisque christianis desumptum, alterum *internum* ac e rei ipsius qua de agitur natura profectum. Jamvero neutrum permittit, *sive ut ecclesia Petri corpus dicatur, sive ut haec dicendi forma cum doctrina de Petro conspicuo ecclesiae capite apta nexaque iudicetur.*

Sane integrum nobis non est pro arbitrio loqui, verborumque sanitas non tam nobis commendatur, quam [128] serio graviterque praecipitur. Merito autem huius violatores legis haberemur, si ea qua de agimus formula, temere imprudenterque abuteremur. Ecquando enim vel in divinis litteris, vel in christianis monimentis, quae nobis instar normae sentiendi, loquendique praelucent, ecclesia dicitur *Petri corpus*? ne semel quidem. Interea neque in Scripturis desunt quae videri necessaria, opportunave possunt, ut Petrus universae ecclesiae praepositus, eiusque [129] caput credatur: neque in christianis monimentis appellatio capitis Petro facta desideratur. Hoc enim titulo quum a patribus seorsum, tum a synodis [130], iisque particularibus et oecumenicis non infrequenter ornatur. Quid igitur ex his iunctis simul copulatisque consequens esse arbitrabimur? illud principio, interdictam nobis esse formulam, qua ecclesia corpus Petri appelletur: illud deinde, Scripturarum auctoritate, patrum dictis, effatisque synodorum

[126]) Videor mihi audire donatistam aliquem, et hominem certe audio ecclesiae quae invisibilis sit, vindicem et assertorem.

[127]) Quamquam res sit certissima et hucusque demonstrata, compellor tamen *hypothetica* abuti *loquutione*, ne quid videar praesumpsisse.

[128]) I. Tim. VI. 13, II. Tim. I. 13, et ad Tit. II. 1.

[129]) nn. 38. seqq.

[130]) n. 350. Hinc Act. II. ephesini concilii de patribus Caelestini iudicium adversus Nestorii haeresim comprobantibus dicitur, quod *sancta membra sancto se capiti adiunxerint;* factumque propterea sit quod Leo epist. XIV. al. XII. ad Anastasium thessalonicensem scribit, cap. X, *ut nihil usquam a suo capite dissideret.*

comprobari, nullo prorsus nexu cum doctrina, qua Petrus conspicuum ecclesiae caput creditur, formulam cohaerere qua ecclesia eiusdem corpus dicatur.

373. Quod multo apparebit evidentius, si ad *externum* quo usi sumus *κριτήριον*, *internum*, quaeque ex eo sua sponte dimanant, adiecerimus. Ut enim a vocabulis auspicer, quibus formula constat, quid, peto, venit *ecclesiae* nomine? corpus ne *ἀκέφαλον*, an satius corpus visibile, suoque visibili capite instructum? hanc superius [131] controversiam absolvimus, ostendimusque, ecclesiae appellatione significari [132] *ἓν σῶμα*, atque adeo corpus partibus omnibus, conspicuoque inprimis capite, quo ad unitatem redigitur, perfectum. Quem igitur sensum redderet formula, qua ecclesia *corpus Petri* diceretur? hunc omnino, ***corpus visibile iunctum devinctumque cum suo visibili capite, eoque Petro corpus esse Petri.*** Verum quid hac loquendi ratione absurdius, quodque maiori aurium convicio excipiatur? res ergo subiecta formulae verbis non sinit, ut ecclesia corpus Petri nuncupetur.

Quod longe etiam minus significatio patitur, quae huic metaphoricae loquutioni ex usu biblico, ecclesiasticoque dicendi subiecta est. Sane testimonia recolantur, quae ipsemet innuit [133] Turrettinus, quaeque ea mente citat, ut lectoribus persuadeat, ecclesiam ne semel quidem Petri, constanter vero Christi corpus appellari. Quid ex iis eruitur, quidve infertur? infertur ea mystica dicendi formula multiplicem *σχέσιν* significari, qua [134] Christus *supremus est ecclesiae Dominus*, *ἐν πᾶσιν πρωτεύει*, *omniaque sibi*, *utpote* *πρωτότοκος*, *obnoxia*, *subiectaque habet:* qua [135] *in ecclesiam*, *singulaque eius membra*, *utpote supremum caelestis vitae principium*, *operatur ac influit*, qua [136] eiusdem *redemptor est ac salvator*, illamque [137] sibi *divino coniugio arctissime devinxit*, *ut iam sancta et immaculata capitis sui*, *suique sponsi gloria repleretur.* Sed quum talis sit eius formulae potestas, talesque illi e loquendi bibliorum usu notiones subiiciantur, erunt ne qui flagitare pergant, cur numquam de Petro, ac de uno constanter Christo adhibeatur? an habuit, habetque Christus cum quibus supremum in ecclesiam dominium [138] partiatur? an alteri cuipiam una cum Christo tribui potest, quod ecclesiam suo sanguine redemerit, quod aspersione sui sanguinis mundarit et mundet, quod illi perenniter vitam indat, suaque gloria perfundat? sunt haec unius Christi propria, neque alteri quam *θεανθρώπῳ* convenire possunt aut tribui. Quum igitur huc redeat sententia formulae, qua ecclesia dicitur corpus Christi, necessarium fuit ne de alio quopiam usurparetur.

374. Cuius necessitatis argumentum sane non levius e significatione petitur *usu ecclesiastico* eidem formulae attributa. Interrogentur enim Patres quid

[131]) nn. 319. seqq.

[132]) Ephes. IV. 4.

[133]) n. 371.

[134]) Coloss. I. 18. coll. Ephes. I. 22—23.

[135]) Ephes. IV. 15—16.

[136]) Ibid. V. 23.

[137]) Ibid. vv. 26—33.

[138]) Nemo id dixerit, cui nota sit Pauli sententia Ephes. IV. 6: *Εἷς κύριος*, non secus ac *εἷς θεός*.

expressum declaratumque vellent, quum ecclesiam corpus Christi nuncuparent. Respondebunt cum Theodorito [139], ea se propterea usos esse appellatione, quod Christus *ecclesiam impleverit donis omnigenis*, καὶ οἰκεῖ ἐν αὐτῇ καὶ ἐμπεριπατεῖ κατὰ τὴν προφητικὴν φωνήν, *et in ea habitat et obambulat iuxta vocem* [140] *propheticam.* Respondebunt cum [141] eodem, ea formula significari, *quod sicuti* ἡ κεφαλὴ πᾶσι τοῖς μορίοις τοῦ σώματος χορηγεῖ τῆς αἰσθήσεως τὴν ἐνέργειαν· πηγὴ γὰρ τῆς αἰσθητικῆς δυνάμεως ὁ ἐγκέφαλος· οὕτως ὁ δεσπότης Χριστὸς κεφαλῆς τάξιν ἐπέχων, τὰ τοῦ πνεύματος διανέμει χαρίσματα, εἰς μίαν ἁρμονίαν συνάπτων τὰ μέλη τοῦ σώματος, *caput omnibus membris corporis suppeditat vim sentiendi: sentiendi enim facultatis fons est cerebrum: ita etiam Christus Dominus obtinens locum capitis, dispertit dona Spiritus, in unam compagem connectens* [142] *membra corporis.* Respondebunt tandem cum [143] Origene, idcirco ecclesiam esse, et Christi corpus vocari, quia *e divinis scripturis* discimus, τὴν πᾶσαν τοῦ θεοῦ ἐκκλησίαν *totam Dei ecclesiam* esse σῶμα Χριστοῦ ὑπὸ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ ψυχούμενον, *Christi corpus a Dei filio animatum:* μέλη δὲ τούτου τοῦ σώματος εἶναι ὡς ὅλου τούςδε τινὰς τοὺς πιστεύοντας, *membra autem illius corporis, ut totius, eos esse omnes qui credunt.* Ἐπείπερ ὥςπερ ψυχὴ ζωοποιεῖ καὶ κινεῖ τὸ σῶμα, οὐ πεφυκὸς ἀφ' ἑαυτοῦ κινεῖσθαι ζωτικῶς· οὕτως ὁ λόγος, κινῶν ἐπὶ τὰ δέοντα, καὶ ἐνεργῶν τὸ ὅλον σῶμα τὴν ἐκκλησίαν, κινεῖ καὶ ἕκαστον μέλος τῶν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, οὐδὲν χωρὶς λόγου πράττοντα. *Quoniam sicut anima vitam et motum impertit corpori, quod a seipso natura moveri vitaliter non potest; ita Verbum totum corpus, idest ecclesiam, ad ea quae opus sunt, movens et agens, etiam singula membra eorum qui ad ecclesiam pertinent, movet, ita ut nihil sine Verbo faciant.*

Sed hac semel potestate formulae praestituta, fieri ne potuit ut ad alium quam ad Christum eadem transferretur? quamdiu igitur externa ecclesiae administratio ab eius interiori sanctificatione, vita, donisque Spiritus distinguetur: quamdiu externa unitas, eiusque caussae ab interiori unitate eiusque principio secernentur: quamdiu nefas existimabitur quod est in ecclesia αἰσθητὸν cum

139) Ad Ephes. I. 23.

140) Levit. XXVI. 11—12.

141) Ad Ephes. IV. 16.

142) Unitate *interiori*, cuius *externa unitas* non minus *typus* est quam *necessaria conditio.* Cf. Campegii Vitringa Observatt. Sacr. lib. V. cap. VII. *De communione christianorum externa;* ubi non pauca habet, quibus discrimen interioris exteriorisque unitatis, mutuusque earum habitus illustretur.

143) Con. Celsum, lib. VI. n. 48. Fuerit autem pretium operae adnotasse, in id Origenem incumbere, ut contra Celsum efficiat, τὴν τοῦ Ἰησοῦ ψυχὴν *animam Jesu* τῷ τηλικούτῳ υἱῷ τοῦ θεοῦ *tanto Dei filio* τῇ ἄκρᾳ μετοχῇ ἡνῶσθαι *intima participatione* unitam sic *esse, ut numquam ab eo separari debeat.* Quam singularem eximiamque ἕνωσιν ut imagine aliqua repraesentet, ad eam se recipit societatem qua Christus cum mystico suo corpore, quod est ecclesia, iungitur, quamque eiusdem depictam verbis retulimus.

eo confundere quod est in eadem *νοητὸν* et sola fide [144] intelligitur; tamdiu Petrus quidem conspicuum ecclesiae caput dicetur, at ecclesia *nonnisi Christi corpus* appellabitur.

375. Praesertim quum hac phrasi tam *ex sese*, quam *ex recepto loquendi usu* significetur, eum cuius ecclesia dicitur corpus, et ipsius ecclesiae *dominum* esse, et *finem* eidem ecclesiae praestitutum. Utrumque sane mentem continuo subit vel quum ipsam efferimus phrasim, vel quum eidem subiectam in divinis litteris, christianisque monimentis potestatem animo reputamus. Quis porro est in christiana disciplina hospes adeo ac novus quem lateat, neque Petrum, neque hominem quempiam esse, dicive posse ecclesiae *dominum*, *finemque* ad quem ipsa ecclesia referatur? unus est illius dominus, Christus *θεάνθρωπος:* ac unus eidem propositus finis, Christus et Pater. Omnia, inquit [145] Paulus, *ὑμῶν ἐστιν*, *vestra sunt*, et in vestram, ecclesiaeque totius utilitatem instituta, *ὑμεῖς δέ, Χριστοῦ· Χριστὸς δέ, θεοῦ.* Quare, dispari licet gradu, omnibus tamen sive apostolis, sive prophetis, sive evangelistis, sive pastoribus magistrisque [146] commissum est *ἔργον διακονίας εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ.* Ac omnes, quamquam inaequali insignes [147] auctoritate, *διάκονοι* sunt, quorum cura studiisque credamus, et credentes hereditate potiamur. Erunt ne igitur quibus incredibile videatur, Petrum quidem praeesse ecclesiae, illius tamen corpus neque esse, neque dici ecclesiam posse? illius, qui [148] instar solidissimae petrae in tutelam recepit ecclesiam *non suam*, *sed Christi? ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν:* illius, qui institutus [149] pastor est ovilis *non sui*, *sed Christi? βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου.* Exploratum itaque esse debet, *ἐξουσίαν* conspicui ecclesiae capitis, qua donatus certissime Petrus fuit, eiusmodi non esse, propter quam ecclesia illius corpus dici, credive debeat.

[144]) Huc facit celebrata potissimum post Augustinum distinctio inter *corpus* atque *animam* ecclesiae, quam nemo melius clarissimo Moehler in sua Symbolica, cap. V. §. XXXVI. expolivit, ac in meridiana propemodum luce collocavit.

[145]) I. Cor. III. 22—23.

[146]) Ephes. IV. 12.

[147]) I. Cor. IV. 1.

[148]) Matth. XVI. 18.

[149]) Joh. XXI. 15. seqq.

CAPUT XXVII.

Argumentorum, quibus usi hactenus sumus, ἀνακεφαλαίωσις: — potiora recensentur: — quo ea spectent, quidve iis conficiatur: — efficitur apostolorum collegium fuisse inaequale: — omnibus antecelluisse Petrum: — neque honore solum ac ordine, sed iure potissimum atque auctoritate: — quo consilio Christus potiori auctoritate Petrum ornarit: — multiplex illud fuisse ostenditur: — inprimis vero ut conspicuae unitati ecclesiae uno, conspicuoque capite, doctore, supremoque praeside consuleretur.

376. Omnibus exploratum esse arbitror, eam esse de primatu Petri controversiam, quae ad quaestionem de inaequali apostolorum collegio *universim* revocetur, *speciatim* vero ac *proxime* ad hanc indaginem, utrum Christus ecclesiae auctor atque institutor aliquem ex apostolis, et quem ex iis *nominatim* ceteris omnibus anteposuerit. Quemadmodum enim nullus esse potuisset locus potiori primatus dignitati, si omnes ex aequo pares [1] fuissent apostoli, nulloque ab invicem honoris auctoritatisque gradu secreti; ita eiusmodi est primatus ratio, indoles ac natura, ut *sine certo definitoque cui insit subiecto*, ne percipi quidem cogitando posse videatur.

Ad dirimendas autem quaestiones, *aequales ne omnino fuerint an inaequales apostoli*, ac *utrum ex iis aliquis honore et dignitate reliquis praestiterit;* quatuor potissimum examini subiicienda videbantur: dicta primum gestaque Christi ad apostolos pertinentia: eiusdem deinde effata quae singularem praeferre institutionem viderentur: tum constans et usitata evangelistis, ceterisque divinitus afflatis auctoribus dicendi scribendique forma ac ratio: historia postremo orientis ecclesiae, e qua coniecturae, vel certa etiam indicia peterentur potestatis, quam aut omnes pariter apostoli exercuerint, aut unus sibi prae ceteris vindicarit. Si enim ex hisce capitibus in unam veluti sententiam conspirantibus liquido evidenterque innotesceret, certum quemdam ex apostolis, eumque Simonem Petrum, factis, dictisque fuisse a Christo e reliquorum numero secretum, apostolisque

[1]) Quod enim nonnulli theologi rem pinguius expendentes opinantur, ad asserendum tuendumque primatum *sat esse,* si una eademque potestas apostolis omnibus communis, Petro quidem *iure* quod vocant *ordinario,* ceteris vero nonnisi *extraordinario* tributa concessaque existimetur; id neque admodum ad rem pertinet, neque probari ullo modo potest. Ad rem non pertinet, quum eiusmodi *extrinsecum* discrimen omnimodam inter apostolos auctoritatis aequalitatem non tollat; improbari autem debet, quia certissime constat, Petrum maiori ampliorique auctoritate, quam non inepte *maiestatem* appellabimus, fuisse divinitus auctum.

praepositum: ab auctoribus θεοπνεύστοις tamquam omnium caput atque verticem constanti lege descriptum: et in historia nascentis ecclesiae non aliis expressum coloribus, quam qui supremi omnium moderatoris, ducisque imaginem repraesentent; neque ulla reliqua foret difficultas, et affatim argumenta suppeterent, quibus Christus tam auctor inaequalitatis inter apostolos, quam primatus, quo Petrus excelleret, institutor ostenderetur.

377. Videmur autem nobis comprobasse *ab omni* esse *conditione* soluta, quae veluti *conditione affecta* proposuimus. Ostendimus [2] enim Christum universa agendi ratione, solemnibusque dictis factisque declarasse, non esse sibi Petrum *instar unius e reliquis*, sed illum a se haberi veluti reliquorum ducem, principem atque caput.

Ostendimus [3] voluisse Christum, ut uni Petro ea ornamenta convenirent, quibus ipsemet uti supremus ecclesiae rector excellit. Eiusmodi enim censeri debent proprietates, dotesque *fundamenti*, *clavigeri*, *omnimodae auctoritatis*, *assertoris* et *statoris* ac postremo *pastorum principis*. Nulla porro ex iis est, quam *non uni Petro* promiserit, promissamque contulerit: nulla ad cuius consortium societatemque *non unum Petrum* evexerit, quem et *fundamentum* ecclesiae suae praestituit, *clavibus* auxit, *omnimoda solvendi ligandique potestate* donavit, fratribus uti *confirmatorem* dedit, suoque ovili tamquam *oecumenicum pastorem* praefecit.

Ostendimus [4] idem propemodum ab evangelistis discrimen poni apostolos inter ac Petrum, quod Petrum inter atque Christum nobiscum adhuc versantem extitisse significant. Sicut enim [5] alterum a Christo Petrum exhibent, ita Petro apostolos subiiciunt: sicut facta dictaque Christi factis dictisque Petri anteponunt, ita huius facta dictaque factis dictisque apostolorum praehabent: sicut Christus in ipsorum commentariis prae Petro eminet, ita Petrus prae apostolis excellit: et sicut legi evangelia non possunt, quin descriptus in iis πρωτότυπος Christus esse videatur, ita legi eadem nequeunt quin proxime ad Christum accedere Petrum iudicetur.

Ostendimus [6] non aliter de Petro loquutum esse Paulum, ac verba de eo fecerint evangelistae: neque minus in Pauli epistolis quam in evangeliorum libris Petri ὑπεροχὴν eminere.

Ostendimus [7] denique comparatam sic esse ecclesiae nascentis historiam, ut in ea Petrus maioris instar astri resplendeat. Fulgor enim quo Petrus in Actis emicat, est illi simillimus quo in evangeliis Christus perfunditur. Christus omnium frequentissime nominatur in evangeliis; nullius saepius nomen in Actis quam Petri repetitur. Christi sermones, gesta, patrataque signa utramque ferme evangeliorum paginam implent; in Actis [8] vix quidpiam reperitur quod ad ser-

[2]) nn. 13. seqq.

[3]) nn. 60. seqq., nn. 87. seqq.

[4]) nn. 115. seqq.

[5]) nn. 198. seqq.

[6]) nn. 272. seqq.

[7]) nn. 163. seqq.

[8]) Non puto monendum esse, de ea

mones, gesta, editaque a Petro miracula non referatur. Christus in evangeliis praeit, sequuntur apostoli; antecedit Petrus in Actis, illumque apostoli comitantur. Christus in evangeliis docet, illique tacendo apostoli consentiunt; in Actis unus concionatur Petrus, salutaremque doctrinam explanat, eique apostoli silentio suffragantur. Christus curam in evangeliis gerit apostolici collegii, satagit ne quid illud detrimenti capiat, oppugnatumque defendit; Petrus in Actis sollicite curat ut collegium Judae interitu deminutum expleatur, electionis conditiones praefinit, electionem ipsam iubet, apostolorumque vindicias coram plebe, coram principibus et sacerdotibus iure officioque capitis adgreditur.

Is praeterea est [9], qui in triplici potestate exercenda *magisterii*, *iudicis* ac *legislatoris* unus praecellit. Praecellit *auctoritate magisterii*, neque solum erga utrumque populum iudaeorum et gentilium, quem ipse primus Christo adiungit, adeo ut [10] qui *petra* erat ecclesiaeque *fundamentum*, idem *princeps* quoque illius aedificandae *architectus* extiterit; verum etiam erga apostolos, qui illius ministerio [11] edocentur, advenisse iam tempus quo redemptionis beneficium non minus ad gentes quam ad iudaeos protenderetur, non posse autem sine crimine tentati Numinis fideles ex gentibus sarcina legalium institutorum onerari. Praecellit [12] *iudicis auctoritate*, quum apostolis tacentibus, primus ipse fidelium caussas agnoscit, tribunal erigit, reos examinat, sententiam dicit, dictamque inflicta excommunicationis poena munit atque sancit. Praecellit denique *auctoritate capitis*, *supremique legislatoris*, sive quum ipse unus christianos coetus [13] undique institutos lustrat, circumspicit, studioque capitis fovet ac perficit; sive quum ipse unus [14] praerogativa suffragii utitur, legemque unanimi deinde reliquorum suffragio comprobandam αὐθεντικῶς praeformat.

378. Ex his autem brevi quodam compendio recensitis, multiplex prodit argumentum, quo et *apostolici collegii inaequalitas*, et Petri ὑπεροχή, eiusque πρωτοστασία ac προστασία perspicue adprobentur. Etenim I. aequale illorum collegium duci non potest, e quorum numero *unum aliquem*, eumque Simonem Petrum Christus delegerit, quem dictis factisque praepositum omnibus significaret. Universa autem [15] loquendi, agendique ratio, quam Christus inivit, quaeque in evangeliis descripta cernitur, eo spectavit, ut Petrus e ceterorum choro electus, illique praepositus ostenderetur. Igitur neque apostolorum collegium aequale, neque Petrus uti unus e reliquis haberi potest.

Praeterea II. e communi reliquorum numero videri exemtus is debet, qui quum nihil non acceperit eorum, quae omnibus fuerunt *communia*, plura *suo nomine*, *eaque eximia ac propria* sortitus est. Jamvero nihil apostolis reliquis concessit Christus quod Petro negaverit, plura autem eaque nobilissima [16] Petro

me loqui Actorum parte, quae totius ecclesiae historiam complectitur.

[9]) nn. 259. seqq.

[10]) nn. 215. seqq.

[11]) nn. 222. seqq.

[12]) nn. 238. seqq.

[13]) nn. 242. seqq.

[14]) nn. 245. seqq.

[15]) nn. 13. seqq.

[16]) nn. 17—20—36. seqq.

tribuit, quae ceteris non impertit. E reliquorum igitur apostolorum numero eximatur Petrus necesse est.

379. Sane III. facile assequimur non posse uno eodemque dignitatis praestantiaeque ordine comprehendi *fundamentum* et *quae inniti fundamento debent*, *clavigerum* ac *eos qui ad domum civitatemque spectant*, *cuius ille clavibus potitur*, *confirmatorem* ac *eos qui confirmandi sunt*, *universalem denique pastorem*, *ovesque illius curis potestatique commissas*. Atqui comparate ad ipsos apostolos, praeque ipsis apostolis [17] *insignia* sunt, *decora*, *propriaque unius Petri ornamenta*, quae nominibus *fundamenti*, *clavigeri*, *confirmatoris*, *universalisque pastoris* expressimus. Manifestum est ergo discrimen, quo a reliquis apostolis Petrus secernitur, et apostolici collegii inaequalitas comprobatur.

Quod mihi videor paullo secus, luculentiusque declarare posse, lectoribusque persuadere.

380. Itaque IV. velim initio animadvertatur quod est suapte natura luculentum, *excellentiae discrimen e discrimine perfectionis*, *donorumque pendere*, adeo ut *nullum illud* sit si *haec* sint *paria*, sit contra *maius minusve*, quo *donorum maior* est *minorve inaequalitas*. Velim deinde consideretur quod et ratione intelligimus et fide [18] tenemus, *πᾶσαν δόσιν* [19] *ἀγαθὴν καὶ πᾶν δώρημα τέλειον* ad nos *ἄνωθεν* defluere *ἀπὸ τοῦ πατρὸς* [20] *τῶν φώτων*, Deumque esse bonorum omnium fontem, atque ex eo dona quaecumque omnia in creaturas redundare. Ex utroque enim capite consequens est, modulum normamque dignitatis perfectionisque quam creaturae possident, participatione bonorum divinorum contineri, esseque illam maiorem minoremve pro maiori minorive divinorum bonorum participatione atque consortio.

Quare quae de primatu Petri, deque apostolici collegii inaequalitate agitatur controversia in hanc postremo recidit: *effecerit nec ne Christus θεάνθρωπος, ut unus prae omnibus Petrus in earum proprietatum consortium societatemque vocaretur*, *propter quas ipsemet ad ecclesiam tamquam supremus eiusdem rector*, *princepsque moderator refertur*. Hoc enim si semel a Christo effectum constiterit, una etiam necessario constabit, quum omnibus Petrum fuisse praehabitum, tum quid illud fuerit quo Petrus omnium coryphaeus caputque extiterit. Jamvero eiusmodi suscepta indagine, testimonia abunde suppetunt ad probandum opportunissima, effecisse revera Christum ut unus prae

[17]) nn. 24. seqq., nn. 35. seqq., nn. 48. seqq., nn. 85. seqq., et nn. 92. seqq.

[18]) Jacob. I. 17.

[19]) Licet inter *δόσιν* et *δώρημα* idipsum intersit, quod inter *largitionem*, *munusque donatum*; usu tamen receptum est, ut veluti synonyma habeantur.

[20]) De significatione appellationis, qua Deus dicitur *πατὴρ τῶν φώτων*, quatuor sunt vulgatissimae interpretum sententiae: Bensoni, qui illam accipit de Deo *rationis revelationisque fonte*: Grotii qui illam ad Deum refert *spiritalium charismatum largitorem*: Michaelis, cui idem sonat ac *Deus omnis perfectionis*, *prosperitatis*, *laetitiaeque origo*: ac Julii Pott, qui *πατέρα τῶν φώτων* habet tamquam creatoris periphrasim, redditque *siderum auctorem*.

omnibus Petrus *consors fieret quinque omnino proprietatum*, quae quum illi *primum* ac *maxime* insint, *propinquam* continent caussam, ob quam ecclesiae princeps, supremumque caput habetur.

Sane [21] dotibus ornamentisque *fundamenti*, *clavigeri*, *statoris*, *pastorum principis*, *dominique* qui omnem a Patre acceperit potestatem, *proxime nominatimque* debetur, ut ecclesia a Christo penitus dependeat, obnoxia illi sit, ac ipse prae ecclesia iure atque ἐξουσίᾳ summi domini, supremique rectoris potiatur. Sed quaenam ex hisce dotibus est, quas sibi, prout rerum natura sinebat, noluerit esse una cum Petro communes? quas illi uni prae ceteris omnibus non detulerit? singulas [22] impertiit, omnesque ita adscripsit, ut appellationibus ex iis ductis Petrus quoque *fundamentum*, *claviger*, *confirmator*, *universalis pastor*, *totiusque ecclesiae* ἡγούμενος nuncuparetur. Singularis igitur propriaque horum ornamentorum participatio argumentum praebet insigne, quo Petrus a ceteris distinctus apostolis, illisque praepositus intelligatur.

381. Quo ea rursum V. pertinet divinae sapientiae dispositio, qua provisum est [23] ut Petrus in ecclesia ac inter apostolos gradum dignitatis illi simillimum nancisceretur, quem Abraham inter patriarchas, et Judas inter fratres divinitus obtinuerunt. Hanc ego σχέσιν suis opportune locis [24] expolivi, illamque non licenter confictam, sed idoneis subnixam rationibus ostendi. Quis porro vel suam Abrahamo ὑπεροχὴν impune neget, qua pater, omniumque credentium doctor fuit institutus, vel Judam sua exspoliet dignitate, qua fratribus praefuit, iisque multiplici nomine antecelluit? igitur neque fas quispiam sibi ducat auctoritate supremi magisterii Petrum exuere, illique singulares dotes detrahere, quae eum fratribus, iisdemque apostolis maiorem, potioremque demonstrant.

Praesertim quum VI. solemni evangelistis scribendi ratione haec Petri ἐξουσία luculenter confirmetur. Absonum namque est ac omnino praeposterum cum reliquis eum confundere, quem evangelistae constanter distinxerint, distinctumque omnibus praetulerint. Sed quid reliqui fecerunt evangelistae, ut sibi propositum esse significarent Petrum distinguere, a reliquis illum secernere, ac omnibus omnino apostolis praeponere? ausim affirmare [25] nihil ab iis fuisse praetermissum quod huc pertineret. Absonum igitur est de Petri praerogativis ambigere, illumque eodem quo ceteros numero comprehendere.

382. Ac nemo profecto VII. eum ferret, qui ex usitata evangelistis scribendi forma consequens esse inficiaretur, Christum veluti supremum caput inter apostolos praecellere, infinitoque dignitatis intervallo ab apostolico collegio separari. Sed quamquam neque omnia, neque eodem gradu, plura tamen, eaque

[21]) nn. 17—20—36, nn. 87—88, et nn. 113—114.

[22]) nn. 20—22, nn. 60. seqq., nn. 100—119.

[23]) Qui hoc argumenti genus fastidiunt et aspernantur, hi legent non inutiliter quae Campegius Vitringa Observatt. Sacr. lib. VI. cap. XX. disputat, *De studio verbi divini allegorice interpretandi.*

[24]) nn. 27—33, nn. 326. seqq.

[25]) nn. 115. seqq.

gradu non dissimili evangelistae [26] usurpant, quae Petrum a reliquis secernunt, et quo illum Christo propinquiorem ostendunt, eo supra apostolos reliquos altius evectum demonstrant.

Quae demonstratio VIII. vim inde haurit persuadendi maiorem, quod unam eamdemque cum evangelistis formam dicendi loquendique Paulus tenuerit. Quum enim Petri plus semel [27] in epistolis meminerit, semper illi nobiliorem detulit locum, et quam fieri arctissime poterat, cum Christo coniunxit. Erunt ne igitur qui ambigant, utrum Petrus maiori quodam dignitatis excellentiaeque gradu praestiterit?

Eo vel magis IX. quod Actorum lectio, et primitivae historiae quae iis refertur consideratio, eodem spectent, eodemque animo consignata litteris videantur. Simul namque Actis, evangeliisque [28] collatis, illud mentem continuo subit, vim rationemque *prototypi* quam in evangeliis Christus obtinet, in Actis Petro convenire, neque minus Petrum in Actis prae apostolis reliquis insignem videri, quam Christus in evangeliis splendidissime prae omnibus emineat. Quid autem hac minime dubia similitudine efficitur? quidve aequum est, ut ex hoc evangelicae apostolicaeque historiae habitu deducatur? Si qui rationi morem gerant, praelucentemque Scripturarum facem sequantur, hi nobiscum fatebuntur, hoc utriusque historiae, atque adeo Christi Petrique παραλληλισμῷ indicium, signumque contineri, quo Petrus alter a Christo dignitatis auctoritatisque praestantia demonstratur.

Auctoritatis, inquam, X. atque idcirco eo praestantiae genere, quod honoris, ordinisque fines longissime praetergrediatur. Unde enim vel eminere Petrum ex Actis intelligimus, vel similitudinem inter Acta ac evangelia de Petro, deque Christo scribentia deprehendimus? inde potissimum [29], quod unus prae omnibus Petrus usu exercitioque potestatis triplicis, *iudiciariae*, *legiferae*, *magisterii atque cathedrae* insignis repraesentetur. Atqui asserta hoc nomine excellentia non modo a reliquis Petrum distinguit, verum etiam maiorem illi prae reliquis ἐξουσίαν auctoritatemque conciliat.

383. Ac re sane vera XI. si quae ὑπόθεσις comparata ita sit, ut nonnisi ea posita, multiplex eaque indubia factorum series explicari possit; nemo abnuet, eiusmodi ὑπόθεσιν vice θέσεως habendam esse. Talis certe est philosophorum doctrina, a qua ne recedamus consulta uti decet ratio praescribit. Jamvero Petri ὑπεροχὴ atque προστασία eiusmodi sunt ὑποθέσις, quam si neges, nullam [30] factorum, quae duodecim prioribus Actuum capitibus narrantur, idoneam paremque caussam afferre valeas. Dignitas igitur Petrique προστασία inter ratas certasque theses numerari debet.

Quod XII. inflexa nonnihil argumentationis forma illustrari rursum hoc modo potest. Quemadmodum *a posteriori*, ut aiunt, ac ex effectibus existentia

[26]) nn. 131. seqq.
[27]) nn. 269. seqq.
[28]) nn. 198. seqq.
[29]) nn. 259. seqq.
[30]) nn. 260. seqq.

deducitur caussarum; ita *a priori*, ut loquuntur, ea toties firmissime stabilitur, quoties series summaque effectuum, qui sensibus obversantur, ex ea apte, necessarioque praedicitur. Eam caussam, quam *gravitatem*, *vimque gravitatis* nominamus, ex effectibus et *a posteriori* certa deductione colligimus: sed eamdem non minori iudicii constantia *a priori* quoque determinamus, quum talis sit, e qua obnoxios sensibus effectus non divinando coniicimus, sed intuendo praesentimus. Porro sublimior Petri dignitas, potiorque auctoritas cum hac ipsa caussa, quam gravitatem diximus, non inepte componitur. Utrique enim convenit, ut in suo quaeque ordine origo principiumque sit, quo praecontinentur effectus, qui deinde in hac physica rerum universitate, vel in ὑπερφυσικῷ ecclesiae caelo conspicui apparent.

Et sane fac Petrum ea fuisse dignitate auctum, quam illi vindicamus: quid in historia consignata Actibus occurrit, quod non potuerit ac vero etiam debuerit praesensione affirmari? Illud ne quod [31] prae omnibus memoretur, omnium nomine loquatur, constanter praecedat, ac instar capitis emineat? atqui fieri secus non potuit, si is prae omnibus unus maiorem a Christo dignitatis gradum obtinuit. An illud [32] quod supremi iudicis, legislatoris, magistri doctorisque partes obierit? sed nonne ab eo exspectanda haec erant, qui dignitate praesidis, universalisque pastoris omnibus antecelleret? Primatus igitur Petri, ampliorque auctoritas, singularisque maiestas ad eam pertinet veritatum classem, quibus *empirica deductio*, *rationalisque praesensio* indubitatam fidem conciliant.

384. Commemoratis sin minus omnibus, plerisque saltem ex iis argumentis quibus caussam hactenus confirmavimus; ad eam quaestionem aditus patet, quam altero nobis loco [33] enucleandam proposuimus: *cuiusmodi sit vis, quaeve illius primatus ratio*, qui Petro tribuendus asserendusque iisdem ostenditur. Neque enim sum nescius, hanc protestantibus omnino omnibus mentem insidere, ut non aliam Petro ὑπεροχὴν e suffragio Scripturarumque auctoritate deferendam esse arbitrentur, quam quae praestantiori quodam honoris, ordinisque gradu concludatur. Non inviti concedunt tribui Petro πρωτοστασίαν oportere, sed προστασίαν, celsioremque auctoritatem neque debere, neque deferri posse propugnant. De qua quidem illorum opinione sic statuo, longe fore expeditius quavis funditus praerogativa Petrum exuere, quam adscripta eidem in Scripturis ornamenta ad nescio quam honoris umbram, ordinisque antecessionem detrudere. Statuo nihil tam esse a veritate, Scripturisque alienum, quam ex harum quidem testimonio reliquis insigniorem apostolis Petrum confiteri, eiusdem nihilominus praestantiam intra honoris ordinisque angustos sane fines sepire.

385. Et re sane vera I. unde evidentius ac potissimum maior ea dignitas eruitur, qua reliquis excelluisse Petrum constat? e dotibus seorsum illi

[31]) nn. 163. seqq.

[32]) nn. 183. seqq., nn. 202. seqq., nn. 222. seqq., et nn. 238. seqq.

[33]) n. 376.

collatis, quibus *ecclesiae fundamentum* extitit, *supremus claviger*, *fratrum confirmator*, *pastorque universalis*. Sed vocabula ne ista sunt, imagines, signa, quae nudam honoris ordinisque ἐξοχὴν referant, an quae iuris satius potestatisque ἐξουσίαν designent? affirmare [34] non dubitaverim, aut modos, formulasque deesse quibus eximia exprimatur auctoritas, aut has omnium esse accommodatissimas. Eo namque II. redeunt, ut rerum summam [35] Petro adscriptam, illumque omnium caput, ducemque institutum demonstrent. Quis autem ista audiens, nisi insitam vocabulis potestatem dolo malo perverterit, legesque interpretandi insuper habuerit, aut de nudo cogitet honore, aut sibi Petrum repraesentet, qui nonnisi gradu ordinis antecesserit?

Praesertim quum III. non πρῶτος solum [36] in Scripturis, sed et comparate μείζων et absolute ἡγούμενος nuncupetur. Quae profecto et suapte natura, et longe etiam validius, spectata [37] orationis serie in qua adhibentur, exsortem, potioremque auctoritatem praeseferunt. Auctoritatem nimirum IV. illi affinem cognatamque, qua Christus mortalem adhuc vitam vivens, apostolorum collegio praefuit, coetumque a se collectum iure supremi capitis administravit. Numquam enim inculcari satis potest, quod quum sit *in se* verissimum, *per se* quoque abunde sufficit ut praesens controversia explicata penitus videatur. Scilicet [38] primatum Petri e singulari quodam eorum ornamentorum consortio proficisci, quibus Christus et caput et princeps et supremus ecclesiae rector censetur. Unde quo illius primatus magis deprimitur, eo praerogativae Christique dignitas magis deiiciuntur: neque intra honoris ordinisque fines adstringi ille potest, quin eisdem prope cancellis Christi ὑπεροχὴ concludatur.

386. Praeterea V. desunt ne in Scripturis signa, quibus primatus Petro adscripti ratio aperiatur? desunt ne effectus qui vim naturamque retegant caussae, e qua permanarunt? immo et signa affatim suppetunt, et multiplices effectus describuntur. Signa enim effectusque sunt cura [39] qua apostolorum collegio Petrus consuluit: auctoritas qua [40] christianos coetus ubivis diffusos lustravit: singulare [41] potestatis iudiciariae exercitium, quo ecclesiae disciplinam sanxit, illiusque integritati prospexit: actus [42] supremi magisterii quos edidit: praeformatio [43] earum legum, quibus ecclesia universa regeretur: et ne plura cumulem, incredibile omnino eiusdem ecclesiae [44] studium, quo Petrum tamquam praepositum sibi caput, et totius dominicae familiae [45] οἰκονόμον prosequuta est. Haec porro signa quem primatum ostendunt? hi effectus quam caussam demonstrant? eam ne cuius vis tota honoris, ordinisque ὑπεροχὴν non supergrediatur? an eam

[34]) nn. 42. seqq., nn. 85. seqq., nn. 100. seqq.

[35]) nn. 60. seqq., nn. 79. seqq.

[36]) nn. 62. seqq., nn. 98. seqq.

[37]) nn. 62—72.

[38]) nn. 60. seqq., nn. 87. seqq., nn. 113. seqq., nn. 198. seqq.

[39]) nn. 163. seqq.

[40]) nn. 242. seqq.

[41]) nn. 238. seqq.

[42]) nn. 222. seqq.

[43]) nn. 245. seqq.

[44]) nn. 252. seqq.

[45]) nn. 60. seqq.

contra, quae maiori sibi insito iure, ampliorique auctoritate praecellat? non puto id esse [46] pluribus explanandum. Si qui enim sint quorum animos candida sinceraque rerum expositio non percellat, his persuasionem argumentis facere inaniter contenderis.

Nisi forte VI. ab imbuta semel opinione se propterea dimoveri sinant, quod talem Scripturae referant [47] primatum Petri, quo reliqui plane omnes ad unam eamdemque profitendam cum eo fidem, societatemque custodiendam obstringerentur. Hoc enim obligationis pondus neque ex honoris titulis, neque ex ordinis gradu proficisci potuit. Caussam omnino postulavit valentiorem, illamque non diversam a suprema auctoritate, qua Petrus omnium praeses, omniumque caput efficeretur.

387. Cuius deductionis veritas multo erit nobis exploratior, si in caussas rationesque selecti inter ceteros Petri, institutique primatus [48] paullo penitius inquiramus. Finis enim operisque propositum hanc habêt vim, ut *negantis* instar sit *regulae* qua certo iudicetur, quid fieri debuerit, quidve non potuerit omitti. Probe intelligo non esse consequens, si quid *alicuius gratia* factum institutumve fuerit, iis dumtaxat augeri dotibus proprietatibusque debuisse, quae ad assequendum finem necessaria viderentur: potuit enim et longe haberi magnificentius, et multo ac opus absolute foret locupletius ornari. Sed pariter intelligo neque eum esse, neque videri prudentem sapientemque posse, qui aliquod propterea opus molitus, ut certum destinatumque finem eius virtute nancisceretur, non illud ab iis omnibus apte instruxerit quae *necessaria* putarentur. Quare *consilii propositique cognitio* aequipollet *regulae sin minus positivae*, qua omnia et singula rei factae institutaeve collata determinentur, *negativae* profecto qua certissime statuatur, quid tribui illi debuerit, quidve non potuerit denegari.

Porro latet ne, an contra compertissimum dici consilium debet, quo Christus primatum instituit, eiusque dignitate Petrum honestavit? latet ne, an contra perspicue finis apparet qui Christum permovit, ut inaequale esse apostolorum collegium decerneret, illique Petrum, ceu caput praeponeret? *Tres* omnino suppetunt *rationum classes*, e quibus consilium finemque Christi primatum instituentis non divinando solum coniiciamus, verum etiam certo evidenterque assequamur. Suppetunt *rationes typicae*, quaeque ex adumbrationibus eruuntur: suppetunt *analogicae*, quaeque e similitudinis σχέσει, habituque derivantur: et suppetunt *reales*, quaeque testimoniis ipsis, ecclesiaeque dotibus insunt. Has breviter atque ex ordine enarrandas, expoliendasque suscipimus.

388. Eo igitur praeclarissimo concentu, quo utraque oeconomia vetus

[46]) nn. 81 — 85. seqq.

[47]) nn. 24. seqq., nn. 35. seqq., nn. 49. seqq., nn. 81. seqq., nn. 85. seqq., nn. 140. seqq., nn. 272. seqq.

[48]) Dum ista simul coniungo, animus mihi non est distinctas toto caelo quaestiones permiscere: *cur praehabitus fuerit Petrus*, et *cur Christus primatum instituerit*. Sed Petrum idcirco commemoro, quod constet, eum fuisse delectum cui primatus conferretur.

ac nova, delineata et expressa, inchoata perfectaque sibi mutuo respondent, perspicue [49] edocemur, propositum fuisse Christo, ut in nova oeconomia personam referret Petrus, cuius in Abrahamo adumbratio praecesserat, eaque inter apostolos praerogativa ille emineret, qua inter patriarchas Abrahamus excelluerat. Haec autem fuit propria Abrahami praerogativa, haec eiusdem *ὑπεροχή*, ut nemo [50] alterutrius promissionis sive *carnalis*, sive *spiritualis*, quae *benedictionis* nomine efferri in Scripturis solet, consors fieri potuerit ac particeps, qui duplici vinculo *carnali* et *spirituali*, *physico moralique* cum Abrahamo non coniungeretur. Ipsi enim eiusque semini factae fuerant promissiones, eaque lex dicta, ut nonnisi coniunctione cum ipso eiusque semine in ceteros redundarent. Quum igitur in nova oeconomia eam referre Petrus personam debuerit, quam in veteri Abrahamus gesserat: quumque Unigenitus Patris [51] forma [52] servi indutus eam Petro praerogativam impertierit, quam futurae dispensationi praeludens Abrahamo concesserat; manifestum est, delectum propterea fuisse Simonem, Cephae nomine insignitum, omnibusque praehabitum, ut ex eo tamquam supremo Christi ministro, et coniunctione cum eo tamquam conspicuo capite membra omnia ecclesiastici corporis bonis fructibusque christianae institutionis potirentur.

Quae autem ex his apta nexaque sint, quisque facile intelligit. Duo enim maxime consequuntur, quae et vim rationemque primatus egregie declarant, eoque illum pertinere ostendunt, ut caussa sit, efficiensque eius unitatis principium, qua Christi ecclesia unum est conspicuumque corpus. Sane *officium* inprimis consequitur fidelibus iniunctum omnibus cohaerendi cum Petro, ni ab iis Christi promissionibus velint excidere, quibus mysticum suum corpus largissime ditavit, quodque aliud ab eo non est quod Petrum visibile caput veretur. Consequitur deinde *Petri ius*, quo ille auctus exornatusque et omnium secum communionem societatemque imperat, imperatamque efficit, effectamque custodit atque tuetur. Nihil autem desiderari potest hac Christi ordinatione validius, sive ut *primatus potioris iurisdictionis* demonstretur, sive ut *praefixus illi scopus efficiendae tuendaeque unitatis* aperiatur.

[49]) nn. 29. seqq.

[50]) Gen. XII. 13, XIII. 16, XVII. 5—7—20, XXII. 18. coll. Rom. IV. 13, et ad Galat. III. 16, IV. 22—29.

[51]) Unus enim idemque Dei Filius is est, qui nominibus insignis יְהוָה, מַלְאַךְ יְהוָה et מַלְאַךְ הַבְּרִית veterem oeconomiam administravit, quique carne indutus ac *εἰς τὰ ἴδια* veniens novum testamentum suo sanguine, suaque morte sancivit. Cf. Johannis Jahn Appendicem hermeneuticam ad Malach. II. 17, III. 6. et 13—24.

[52]) Quam Paulus ad Philipp. II. 7. dicit *μορφὴν δούλου*, idest, ex usitata graecis latinisque patribus interpretatione, *τὴν οὐσίαν τοῦ δούλου*. Si enim, inquit Cyrillus alexandrinus in Capitulis de Incarnat. Domini, cap. I. apud em. Mai, Scriptt. Vett. Nov. Collect. Tom. VIII, *ἡ τοῦ θεοῦ μορφὴ τὴν οὐσίαν δηλοῖ τοῦ θεοῦ, εὔδηλον ὡς καὶ ἡ τοῦ δούλου, τῆς οὐσίας ἐστὶ τοῦ δούλου σημαντική.*

389. Quo et *alter* refertur *typus* neque minus splendidus, neque ad rem totam explanandam minus accommodatus. Quemadmodum [53] enim Israel [54] *secundum carnem σκιὰ* fuit Israelis [55] *Dei* et *secundum promissionem:* et quemadmodum Israelis regnum *τύπος* fuit ac *ὑπόδειγμα* regni caelorum quod iam adesse Christus his verbis [56] edixit, *πεπλήρωται ὁ καιρός, καὶ ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, exactum est tempus* quod de adventu Messiae edita oracula praefinierunt, *regnumque Dei appropinquavit;* ita duodecim Israelis filii, gentisque israeliticae capita figuram imaginemque praesetulerunt eorum, quos numero *duodecim* Christus elegit, principes in sua ecclesia [57] posuit, supremaque potestate auxit, qua ecclesiam ipsam exstruerent, novisque in dies accessionibus [58] spirituali generatione amplificarent.

Quamquam vero singuli Israelis filii in priori typicoque regno נְשִׂיאִים essent et רָאשֵׁי שְׁבָטִים, ex iis tamen unus, isque nominatim Judas praerogativa dignitatis eminuit. Sed quanam? ea ipsa quam Scripturae exhibent, quaeque *primogeniti* [59] *iure* censebatur. Propria namque fuerunt Judae hinc quidem ut ipse [60] esset habereturque *fratrum dominus*, quemque fratres ceu totius familiae parentem vererentur: inde vero ut nonnisi coniunctione cum ipso, cumque extituro ex eo semine reliqui principes divinam sibi benedictionem pollicerentur. Inquirendum igitur superest, quinam Judae personam referre in novo

[53]) nn. 326. seqq.

[54]) I. Cor. X. 18.

[55]) Galat. VI. 16.

[56]) Marc. I. 15.

[57]) I. Cor. XII. 28. coll. Ephes. IV. 11.

[58]) Unde illa Pauli I. Cor. IV. 15: *Ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἐγὼ ὑμᾶς ἐγέννησα.* Cf. Galat. IV. 19, ad Philem. v. 10, et I. Petr. I. 12.

[59]) Primogeniti iura hoc ordine refert Jahn in Archaeolog. Biblic. §. 165: „Capiebat I. duas portiones hereditatis, quas Jacob a primogenito Ruben, ob incestum Gen. XXXV. 22, in Joseph, filios eius duos adoptando, transtulit, Gen. XLVIII. 5—8. Deut. XXI. 17. Primogenitus II. erat sacerdos familiae, quod Moses jussu Dei a tribu Ruben in tribum Levi transtulit, Num. III. 12—18, VIII. 18. Hinc primogeniti a sacerdotio redimendi erant, Num. XVIII. 15—16, conf. Luc. II. 22. Primogenitus III. gaudebat insigni inter fratres auctoritate et quasi patria potestate, Gen. XXV. 23—27—29, Exod. XII. 29, II. Paral. XXI. 3, quam Jacob a Rubene in Judam transtulit, Gen. XLIX. 8—10. Quare haec tribus, etiam antequam reges israelitis dabat, ubique a ceteris distinguitur. Hinc demum primogenitus erat quoque successor in regno, excepto Salomone, quem, etsi iuniorem, David singulari Dei nutu successorem designavit."

Verum quod altero loco ius recensetur, illud primogenitis detrahit Campegius Vitringa, Sacr. Observatt. lib. II. cap. II, cuius capitis hoc est lemma: „Vulgata sententia doctorum, quae fert, *sacerdotium olim fuisse inter praerogativas primogenitorum*, modesto subiicitur examini ac refellitur: et quae pro ea facere creduntur testimonia ex Scripturis divinis petita, explicantur."

[60]) Gen. XLIX. 8.

regno debuerit, et quemnam Christus ea praerogativa donarit, cuius imago typusque in Juda antecessit. Est autem omnino perspicuum, hunc fuisse Simonem Petrum, cui propterea duplex asseri praerogativa debet: altera *fontis* et *originis*, a qua seiungi nemo possit quin a Christi regno, promissionibusque separetur: altera [61] *primogeniti*, qua inter fratres ipsosque apostolos eximio proprioque iure antecelluerit.

Et priorem quidem praerogativam suis depinxere coloribus aquileienses patres, quum eam esse Petri cathedram, Ambrosio [62] interprete, professi sunt, *e qua in omnes venerandae communionis iura dimanant*. Posteriori vero confirmandae expoliendaeque conducunt solemnes formulae et in christianis monimentis frequentatae, quibus Petrus dicitur [63] *episcopus episcoporum*, *pastor* [64] *pastorum*, *antistes* [65] *apostolorum*, *universi orbis terrae* [66] *patriarcha*, *universalis* [67] *praesul*, *pater* [68] *patrum*, *pastoralis principatus dignitate* [69] insignis, ac *divinissimum* tandem [70] *omnium caput*, *divinoque auctum pastorali principatu*.

390. His autem rationibus, quas *typicas* dici posse existimavimus, *analogicae* succedunt, quae pari evidentia finem instituti primatus, insitamque eidem vim facultatemque demonstrant. Inquiratur enim cuiusmodi illae fuerint, et quo eaedem spectaverint, interrogetur. Haec una esse responsio poterit, quae specie veritatis aliqua commendetur: institutum propterea [71] fuisse primatum, ut Christi ecclesia ad formam *unius humani corporis*, *unius domus*, *unius regni*, *unius civitatis* ac *unius ovilis* expressa *ἀναλόγως* videretur. Quid autem facto opus fuit, ut institutione primatus tam praeclara, tamque insignis *ἀναλογία* obtineretur? opus dubio procul fuit, ut primatus *instar principii* crearetur, cuius virtute efficientiaque *multiplex* ac *varium in summam unitatemque* colligeretur: opus fuit ut ex primatu, veluti *e quodam capite*, coniunctionis unitatisque *forma* in distincta

[61]) Ea translata significatione, qua in bibliis בְּכוֹר dicitur quidquid excellit ac praestat.

[62]) Epistola enim inter ambrosianas undecima, n. 4. principio negant, sibi ullam esse posse societatem cum Ursino romani schismatis auctore, quod infectus ariana lue videretur; tum interrogando subdunt, *quid etiam si deforet?* ac reponunt: *tamen totius orbis romani caput romanam ecclesiam, atque illam sacrosanctam apostolorum fidem, ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra; inde enim in omnes venerandae communionis iura dimanant.*

[63]) Arnobius iunior in Ps. CXXXVIII.

[64]) Eucherius lugdunensis hom. in Vigil. s. Petri.

[65]) Proclus episcopus constantinop. orat. in Transfigurat. Domini.

[66]) Cf. Bolgeni, De Episcopatu, cap. II. n. 12, et Part. II. cap. V. n. 224.

[67]) Bernardus de Considerat. lib. II. cap. VIII.

[68]) Cf. Mamachi, Origg. et Antiquitt. Christian. lib. IV. Part. II. cap. III.

[69]) Cf. De Maistre, Du Pape, liv. I. chap. VI.

[70]) Cf. s. Francisci de Sales, Controverses, Disc. XL.

[71]) Cf. Card. Orsi, De Romani Pontificis auctoritate, lib. II. art. I.

diversaque ecclesiastici corporis membra refunderetur: opus fuit ut id esset in ecclesia primatus quod *in circulo centrum*, neque ad illum minus omnes ecclesiae partes convergerent, quam in hoc omnes omnino radii coalescunt.

Rationes igitur *ex analogia* ductae patefaciunt, unitatem ecclesiae habendam esse veluti proprium finem instituti primatus, ipsumque primatum non aliter spectari oportere quam uti principium ab iis omnibus instructum adornatumque, quibus praestantissimum unitatis bonum et primum effici, et effectum deinde custodiri ac protegi valide possit.

391. Quod altera confirmatur analogia plane dignissima, quae animo diligentius reputetur. Ea autem *e duplici respectu* ac *mutuo prope habitu* prodit, quo et *universalis ecclesia* ad particulares *coetus*, et institutio *primatis* ad institutionem refertur *episcoporum*, qui particulares coetus, Christo[72] auctore, moderantur. Quemadmodum enim uno eodemque *τῆς ἐκκλησίας* nomine in divinis[73] litteris, christianisque[74] monimentis tam universalis orthodoxorum societas, quam particulares coetus, quibus illa constat, designantur; ita arctissima est analogia, qua diffusa ubivis orthodoxorum ecclesia cum singulis eiusdem partibus devincitur.

Et sane quemadmodum de hisce omnibus verissime affirmatur, quod sint *una domus*, *una civitas*, *unumque ovile*; ita de universa orthodoxorum concione idipsum repeti debet, quum neque aliis imaginibus in Scripturis repraesentetur, neque minori iure dotem proprietatemque unitatis sibi vindicet. Unde aureum Chrysostomi[75] effatum: *Εἰ ἐκκλησία θεοῦ ἐστιν, ἥνωται καὶ μία ἐστίν, οὐκ ἐν Κορίνθῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ. τὸ γὰρ τῆς ἐκκλησίας ὄνομα οὐ χωρισμοῦ, ἀλλὰ ἑνώσεως καὶ συμφωνίας ἐστὶν ὄνομα. Si ecclesia Dei est, unita et una est, non solum Corinthi verum etiam in universo terrarum orbe. Ecclesiae namque nomen non divisionis sed unionis atque consensus nomen est.*

Jamvero quae fuit ratio instituendi singulares praesules qui singulares regerent coetus, illosque in unitate continerent; eadem Christo persuasit ut universalem crearet primatem, universoque ovili praeficeret. Non alia videlicet mente singulares instituendos praecepit antistites, qui suis quique coetibus supremo iure praeessent,

[72]) Hoc argumento anglicani potissimum moveri debent, qui divinam episcoporum institutionem, eorumque supra presbyteros auctoritatem tuentur.

[73]) I. Cor. VI. 4, X. 32, XI. 22, XII. 28, Ephes. I. 22, Act. VIII. 1, IX. 31, I. Cor. I. 2, Coloss. IV. 16, et Apoc. I. 4—11 —20.

[74]) Chrysostomus in Genesim, hom. XXXII, in I. ad Cor. hom. XXXVI; Isidorus pelusiota, lib. II. epist. CCXLVI; Jobius monachus apud Photium, cod. CXXII; Cyrillus alexandrinus in cap. XLII. Isaiae; Theodoritus in Ps. XL; Oecumenius ad I. Thess. I. 1; et synodus chalcedonensis, can. XVII.

[75]) In I. Cor. hom. I. n. 1; unde Gregorius nazianzenus orat. XII. pag. 190. ecclesiam dicit *ἄτμητον καὶ ἀμέριστον καὶ ὑφαντὸν δι᾽ ὅλου χιτῶνα*, *tunicam insectam, divisionisque expertem ac per totum contextam.*

illos ad unitatem redigerent, efficerentque ut descriptio cuiusque ecclesiae omnium optima haec foret [76], *plebs sacerdoti coadunata, et pastori suo grex adhaerens;* quam universalem ipsemet crearit primatem, qui universalem regeret ecclesiam, illamque *unitatis forma* veluti imbueret, cunctisque tam ovibus quam pastoribus necessitatem cum Hieronymo [77] exclamandi imponeret, *ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuae, idest, cathedrae* [78] *Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit* [79], *peribit ..... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est qui Christi non est, Antichristi est.*

392. Ad haec autem accessio, uti arbitror, evidentiae plane maxima fiet, si rationes ex iis eductae testimoniis quibus institutio primatus effertur, tum eae quae ex insitis ecclesiae dotibus proficiscuntur, non omnino perfunctorie considerentur. Ut enim de testimoniis primum dicam, vel nulla illis significatio sub-

[76]) Cyprianus epist. LXIX. ad Florentium Pupianum, ubi concludit, *ecclesiam esse in episcopo*, vel ut loquitur epist. XXVII, *super episcopum constitui.* Consonat Hieronymus adver. Luciferianos n. 21. inquiens: *ecclesia autem non est, quae non habet sacerdotem;* consonat et Chrysostomus epist. III. ad Olympiadem his verbis: *non enim esse ecclesia sine episcopo potest.* Quod gravissimum doctrinae caput iampridem tradiderat Ignatius in epist. ad Magnesianos scribens: *Σπουδάζετε πάντα πράσσειν, προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον Θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων, καὶ* (quod incisum deest in editione syriaca, quam William Cureton publicavit Londini, an. 1845. Ceterum de hac editione confer quae habet cl. Henricus Denzinger, *Ueber die Aechtheit des bisherigen Textes der Ignatianischen Briefe*, Wuerzburg, 1849.) *τῶν διακόνων, τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων, πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

[77]) Epist. LVII. al. XV.

[78]) Quid *cathedrae* nomine veniat, obscurum non erit, si ad usum loquendi ecclesiasticum, originemque translati vocabuli attenderimus. Etenim usitata graecis latinisque patribus loquendi forma, cuius testes sunt Rufinus in epist. ad Gaudentium praefixa Clementis Recognitionibus, Hieronymus ad Matth. XXIII. 2, et epist. XCVII. al. LXXVIII. ad Pammachium, Augustinus epist. CV. n. 16, Bachiarius in Apologia a Muratorio edita Tom. II. Anecdotorum, Fulgentius in lib. de Trinit. ad Felicem nolanum, Gregorius turonensis Hist. lib. III. cap. I, Sidonius Epistt. lib. IX. epist. XVI, graeci interpretes ad Matth. XXIII. 2, nomina *καθέδρα*, *θρόνος*, *cathedra*, *thronus*, *sedes*, potestatem designant magisterii, doctrinamque *αὐθεντικῶς* traditam. Nec mirum, quum haec sit ipsissima potestas, Matth. XXIII. 2, *ἐπὶ τῆς Μωσέως καθέδρας ἐκάθισαν οἱ γραμματεῖς*, qua *cathedrae* nomen accipitur, et e qua ecclesiastica significatio defluxit.

[79]) Crederes Hieronymum ista scribentem ob oculos habuisse Cypriani verba ex libro de Trinitate: „Hanc ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? qui ecclesiae renititur et resistit, *qui cathedram Petri, super quem fundata est ecclesia, deserit, in ecclesia se esse confidit?*"

est, vel hoc certe illa demonstrant, institutione primatus eo Christum spectasse, ut universae ecclesiae [80] usitata solemnique *domus aedificiique* imagine exhibitae *fundamentum* supponeretur, quo et ipsa esset invicta, et iuncta copulataque permaneret: ut fidelibus [81] prorsus omnibus *confirmator* adesset, qui singulari Dei charismate in professione orthodoxae fidei stabilitus eamdem ceteris constantiam immotamque firmitatem [82] impertiretur: ut collectum [83] ex omnibus gentibus ovile unitate visibilis supremique pastoris unum redderetur: ut in dominica [84] familia multiplici quadam iurium officiorumque varietate distincta unus aliquis emineret, qui omnium ἡγούμενος ac omnibus μείζων haberetur.

Verum talia ne censeri ista possunt aut debent, e quibus finis instituti primatus, insitaque eidem vis ratioque innotuisse existimentur? indubitanter, quum ἀμέσως omnique semota ambage demonstrent, et institutum fuisse primatum *efficientis instar principii*, quo visibilis ecclesiae unitas formaretur, et ea fuisse illum auctoritate cumulatum, *sine qua* neque formari unitas, neque servari formata posset.

393. Cui sententiae eo firmius adhaerebimus, quo dotes penitius investigabimus, quibus privari ecclesia nequit, quin formam speciemque ab ea diversam induat quam a Christo recepit. Inter quas illa se primum [85] offert, quae dici ταυτότης potest, et qua ecclesia sui semper similis esse debet, neque alia οὐσιώδως quum incoepit, alia quum incrementis aucta profecit, alia quum a Christo visibili capite regeretur, et alia quum factum id est quod [86] Christus praedixerat: μικρόν, καὶ οὐ θεωρεῖτέ με .... ὅτι ὑπάγω πρὸς τὸν πατέρα. Porro in suis *primordiis* ac ferme incunnabulis, et quamdiu mortalem Christus vitam degit, eius coetus formam ecclesia praesetulit, qui supremo unius nutu gubernaretur, quique ex uno supremo conspicuoque capite unitatem conspicuam sortiretur. Ne igitur a semetipsa deinceps dissideret, ne aliam induisse naturam videretur, electus fuit primas, qui conspicuae unitatis principium esset, supremique capitis iure in universum corpus potiretur.

394. Quod necessarium sane fuit, ut duplici charactere atque tessera *unitatis* et *catholicitatis*, quibus in Scripturis [87], monimentisque christianis [88] ecclesia distinguitur, insignis emineret. Et *de unitate* quidem non disertissima

[80]) Matth. XVI. 18.

[81]) Luc. XXII. 31—32.

[82]) Placuit enim Christo, ut coniunctione cum Petro omnia ecclesiae membra invictam constantiam nanciscerentur.

[83]) Joh. XXI. 15. seqq.

[84]) Luc. XXII. 26.

[85]) nn. 72—79 et nn. 268. seqq.

[86]) Joh. XVI. 16—17.

[87]) Joh. X. 16, XVII. 20—23, I. Cor. XII. 12. seqq., Ephes. II. 14—22, IV. 5. coll. I. Cor. I. 10, Luc. XXIV. 47, Marc. XVI. 20, Act. I. 8, IX. 15, Rom. X. 18, Coloss. I. 8—23.

[88]) Clemens romanus in I. ad Corinth. §. XLVI, Ignatius ad Philad. §. III, ad Smyrn. §§. I—VII, ad Ephes. §. IV; Clemens alexandrinus Paedag. lib. I. n. 6, Stromat. lib. VII. n. 17; Tertullianus de Praescriptt. cap. XX, Irenaeus adv. Haeres. lib. IV. cap. XXVI. n. 2, Origenes in Levit. hom. IV. n. 8, Eusebius in Ps. LXXXVI. 4, Cyrillus hierosolymit. Catech. XVIII. n. 26, et Pacianus ad Sympron. epist. I. n. 4.

solum sunt quae habentur in symbolis [89], quaeque in patrum operibus [90] uberius explanantur, verum etiam quae ad *finem* spectantia conditae a Christo ecclesiae biblia complectuntur. Apparuit enim [91] gratia Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens eos, ut qui [92] veritatem in mendacium mutaverant, nec probaverant Deum habere in notitia, iam [93] haec omnia abnegantes fierent populus acceptabilis, et per Christum illuminati [94] ac in veritate sanctificati per unius fidei professionem unum essent [95] corpus, unusque spiritus, eo modo [96] quo Pater et Filius unum sunt, nullis [97] dividerentur sectis factionibusque, quae [98] sunt manifesta carnis opera non Dei, qui [99] non est dissensionum Deus sed pacis. Idcirco enim [100] Christus unigenitus Patris suum tradidit sanguinem, ut gloriosam sibi exhiberet ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, quod pacem violet, consensionemque fidei pervertat, sed ut sit sancta et immaculata, immota [101] immobilitate petrae cui incumbit, quamque ne portae quidem inferi superare possunt: sapienter ordinata [102] ut domus Dei, in qua omnes [103] vocem audiunt illius, qui [104] uti ἡγούμενος praepositus est, fratrumque [105] tutelam, universique coetus curam [106] suscepit, praedita [107] virtute ex alto, et Spiritu [108] veritatis, qui a Patre procedit, confirmata: insignis [109] denique potestate authentici magisterii, cui si qui [110] fidem non adiunxerint neque morem gesserint, hi tamquam ethnici et publicani iudicio in caelis rato fixoque pronuncientur. Sunt ne vero qui non cernant, *hac descriptione*, qua praefixus ecclesiae finis, nativaque eius indoles ac prope facies exprimuntur, et ipsum comprehendi primatum, illumque uti principem exhiberi caussam, qua totius corporis unitas efficiatur? haud puto, quum perspicuum adeo sit vinculum, quo ista mutuo colligantur.

[89]) Cf. Antonii Jos. Binterim epistolam catholicam secundam de vi rectoque usu probationis in rebus theologicis per symbola et antiquos fidei libellos.

[90]) Omnibus namque patribus communis est doctrina, quam pictaviensis Hilarius in Ps. CXXI. n. 5. his verbis complectitur: „Unum ecclesia corpus est, non quadam corporum confusione permixtum, neque singulis in indiscretum acervum et informem cumulum adunatis, sed per fidei unitatem, per caritatis societatem, per operum voluntatisque concordiam, per sacramenti unum in omnibus donum, unum omnes sumus."

[91]) Tit. II. 11.

[92]) Rom. I. 25.

[93]) Tit. II. 14. coll. I. Petr. II. 25.

[94]) Joh. XVII. 17.

[95]) Ephes. IV. 4.

[96]) Joh. XVII. 21.

[97]) Galat. V. 20.

[98]) Ibid. v. 19.

[99]) I. Cor. XIV. 33.

[100]) Ephes. V. 27.

[101]) Matth. XVI. 18.

[102]) I. Tim. III. 15.

[103]) Matth. XVIII. 17.

[104]) Luc. XXII. 26.

[105]) Ibid. vv. 31—32.

[106]) Joh. XXI. 15. seqq.

[107]) Act. I. 4—8.

[108]) Joh. XV. 26.

[109]) Matth. XXVIII. 20.

[110]) Ibid. XVIII. 18.

395. Nescio tamen an reddi illustrius nequeat, si vulgatae apud protestantes *de ecclesiae unitate* opiniones brevissime enumerentur. Iis namque omissis, quibus vera Christi ecclesia est *invisibilis* [111], quique propterea e censu dotum, quibus insigniri ea debet, *conspicuam unitatem* expungunt; ceterorum omnium sententiae ad tres commode classes revocantur.

Anglicani enim, quorum δόγμα praeter Pearsonium in Symboli enarratione, reliquis accuratius Henricus Dodwellus [112] expolivit, principio notant, quaestionem *de visibili unitate* non eodem dirimi modo posse, *sive ad universam ecclesiam*, *sive ad singulos quosque christianorum coetus* referatur. Sed quam potissimum ob caussam? quod, aiunt, voluerit sane Christus, ut *singulares coetus* unitate duplici interna externaque ornarentur; at non item voluerit, ut eadem nota eademque tessera *universalis ecclesia, omniumque coetuum summa* insignis emineret: quod voluerit utramque unitatem characterem esse notamque singularium coetuum, si quemadmodum loqui in scholis solemus, *seorsum* et *distributive* considerentur; at non item voluerit characterem esse notamque corporis totius, omniumque coetuum, si *simul* et *collective* spectentur. E quibus inferendo concludunt, nutu imperioque Christi electos creatosque fuisse *episcopos*, qui *singulis* praeessent *ecclesiis*, et in ecclesiis singulis *origo* essent, *externaeque unitatis* [113] *principium:* non autem electum creatumque fuisse primatem, cui *universalis* subesset *ecclesia*, et *e quo externa eiusdem unitas* penderet.

396. Quae dum audio, vehementissime miror, qui potuerint doctorum hominum mentes animosque subire, ac ab iis fidem assensionemque impetrare. Ecquid enim in promptu illis fuit, quo alterutrum confirmarent, quove sibi, aliisque persuaderent, aut externam unitatem singulis quidem necessariam esse ecclesiis, non autem ecclesiae universali: aut a Christo institutionem quidem profectam esse episcoporum, quibus singulares crederentur ecclesiae, non autem primatis qui universam ecclesiam regendam, administrandam atque in unitate continendam susceperit? Habuerunt ne oracula Scripturarum quibus fiderent? sed quoties in bibliis de ecclesiae unitate disseritur, toties [114] de ecclesia sermo est quae βασιλεία τοῦ θεοῦ, βασιλεία τοῦ Χριστοῦ, et βασιλεία [115] τῶν

[111]) In quem gravissimum errorem primi reformationis architecti idcirco offenderunt, quod non alia iis pateret ratio qua conflatum schisma defenderent. Eo autem tutius in praesentia negliguntur, quo in plerisque etiam protestantium confessionibus *visibilitas* inter ecclesiae dotes numeratur.

[112]) In dissert. Cyprianica cap. VII. de episcopo unitatis principio, et s. Petri in apostolos primatu unitatis exemplari.

[113]) Dodwellus in dissert. cit. §§. VII. seqq.

[114]) Matth. XI. 11—12, XIII. 41, XVI. 19, Marc. X. 23—24—25, Luc. VII. 28.

[115]) Dubitari non potest, apud scriptores novi testamenti, Matth. XI. 11. coll. Luc. VII. 28, Matth. XVI. 19. coll. v. 18. Matth. XIX. 14. coll. Marc. X. 15, immo et I. Maccab. III. 60. voce τοῦ οὐρανοῦ et τῶν οὐρανῶν *Deum* plus semel significari,

οὐρανῶν dicitur, quae *gentium haereditas* nuncupatur, quaeque *ubique terrarum extensa universum hominum genus* suo sinu fovet, maternaque benevolentia complectitur. An forte habuerunt symbola quae citarent? atqui in symbolis non alteri ecclesiae tribuitur unitas, nisi quae ἁπλῶς simpliciterque ecclesia dicitur, quaeque *catholicae* apposito saepissime ornatur.

Praeterea est ne ecclesiae vocabulum quum *infinite* accipitur, significatione anceps et potestate ambiguum? immo definitum prorsus est ac omnino circumscriptum. Definitum in divinis litteris, in quibus suapte sponte universam exhibet [116] fidelium societatem. Definitum apud Patres, Irenaeum [117], Tertullianum [118], Clementem [119] alexandrinum, Origenem [120], Hilarium [121], Hieronymum [122], ac reliquos omnino [123] omnes, qui dum eo utuntur, universum christianum nomen una eademque communione iunctum copulatumque repraesentant. Definitum in monimentis conciliorum, in canonibus [124] laodicaenis, carthaginiensibus [125] et [126] constantinopolitanis, in quibus ecclesiae nomen diffusum ubivis orthodoxorum coetum, et ab haereticorum, schismaticorumque factionibus secretum demonstrat. Definitum in vetustissimis symbolorum [127] enarrationibus, quarum unanimem concordemque sententiam retulisse Tertullianus [128] videtur, inquiens: „Itaque tot et tantae ecclesiae, una est illa ab apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primae, et omnes apostolicae, dum unam omnes probant unitatem, dum est illis communicatio pacis et appellatio fraternitatis et contesseratio hospitalitatis, quae iura non alia ratio regit, quam eiusdem sacramenti una traditio.“ Definitum postremo apud ipsos [129] haereticos, qui ut intelligerentur, non alio adhibere sensu ecclesiae nomen potuerunt, quam ut eo universalem τῶν πιστῶν σύλλογον significarent.

Post quae minime necessarium fore arbitror ab anglicanis denuo percon-

ea omnino de caussa quod Daniel. IV. 23, et in recentioribus hebraeorum libris, שָׁמַיִם de Deo adhibitum legatur. Unde formulae βασιλεία τοῦ θεοῦ, et βασιλεία τῶν οὐρανῶν significandi potestate consentiunt.

116) I. Cor. VI. 4, X. 32, XI. 22, XII. 28, Ephes. I. 22, III. 10—21, V. 23—24—25—27—29—32, Coloss. I. 18—24, I. Tim. III. 15: Ἐν οἴκῳ .... ἥτις ἐστὶν ἡ ἐκκλησία.

117) Adv. Haeres. lib. I. cap. III, et lib. III. cap. IV.

118) De Praescriptt. cap. IV.

119) Stromat. lib. VII. §. XVII.

120) In Cantic. hom. III.

121) De Trinit. lib. VII. cap. XII.

122) Dialog. adv. Luciferianos, in quo et ista leguntur: *Poteram omnes propositionis rivulos uno ecclesiae sole siccare.*

123) Cf. Nicole, De l'unité de l'Eglise, liv. I. ch. V.

124) Concil. laodic. cann. IX — X.

125) Concil. carthag. IV. can. LXXI. coll. Cod. l. 1. c. 5. de Haeret.

126) Concil. constantinop. II. Act. III.

127) Apud Rufinum, Cyrillum hierosolymitanum, Augustinum, aliosque.

128) De Praescriptt. cap. XX.

129) Cf. quae Act. VI. concilii nicaeni II. adducuntur ex constantinopolitana iconoclastarum synodo, et refutantur.

tari, num forte priscos habuerint[130] patres, quos suae sententiae duces auctoresque sequerentur. Quid enim illi de unitate ecclesiae censuerint, quidve crediderint, abunde ostendunt quae innuimus, quaeque Irenaeus praeclarissime[131] tradit, inquiens: „Ecclesia quamvis per universum orbem dispersa, diligenter tamen quasi eadem domo contineretur, fidei regulam conservat, eamque tenet perinde ac si anima eius esset una et cor idem, immo et docet summo consensu, quasi uno ore loqueretur. Nempe etsi linguae mundum occupaverint diversae, traditionis tamen vis una est atque eadem, nec Germaniae ecclesiae, nec Hispaniae, Galliaeque, Orientis, Aegypti, Lybiaeque, et medii orbis aliam fidem amplectuntur. Sed ut unus est idemque universo terrarum orbe lucens sol; sic et veritatis praeconium fulget ubique, omnesque homines, qui eius cognitionem appetant, illuminat."

Quid igitur eos permovit, ut unitatem singularum ecclesiarum, episcoporumque institutionem cum ea cohaerentem necessaria esse defenderent, negarent contra vel unitatem ecclesiae universalis haberi necessariam oportere, vel institui debuisse primatem, cuius auctoritate universalis unitas efficeretur? quid eos impulit, ut pugnantia affirmarent, ac veluti palladium quoddam tuerentur? evidentia Scripturarum, indubitataque totius christiani nominis doctrina fidesque ab iis extorsit, ut ecclesiae dotibus unitatem connumerarent, episcoporumque institutionem utpote efficiendae continendaeque unitatis necessariam Christo assererent. At fixum defendendi schismatis propositum, consiliumque reiiciendi primatus susceptum eosdem impulit, ut indictam a Christo ordinatamque universalis ecclesiae unitatem inficiarentur. Quibus affirmatis negatisque eiusmodi prodiit doctrinae monstrum[132], quo nullum turpius, nullum ab utroque lumine supernaturali et naturali, revelationis et rationis magis abhorrens, quodque facilius profligetur.

[130]) Incredibile omnino videri debet, potuisse Dodwellum testimoniis abuti e Cypriani libello *de unitate* desumptis, ut beati martyris suffragio unitatem dumtaxat singularium ecclesiarum necessariam esse defenderet. Nihil enim exploratius quam in id Cyprianum incumbere, ut unitatem cum ea ecclesia necessariam depraedicet, *quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur*, *quae Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit*, quaeque universum episcopatum, eumdemque *unum* complectitur. Unde in epist. LI. al. LIV. ad romanos confessores data scribit: *Sed et catholicae ecclesiae unitatem, quantum potuit, expressit nostra mediocritas. Quem libellum* (de unitate) *magis ac magis nunc vobis placere confido, quando eum iam sic legitis, ut et probetis et ametis: siquidem quod nos verbis conscripsimus, vos factis impletis, quando ad ecclesiam caritatis ac pacis unitate remeatis.*

[131]) Adv. Haeres. lib. I. cap. III.

[132]) Hoc monstrum vidit, exagitavitque Cartuvrightus in defensione Wirgisti, inquiens: *Si necessarium est ad unitatem in ecclesia tuendam unum archiepiscopum aliis praeesse; cur non pari ratione toti ecclesiae Dei unus praeerit archiepiscopus?*

397. Ea sequitur protestantium opinio, quam Campegius Vitringa [133] pluribus exposuit, et quo potuit diligentius, confirmavit. Hi duplicem secernunt [134] ecclesiae unitatem, *interiorem* alteram, *spiritalem, e coniunctione profectam cum uno eodemque invisibili capite Christo Jesu, et inhabitatione sancti Spiritus, caelestiumque charismatum largitione cumulatam atque perfectam:* alteram *exteriorem, conspicuam, quaeque ex eadem fidei professione, eorumdem sacramentorum consortio, obedientiaque iisdem delata praepositis* tota dependeat. Quo constituto discrimine, ita subducere rationes pergunt, ut priorem unitatem esse doceant *universalem* et *ἁπλῶς necessariam* [135]; posteriorem vero neque esse universalem neque necessariam *nisi hypothetice* [136],

[133]) Sacr. Observatt. lib. V. capp. VII. seqq. *de communione christianorum externa hypothetica.*

[134]) Huic illustrandae distinctioni conducunt quae scribit Claudius tom. II. Defens. Reformat. part. III. cap. I: „Ecclesia potest considerari, aut cum σχέσει ad statum suum interiorem, quatenus est corpus Christi mysticum, societas solorum vere credentium et electorum Dei, absque permixtione hypocritarum et mundanorum hominum, tota pura, ut Deo obversatur; aut cum respectu ad statum suum exteriorem, quatenus est societas, quae unam professa religionem complectitur magnum satis numerum mundanorum et hypocritarum, qui nequaquam pertinent ad mysticum Christi Jesu corpus, nec ecclesiae nomine insigniuntur nisi secundum externam speciem. Haec distinctio nimis est evidens, quam ut prolixe probari debeat; nec ipsi etiam adversarii nostri nobis de ea controversiam movent. Et tamen ita instituunt, ut in omni sua disputatione hos duos ecclesiae respectus passim confundant. Nam quando de promissis Dei agitur, quae Deus ecclesiae facit de perpetuitate ecclesiae, quae referenda ab ipsis essent ad ecclesiam internam, sive mysticum Christi Jesu corpus, referunt ea ad ecclesiam externam, hypocritis et mundanis permixtam: et quando quaestio instituitur de officiis, ad quae christiani per mutuam communionem obligantur: loco quo ea referre deberent ad ecclesiam externam sive permixtam, referunt ad ecclesiam internam, ut pura absque labe mortifera Deo obversatur. Et vere dicimus, *hanc confusionem fontem esse omnium errorum, et fundamentum omnium schismatum, quae in disputatione de ecclesia committunt.*"

Atqui non confundunt catholici distinctos respectus, neque huic confusioni in maximis de ecclesia quaestionibus innituntur. Unde ergo illorum a protestantibus divortium? quod hi *dividant* et *separent*, quod illi *distingui* dumtaxat posse contendunt: quod protestantes interiorem ecclesiam ab exteriori *seiungant, coniungant* catholici, quemadmodum Verbum coniunctum est cum carne quam assumpsit, et anima cum corpore quod informat: quod protestantes opinentur, divinas Christi promissiones ad interiorem invisibilemque ecclesiam pertinere, teneant contra catholici ad unam pertinere ecclesiam, quae corpore animaque componitur: quod protestantes in lucem revocent donatistarum ὑπόθεσιν, illamque catholici repellant. Sed haec innuisse sufficiat.

[135]) Est enim perspicuum, cum electis sanctisque omnibus unitatem esse servandam.

[136]) Cuiusmodi autem sit haec hypothesis, Vitringa nusquam declarat.

atque adeo quum *latius patere*, tum *adstringi angustius* posse. Paucis, *necessitatem*, *universitatemque simplicem absolutamque* dotes esse putant *unitatis spiritalis ac invisibilis*, nullatenus vero *externae atque conspicuae*.

Verum quibus haec tabulis confirmant, quibus probant auctoribus? Patribus ne iisque vetustissimis, quique interpellata numquam serie apostolis successerint? immo candide aperteque fatentur, *externam visibilemque unitatem* visam esse patribus *penitus*, *simpliciterque necessariam*, neque iis dumtaxat qui quarto quintoque saeculo floruerint, sed iis etiam qui altero tertiove ecclesiam illustrarint. Audiatur quem laudavimus Campegius Vitringa [137]: „Si veteris ecclesiae christianae doctores, ait, hic consulamus, videntur passim hanc amplexi esse sententiam, *communionem* credentium in sacris publicis, coena Domini, et mutuis fraterni amoris officiis, non celebrari *sub hypothesi*, sed *ἁπλῶς, absolute*. Supponebant illi, et persuasum sibi habuisse videntur, omnes qui baptismali aqua post antecedaneam praeparationem rite tincti ecclesiae christianae adiungerentur, per gratiam Spiritus sancti vere *regenerari*, atque adeo ecclesiam christianam [138] esse coetum hominum, qui secundum potissimam sui partem (hypocritis nimirum, qui pauci numero in ea latere poterant, exceptis) *gratiam* Spiritus sancti *renovantem* et *sanctificantem* participabant; proinde *ecclesiae* adscriptum esse, fere tantumdem esse ac *caelesti* adscriptum esse *civitati*. Nomen suum in diptychis ecclesiae habere, idem fere esse [139] quod nomen suum inscriptum habere ipsi albo electorum Dei. *Ecclesiae* contra *communione secludi* [140], sive sa-

[137]) Sacr. Observatt. lib. V. cap. VIII. §. IV.

[138]) Nimirum de visibili Christi ecclesia loquebantur et sentiebant, quemadmodum de ea loquutos esse ac sensisse auctores θεοπνεύστους, Rom. I. 7, I. Cor. I. 2, Ephes. I. 3—13, V. 27. noverant. Quo autem pacto eiusmodi dicendi formulae intelligendae sint, Chrysostomus et Augustinus declararunt. Ille quum in I. ad Corinthios hom. II, expressas esse docuit ad vulgatissimam legem, *qua potiorem partem pro toto accipimus*; hic quum epist. LIX. q. VI. adnotavit, *Scripturae morem esse ita loqui de parte tamquam de toto. Sicut corinthios in primis epistolae suae partibus ita* Paulus *laudat*, *tamquam omnes tales sint*, *cum essent laudabiles quidam eorum: et postea in nonnullis epistolae ipsius locis ita reprehendit tamquam omnes culpabiles essent*, *propter quosdam qui tales erant. Istam divinarum scripturarum consuetudinem per omne corpus litterarum eius creberrime sparsam quisquis diligenter adverterit*, *multa dissolvit*, *quae inter se videntur esse contraria*.

[139]) Utique destinatione et scopo.

[140]) Ita sane, si eorum fieret vitio qui ecclesiae communione secludebantur. Aliter enim si contingeret, nemo erat cui non probaretur Augustini doctrina in lib. de vera relig. n. 11: „Saepe etiam sinit divina providentia per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de congregatione christiana etiam bonos viros. Quam contumeliam vel iniuriam suam cum patientissime pro ecclesiae pace tulerint, *neque ullas novitates vel schismatis vel haeresis moliti fuerint*; docebunt homines, quam vero affectu et quanta sinceritate caritatis Deo serviendum

cramento corporis et sanguinis Domini exauctorari, et *arceri ab omni communione fraternitatis*, Tertulliani [141] rursus dictione, dubiam facere spem salutis et [142] aeterni exitii metum incutere: quippe supponebant extra *communionem ecclesiae externam*, quam cum *communione sanctorum mystica et spirituali* confundebant, neminem servari. Tum praeterea, quae his affinia sunt, et ex eodem fonte hausta, episcopos in ecclesia christiana ipsius Christi Jesu vices [143] et personam sustinere; ab iis rite et ordine electis qui se separabant, se simul separare a communione ipsius Christi; qui ab episcopis post poenitentiam publice secundum disciplinae ecclesiasticae canones actam *absolvebantur*, et dignitati suae restituti *osculo pacis* honorabantur; ab ipso Deo et Christo iudice *absolvi* in foro caelesti: denique quae omnium eiusmodi hypothesium *audacissima* [144] erat, actum esse de salute omnium illorum, qui se *in schismate* secernebant ab *externa* ecclesiae et sacrorum *communione:* etiamsi hactenus [145] nec haeresi infecti, nec criminibus professionem christianam destruentibus, obstricti essent. Quae singula *facile* mihi foret *ex sententiis et disciplina doctorum ecclesiae primitivae* prolixe adstruere, si peritioribus ignota essent, aut ratio instituti nostri id permitteret. Nunc solummodo provoco ad epistolam [146] Cypriani ad Magnum, qua tota has ipsas, quas modo recensebam, hypotheses supponit et urget: et vero inter alia de Novatiani schismate disserens, in haec verba diserte scribit: *Quod si una est ecclesia, quae a Christo diligitur, et lavacro*

sit. Talium ergo virorum propositum est, aut sedatis remeare turbinibus, aut si id non sinantur, vel eadem tempestate perseverante, vel ne suo reditu talis aut saevior oriatur, tenent voluntatem consulendi etiam eis ipsis, quorum motibus perturbationibusque cesserunt, sine ulla conventiculorum congregatione usque ad mortem defendentes et testimonio iuvantes eam fidem, quam in ecclesia catholica praedicari sciunt. Hos *coronat* in occulto Pater, in occulto videns. Rarum hoc videtur genus; sed tamen exempla non desunt, immo plura sunt quam credi potest.“ De quo raro hominum genere finitima scribit lib. I. de Baptis. cap. XVII, deque eo accipi debent quae habet epist. LXXVIII. n. 4: „Quid enim obest homini, quod ex illa tabula (e diptychis) non vult eum recitare humana ignorantia, si de libro viventium non eum delet iniqua conscientia?“

[141]) Ad uxorem, lib. II. cap. III.

[142]) Ut enim idem scribit Tertullianus Apolog. cap. XXXIX: „Summum futuri iudicii praeiudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis et conventus et omnis sancti commercii relegetur.“

[143]) De hoc doctrinae capite frequentissima sunt eaque illustria in sinceris Ignatii epistolis testimonia.

[144]) Quis suspicaretur dici *audacissimam* potuisse sententiam, quam patres ab ipsis christianae religionis exordiis tradiderint, et unanimes confirmarint? quis non vehementissime hac dissensione permoveatur, qua ab apostolicis viris, patrumque choro protestantes separantur?

[145]) Quod nimirum patribus crimen esset flagitiumque immane in partes discindere mysticum Christi corpus, eamque subvertere unitatem, pro qua Patrem tam impense exoraverat.

[146]) Epist. LXIX.

eius sola purgatur; quomodo qui in ecclesia (hoc est in communione *coetus externi particularis*, qui partem facit [147] ecclesiae catholicae externae) *non est, aut diligi a Christo, aut ablui et purgari lavacro eius potest? propter quod cum sola ecclesia habeat aquam vitalem, et baptizandi atque abluendi hominis potestatem, qui dicit apud Novatianum baptizari et sanctificari aliquem posse, prius ostendat et doceat Novatianum in ecclesia esse, aut ecclesiae* [148] *praesidere. Ecclesia enim una est, quae una et intus esse et foris non potest. Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit. Si autem apud Cornelium fuit, qui episcopo Fabiano legitima ordinatione successit, et quem praeter sacerdotii honorem* [149] *martyrio quoque Dominus glorificavit, Novatianus in ecclesia non est.* Id ipsum est quod nos modo anticipabamus."

398. Sed unde Vitringa, unde eiusdem doctrinae vindices sibi tantos

[147]) Non externae solum, verum etiam internae, quae ab illa distingui quidem *mente* potest, separari autem *reipsa* non potest.

[148]) Haec infinita loquutio, *ecclesiae praesidere*, quam Cyprianus de Novatiano usurpat qui se Petri successorem venditabat, indicium continet non obscurum, ovile creditum Petro tantum patere, quantum ipsa protenditur ecclesia.

[149]) Quanti fieret *sacerdotii honor*, quo Petri successores praefulgebant, quemque Cyprianus epist. LV. al. LII. ad Antonianum, *gradum* (haec vox Rigaltio, Felloque displicuit, qui illam propterea expunctam voluissent) *cathedrae sacerdotalis* appellat; colligere ex iis licet, quibus in eadem epistola Cornelium extollit, „quod sederit intrepidus Romae in sacerdotali cathedra eo tempore, cum tyrannus (Decius Augustus) infestus sacerdotibus, fanda atque infanda comminaretur, *cum multo patientius et tolerabilius audiret levari adversus se aemulum principem, quam constitui Romae aemulum* (ita in editt. Erasmi, Manutii, Pamelii, frustra obnitentibus Rigaltio et Fello, qui substituunt, *quam constitui Romae Dei*) *sacerdotem.*"

Etenim, subdit Gabriel Albaspinaeus Observatt. lib. I. observat. XXIII, quid praeclarius aut magis insigne reperiri potest, quam romani praesulis dignitatem illis temporibus eo devenisse potentiae, ut ethnicis principibus, qui rerum potiebantur, non solum invisa et suspecta esset, sed etiam aemulationem pareret? qua enim ratione aemuli esse potuissent, nisi de summa auctoritate inter eos aliqua fuisset contentio? vel saltem nisi existimassent Caesares tantum sibi detrahi, quantum ab omnibus christianis obsequii et obedientiae summis pontificibus praestaretur? Accedebat quod ab Augusto omnes imperatores pontificatus maximi, atque tribunatus plebis potestatem et nomen una cum imperio retinuerant. Non poterant ergo non gravissime ferre, quod romani episcopi, qui teste Tertulliano in libro de Pudicitia, *pontifices maximi* appellabantur, honores et titulos sibi debitos adsumerent, et de eadem quasi dignitate contenderent. Quam supremam apud christianos illorum dignitatem compertam fuisse imperatoribus, eo etiam comprobatur iudicio, cuius meminit H. E. lib. VII. cap. XXX. Eusebius, et quo, mutuo contendentibus Domno et Paulo antiochenis episcopis, Aurelianus Augustus decrevit, ut episcopales aedes illius forent, cui *romanus antistes* adiudicasset.

sumpsere animos, ut patribus universis, sententiaeque constanter traditae repugnarent? Ab iis profecto argumenta exspectares decretoria, eaque bibliorum effata quae ***non aliam conspicuae externaeque unitatis necessitatem quam hypotheticam*** disertissime proponerent. Atqui frustra evangelia, frustra epistolas, et frustra Actus in omnes partes verses, ut eiusmodi effata reperias. In iis enim non solum mentio iniicitur nulla discriminis, quo ***necessitas unitatis invisibilis absoluta***, ***unitatis autem conspicuae externaeque hypothetica dumtaxat*** statuatur; sed iugiter luculenterque ipsa visibilis unitas praecipitur, ac uti character effertur, quo mysticum Christi corpus, veraque ecclesia carere [150] nequit, et cuius violatio iis accensetur operibus, quae carnis opera dicuntur, quaeque a regno Christi et Dei extorres reddunt.

Praeterea videri ne potest ***hypothetice*** solum necessarium, quod nisi [151] teneas sancteque custodias, ab ipso temet bonorum fonte praecidas, ordinemque divinitus praefinitum consequendae salutis transgrediaris ac subvertas? nemo sui compos haec, hisque finitima contendere ausit. Quid iamvero moliuntur, quid efficiunt, qui externam conspicuamque unitatem violant, seque ab externo conspicuoque ecclesiae corpore seiungunt? fontem bonorum omnium sibi penitus obstruunt, callemque ineunt quo numquam pro statuto divinae providentiae ordine ad salutem, filiorumque hereditatem [152] perveniant.

Sane est quidem Christus Salvator, sed [153] mystici sui corporis quod est ecclesia, quam suo [154] propterea sanguine redemit, sibi arctissimo [155] sponsae vinculo copulavit, promissionibus [156] auxit, gratiis omnigenis [157] instruxit, nobi-

[150]) Egregia sunt quae scribit Melanchthon in Loc. comm. de Eccles. pag. 488: „Quotiescumque de ecclesia cogitamus, intueamur coetum vocatorum, qui est ecclesia visibilis, nec alibi electos ullos esse somniemus, nisi in hoc ipso coetu visibili. Nam neque invocari, neque agnosci Deus aliter vult, quam ut se patefecit. Nec alibi se patefecit, nisi in ecclesia visibili, in qua sola sonat vox evangelii. Nec aliam fingamus ecclesiam invisibilem et mutam hominum, in hac vita tamen viventium; sed oculi et mens coetum vocatorum, idest, profitentium evangelium Dei intueantur, et sciamus oportere inter homines publice sonare evangelii vocem, sicut scriptum est: *in omnem terram exivit sonus eorum.*“ A quibus ne hilum quidem dissident quae tradunt Molinaeus, Nouveauté, Liv. I. chapp. II—IV, Ursinus in Proleg. Catech. §. I, et auctores Catechismi Remonstrant. q. CX.

[151]) In plerisque protestantium confessionibus, helvetica art. XIV, gallica art. XVI, scotica art. XXVII, belgica art. XXVIII, saxonica art. XII, bohemica art. VIII, et remonstrantium cap. XXII. instar theorematis indubitati habetur, ***non alibi esse heredes vitae aeternae, nisi in visibili coetu vocatorum.***

[152]) Cf. Augustinum de Baptismo con. Donatistas lib. I. cap. IX.

[153]) Ephes. V. 23.

[154]) Act. XX. 28.

[155]) Ephes. V. 25. seqq.

[156]) Matth. XVI. 18—19, XVIII. 18, et XXVIII. 20.

[157]) Ephes. IV. 15—17.

lissimaque dote [158] veritatis, caritatis, sanctique Spiritus donavit, ut illam denique salvaret, aeternoque [159] gloriae pondere muneraretur. Verum cuiusmodi est ecclesia, ad quam ista referuntur? conspicua ne an invisibilis? discissa ne ac in partes factionesque divisa, an unica et cohaerens? illa ipsa est quam Christus condidit, splendore solis [160] illustrem reddidit, multiplici [161] externo nexu devinxit, unam esse [162] decrevit unitate domus, familiae, civitatis, regni, ea unitate qua Pater et Filius unum sunt, in qua [163] posuit pastores et doctores qui solverent et ligarent, partiumque omnium unitati consensionique prospicerent, quam [164] super Petrum fundavit, ac Petro potissimum regendam credidit, pascendamque commisit. Si qui ergo ab unica visibilique ecclesia dissideant, hi ad eorum spectant numerum de quibus apostoli Domini [165] praedixere, *ὅτι ἐν ἐσχάτῳ χρόνῳ ἔσονται ἐμπαῖκται, κατὰ τὰς ἐπιθυμίας ἑαυτῶν πορευόμενοι τῶν ἀσεβειῶν:* hi [166] sunt *οἱ ἀποδιορίζοντες* [167], *ψυχικοί, πνεῦμα μὴ ἔχοντες:* hi a Christo Salvatore semetipsos divellunt, iacturam fructus eius sanguine parti faciunt, et ab hereditate excidunt quam Christus caput suo corpori, suisque membris comparavit.

Quare necessitas coniunctionis *cum unica eademque visibili ecclesia* tanta est, quanta necessitas coniunctionis cum Christo capite, quanta necessitas remissionis peccatorum, *quippe* [168] *extra eam non remittuntur; ipsa namque proprie Spiritum sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur ulla peccata:* quanta necessitas caritatis, *ipsa enim* [169] *est caritas quam non habent qui ab ecclesiae catholicae communione praecisi sunt,* unde [170] *quodlibet haeretici et schismatici* [171] *accipiant, caritas quae operit multitudinem peccatorum,*

158) Joh. XIV. 16—26, XV. 26, XVI. 7.

159) II. Cor. IV. 17.

160) Matth. V. 14.

161) Luc. XII. 8—9. coll. Matth. X. 32, Marc. VIII. 38, Rom. X. 10; Marc. XVI. 15. coll. Matth. XXVIII. 19, Act. II. 41, VIII. 36, XIX. 5, I. Cor. XII. 13; Matth. XXVI. 28. coll. Luc. XXII. 19, I. Cor. X. 17, XI. 21; Ephes. IV. 11. coll. Act. XX. 28. Tit. I. 5.

162) Joh. X. 16, I. Cor. I. 9, X. 17.

163) Ephes. IV. 11. seqq. coll. I. Cor. XII. 4. seqq.; Matth. XVIII. 18. coll. Joh. XX. 21, Act. XV. 41, XVI. 4, II. Cor. X. 6, I. Tim. V. 20, Tit. I. 13 et II. 15.

164) Matth. XVI. 18. coll. Joh. XXI. 15. seqq.

165) Judae v. 18. coll. II. Petr. III. 2—3.

166) Ibid. v. 19.

167) Vulgatus post *ἀποδιορίζοντες* legit *ἑαυτούς*, quam lectionem Griesbachius recepit.

168) Augustinus in Enchirid. cap. LXIII.

169) Augustinus in Tractat. de Symb. cap. XI.

170) Augustinus de Baptismo con. Donatist. lib. III. cap. XVI.

171) De discrimine haeresim inter atque schisma sic habet Hieronymus in epist. ad Tit. cap. III: „Propterea vero a semetipso dicitur haereticus esse damnatus, quia fornicator, adulter, homicida, et cetera vitia per sacerdotes de ecclesia propelluntur.

demum est catholicae unitatis et pacis: quanta demum necessitas ne quis [172] se obstringat *immani crimine, immani sacrilegio, summo* [173] *malo*, malo [174] *quo evacuatur passio Christi, eiusque corpus distrahitur*, quo peccatum [175] admittitur de quo Christus [176] dixit, *non remittetur neque in hoc saeculo neque in futuro*, et quo alienus [177] quis evadit *a sola catholica ecclesia, quae verum cultum retinet, in qua est fons veritatis, domicilium fidei, templum Dei, quo si quis non intraverit, vel a quo si quis exiverit, a spe vitae ac salutis aeternae alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci contentione blandiri, agitur enim de vita et salute, cui nisi caute et diligenter consulatur, amissa et exstincta erit.* Quae porro necessitas aut ista *maior*, aut longius *a quavis conditione* seiuncta? quid hoc doctrinae capite *evidentius*, quo necessitas *visibilis unitatis, externaeque communionis simplex absolutaque declaratur?*

Unde igitur *caussam* repetemus, quae tot e protestantium numero eruditos viros, subactique ingenii impulit, ut *de discrimine* primum cogitarent *inter necessitatem internae externaeque communionis ac unitatis*, tum vero hac ludificatione semet aliosque deceperint? inde, ut opinor, verissime caussam repetemus, quod institutione primatus, eique indita efficiendae continendaeque unitatis auctoritate *negata, criterio argumentoque* caruerint, *quo* tot inter christianas societates a seipsis divisas, seque mutuo damnantes, eam tuto secernerent, cum qua communionis, externaque officiorum obedientiaeque unitate coniungerentur. Pronum namque illis fuit deducendo concludere, unitatem in Scripturis toties commendatam, tantaque verborum sententiarumque gravitate praeceptam, *externam* esse non posse, quum Deus qui *impossibilia* [178] non iubet, nullum in-

Haeretici autem in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de ecclesia recedentes: quae recessio propriae conscientiae videtur esse damnatio. Inter haeresim et schisma hoc interesse arbitramur, quod haeresis perversum dogma habeat, schisma propter episcopalem dissensionem ab ecclesia pariter separet: quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest diversum. Ceterum nullum schisma non sibi aliquam confingit haeresim, ut recte ab ecclesia recessisse videatur.“ Similia habes apud Augustinum de Fide et Symbolo, cap. X, et in sexto ex iis canonibus, qui synodo constantinopolitanae primae tribuuntur.

[172]) Augustinus con. Litteras Petiliani, lib. I. capp. XXI—XXII, lib. II. capp. XIII—XXIII, et lib. III. cap. LII.

[173]) Optatus milevit. de schismat. Donatist. lib. I: *schisma summum malum esse et vos negare minime poteritis.*

[174]) Ambrosius de obitu Satyri fratris, lib. I. n. 47.

[175]) Idem, de Poenit. lib. II. cap. IV.

[176]) Matth. XII. 32: de quo testimonio praeclare agunt Augustinus de Civ. Dei lib. XXI. cap. XXIV, Gregorius Dialog. lib. IV. cap. XXXIX, Beda ad Marc. III, et Bernardus in Cantic. Serm. LXVI.

[177]) Lactantius Div. Institutt. lib. III. cap. XXX.

[178]) Qua sane difficultate ii necesse est premantur ac opprimantur, qui *humanam* connituntur facere *ecclesiam*, illamque sibi ab ea diversissimam comminiscuntur

stituerit *conspicuum signum*, quo is christianorum coetus insignis appareret, qui *unus* prae reliquis omnibus illius ecclesiae progressio esset et continuata explicatio quam Christus condidit, quamque apostoli amplificarunt.

399. E quo pariter fonte duci origo debet alterius doctrinae, quae supremis lineis a Casaubono [179], Claudio [180], et Mestrezat [181] adumbrata, a Petro autem Jurieu [182] plenius expressa ac veluti illuminata, tam late deinceps invaluit, ut non plerosque modo [183] e protestantibus suo infecerit halitu, verum etiam e catholicis quosdam, utique ἀστηρίκτους, miserrime afflaverit. Ea vero talis est: necessariam omnino credi unitatem oportere *tam* internam et spiritalem, *quam* conspicuam et externam; de hac enim necessitate et biblia diserte, et christianam traditionem apertissime loqui, adeo ut nulla sit veritas aut splendidior aut maiori auctoritate confirmata: illam tamen neque admodum amplam esse lateque diffusam, sed angustam contra [184], eorumque articulorum gyro comprehensam, quos *fundamentales* [185] appellant. Satis namque esse, ne in eiusmodi profitendis articulis christiani dissideant, ut unius eiusdemque ecclesiae membra merito existimentur. E quibus colligunt, unam eamdemque veram ecclesiam christianis societatibus ferme omnibus conflari, romana, graeca, nestoriana, eutychiana, waldensi, lutherana, anglicana, calviniana; illarum enim dissidia, licet gravissima, eam nihilominus unitatem minime impedire, quam Christus praecepit, apostoli praedicarunt, symbola referunt, universaque Traditio poscit ac vero etiam efflagitat.

400. Hanc ego opinionem, nisi malis eam dicere opinionis monstrum, neque argumentis refellam, neque operose profligabo, quum id et alterius sit loci, et viri doctissimi Bossuetus [186], fratres Wallemburgici [187], Nicolius [188], et aliquot etiam [189] e protestantibus cumulatissime perfecerint. Interrogationem

quam Christus instituit, et super Petrum aedificavit.

[179]) In responsione ad Cardinalem Perronium, quam nomine Jacobi Angliae regis scripsit, et Perronius amplissime refutavit.

[180]) In opere, cui titulum fecit, Défens. de la Réform. pag. 200.

[181]) Trait. de l'Eglise. pag. 286.

[182]) Le vrai système de l'Eglise.

[183]) Cf. Binterim in Exercitat. *de authentica et vera notione vocis, Ecclesia.*

[184]) Cf. Matthaei Pfaffii, akademische Reden, Sect. I. cap. II.

[185]) In quibus definiendis tot propemodum numerantur sententiae, quot sunt quotque fuerunt huius systematis propugnatores.

[186]) In iis quae edidit contra Petrum Jurieu.

[187]) In Tractat. de articulis necessariis, fundamentalibus, seu essentialibus, eorumdemque oppositis erroribus.

[188]) In opere inscripto, De l'Unité de l'Eglise, ou Réfutation du nouveau système de M. Jurieu.

[189]) Consuli potest Anonymi liber Amstelodami editus anno 1692, inscriptus-

potius repetam a me iam semel ac iterum adhibitam, *quae occasio* protestantibus fuerit, ut inauditum *παράδοξον*, absurdumque *σύστημα* comminiscerentur. Duplex autem se continuo occasio exhibet, quarum prior *θεωρητική*, altera appellari *πρακτική* potest.

Et illa quidem haec fuit, *haereseos crimen* atris adeo coloribus in Scripturis, christianisque monimentis [190] expressum, suam apud protestantes, quibusdam veluti gradibus, turpitudinem, insitamque gravitatem amisisse, eoque tandem illos esse progressos, ut non minus *theologicam* quam *civilem libertatem* inter indubitata hominis iura numeraverint. Quasi vero quum [191] reliqui hominum actus legi subiiciantur, ii solum qui ab intellectu emanant, exleges essent: quasi vero sanctum honesti turpisque discrimen, quod totam occupat hominum vitam, ad nobilissimam eiusdem partem, quae intellectus rationisque actibus absolvitur, non referretur: quasi vero dicta quidem divinitus fuerit lex iustitiae, caritatis, fortitudinis, prudentiae, *lex* autem *fidei* [192] funditus praetermissa: quasi vero *lex* quidem *boni* praesit voluntati, intellectus autem *lege veri* nullatenus regatur: quasi vero de *ramis foliisque* curam gesserit Deus, ipsam vero *radicem* [193] penitus neglexerit. Sed quo se converterent protestantes? facta omnibus arbitrandi licentia, subversaque auctoritate qua animi mentesque regerentur, necesse fuit, ut servato *haereseos nomine*, *rem* eodem *significatam*, effectusque ex ea orientes amitterent: necesse fuit ut quam maxime possent, haereseos vitium attenuarent, et perpaucos [194] omnino articulos eius esse ponderis crederent, quorum fidem, utpote necessariam, ab omnibus postularent: necesse fuit ut ecclesiae fines praeter omnem modum [195] extenderent, ambitum vero necessariae unitatis praeter omnem modum [196] corriperent.

que, *Janua coelorum reserata cunctis religionibus a celebri admodum viro D. P. Jurieu.*

[190]) Non pauca huc facientia collegit Suicerus in Thesauro ad vv. *αἵρεσις* et *αἱρετικός*.

[191]) Hac de re habet nonnulla Jacobus Balmes in opere, *Protestantismus cum Catholicismo comparatus*, Tom. II. cap. XXXV, quae utiliter leguntur.

[192]) Marc. XVI. coll. Matth. XXVIII. 18—20, Luc. XII. 8—9. Rom. X. 10.

[193]) Huic appellationi, qua *fidem* latini patres saepissime exornant, respondent usitata graecis patribus nomina *ἀρχὴ καὶ θεμέλιος, μεγίστη ἀρετῶν μήτηρ, σωτηρίας ἀρχή, ἀθανασίας προοίμιον, θεογνωσίας καθαρὸς ὀφθαλμός*, et *πάσης σοφίας πηγή*. Cf. Suiceri Thesaurum ad v. *πίστις*.

[194]) Omnino plures recenseri protestantes possent, quibus articulorum necessariorum numerus eo *minor* est, qui symbolo ab apostolis nuncupato continetur.

[195]) Ac extenderunt sane, quum unius eiusdemque ecclesiae membra habuerint ac porro habeant romanos, anglicanos, graecos schismaticos, lutheranos, calvinianos, unoque verbo omnes, qui suprema christianae doctrinae capita profitentur.

[196]) Neque sibi defuere, quum sint parcissimi in assignandis articulis, quorum fidem necessariam *opinantur*.

401. Accessit occasio *practica*, eaque ex schismatibus profecta, quae non postrema solum aetate aut media, sed primis quoque saeculis christianam societatem dilacerarunt. Ad haec provocat Petrus Jurieu, ad haec Matthaeus Pfaffius [197], et ambitiose schismata numerant sub Victore, Cornelio, Stephano, Urbano VI. et Clemente VII. conflata; his addunt quae a Donato, Meletio et Acacio nomen [198] sortita sunt; tum vero postulant, censeri ne possit *unica societate*, *eaque penitus consentiente* veram Christi ecclesiam comprehendi. Quod neque censeri posse neque debere, quum aliis statuere coniecturis adnituntur, tum hoc inprimis argumento: *externo conspicuoque criterio deficiente*, affirmari id nullatenus posse quin omnibus impositum *onus plane intollerabile* iudicetur *investigandae verae doctrinae*, *legitimaeque in ministerio* [199] *successionis*, ut

[197]) In libro quem superius citavimus.

[198]) Cf. Nicole, De l'unité de l'Eglise, liv. II. chap. X.

[199]) Legitimam enim successionem non minus verae ecclesiae necessariam esse, quam necessaria eidem sit doctrinae orthodoxia; quum ratio ostendit qua instituta ecclesia est, tum Patres, Irenaeus lib. III. cap. III, et lib. IV. cap. XLIII, Tertullianus de Praescriptt. cap. XX, Optatus de Schismat. Donatist. lib. II, s. Ephrem apud Assemanum, Biblioth. Orient. Tom. I. pag. 129. Epiphanius Haeres. XXVII. §. VI, Augustinus con. Crescon. lib. III. cap. XXXIV, in Ps. con. Partem Donati, epist. XLIII. n. 7, et epist. LIII. n. 2, Auctor qq. in N. et V. T., unanimi consensione testantur.

Reddam unius Irenaei verba ex lib. IV. cap. XLIII, quae sic habent: „Eis qui in ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, sicut ostendimus, *qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum*, secundum placitum Patris acceperunt. Reliquos vero qui absistunt *a principali successione* et quocumque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi haereticos et malae sententiae, vel quasi scindentes et elatos et sibi placentes, aut rursus ut hypocritas, quaestus gratia et vanae gloriae hoc optantes. Omnes autem decidunt a veritate. Et haeretici quidem alienum ignem afferentes ad altare Dei, idest, alienas doctrinas, a caelesti igne comburentur, quemadmodum Nadab et Abiu. Qui vero exsurgunt contra veritatem, et alteros adhortantur adversus ecclesiam Dei, remanent apud inferos, voragine terrae absorpti, quemadmodum qui circa Core, Dathan et Abiron. Qui autem scindunt et separant unitatem ecclesiae, eamdem quam Hieroboam poenam percipiunt a Deo.“

Sed quam Irenaeus nominat *principalem successionem?* illam dubio procul, quae ab apostolis profecta ad consummationem usque saeculi propagari debet. At nullo ne discrimine, ac prorsus *ἀδιαφόρως?* immo hoc maxime inprimis discrimine, quod ea dumtaxat sit habeaturque *principalis successio*, quae *a Petri cathedra* non dissidet, unitatisque vinculo cum ea copulatur.

Quod sane ostenditur 1) parallelo eiusdem Irenaei testimonio ex lib. III. cap. III, quo Petri cathedram exhibet *potentiori principalitate* instructam, eoque praeditam iure, quo omnium secum coniunctionem societatemque exigit.

his compertis exploratisque, ea tandem *unica societas* cognoscatur, cum qua, *utpote unica vera ecclesia*, *communionis unitas* servetur.

Ostenditur 2) repetitis a Cypriano phrasibus, quibus cathedram Petri dicit *cathedram principalem*, et *radicem*, *matricemque* catholicae unitatis.

Ostenditur 3) insigni Optati disputatione, qua *ornamenta*, veraeque ecclesiae *dotes* commemoraturus, primam omnium recenset *cathedram*, ac mox subdit lib. II: „Videndum est, qui et ubi prior cathedra sederit: si ignoras disce: si nosti erubesce. ... Igitur negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam: in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus ....., *in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur*, ne ceteri apostoli singulas sibi quisque defenderent (sed *in solidum*, idest, coniunctim, ut Cyprianus loquitur, tenerent): ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra *singularem cathedram* alteram collocaret. Ergo *cathedra unica*, quae est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, ... Damaso Siricius hodie, qui noster est socius, cum quo nobis totus orbis commercio formatarum, in una communionis societate concordat."

Ostenditur 4) Augustini suffragio, qui epist. XLIII. n. 7. e coniunctione cum romana ecclesia, *in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus*, unitatem societatemque cum principali successione deducit.

Ostenditur 5) solemni apud Patres usu commemorandi *successores in cathedra Petri*, atque e coniunctione cum iisdem statuendi, quinam ad principalem successionem pertinerent. Compellat Augustinus donatistas his verbis in Ps. con. Partem Donati: *Venite fratres, si vultis, ut inseramini in vite. Dolor est, cum vos videmus praecisos ita iacere.* Tum illis ob oculos ponit romanam successionem, subdens: *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo patrum quis cui successit videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.*

Ostenditur 6) disertis antiqui scriptoris verbis, cui quaestiones in V. et N. T. debemus, quique q. CX. ait: „Quoniam cathedram pestilentiae non esse de Dei ordinatione asseruimus, etiam eorum qui *extra ecclesiam vel contra ecclesiam* sedes sibi instituerunt, cathedram pestilentiae dicimus. Qui enim inconcessa praesumit, reus est; quanto magis si et corrumpat traditionem eius, cuius sedem usurpat? Nam et *ordinem ab apostolo Petro coeptum*, *et usque ad hoc tempus* (ad saeculum V.) *per traducem succedentium episcoporum servatum* perturbant, ordinem sibi *sine origine* (quae est in Petro) vendicantes, hoc est, *corpus sine capite* (quod est Petrus) profitentes, unde congruit etiam eorum sedem cathedram pestilentiae appellare."

Ostenditur denique 7) ipso donatistarum facinore, qui ut sibi, suaeque parti dotes verae ecclesiae vindicarent, Romam submiserant pseudoepiscopos, ut datis ad eos litteris, et ab eis vicissim acceptis suam cum Petri cathedra communionem, societatemque venditarent. Inauditae imposturae testes sunt locupletes Acta collationis carthaginiensis, itemque Optatus lib. II, et Augustinus epist. LIII. ad Generosum.

Quibus sane quomodo occurri apte possit, si primatus institutio, eidemque tributum officium formandae vindicandaeque unitatis repudientur, me prorsus non videre candide testor. Ecquo enim *perspicuo signo*, si illud quod e primatu petitur, reieceris, tot inter christianos coetus intestinis pugnis dissidentes, seque mutuo damnantes *secerni* ille poterit, cui *verae ecclesiae ratio* insit, et cum quo communionis unitas custodiri debeat? nullum omnino suppetet, atque adeo *vel* spes omnis reperiendae verae ecclesiae erit deponenda, *vel* examen de sinceritate doctrinae, legitimaque ministerii successione ineundum, quo perfecto, ipsa tandem unica vera ecclesia deprehendatur. Quod posterius quum sit plerisque omnibus *ἀδύνατον*, omnino omnibus periculosum, et ab indole [200] christianae institutionis alienissimum, concludendum superest, electionem primatus, virtutemque unitatis effectricem eidem inditam *intimis nexibus cum visibilitate verae ecclesiae, eiusque unitate* consertam esse atque devinctam.

402. Immo iisdem nexibus cum ea quoque *dote* ac [201] *tessera* cohaerere, qua ecclesia est diciturque *catholica*. De qua dote ac tessera audiendi minime sunt Vossius [202] et Kingius [203] existimantes, *quarto primum saeculo* adhiberi illam coepisse, ut germanus orthodoxorum coetus, verumque Christi corpus ab haereticis schismaticisque factionibus dirimeretur. Eo namque *catholicae appositio* distinctam insignitamque reperimus ecclesiam non in monimentis tantum [204] *quarti*, *quintique* [205] *saeculi*, verum etiam [206] *tertii* ac [207] *secundi*, quo ineunte his omnino verbis scribebat [208] Ignatius: „Omnes episcopum [209] sequimini, ut

[200]) Quam funditus protestantes subvertunt, dum *primum* quaerunt quid tenendum credendumve sit; ac *altero solum loco*, quinam debeant, utpote instituti divinitus doctores, pastoresque audiri. Perspicuum namque est, posteriorem indaginem priori esse anteponendam; ac inventis compertisque legitimis doctoribus, discendum ab iis esse quid credere, quidve agere sit opus.

[201]) Ita loquimur ut significemus, ecclesiae *notas* ab iis non differre eiusdem *proprietatibus*, quae ad *illustre conspicuumque factum* revocantur.

[202]) De Symb. Diss. I. §. XXXIX.

[203]) Hist. Symb. Apostol. cap. VI. §. XVI.

[204]) Pacianus epist. I. n. 4, Cyrillus hierosolymit. Catech. XVIII. n. 23, Eusebius in Is. XXXII. 18, Chrysostomus in epist. ad Coloss. hom. I. n. 2, in I. Cor. hom. XXXII. n. 1, et Hieronymus ad Matth. XXIV. 26.

[205]) Augustinus in Ps. XLVII. n. 7, epist. XLIX. n. 3. epist. LII. n. 1, et in ceteris operibus passim.

[206]) Concil. antioch. in epist. synod. apud Euseb. H. E. lib. VII. cap. XXX, Origenes in epist. ad Rom. lib. VIII. n. 1, Cyprianus epist. LII, Acta s. Fructuosi n. 3, et s. Pionii n. 9.

[207]) Irenaeus adv. Haeres. lib. III. cap. XVII. n. 2, et epist. de martyrio s. Polycarpi, n. 19.

[208]) Ad Smyrnaeos, n. 8.

[209]) Eodem modo Polycarpus in epist. ad Philippenses: Ὑποτασσόμενοι τοῖς πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις, ὡς Θεῷ καὶ Χριστῷ.

Jesus Christus Patrem; et presbyterium, ut apostolos. Diaconos autem revereMini, ut Dei mandatum. Sine episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad ecclesiam spectant. Rata Eucharistia habeatur illa, quae sub episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit. Ubi comparuerit [210] episcopus, ibi et multitudo sit: ὥςπερ ὅπου ἂν ἦ Χριστὸς Ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est ecclesia." Quum igitur ecclesia Christi esse non possit, quae eadem non sit *catholica*, investigari potestas debet huic vocabulo orthodoxorum omnium consensione subiecta.

403. Constat autem eo fuisse *duo* significata, quorum alterum *materiae instar*, alterum *instar formae* se habeat. Et materiam quidem censendam esse *geographicam verae ecclesiae extensionem* in eo sitam, ut vera ecclesia coetus sit [211] *moraliter universalis*, *absolute magnus eminenterque conspicuus*, *comparate* vero haereticis quibusque schismaticisque factionibus *amplior et numerosior*. De hac notione, quae *apposito catholicae veluti materia* subiici debeat, testes sunt locupletes orthodoxi omnes [212] qui ecclesiae caussam *adversus donatistas* propugnarunt: qui pro eadem caussa [213] *adversus luciferianos*, *novatianosque* steterunt: qui *symbola* [214] explanarunt, quique [215] *occasione* data, vim catholicae appellationis attigerunt. At *sufficit* ne *universalis diffusio*, an *aliud* praeterea *veluti elementum* postulatur? ad vim rationemque *catholicitatis* aliud praeterea requiri elementum, quo coetus ubique diffusus *informetur* et *ad unitatem* perducatur; iidem affirmant testes quos modo citavimus.

404. Duo enim in christianis monimentis testatissima occurrunt, quorum alterum *negans*, *aiens* alterum nuncupabimus. Et illud quidem huc redit, *ab ambitu verae ecclesiae eiusdemque catholicae sectas haereticorum omnes schismaticorumque exulare.* Posterioris vero haec est summa, *veram ecclesiam eamdemque catholicam unica communione atque unica societate, cuius membra hierarchicae subordinationis vinculo cohaereant, absolvi penitusque compleri.*

[210]) Citat hunc locum Antiochus Serm. CXXIV, sed paullo aliter.

[211]) Augustinus epist. LII. n. 1: „Καθολικὴ graece dicitur, quia per totum orbem terrarum diffunditur." Et Serm. CCXXXVIII. n. 3: „Nemo tibi fabulas vendat, non latret rabies haereticorum de angulo. Toto orbe terrarum diffusa est ecclesia, omnes gentes habet ecclesia."

[212]) Optatus lib. II, Augustinus de Unit. Ecclesiae, cap. II. seqq., con. Crescon. lib. II. cap. LXIII, con. Petilian. lib. II. capp. XII—LV—LVIII—LXXIII, in Pss. XXI—XLVII—CXLVII, et in I. epist. Joh. Tractt. I—II.

[213]) Pacianus epist. III, et Hieronymus in dialog. con. Luciferianos.

[214]) Cyrillus hierosolymitanus Catech. XVIII.

[215]) Irenaeus adv. Haeres. lib. I. cap. X. n. 1, lib. IV. cap. XIX. n. 1, Tertullianus adv. Judaeos cap. VII, Maximus Mystagog. cap. I. et Bernardus in Cantic. Serm. LXV. n. 8.

Sed verum ne est, tanta utrumque perspicuitate, tantaque constantia proponi? ne dubium esse possit, testes auctoresque indicabimus, qui tam primum quam alterum caput luculentissime affirmant. Et primum quidem affirmant Clemens alexandrinus [216], Tertullianus [217], Alexander alexandrinus [218], Caelestinus [219], Leander [220], Justinianus [221] Augustus: affirmant concilia, nicaenum [222], sardicense [223], et tertium [224] e synodis carthaginiensibus: ac ipsi quoque affirmant haeretici [225]; quum concors horum omnium sententia fuerit, *μόνην εἶναι τὴν ἀρχαίαν καὶ καθολικὴν ἐκκλησίαν*, extra quam *haereses, veluti spinas*, divina patientia tolerat ac sustentat. Unde nihil ex *ecclesiastico christianoque loquendi usu* exploratius videri debet, quam *catholicae* appositum esse *διακριτικόν*, eoque communionem ostendi, quae e suo sinu, suoque corpore haereses omnes, omniaque schismata abiiciat. Quare iure optimo Pacianus [226] scripsit, quod hierosolymitanus Cyrillus [227] et saepissime Augustinus [228] repetierunt: „Ab haeretico nomine noster populus hac appellatione *dividitur*, cum *catholicus* nuncupatur."

405. Haec porro unitas, quam dici *negantem* posse animadvertimus, necessaria sane est ut ecclesia *catholica* intelligatur; sed minime sufficit, neque vim rationemque catholicitatis absolvit atque complet. Cumuletur oportet *unitate affirmante*, qua non ab haereticis solum schismaticisque *dividatur*, verum etiam *in seipsa* cohaerens, et iunctum copulatumque corpus existat. Ad hanc asserendam tuendamque unitatem, quae *forma veluti est catholicitatis a qua ne cogitatione quidem divelli potest*, referuntur et spectant quae de *necessitate communionis* [229] inter ecclesiae membra, deque eiusdem [230] *signis*, *mediis*-

[216]) Stromat. lib. VII. §§. XV—XVII.

[217]) De Praescriptt. cap. XXX.

[218]) Apud Theodoritum, H. E. lib. I. cap. IV.

[219]) Homil. in Laud. Eccles.

[220]) Con. Origenistas in Actis synodi V.

[221]) Epist. ad Mennam episcopum constantinopolitanum.

[222]) In symbolo et can. VIII.

[223]) In epist. ad omnes episcopos, apud Athanasium, Apolog. II.

[224]) Cod. Afr. can. XXII, qui est canon LIII. synodi III. carthaginiensis.

[225]) Cf. nestorianam fidei professionem Act. V. ephesini concilii.

[226]) Epist. I.

[227]) Catech. XVIII.

[228]) De vera relig. cap. VI. et de utilit. credendi, cap. VII.

[229]) Pacianus ad Sympron. epist. III. n. 4: „Ecclesia plenum est corpus et solidum, et toto iam orbe diffusum. Sicut civitas, inquam, cuius partes in unum; non ut vos estis novatiani, quaedam insolens partiuncula tuberque collectum, et reliquo corpore segregatum."

[230]) Media erant *γράμματα κοινωνικά*, apud Eusebium H. E. lib. VII. cap. XXX; *ἐπιστολαὶ κοινωνικαί*, apud Basilium epist. CXC. n. 8; *ἐπιστολαὶ κανονικαί*, apud eumdem epist. CCXXIV. n. 2, et can. VIII. synodi antiochenae; *ἐπιστολαὶ ἀπολυτικαί, εἰρηνικαὶ γραφαί, ἐπιστόλια εἰρηνικά, ἐκκλησιαστικά, γράμματα συστατικά, epistolae, litterae commendatitiae, commendatoriae, communicatoriae, formatae*, can.

que[231] in antiquitatis monimentis saepissime legimus: ad hanc innumera pertinent veterum Patrum disertissima[232] testimonia, quae et illius *necessitatem* declarant, *modumque* aperiunt, quo ea componitur et coalescit.

Ad hunc enim aperiendum *modum* perspicue faciunt quae Irenaeus[233] ecclesiarum apostolicarum traditione[234] haereticos confutaturus scribit his verbis: „Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare[235] successiones; maximae et antiquissimae et omnibus cognitae[236], a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae, eam quam habet ab apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus[237] omnes eos, qui quoquo modo vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per caecitatem et malam sententiam, praeter quam oportet[238] colligunt. Ad hanc *enim* ecclesiam propter potiorem (al. potentiorem) principalitatem necesse est omnem convenire[239] ecclesiam, hoc est qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quae est ab apostolis tra-

XXV. concil. eliberitani, can. XLII. concil. laodiceni, cann. VII—VIII. concil. antiocheni, can. XIII. concil. chalcedonensis, can. IX. concil. arelat. primi, can. I. concil. andegavensis, can. VI. concil. epaonensis, Optat. lib. II. n. 3, et Augustin. con. litt. Petiliani, lib. I. cap. I; denique *μυστικαὶ δέλτοι*, et *ἱεραὶ δέλτοι*, in epist. Attici ad Cyrillum, et Cyrilli ad Atticum, quae sunt epistt. LV—LVI. ex cyrillianis.

[231]) De mediis iuxta signisque prolixe agit Albaspinaeus, Observatt. lib. I.

[232]) Legi prae reliquis dignus est Chrysostomus hom. XXX. in I. ad Corinthios.

[233]) Con. Haeres. lib. III. cap. III.

[234]) Illos enim adgreditur ea *traditione, quae est ab apostolis, quaeque per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur*. Quo argumento nullum facile reperias vel saepius, vel confidentius a Patribus adhibitum.

[235]) Quae propterea diligentissime custodiebantur, ut argumentum essent luculentum *illius missionis*, e qua pendet legitimum ministerium, et quae ab apostolis profecta abrumpi numquam debebat.

[236]) Eximia sunt ac prorsus singularia haec epitheta, quibus Petri cathedram Irenaeus exornat, quaeque cum iis aptissime conferuntur, quibus Ignatius datam ad romanos epistolam auspicatur.

[237]) Hoc *confundendi* verbo designat Irenaeus *evidentiam* argumenti e traditione apostolicae, romanaeque cathedrae desumpti.

[238]) Quibus consentiunt Hieronymi ad Damasum verba epist. XV. n. 2: *Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, antichristi est.*

[239]) Quamquam perspicua sit potestas verbi *convenire*, abs re tamen haud fuerit illustriorem illam reddere, simili adducta phrasi ex lib. III. cap. XL: „In ecclesia posuit Deus apostolos, prophetas, doctores, et universam reliquam operationem Spiritus, cuius non sunt participes omnes, *qui non concurrunt ad ecclesiam*, sed semetipsos fraudant a vita per sententiam malam et operationem pessimam. Ubi enim ecclesia, ibi Spiritus, et ubi Spiritus Dei, ibi ecclesia et omnis gratia.“

ditio. Hac ordinatione et successione, ea quae est ab apostolis in ecclesia traditio et veritatis praeconatio pervenit[240] usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse, quae in ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata, et tradita in veritate."

Ecclesiae igitur ubivis diffusae vim rationemque *partium*, e quibus *totum* existit *ecclesiae catholicae corpus*, inde sumunt ac derivant, quod *cum ecclesia Petri*, quae ecclesia est *maxima*, *princeps ac potentior unitate fidei praedicationisque* conspirant. Quare primatus Petri, eidemque insita efficiendae unitatis auctoritas *principium illud* est quod Christus selegit, ut instituta a se ecclesia foret *catholica*, et *catholicitatis nota* splendesceret.

406. Ad eumdem declarandum *modum* spectant quae Cyprianus[241] tradit *de glutine sacerdotum*, quo et *catholicus episcopatus unus*, ac *una* efficitur *catholica ecclesia*. Quemadmodum enim[242] *singulares plebes ex unitate praesulum* quibus subsunt, *unitatem corporis* mutuantur; ita praesules omnes, plebesque eisdem obnoxiae *unum catholicum episcopatum*, *unamque* constituunt *catholicam ecclesiam*, quod[243] cum ecclesia cohaerent *principali*, *radice* ac *matrice*, quae est ecclesia Petri, *super quem* Dominus[244] aedificium universum fundavit, *quemque fontem originemque catholicae unitatis* instituit.

[240]) Cf. Fenelonium, De Summi Pontificis auctoritate, cap. X.

[241]) Epist. LXIX. al. LXVI. ad Florentium Pupianum: „Loquitur illic (Joh. VI. 68.) Petrus, super quem aedificata fuerat ecclesia: ecclesiae nomine docens et ostendens, quia etsi contumax ac superba obaudire nolentium multitudo discedat, ecclesia tamen a Christo non recedit, et illi sunt ecclesia *plebs sacerdoti adunata*, *et pastori suo grex adhaerens*. Unde scire debes episcopum in ecclesia esse, et ecclesiam in episcopo; et si qui cum episcopo non sint, in ecclesia non esse; et frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, et latenter apud quosdam communicare se credunt; *quando ecclesia quae catholica una est, scissa non sit, neque divisa; sed sit utique connexa, et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata*." Quae diceres ad eorum expressa formam, quae in epistolis ab Ignatio θεοφόρῳ saepissime repetuntur.

[242]) Epist. LV. al. LIX. ad Cornelium.

[243]) Epistt. XLV — LV — LXX — LXXIII.

[244]) Epist. XL. al. XLIII. ad Plebem universam: „Deus unus est, et Christus unus, et una ecclesia, et *cathedra una super Petrum* (al. *super petram*) *Domini voce fundata*. ... Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcumque humano furore instituitur, *ut dispositio divina violetur*." Et epist. LV. al. LIX: „Petrus tamen, super quem aedificata a Domino fuerat ecclesia, unus pro omnibus loquens, et *ecclesiae voce* respondens, ait: *Domine, ad quem ibimus?*" Quorum occasione verborum subdit Fenelonius de Summi Pontif. auctorit. cap. XII: „Quid igitur mirum, si pontifex Hormisdas, aliique veteres patres dixerint: *romana*, *hoc est*, *catholica ecclesia*, quandoquidem Petrus *ecclesiae voce* respondere consuevit? quid mirum si corpus ecclesiae ore sui capitis loquatur?"

E quibus pronum est intelligere quid significatum [245] Tertullianus voluerit, quum ad montanistas iam delapsus, catholicam ecclesiam, cuius *disciplinam* [246] insectabatur, *ecclesiam* dixit *Petri propinquam*, scribens: „De tua nunc sententia quaero unde hoc ius ecclesiae usurpes. Si quia dixerit Petro Dominus, *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*, *tibi dabo claves regni caelestis*, vel, *quaecumque alligaveris vel solveris in terra*, *erunt alligata vel soluta in caelis;* idcirco praesumis et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem, idest, *ad omnem ecclesiam* [247] *Petri propinquam;* qualis es evertens atque commutans manifestam Domini intentionem *personaliter* [248] hoc Petro conferentem, *super te*, inquit, *aedificabo ecclesiam meam:* et, *dabo tibi claves*, non ecclesiae: et, *quaecumque solveris vel alligaveris*, non quae solverint, vel alligaverint." Hanc idcirco loquendi formam adhibuit, quod ea esset usitata catholicis, qui *propinquitate cum Petro χαρακτηρισμὸν* efferre solerent ecclesiae, conditionemque necessariam, ut quis illius fieret potestatis consors, cuius plenitudinem nativumque fontem in Petro Christus collocavit.

Quam catholicorum certam indubitatamque sententiam ipsemet Tertullianus nondum devius in libro de Scorpiace [249] luculenter expressit, inquiens: „Nam et si adhuc clausum putas caelum, memento *claves* eius hic [250] Dominum Petro, et *per eum* [251] ecclesiae reliquisse." Propinquitas igitur cum Petro, et inde profecta [252] *doctrinae consanguinitas* non minus necessaria ecclesiae est, ut *ea*

[245]) De Pudicit. cap. XXI.

[246]) De omnimoda enim potestate ecclesiae facta condonandi peccata, nullum videtur fuisse dissidium, uti haec ἀμέσως antecedentia ostendunt: „Sed habet, inquis, *potestatem* ecclesia delicta donandi. Hoc ego magis et agnosco et dispono, qui ipsum Paracletum in prophetis novis habeo dicentem: *potest ecclesia donare delictum, sed non faciam, ne et alia delinquant.*"

[247]) Nullatenus dubito, ecclesiam dici *Petri propinquam*, non tam *propinquitate originis et propagationis*, quam *contesserationis, communionis et auctoritatis.*

[248]) Haec montanistarum corruptela, in quam ipsos quoque offendisse novatianos, testes sunt Ambrosius in Ps. XXXVIII. n. 37, et in tribus ad Sympronianum epistolis Pacianus, nonnullos permovit Patres, et inprimis Augustinum, Enarrat. in Ps. CVIII. n. 1, Tract. CXVIII. in Ev. Joh. n. 4, et Tract. ult. n. 7, ut claves docerent collatas Petro, quatenus *propter primatum*, quo insignis erat, *ecclesiae personam* gerebat. Qua loquendi forma hoc unum significatum voluere, potestatem clavium, utpote ecclesiae necessariam, ac in eiusdem commodum institutam, cum Petro quidem coepisse, eique *proprie* fuisse tributam; nullatenus vero cum eo interiisse aut interire cum eo potuisse.

[249]) De Scorpiace, cap. X.

[250]) Matth. XVI. 19.

[251]) Diligentius in potestatem huius formulae alibi inquiram: nunc id unum monebo, ea certissime significari *necessitatem communionis cum Petro.*

[252]) De Praescriptt. cap. XXXII.

sit catholica ecclesia quam Christus condidit et *super Petrum inaedificavit*, quam ut eorum particeps sit charismatum, quae nonnisi *unitati in Petro ac per Petrum effectae* idem ipse impertivit.

407. Ceterum non antiquissimi solum Patres, Irenaeus, Tertullianus et Cyprianus, sed plerique omnes eamdem e Petro ductam originem assignant, ut ea coniunctionis, societatis, unitatisque *forma* habeatur, sine qua neque *in se* esse, neque *animo* intelligi *ecclesia catholica* potest. Ac illam enimvero assignant Pacianus [253], Ambrosius [254], aquileienses patres [255], Optatus [256], Gregorius nazianzenus [257], Hieronymus [258], Augustinus [259], Gelasius [260], Hormisda [261], Agatho [262], Maximus martyr [263], et ne plures recensendo commemorem, Leo magnus [264], qui de unitate disserens catholici episcopatus haec habet plane

[253]) Ad Sympron. epist. III. §. XI.

[254]) Qui de Poenit. lib. I. cap. VII. n. 33. scribit: „Quod quidem recte de se fatentur, non habent enim Petri hereditatem, *qui Petri fidem* (maurini hanc praeferunt lectionem, *Petri sedem*) *non habent*, quam impia divisione discerpunt: sed hoc improbe, quod etiam in ecclesia donari peccata negant posse, cum Petro dictum sit, *tibi dabo claves.*"

[255]) In synodica epistola data *imperatoribus clementissimis, et principibus christianis, gloriosissimis ac beatissimis Gratiano, Valentiniano et Theodosio*, quae est inter Ambrosianas, Class. I. epist. XI. n. 4.

[256]) De Schismat. Donatist. lib. II. cap. II. et lib. VII. cap. III.

[257]) De vita sua, Opp. T. II. pag. 9.

[258]) Adv. Jovin. lib. I. n. 14.

[259]) In Ps. con. Partem Donati, con. epist. Fundam. cap. IV, de utilit. credendi, cap. XVII, et epist. XLIII. al. CLXII.

[260]) Epist. XIV, in qua recitatis Christi verbis, Matth. XVI. 18, Luc. XXII. 31—32, Joh. XXI. 15. subdit: „Quare igitur ad Petrum tam frequens Domini sermo dirigitur? numquid nam reliqui sancti et beati apostoli non erant simili virtute succincti? quis hoc audeat affirmare? sed *ut capite constituto schismatis tolleretur occasio, et una monstraretur compago corporis Christi, quae ad unum caput gloriosissima dilectionis* (quae schismati opponitur) *societate concurreret, et una esset ecclesia, cui fideliter crederetur.*" Hinc epist. XII. Petri *gubernationem* docet esse *principalem, universoque gregi in orbe terrarum debitam*; Felix vero epist. XIII. ad Flavitam constantinopolitanum affirmat, auctoritate Petri, qui *summus est apostolorum, petra fidei, caelestisque dispensator mysterii, omnium solidari dignitatem sacerdotum.*

[261]) In libello ad ecclesias orientales misso, et ab earumdem praesulibus subsignato.

[262]) In epist. data ad patres concilii oecumenici VI, in quarta eiusdem actione recitata, et omnium consensione recepta.

[263]) In Biblioth. PP. Tom. XI. pag. 76, de quo testimonio consulenda sunt quae habet Marchetti in Critic. Fleury, T. I. cap. II.

[264]) Epist. X. al. LXXXIX. ad episcopos provin. viennensis, cap. I.

dignissima, quae numquam e christianorum mentibus excidant: „Nec enim poterit unitatis nostrae firma esse compago, nisi nos ad inseparabilem soliditatem vinculum caritatis adstrinxerit; quia sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Connexio totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem efficit. Et haec quidem connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit, sed praecipue exigit *concordiam sacerdotum*. Quibus etsi dignitas non sit communis, est tamen ordo generalis: quoniam et inter beatissimos apostolos in similitudine honoris [265] fuit quaedam discretio potestatis; et cum omnium par esset electio, *uni* tamen datum est ut ceteris praeemineret. *De qua forma* episcoporum quoque est orta distinctio, et magna dispositione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent: sed essent in singulis provinciis [266] singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: et rursus quidam in maioribus urbibus [267] constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos *ad unam Petri sedem universalis ecclesiae cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret.*“

408. Quibus, si quid cerno, nihil ad eam quaestionem dirimendam accommodatius, qua petitur: *utrum doctrina de primatu Petri, deque indita eidem virtute unitatis catholicitatisque effectrice, in ea omnium solemnissima profitendae fidei norma traderetur, quae symboli nomine appellatur.* Quamquam enim certissimis constet [268] testimoniis, non eo consilio edita fuisse symbola, catechumenisque explanata, ut ex iis plena, suisque absoluta numeris christiana institutio hauriretur: immo constet [269], priscis ecclesiae magistris fuisse destinatum, ut plura in symbolis omitterent, quae deinde *initiatis* opportunius

[265]) Haberi ista possunt egregii instar commentarii, quo Cypriani verba in libello de Unitate rite explanentur: „Hoc erant utique et ceteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut ecclesia una monstretur.“

[266]) De metropolitarum institutione ab ipsis apostolis repetenda, vide quae disserit Beveregius in opere, *Codex canonum ecclesiae primitivae illustratus*, lib. II. cap. V.

[267]) Huc pertinet canon VI. nicaenus, de quo praeclare agunt Sirmondus in Censura coniecturae anonymi de suburbicariis regionibus et ecclesiis, Valesius in notis ad Socrat. lib. I. cap. XI, et Sozom. lib. I. cap. XXIII, Schelstratius in Dissert. de auctoritate patriarchica et metropolitana, ac Antonius Bianchi, De externa ecclesiae politia.

[268]) Origenes in prooemio *περὶ ἀρχῶν*, Athanasius de Synodis, Epiphanius in Ancorato, Ambrosius in lib. de his qui mysteriis initiantur, cap. I, et Augustinus de Fide et Symb. cap. I.

[269]) Clemens alexandrinus Stromat. lib. I. §. XXII, Gregorius nazianzenus Orat. XL. in s. baptismum, Cyrillus hierosolymitanus Catech. XVIII. n. 33, Ambrosius (si is est auctor) de Sacramentis, lib. I. cap. I, et Gaudentius Sermm. II—V.

proponerentur; nihilominus haud inepte quis dixerit, vulgatissimos symboli articulos ceu totidem spectari posse *fecundissima semina*, e quibus reliquarum doctrinarum surculi sua sponte propagentur.

Et re sane vera, ut intra fines praesentis indaginis orationem concludam, quid evidentius quam summam doctrinae de primatu Petri contentam in bibliis, illustratam a patribus, et conciliorum sanctionibus definitam, in eo symboli articulo occlusam veluti implicatamque delitescere, quo *ecclesiam unam* esse *catholicamque* testamur? utique nuspiam Petri, nuspiam primatus eidem collati, nuspiam hierarchicae subordinationis mentio *totidem expressa verbis* in symbolis occurrit; at in iisdem *unam* esse eamque *catholicam ecclesiam* apertis luculentisque sententiis declaratur. Quam porro fideles *iis appositis* subiicere *notionem* poterant? quid animo complecti quum dicerent, *credo unam ecclesiam catholicam?* quid, quaeso, nisi quod verba ipsa praeferunt, quodque ab ecclesiae magistris una cum symbolis accipiebant? Sed neque animo *unam* eamque *catholicam* apprehendere *ecclesiam* poterant, quin *de uno eoque catholico ecclesiae principio* cogitarent: neque hanc *unici catholicique principii* dignitatem auctoritatemque alteri deferre *quam Petro*, quem unum omnibus praepositum constantissime audiebant. Quod enim aetate media Bernardus scripsit [270], *ad hoc illi uni sedi apostolicae incumbit sollicitudo omnium ecclesiarum, ut omnes sub illa et in illa uniantur, et ipsa pro omnibus sollicita sit servare unitatem spiritus in vinculo pacis;* nonnisi eius repetitio fidei videri debet, quae ab ipsis christianae religionis primordiis ubique terrarum resonuit.

Quare nisi forte sint qui affirmare malint, *aut numquam* intellexisse orthodoxos quid crederent, quum ecclesiam unam eamque catholicam profitebantur; *aut id aliter* intellexisse ac ubivis et ab omnibus ecclesiae magistris explicaretur; compertum esse debet, fidem de primatu Petri, deque collata eidem potestate, qua visibile Christi regnum unum efficeretur atque catholicum, *coaevam* esse symbolorum professioni qua *ecclesia una* eademque *catholica* significatur.

[270]) Epist. CCCLVIII. ad Caelestinum Papam.

COMMENTARII

DE

PRAEROGATIVIS BEATI PETRI

APOSTOLORUM PRINCIPIS

LIBER SECUNDUS

LIBER SECUNDUS

CAPUT I.

Multiplex probationum ratio: — cuiusmodi ea sit quam hactenus adhibuimus: — eiusdem forma a vi et potestate gignendae persuasionis distinguitur: — quoad formam ea proprie inartificialis est, theologica atque ex instrumentis ducta: — quod tamen non impedit, quominus etiam artificialis ex parte atque deprompta e testibus existimetur: — quae cum his connectantur: — quoad vim, potestatemque persuadendi plena est ac decretoria: — ostenditur, ac absolute primum, et in se, simpliciterque probatione spectata: — comparate deinde ad probationem triplicem, qua anglicani, lutherani, calviniani seorsum nominatimque defendunt I. ὑπεροχὴν et ἐξουσίαν episcoporum, II. veritatem dominici corporis in Eucharistia, et III. Christi θεότητα, eamdemque cum Patre naturam, qua illi ὁμοούσιος creditur.

1. Quum *probatio* quaevis suapte natura eo spectet, *ut* [1] *fidem faciat;* id probationibus omnino omnibus *commune* est, ut media sint habeanturque ad flectendos inclinandosque animos accommodata. Neque propterea omnes eiusdem sunt generis, sed in multiplici quadam differentia versantur. Ad locos enim sedesque relatae e quibus depromuntur, aliae [2] *insitae* sunt et *artificiales*, *inartificiales* aliae atque *ἔξωθεν adscitae:* aliae [3] *philosophicae*, aliae *theologorum* [4] propriae: tum aliae quae [5] *testibus*, ac aliae quae *instrumentis* innituntur. Sin autem quod inest illis *pondus*, *momentumque* quo valent ad commovendos persuadendosque animos attendatur; duplici rursum genere non in-

[1]) Unde latinis *probare* significat, fidem alicui aliqua de re facere.

[2]) Celeberrima haec est distributio ab Aristotele et Cicerone in Topicis frequentata, quaque, uti ego arbitror, commode theologi in ea tractatione uterentur, quam de *Locis Theologicis* habent.

[3]) Ex iis nimirum collectae, quae hominibus *natura* pervia sunt.

[4]) Cuiusmodi illae omnes censentur, quae e fontibus divinae revelationis permanant.

[5]) Perinde enim est, sive per testes sive per instrumenta caussam quis adprobet, l. 15. C. de fid. instrumentorum: et controversiae aequo iure testibus instrumentisque dirimuntur, l. 5. π. de fid. instrum.

commode concluduntur, *probabilium* et *certarum*, quas *plenas decretoriasque*[6] iurisperiti, philosophi[7] *ἀποδείξεις* appellant.

2. Jamvero si de eius probationis ratione quaeratur, qua usi hactenus sumus, quamque pro facultate expolivimus, *distinctione* opus erit: vel enim de *probatione* quaeritur *principe*, quaeque una dominatur; et nihil sane manifestius, quam *inartificialem*[8] eam esse, *theologicam*, ac *e divino*[9] *Scripturarum instrumento* deductam: vel sermo de iis est quae *identidem interseruimus*, et quibus probationem principem confirmavimus; et latere neminem potest, ex his alia *artificialia*[10] esse ac *insita*, alia vero e *testium*[11] auctoritate suffragioque profecta. Quare si qua *latissime* patet, probatio spectetur, *formas* ea omnes, *modosque* probationum induit ac praefert; et tam artificialis quam inartificialis, tam ex instrumentis quam e testibus hausta videri debet. E qua varia, mixtaque forma duo consequuntur, quae quum alicuius momenti esse videantur, praeteriri silentio non possunt.

3. Est autem primum, *normam* inde *criteriumque* haberi ab iis minime negligendum, qui eam forte probationem aggredi ac impetere moliantur. Quum enim[12] tot ea constet elementis, ac summa, partiumque conspirantium consensione firmetur; ea solum probari oppugnatio poterit, quae *singulis* ita occurrat, ut *omnibus* satisfaciat. Nihil enim proficerent, qui unum forte alterumve caput non sine aliqua veri specie in alienum detorquere sensum possent; si rerum, argumentorumque summa constans immotaque permaneret. Ea tantum oppugnandi ratio non immerito opportuna censeretur, e qua existeret: *negato reiectoque supremae auctoritatis primatu*, *idoneam eorum omnium caussam suppetere*, *quibus probatio coalescit*. Quamdiu enim primatus institutio necessaria est, *ne horum sufficiens caussa desit;* tamdiu et vis probationis invicta manet, et illius institutio indubitata. Hanc igitur iis, qui a nobis professione dissident, praefinire legem possumus: vel ut probationi adquiescant, vel ut *ὑπόθεσιν*, se-

[6]) Cf. Alciatum de Praesumpt. Part. III.

[7]) Aristoteli in I. Post. Anal. *ἀπόδειξις* est *συλλογισμὸς ἐπιστημονικός*, *scientiae efficiens;* tum *πᾶσα δεῖξις ἀληθὴς καὶ ἐξ ἀληθῶν προτάσεων*. Semel hoc vocabulo utitur Paulus I. Cor. II. 4: *Ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως*.

[8]) Vocabula ista sunt, quae probationis *formam* designant.

[9]) Ac necessarium sane fuit, quum 1) de eo doctrinae capite ageremus, quod e divina solum revelatione innotescere certo poterat: quumque 2) destinatum nobis esset, Petri praerogativas bibliorum testimoniis demonstrare.

[10]) Eiusmodi sunt quae ex *analogia* et *harmonia dogmatum* deduximus, quaeque ex *unitate* et *catholicitate* ecclesiae, *episcoporumque*, *qui singulis praeessent gregibus*, *institutione* derivavimus.

[11]) Testium nomine vetustos significo ecclesiae patres, quorum sententias commentariosque non infrequenter adduxi, et quibus vim dignitatemque testium nemo prudens abiudicet.

[12]) Praeclare hac de re disseritur in opere, La Perpetuité de la Foi de l'Eglise catholique touchant l'Eucharistie, T. II. Liv. VII. chap. II.

posito primatu, reperiant, repertamque confirment iis explicandis parem, quae argumentis inartificialibus et artificialibus, quaeque instrumentis, testiumque relatione continentur.

Alterum succedit, quod omnes nobiscum fatebuntur: eam esse adhibitam probationem, qua, nisi fallax illa sit, non tantum *vera*, sed etiam *revelata*, non *tenenda* solum, sed etiam *credenda* primatus institutio demonstratur. Unde enim *proprie* illam deprompsimus? e testibus[13] ne, artificiosisque argumentis? atqui ista quidem omnia usurpavimus, sed ut demonstrata confirmaremus, pleniorique luce iam illustria affunderemus. Proprie igitur illam hausimus e divinis Scripturarum instrumentis. Quod autem ex eiusmodi fontibus ducitur, revelatum id est, eorumque numero venit quae ad revelationem quum pertineant, fide creduntur.

4. Et haec quidem expedita sunt, illud vero nonnihil impeditius, quod uno prope ore non pauci postulabunt: quae tandem *vis* insit probationi, *quantum* illa ad creandam persuasionem valeat, et *certa* ne sit ac *plena*, an contra fallax et deminuta. Quibus respondebimus, eam nobis esse non probabilem modo sed *omnino indubitatam*, *talemque*, cui nihil desit sive idoneum sive necessarium ad fidem *plenissime* faciendam. Quod propterea expendendum et seorsum investigandum censui, quod et mihi ipsi, et lectoribus, et caussae hanc me debere curam existimaverim. Neque enim tam sumus felices, ut uno veluti mentis adspectu exploratam, liquidamque veritatem assequamur. Repetitis opus est[14] actibus, secundo, tertioque tentandum idem est, ac tum solum examini ponendus est modus, quum quod nobis reperisse videmur, semel ac rursum limae, *reflexionique* subiecimus. Iteratis namque curis splendidius veritas enitescit, ementita deteguntur, dubia separantur a certis, et singulis quibusque suae sedes, suique loci adscribuntur. Debebam ergo mihi, debebam lectoribus hoc quod de probatione ipsa periculum sumo; debebam et caussae, quae quum maxima sit, et gravissimorum origo[15] dissidiorum, maximam postulat diligentiam.

5. Ad quam accessisse proxime videbimur, si nativam probationis vim

[13]) Scio testibus non minus quam instrumentis, Traditione aeque ac Scripturis quae ad revelationem, fidemque spectant, comprobari. In praesentia tamen constitutum mihi est, non aliter ad testes, quam ad humanum, gravissimumque caussae praesidium provocare.

[14]) Quod non recentiores modo philosophi inculcant, sed pluribus iampridem explanarant Basilius, eiusque frater Gregorius nyssenus, uterque in priore adversus Eunomium libro, ubi a primis animi perceptionibus acute subtiliterque distinguunt ἐπενθύμησιν, ἐπίνοιαν καὶ ἐπιλογισμόν, quibus vocabulis id significant, quod nos sin minus latino, usitato certe nomine *reflexionem* vocamus. Cf. Petavium de Deo, lib. I. cap. VII.

[15]) Neque enim inepte quis diceret, ad hanc de primatu doctrinam sive receptam sive negatam fontem caussamque earum omnium factionum revocari, quibus christianum nomen in partes discerptum et videmus et lamentamur. Cf. de Maistre, Du Pape, Discours Prélimin.

in se primum, *absolute*, *simpliciterque* expenderimus, tum vero ad ea argumenta *comparate*, quibus nobilissimae protestantium sectae *plenam evidentemque demonstrandi virtutem* adscribunt. Quae igitur *in se* atque *absolute* vis illi subest, momentumque probandi? obscura non erit responsio, si mente reputetur, ductam ex instrumentis probationem tum suis absolutam numeris censeri, quum I. et instrumentum quod adhibetur, *authenticum* [16] est: et II. quae ex illo promuntur testimonia vel evidentia ἀμέσως sunt et citra controversiam posita, vel sane eiusmodi, quorum significatio certis argumentis definitur. Utrumque enim si conspiret, nihil iam esse reliquum potest quod ad faciendam fidem necessarium videatur. Jamvero e quo nos instrumento probationem desumpsimus? ex iis Scripturarum libris, iisque partibus, quorum αὐθεντία christianorum nemini anceps dubiaque est. Instrumento igitur usi sumus authentico. Quaenam vero testimonia ex eo protulimus? quae ad duplex genus manifestissime pertinent, quorum alterum [17] iis constat quibus tanta inest evidentia, ut in disceptationem adduci nullatenus potuerint; alterum vero iis [18] absolvitur quae licet non minus *ex sese* conspicua illustriaque sint, defendi tamen vindicarique debuerunt, ut ab absurdis interpretationum corruptelis eximerentur. Neutrum igitur adhibitae probationi deest, ut non modo gravis, verum etiam peremptoria iudicetur.

6. Praeterea unum ne alterumve, an numero omnino plurima e bibliorum instrumento retulimus, quae caussam iuvarent, assererent, evincerent? retulimus ne quae *nudam primatus institutionem*, an quae *multiplices* quoque *eiusdem adumbrationes*, *promissiones*, *usum*, *vulgatissimamque famam* ostenderent? videlicet ea nobis praesto fuerunt, quae tam illius [19] *institutionem*, quam *prima* [20] *vestigia*, *eaque in dies* [21] *luculentius expressa*, *promissiones* [22], *exercitium* [23], *notitiamque in primitiva ecclesia ubique* [24] *diffusam* patefacerent, oculisque subiicerent. Est ne vero quod ulterius expeti merito possit, ut dubitatio omnis de praerogativa primatus Petro collata praecidatur? si quid video,

[16]) Auctoritate nimirum ad pariendam fidem instructum, quo sensu fieri αὐθεντικῶς dicitur quod *ex auctoritate* fit, et αὐθεντίαν patres, scriptoresque ecclesiastici *auctoritatem* interpretantur. Immo ipsi quoque iuris magistri, e quorum numero Andreas Alciatus lib. II. παρέργων, cap. XLVI. scribit: „Αὐθεντικὸν graece, latine *autoratum* possis interpretari, hoc est, id, cui vel ipsi fides habeatur, quasi accersitis aliunde probationibus haud quaquam indigeat; vel quod a seipso, non ab alio dependeat, quasi dicas *originale:* quemadmodum et *autor* is dicitur, qui ipse facit, non ab alio accipit, et in quo ius est, potestas ac dignitas, nec ab alio pendet.“

[17]) Lib. I. nn. 13—20—22—115—163—269.

[18]) Lib. I. nn. 42—62—72—81—100—259—272.

[19]) Lib. I. nn. 100. seqq.

[20]) Ibid. nn. 13. seqq.

[21]) Ibid. nn. 62. seqq.

[22]) Ibid. nn. 42. seqq.

[23]) Ibid. nn. 163. seqq.

[24]) Ibid. nn. 259. seqq., nn. 269. seqq.

omnino nihil, quum ad dirimendam de privilegiis quaestionem abunde sit, si eorumdem *collatio* instrumentis consignata demonstretur. Atqui in praesentia non *collationem* modo in instrumentis legimus, sed in iisdem quoque reperimus quae *antecessere*, quaeque *consequuta sunt:* reperimus *exordia*, *progressiones*, *explicationesque multiplices*, quae ceu totidem *signa* ad institutionem primatus, veluti ad *rem signatam* referuntur. Eam igitur dedimus instituti primatus demonstrationem, cui *in se*, *simpliciterque* spectatae nihil deest eorum, quae ad promerendam assensionem exiguntur.

7. Et re sane vera fac in disputationem veniat, utrum Caesar honore ac potestate ceteris romanis senatoribus antecelluerit. Si monimentis minime dubiis ostenderetur, ita se gessisse Caesarem, ut primum sibi ad supremum principatum viam sensim complanarit, obtinuerit deinde ut a senatu, populoque romano imperator et princeps renunciaretur, tum iura principatus domi forisque exercuerit, ac omnium tandem testimonia de acquisita dignitate retulerit; ne tardiores quidem morosioresque tergiversarentur, sed una omnium vox foret ac sententia, Caesarem inter romanos patres, tamquam imperatorem et caput eminuisse. Atqui, mutatis dextere nominibus, si Caesari Petrum, romanis patribus apostolos, senatui populoque quiritum Christum, evangelistas, Lucam in Actis, Paulumque suffeceris; perspicue cernes, quae de Caesare speciminis gratia confinximus, in Petrum adamussim quadrare. De eo namque, Scripturis praeeuntibus, novimus, *quibus prope gressibus* ad primatus dignitatem pervenerit, *quando* illam fuerit consequutus, *quomodo* exercuerit, *quasve* Christi, evangelistarum, apostolicae ecclesiae, Paulique *luculentissimas testificationes* acceperit. Illius ergo primatus ac princeps inter apostolos auctoritas eo probationis genere adstruitur, quod fidem perspicue facit, assensionemque deposcit. Est enim *consequentis* instar, quod *non una sed multiplici illatione* deducitur, quod non *ex effectis tantum* eruitur sed *in suis quoque caussis* praevidetur, quod *non verbis dumtaxat institutionis* sed *ipsis quoque usus exercitiique operibus* declaratur, quod *non aliquot modo textibus* sed *conspirantium nube textuum* stabilitur, quod tandem *non obscuris longeque petitis commentariis* sed *perspicuis obviisque* comprobatur. Quidquid autem eiusmodi est, neque impune negari, neque in dubium adduci sine temeritate potest.

8. Cuius temeritatis quanta sit gravitas multo etiam apparebit manifestius, si *artificialia* quoque argumenta, quaeque *e testibus* desumpsimus, cogitatione recolantur. His enim una inspectis consideratisque probatio emergit, ad quam efficiendam componendamque ἁρμονικῶς concurrunt: I. *instrumenta authentica*, quaeque primatus promissiones, collationem, usum, notitiamque ubique diffusam luculenter repraesentant: II. *testes* aetate vetustissimi, ipsisque propemodum apostolis σύγχρονοι, numero plurimi, sanctimonia, factoque martyrio celebres, eruditione praestantes, locorum regionumque intervallis seiuncti, apostolicae praedicationis tenacissimi, in profitendo autem primatu unius oris, eiusdemque sententiae: III. *analogia dogmatum*, quum ecclesia, quam *unam* esse *catholi-*

camque profitemur, neque talis sit, neque intelligi *sine primatu* possit: facta demum IV. *historiae christianae*, quae cum primatus institutione conserta ita sunt, ut ab ea ne animo quidem divelli posse videantur. Primatus enim institutionem postulat *historia* [25] *haereseon*, postulant quae *de conflatis* in ecclesia [26] *schismatibus* narrantur, postulat *historia* [27] *liturgiae*, postulant quae de *indictis* [28], *habitis*, *confirmatisque oecumenicis synodis* consignata litteris reperimus; postulat *historia* [29] *legum ecclesiasticarum*, quibus disciplina statuitur ac temperatur; postulat *historia* [30] *iudiciorum*, ac illorum maxime quae in ecclesiae

[25]) Perspicua sunt quae in caussis Pauli samosateni, Dionysii alexandrini, Arii, Apollinarii, Pelagii, Nestorii, Eutychetis gesta statutaque narrantur a Dionysio romano, Silvestro, Julio, Damaso, Innocentio, Zosimo, Caelestino atque Leone. Hinc illa Ferrandi diaconi carthaginiensis in epist. ad Severum: *Interroga igitur*, *si quid veritatis cupis audire*, *principaliter sedis apostolicae antistitem*, *cuius sana doctrina constat iudicio veritatis et fulcitur munimine auctoritatis.*

[26]) Juverit animo reputasse quae indubitatis consignata monimentis legimus de schismate Novatiani, Fortunati et Felicissimi, donatistarum et Acacii constantinopolitani. Ex his namque omnibus liquet, *universos per orbem credentes intellexisse*, quod ad Matth. XVI. 19. venerabilis Beda adnotavit: *quia quicumque ab unitate fidei*, *vel societate illius* (Petri) *quolibet modo semetipsos segregant*, *tales nec vinculis peccatorum absolvi*, *nec ianuam possint regni caelestis ingredi.*

[27]) Huc pertinent quae de Victore in controversia de rato celebrandi paschatis die, Eusebius memorat H. E. lib. V. capp. XXII — XXV.

[28]) Acta namque synodorum, epistolae Pontificum, Patrumque libri ostendunt, verissimum esse quod Socrates H. E. lib. II. capp. VIII — XVII, et Sozomenus H. E. lib. III. cap. X. testantur, ἐκκλησιαστικὸν semper viguisse κανόνα, cuius haec foret sanctio, μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν. Quod Pelagius II. in fragm. epist. apud Baluzium, Miscell. lib. V. pag. 467. his verbis expressit: „Synodorum congregandarum auctoritas apostolicae sedi privata commissa est potestate, nec synodum generalem ratam esse legimus, quae eius non fuerit auctoritate congregata vel fulta. Haec auctoritas testatur canonica, haec ecclesiastica historia roborat, haec sancti patres confirmant.“ Unde Ferrandus in litteris ad Pelagium: „Universalia concilia, *praecipue* illa, quibus romanae ecclesiae consensus accessit, secundae auctoritatis locum post canonicos libros tenent.“

[29]) Hanc diligenter expolivit Zaccaria in Antifebronio, Tom. II. pagg. 425. seqq., ac rursum in Antifebronio Vindicato, Diss. VI. cap. I, ubi συλλογὴν retulit legum, quas Petri successores a Victore I. ad Gregorium II. constituerunt.

[30]) De quibus, si historiae credimus, repeti debet, quod epist. XIII. ad Dardan. episcopos Gelasius scripsit: „Sed nec illa praeterimus, quod apostolica sedes frequenter, ut dictum est, *more maiorum*, etiam sine ulla synodo praecedente, et absolvendi quos synodus inique damnaverat, et damnandi, nulla existente synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.“ Ut enim inquit epist. VIII. ad Anastasium imperatorem: „Apostolicae sedis auctoritas, quod cunctis seculis christianis ecclesiae praelata sit universae, et canonum serie paternorum, et multiplici traditione firmatur.“

societate fuere reliquis insigniora; postulat *historia* [31] *relationum*, quibus in maioribus fidei caussis et ad unitatem catholicam pertinentibus Petri cathedra adiri consuevit; postulat *historia* [32] *appellationum*, quarum numero plurimae, eaeque luculentissimae prostant; postulat *historia* [33] *ecclesiasticae hierarchiae*, eorumque iurium, quibus aliquot prae reliquis episcopales sedes excelluerunt; postulat *historia* [34] *propagatae ubivis christianae religionis*, postulat *historia* [35] *eorum signorum*, quibus catholica unitas formabatur atque constabat; postulat *historia christianae* [36] *archaeologiae*, inscriptionum, picturarum, ceterorumque monimentorum; postulat *historia* [37] *imperatorum*, et, ne infinita sit oratio, po-

[31]) Ut enim Avitus viennensium praesul epist. XXXVI. monuit: „Synodalibus legibus cautum est, ut in rebus quae ad ecclesiae statum pertinent, si quid dubitationis fuerit exortum, ad romanae ecclesiae *maximum* sacerdotem, quasi *ad caput nostrum*, *membra sequentia* recurramus.“ Eadem habent Innocentius in litteris ad Victricium rothomagensem, africani patres in epistola ad Theodorum, quae in concilio lateranensi sub Martino I. lecta fuit, et Bernardus in epist. CXC. ad Innocentium II. con. errores Abaelardi, inquiens: „Oportet ad vestrum referre apostolatum pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei, ea praesertim quae *de fide* contingunt; dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri *damna fidei*, ubi non possit fides sentire defectum. Haec quippe huius *praerogativa* sedis.“

[32]) De hoc iure, deque factis illud comprobantibus legatur Petri et Hieronymi Ballerini dissertatio, *De Leonis iure in causa Celidonii*. Nobis sat erit verba inprimis referre Gelasii ex epist. IV. ad Faustum legat. CP.: „Ipsi sunt canones, qui appellationes totius ecclesiae ad huius sedis examen voluere deferri. Ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius umquam praeceperunt iudicio iudicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cuius potius decreta sequenda mandarunt.“ Quae deinde in romana synodo pronunciavit Agatho, ad quem Wilfridus eboracensis antistes sua sede pulsus appellaverat: „Non mediocriter satisfecit audientibus petitionis series, quam Wilfridus Deo amabilis episcopus obtulit in hoc, quum se indigne de episcopali sede deiectum agnovit; non contumaciter per vim secularem obstitit, sed humiliter sentiens *auctoris nostri beati Petri apostolorum principis canonicum expetivit subsidium*; et supplici praestolatione, quae super eo censenda sunt, se suscepturum perhibens, quod *ex ore nostro beatus Petrus auctor noster*, cuius ministerio fungimur, praeviderit statuendum.“

[33]) Cf. Petri Ballerini librum, *de potestate ecclesiastica*, cap. I. §§. I—VI.

[34]) Cf. Mamachium, Origg. et Antiquitt. Christ. T. II.

[35]) Vide quae de *formatis epistolis* habet Alphonsus Muzzarelli in opere inscripto, *De auctoritate Rom. Pontificis in Conciliis Generalibus*, cap. V. §. IX.

[36]) Cf. Mamachium, Op. cit. T. V. Part. I. cap. II. §§. I. seqq.

[37]) Insignia sunt quae de Constantio refert Ammianus Marcellinus lib. XV. cap. VII, quaeque testantur Marcianus in epist. ad Leonem, quae est inter Leoninas CX, Galla Placidia apud Cotelerium, T. I. Monum. Eccles. Graec. pag. 63, Justinianus Nov.

stulat tandem *historia*[38] *codicum*, quibus christianorum regnorum *νομοθεσία* continetur.

9. Quid porro ex his quae adumbravimus satius quam expressimus, sua sponte consequitur? illud profecto, institutionem primatus ad eorum genus pertinere, quae *certissima* sunt, quaeque *plena*, *suisque absoluta numeris probatione* demonstrantur. Et re sane vera fieri ne potuit, ut tot, tamque varia concurrerent, et ad ostendendum, persuadendumque primatum conspirarent, si numquam ille fuisset institutus? fieri ne potuit, ut *tot*, *tamque varii eius caussae* haberentur *effectus*, quae numquam extitisset? ut *tot*, *tamque varia eius rei signa* apparerent, quae commentis adnumeranda foret? tam fieri ista potuere, quam probabile est, ut iactis casu litteris pulcherrima habeatur oratio, fusis temere coloribus venustissima species, et praepostera incogniti alphabeti determinatione ratio modusque, quo non una modo ac altera *ῥῆσις*, sed universi sermonis *ἀκολουθία* apte eleganterque reddatur. Sunt autem non improbabilia solum, sed *ἄτοπα* penitus et *ἀδύνατα*. Utique *ἀδύνατον* haud est, ut aliquae litterae, etsi temere iactae, syllabam, vocabulumque praebeant: neque *ἀδύνατον* est, ut fallaci alphabeto unum alterumve incisum dextere interpreteris; sed quod fusae casu litterae orationem referant, alphabetumque fallax ad interpretandum integrum librum conducat, non minus *ἀδύνατον* est, quam *ἀδύνατον* sit, ut effectus sine caussa, sine luce splendor, ac sine sonis harmonia concentusque habeantur. Probatio igitur instituti primatus, quae tot elementorum consensione perficitur, iis merito accensetur, quae assensionem rapiunt, quaeque *proposito* quidem *voluntatis* negligi possunt, *iudicio* autem *bene consultae rationis* neque negligi possunt neque refelli.

10. Qua de re novum ac aeque perspicuum existet argumentum, si probatio *in se* hactenus *absoluteque* spectata, *σχετικῶς* et *comparate* examinetur. Velim itaque mecum lectores ab anglicanis, lutheranis, calvinianisque percontentur, ut illam ex ordine cum iis conferant probationibus, quibus ipsi, pro sua quique secta, tuentur vel *episcoporum ἐξουσίαν*, *eorumdemque a presbyteris discrimen suprema Christi lege constitutum*, vel *dominici corporis in Eucharistia veram realemque praesentiam*, vel *naturam* denique *Christi divinam*, *eiusque cum Patre substantiae ταυτότητα*. Quid ex hac collatione deprehendunt? *plura ne numero esse consignata divinis Scripturarum instrumentis testimonia*, quae pro posterioribus doctrinae articulis, quam quae pro Petri primatu in iisdem occurrunt? de articulis praesentiae realis, ac discriminis prae-

CXXX, et Valentinianus III. in Const. de Epp. ordin: „Cum sedis apostolicae primatum sancti Petri meritum, qui princeps est episcopalis coronae, et romanae dignitas civitatis, sacrae etiam synodi firmarit auctoritas, ne quid praeter auctoritatem sedis istius illicitum praesumptio attentare nitatur. Tunc enim demum *ecclesiarum pax* ubique servabitur, *si rectorem suum agnoscat universitas*."

[38]) Huius rei argumentum esse possunt quae habentur in Capitularibus Francorum, et in Legibus Longobardorum.

stantiaeque episcoporum, nulla id veri specie [39] affirmaretur. Quod si plurima sunt, quae pro divinitate Christi biblia continent, haud multo censeri minora possunt, quae pro Petri primatu iisdem comprehenduntur. Quare si *e textuum numero* vis probationum iudicari debeat, vel quae pro primatu pugnat, reliquis anteferetur, vel nulli certe posthabebitur.

11. Verum non me fugit quid sint protestantes responsuri: respondebunt non de *numero textuum* litem esse, sed de *illorum perspicuitate atque evidentia*, e quibus pondus et gravitas enascuntur. Respondebunt non esse *supputandos* textus sed *aestimandos*, eamque caussam comprobandam, non quae *simpliciter* textibus, sed quae *commodis luculentisque* asseratur. Quam ego ἔνστασιν non meis dispungam verbis, sed contra efficiam, ut cum anglicanis lutherani, cum lutheranis calviniani, et cum his sociniani, remonstrantesque decertent. Quid igitur lutherani *de perspicuitate* putant *eorum textuum*, quibus susceptae caussae de discrimine, potiorique episcoporum auctoritate anglicani patrocinantur? una omnium vox est, illos esse non obscurissimos modo, sed ab ea prorsus doctrina alienissimos, ad quam firmandam, stabiliendamque ab anglicanis usurpantur. His simillima calviniani lutheranis *pro praesentia reali* contendentibus, et sociniani calvinianis *divinitatem Christi* propugnantibus opponunt, negantque praefracte singuli afferri quidquam quod caussae statuendae conducat. Quae quidem ego descriptis recitatisque suffragiis ostenderem, nisi essent vulgatissima, ac leviter etiam eruditis ex historia theologicarum controversiarum explorata. Videor ergo mihi inferre non iniuria posse, nihil admodum protestantibus suppetere, quo perspicuitatem evidentiamque textuum, quibus singuli utuntur, gloriose extollant.

12. Ita sit, fidenter subdent, sed quis coecus adeo est qui non cernat, primatus caussam quam nos tuemur, longe esse deteriorem? expositionibus namque quibus innitimur, non una solum vel altera factio, sed omnes globo veluti facto refragantur. Refragantur anglicani, refragantur lutherani et calviniani, omnesque refragantur *quotquot catholico nomine non censentur*. Probe additum illud est, *quotquot catholico nomine non censentur*. Revera enim *eos omnes ac solos*, qui neque sunt, neque dicuntur *catholici*, adversarios experimur. Sed quales adversarios? qui nomine [40] ipso suo gravissimum sibimetipsis praeiudicium creant, seque indignos ostendunt quibus aures praebeantur. Si enim appellatio *catholici* nota est veritatis, huius negatio *cognominis* [41] tessera est erroris atque

[39]) Constat enim pro utroque articulo pauciora *numero* esse quae allegari testimonia possunt.

[40]) Apposite Augustinus de utilit. credendi, cap. VII. n. 19: „Una est *catholica*, cui haereses aliae diversa nomina imponunt, cum ipsae singulae *propriis vocabulis*, quae negare non audeant, appellentur. Ex quo intelligi datur iudicantibus arbitris, *quos nulla impedit gratia*, cui sit catholicum nomen, ad quod omnes ambiunt, tribuendum.“ Quibus gemina scribit *de vera religione* cap. XII. n. 12.

[41]) Pacianus ad Sympronianum epist. I. §. IV: „Christianus mihi nomen, *catholicus* vero *cognomen*.“ Quae quidem ad

haeresis. Quis autem putet de doctrina Christi, deque apostolicis institutis audiendos esse haereticos, hostes nimirum Christi et apostolorum? Scite [42] Tertullianus: „Nobis etsi quaerendum [43] esset adhuc et semper, ubi tamen quaeri oportet? *apud haereticos?* ubi omnia extranea et adversaria nostrae veritati; ad quos vetamur [44] accedere. Quis servus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico domini sui sperat? quis miles ab infoederatis, ne dicam ab hostibus regibus, donativum et stipendium captat? nisi plane desertor et transfuga et rebellis. Etiam anus illa intra tectum suum [45] drachmam requirebat; etiam pulsator ille [46] vicini ianuam tundebat; etiam vidua illa non inimicum illum, licet durum, iudicem interpellabat. Nemo inde instrui potest, unde destruitur. Nemo ab eo illuminari, a quo contenebratur. Quaeramus ergo in nostro, et a nostris et de nostro; idque dumtaxat quod salva regula fidei potest in quaestionem devenire."

13. Sed rem ipsam paullo propius inspiciamus. Verum ne est, protestantes secumipsis ita consentire, et a nobis dissidere, ut nullos habeamus nisi contrarios? ne ita existimemus efficiunt viri inter protestantes litteratissimi, Camero, Grotius, Hammondus, Clericus, Dodwellus, Michaelis, Rosenmüller, Kuinoel, aliique, qui tam a suis discrepant quam nobiscum de interpretatione [47] consentiunt subiicienda verbis [48]: *et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Neminem porro latet, non minimum hisce verbis momentum contineri illius de primatu contentionis quam versamus. Non excidit ergo nobis quod affirmavimus, neque secumipsis protestantes penitus consentire, neque penitus a nobis, nostrisque commentariis abhorrere.

Quid vero si daremus, in contrariam omnes partem, oppositamque et concessisse et concedere? nemo propterea commoveri admodum deberet. Etenim I. vix aut ne vix quidem accidere aliter potuisse intelligimus. Hac enim una

ea expressa crederes, quae in Passione s. Pionii §. IX. leguntur.

[42]) De Praescriptt. cap. XII.

[43]) Sic habent editiones Pamelii et Rigaltii; sed Christianus Lupus praefert lectionem impeditiorem, *nobis etsi quaerendum esset, adhuc est semper, ubi tamen quaeri oportet?*

[44]) Quod cap. VI. probat Pauli verbis ex epist. ad Tit. III. 10, quae ita citat, *hominem haereticum post primam correptionem recusandum.* Neque aliter citat cap. XVI, habetque consonos Irenaei interpretem *semel*, Cyprianum in epistolis et in tertio ad Quirinum, Luciferum calaritanum, Ambrosium, Augustinum, Faustinum, concilium aquiliense, et Ambrosiastrum, quorum testimonia refert Petrus Sabatier. At graeci codices habent, *μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν*, quibus graeci patres suffragantur, tum latini non pauci, Hieronymus, Gelasius, Leo, Maximus taurinensis, ac postremo versiones, e quibus *Itala* legit: *haereticum hominem post unam correptionem et duo* (idest, *μετὰ μίαν νουθεσίαν καὶ δύο*, quemadmodum et aliquot graeci codices apud Griesbachium referunt) *devita.*

[45]) Luc. XV. 9.

[46]) Luc. XI. 5. seqq.

[47]) Cf. Christophori Wolfii Curas ad Matth. XVI. 18, et Koecheri Analecta ad eumdem locum.

[48]) Matth. XVI. 18.

de primatu caussa rei summa continetur, e qua si excidisse se protestantes faterentur, sententiam in seipsos eamque acerbissimam conflati schismatis pronunciarent. Ea igitur necessitate nobis resistunt, qua sibiipsis, propriaeque vitae prospectum consultumque desiderant. Praeterea II. sicuti a nobis protestantes dissident, ita devii ab ea doctrina recedunt, quam ante saeculum sextumdecimum in oecumenicis synodis, florentina [49], lateranensi IV. [50], et lugdunensi II. [51] universum christianum nomen tenendam, profitendamque solemniter definierat. Quare nos inter ac illos id existit discriminis, quod nos *antiquitatem* sequamur, illi *nova* sibi delegerint quae amplecterentur. E quo discrimine et alterum oritur, nobis quidem adversari protestantes, sed antiquiores [52] christianos patrocinari; illis autem tam praesentes catholicos, quam eos quorum hi nepotes sunt, doctrinamque servarunt, refragari atque obsistere. Unde hostium copia longe numerosior illos, quam nos, nostramque fidem oppugnat. Ad haec III. eius nos doctrinae assertores sumus vindicesque, quae aliquot saeculis nullos experta est adversarios dignos qui memorentur, quaeque sibi communem fidem, assensionemque comparavit. At vero protestantes non antea in lucem suum δόγμα pro-

[49]) Habita anno MCDXXXIX.

[50]) Celebrata anno MCCXV.

[51]) In qua anno MCCLXXIV. latinorum, graecorumque dissidia composita sunt.

[52]) Quorum fidem iis expressam luculentissime habemus, quae in epistola ad Heraclium imperatorem, lecta in concilio CP. III. Act. IV. Agatho romanus episcopus de Petri praerogativis scripsit, et synodus comprobavit: „Eius (Petri) vera confessio a Patre de caelis est revelata, pro qua a Domino omnium beatus esse pronunciatus est Petrus; qui et spirituales oves ecclesiae ab ipso Re emptore omnium terna commendatione pascendas suscepit; cuius annitente praesidio haec apostolica eius ecclesia numquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, *cuius auctoritatem, utpote apostolorum omnium principis, semper omnis catholica Christi ecclesia, et universales synodi fideliter amplectentes, in cunctis sequutae sunt, omnesque venerabiles patres apostolicam eius doctrinam amplexi*, per quam et probatissima ecclesiae lumina claruerunt, et sancti quidem doctores orthodoxi venerati atque sequuti sunt, haeretici autem falsis criminationibus ac derogationum odiis insequuti. ... Haec est apostolorum Christi *viva traditio*, *quam ubique eius tenet ecclesia*.“

Quae crederes animo Thomae Mori obversata in responsione ad Lutherum, cap. X. inquientis: „Cui sedi, ut obedienter obtemperem, quum illa movent omnia, quae docti sanctique in eam rem collegerunt, tum illud profecto non movet minime quod toties sumus experti, non modo neminem inimicum fuisse christianae fidei, qui non illi sedi bellum simul indixerit, sed etiam neminem umquam extitisse, qui se professus sit eius sedis inimicum, quin idem paulo post se declaraverit insigniter Christi et religionis nostrae capitaliter hostem et proditorem esse. Valde me movet et illud, quod si ad istum modum hominum vitia imputentur officiis, ... omnis magistratus corruet, et erit populus absque rectore, sine lege et ordine. Quae res, si aliquando contingat, id quod aliquot Germaniae locis videtur imminere, tum demum magno cum damno sentient, quanto magis intersit mortalium, vel malos habere rectores quam nullos.“

tulerunt, quam in se universam catholicam ecclesiam concitarint. Et quamnam ecclesiam? illam ipsam IV. a qua protestantes rebellaverant, in qua fuerant lavacro regenerationis abluti, cuius maternis curis nomen Christo adiunxerant, a qua biblia, ceteraque christianorum bona acceperant, quae ante fatale schisma faciem vultumque verae ecclesiae *unice* referebat, iisque ornabatur insignibus, quae ad faciendam fidem, auctoritatemque conciliandam mirifice conferunt. Ornabatur enim *antiquitate*, *hierarchia*, *unitate*, *membrorum consensione*, *universalitate:* ornabatur *splendore sanctitatis et doctrinae:* ornabatur quum *studio tuendae custodiendaeque primaevae traditionis*, tum *odio in profanas novitates:* eorum denique *supernorum charismatum fama* inclarescebat, quae quum abesse a vera Christi ecclesia non possint, nulli tamen alteri coetui adscribebantur.

Opportunissimum insuper fuerit V. ecclesiam catholicam secumipsam contendere, eiusque statum conditionemque saeculo XIX. cum eo statu, eaque conditione comparare, in qua saeculis IV. V. et VI. versatam fuisse cognovimus. Quinam, quaeso, saeculo IV. *trinitatem consubstantialem* profitebantur? soli *propemodum* catholici, quum innumerae haereticorum sectae eidem doctrinae adversarentur. Illi enim supremum indixerant bellum praxeani, noetiani, sabelliani, paulianistae, ariani, arianorum pessimi, anomoei, macedoniani, et qui iam proserpere videbantur, tritheitae. Saeculis autem V. et VI. quinam veram sinceramque fidem de Christo θεανθρώπῳ, eiusque in suscepta carne οἰκονομίᾳ retinuere? eadem responsio est, sinceritatem fidei apud solos ferme catholicos remansisse, quam coniunctis viribus acerbissime impetebant asseclae Theodori mopsuesteni, et Diodori tarsensis, tum Nestorius et nestoriani, Eutyches, eutychianorumque divisae inter se digladiantesque factiones, monothelitae tandem, monothelitarumque sectae tam sibi invicem, quam catholicis infensissimae. Sunt ne iamvero e protestantibus, qui ex hostilium sectarum turba colligere ausint, quarto consequutisque saeculis ecclesiae catholicae caussam minus fuisse certam, minusque exploratam? viderer mihi iniurius in eos esse, si hanc illis mentem cogitationemque tribuerem. Quare sinant, ut quod cum his aptum nexumque est, inferendo deducam: videri iniquum non debere, si iudicium idem vel simillimum de ea caussa pronuncietur, quam catholici *pro primatu* ab aliquot iam saeculis adversus protestantes defendunt.

Denique VI. ut lutheranos, anglicanosque nominatim compellem, norunt ne ipsi vel ignorant, sectas plerasque omnes non magis Petri προστασίαν, quam episcoporum ὑπεροχήν, veritatemque dominici corporis in Eucharistia adgredi, et quo vehementius possunt, impetere? doctiores sunt quam ut ea ignorent, quae in vulgatissimis controversiarum libris circumferuntur. An propterea vel hostium numero deterrentur, vel de bonitate caussae diffidunt, vel de perspicuitate dubitant instrumentorum, quibus pugnant, sibique victoriam pollicentur? immo ingenuo liberalique fastidio technas strophasque [53] adversariorum irrident,

[53]) Neque mollius excipi debent cavillatores. Ut enim exemplo utar, quis serio refellendos existimet antitrinitarios, qui verba Stephani, Act. VII. 59: Κύριε

impetus vero aggressionesque viriliter retundunt. Necesse igitur est nobiscum statuant, de bonitate caussae, instrumentorumque perspicuitate neque debere, neque iudicari ex iis posse, quae digladiantes mutuo partes vel affirmant vel inficiantur.

14. Bene, inquis, habet, sed ad quam tandem normam iudicium nostrum dirigemus? ad eas omnino regulas, eaque *κριτήρια,* quae iustae exceptioni non subiacent, probarique ab omnibus debent qui veritatem quaerunt, praescriptoque rationis obsequuntur. Quatuor autem potissimum *κριτήρια* assignari posse arbitror, quorum *duo priora propinqua* sunt et *interna*, *tertium internum* illud quidem sed *nonnihil remotius, postremum* vero *externum*, non minimi tamen momenti, neque eiusmodi quod prudenter negligatur. Ut autem de prioribus initio dicam, illorum alterum [54] *verbale* est, et ad vocabula, phrasesque refertur, quibus textus constant: alterum *reale*, idque respicit quod oratione significatur. Fontes sane *obscuritatis* et *evidentiae* fingi alii non possunt, quam aut *vocabula ipsa* quibus *res* effertur, aut *res* quae vocabulis designatur. Si vocabula et res perspicuitate niteant, evidens erit oratio et sermo praeclarus; sin vero aut haec vim [55] rationis excedat, aut illa sint impedita, aut utrumque conspiret, evidentia sermonis plus minusve periclitabitur.

Ἰησοῦ, δέξαι τὸ πνεῦμά μου! ad demonstrandam Christi invocationem validissima ita detorquent, ut contendant, *duo substantiva*, *κύριε Ἰησοῦ* non *appositione* coniungi, sed ea syntaxi quam *regiminis* nominant, ac si sensus foret, *tu Pater qui es Dominus tui Jesu*, *accipe spiritum meum*, atque adeo non Christus, sed Christi Pater ac Dominus invocaretur? Scio reponi posse, a) non legi *κύριε τοῦ Ἰησοῦ,* sed *κύριε Ἰησοῦ:* b) numquam alibi occurrere formulam *κύριε Ἰησοῦ* in regimine, occurrere vero in appositione, ut Apoc. XXII. 20: *Ναὶ ἔρχου κύριε Ἰησοῦ:* c) ad eum dirigi Stephani invocationem, quem ipsemet vidit stantem a dextris Dei, hunc autem, Act. VII. 55—56, fuisse Christum: postremo d) interpretem syrum reddidisse, מָרַן יֵשׁוּעַ, *Domine noster Jesu.* Nihilominus ea est textus evidentia, et tam perspicua expositionis antitrinitariae corruptela, ut si cui satis ista non sunt, vix aliud quidpiam satis esse posse videatur.

[54]) Sicut *vocabulis significatio*, ita compositae e vocabulis *orationi* respondet *sensus*, qui *obscurus* esse nequit, si vocabulorum significatio *perspicua* sit. Quod *ἀμέσως* de *sensu simpliciter dicto*, *quemque continuo verba referunt*, *ἐμμέσως* autem de *sensu vero*, *quemque auctor intendit*, accipiendum est. Animadversum namque velim, 1) fieri posse, ut sensus qui *obvius* est, idem non sit *verus:* toties autem 2) sensum *obvium* censeri etiam *verum*, quoties oppositum neque certis neque probabilibus rationum momentis suadetur.

[55]) Quum vocabula sint proxime *idearum* signa, ac mediate *rerum*, nemo non perspicit, quantopere rerum indoles ac ratio perspicuitatem vocabulorum ac sermonis aut iuvet aut impediat. Certe ex indole potissimum rerum factum arbitror, quod Petrus in altera epistola, cap. III. 16, de Pauli litteris scripserit, aliqua in iis contineri quae sunt *δυςνόητα.* Atque hinc repetendum existimo quod viri docti annotarunt, *grammaticam* bibliorum interpretationem, quae *historica* simul non sit ac *theologica*, neque gravissimis vacare periculis, neque ad debitam sibi perfectionem accedere.

15. Jamvero ut initium *a vocabulis* petam, non ero morosior, et anglicanis, lutheranis, calvinianisque [56] concedam, *textus* quos pro sua quique caussa allegant, iis constare vocabulis, quae aut ἀμέσως sint perspicua, aut ἐμμέσως

[56]) Non omittam tamen animadvertere, vix unum esse vocabulum, cuius potestatem contrariae sententiae vindices in quaestionem non adduxerint. Urgent, ac merito lutherani, verba institutionis, Matth. XXVI. 26: *Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου.* Sed quod horum intentatum reliquere calviniani? non pronomen, non copulam, non praedicatum. Immo non defuere, qui hac praestructa regula, *nomen illud, cui articulus praeponitur, vice subiecti fungi*, ita inverterint propositionem Christi, *τὸ σῶμά μού ἐστι τοῦτο*, illamque ita reddiderint: *corpus meum est hoc*, nimirum panis, quoniam nutrit animos reficitque, sicut panis corpora nutrit et reficit.

Urgent anglicani eos Scripturarum textus, in quibus diserta est mentio *episcoporum*, eorumque ὑπεροχὴ declaratur. Sed obnituntur calviniani, et partim locorum *parallelismo*, partim suffragio veterum, Chrysostomi, Theodoriti, Hieronymi, Ambrosiastri, Isidori, Bedae, atque ex ecclesia syriaca, Johannis darensis et Maronis, conficere se posse existimant, non sacerdotes primi ordinis a presbyteris distinctos, sed ipsos presbyteros qui solum a diaconis secernerentur, episcoporum appellatione in Scripturis demonstrari.

Urgent demum calviniani tum alia, quum ea potissimum Scripturae effata, quibus Christus dicitur *Deus;* ac ut eorum amplificent numerum, initio statuunt hunc canonem: *Quum duo, plurave nomina personalia eiusdem generis, numeri et casus nectuntur copulativa καὶ, si illorum primum articulum habeat ὁριστικόν, quo reliqua careant, omnia ad idem nomen referuntur.* Tum pergunt, nihil esse manifestius quam *Dei* titulo honestari Christum his quos subiicimus locis: Ephes. V. 5: *Ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Χριστοῦ καὶ θεοῦ:* II. Thess. I. 12: *Κατὰ χάριν τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ:* I. Tim. V. 21: *Ἐνώπιον τοῦ θεοῦ καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ:* Tit. II. 13: *Ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ:* II. Petr. I. 1: *Ἐν δικαιοσύνῃ τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ:* et Judae v. 4: *Καὶ τὸν μόνον δεσπότην θεὸν καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι.*

Sed quas propterea tragoedias non excitant unitarii? repetunt quae iam saeculo IV. opposuerat Asterius, nullum adduci Scripturae oraculum, quo manifeste ostendatur, Christum ὄντως καὶ κυρίως *Deum* nominari, proindeque *θεὸν* quidem dici, sed omisso articulo. Repetunt huic propriae acceptioni συνάφειαν Scripturarum refragari. Ipsum postremo canonem negant, textusque corradunt, quibus illum fallacem esse confirment. Qua in re ὁμοψήφους habent viros ab unitaria perfidia alienissimos, quos inter Augustinus Dathius, Philolog. Sacr. lib. I. tract. II. can. I. scribit: „Addendum tamen, non esse *καθόλου* hanc observationem, quod si duo coniungantur, quorum prius cum articulo, posterius sine articulo ponitur, de eodem subiecto illa loquantur. Contrarium enim ex Matth. XXI. 12, Marc. XI. 15, Luc. XIX. 45. apparet, ubi *οἱ πωλοῦντες καὶ ἀγοράζοντες* coniunguntur, quorum illud articulum habet, hoc vero non: et tamen alii *vendentes*, alii *ementes* intelliguntur. Ex quo patet, dubia et infirma saepe esse, quae ex articulorum emphasi desumuntur argumenta pro articulis fidei comprobandis.“

certa ratione clarescant. Sed ab iis vicissim postulabo, ut etiam atque etiam considerent, an eiusmodi perspicuitas detrahi vocabulis possit, quibus adducti pro primatu Petri textus coalescunt. Sunt illa *trita, vulgaria, passim in bibliis repetita, ita vero nexa copulataque, ut illorum certa potestas vel illico pateat, vel opere levissimo definiatur.* At nonne, aiunt, pleraque sunt *metaphorica*, ut *petra*, *aedificare*, *claves*, *ligare*, *solvere*, *agni*, *oves*, *pascere*? utique nonnulla sunt *tropica*, verum non ita I. ut *propria* desint, quemadmodum illa sunt quibus Petrus πρῶτος, μείζων, ἡγούμενος nuncupatur: item illa, quibus munus *confirmandi fratres* eidem creditur: ac ea postremo quae ex apostolorum Actis, Pauli litteris, scribendique forma evangelistarum collegimus. Non ita II. ut e sermonis συναφείᾳ non constet, quae fixa rataque significatio tropicis iis loquutionibus subnecti debeat. Non ita III. ut usu exercitioque non demonstretur, quam eae formulae potestatem referant. Non ita IV. ut detracta imagine, verbis propriis [57] efferri nequeat quod metaphoricis adumbratur. Non ita V. ac si propterea *sensus litteralis immediatusque* desideraretur; nihil enim [58] notius, quam tropicum quoque sensum litteralem esse ac immediatum. Denique VI. videri ne ἰσοδύναμα possunt *metaphorica loquutio eaque obscura*? nullatenus, tum quia alienissimum id est ab ipsa metaphoricae loquutionis natura [59] ingenioque, tum quia actum omnino esset de perspicuitate humani sermonis, si eiusmodi canon semel sanciretur. Nulla enim est lingua sive antiquior sive recentior, sive rudis sive expolita, sive semitica sive chamitica sive iaphetica, cuius non multo sit copiosior *metaphorica* quam *propria* supellex.

16. Distant igitur admodum *tropica*, *obscuraque* loquutio, nihilque impedit quominus *metaphorica* loquutio sensum fundat splendidissimum. Toties enim sensus splendescet, quoties et *fundamentum* quod nominant *translationis* innotuerit, et orationis series *respectum similitudinis* ostenderit, et loquendi usus *vim potestatemque tropi* patefecerit. Haec autem omnia, quae metaphoris *perspicuitatem evidentiamque* conciliant, in promptu sunt, quum de iis agitur interpretandis metaphoris, quibus singularia Petri ornamenta continentur. Sicut enim liquido constat, unde voces *fundamenti*, *aedificii*, *clavium*, *ligandi*, *solvendi*, *ovium*, *agnorum*, *pastoris*, translatae sint; ita orationis contextus respectum similitudinis circumscribit, usus vero loquendi non patitur, ut vis eiusmodi metaphorarum ignoretur. Quare textus de primatu Petri *ea pollent verbali perspi-*

[57]) Quod suis opportune locis fecimus, ac denuo enucleatius etiam faciemus.

[58]) Sensus, inquit Jahn in Enchirid. cap. I. §. 6, est nexus seu relatio mutua notionum, quas author verbis designavit; vel quod aliis placet, et idem est, conceptus animi, quem auctor verbis expressit, et in lectoribus excitare voluit. Hic sensus, sive ex propria, sive *ex impropria et tropica vocum significatione* aut allegorica oratione oriatur, est *immediatus*, *grammaticus*, *historicus*, *literalis*, et dicitur etiam sensus literae.

[59]) Quae propterea non tenebrae, sed orationis *lumina* nuncupantur.

cuitate [60], quae merito cum ea componitur, qua textus nitent quibus anglicani, lutherani, et calviniani suam quique caussam defendunt.

17. Sequitur *evidentia realis*, quam assertis a protestantibus caussis *longe* inesse *minorem*, *tenuioremque* contendo, quam illi insit, cui catholici patrocinantur. Sane utrique caussae *de praesentia reali*, *deque Christi divinitate* obiectum subest *ὑπερνόητον*, insitamque rationis vim adeo excedens, ut informari quidem animo *ἀναλόγως* possit, *distinctis* vero *propriisque notitiis* [61] non possit. In caussa autem *de primatu* nihil occurrit, quod non sit *admensum rationi* [62], quodque *propriis distinctisque notionibus* non praecipiatur. Multo igitur potior est *realis evidentia*, quae *huic caussae*, quam quae *illis* respondet atque competit. Sed *plane eadem* adscribi caussae debet, qua episcoporum *ἐξουσίαν*, eorumque a presbyteris discrimen anglicani tuentur? esto quod sumunt, verissimum tamen manet, caussam de primatu *evidentia reali* fulgere ea omnino *illustriore*, quae caussam de praesentia reali, deque Christo *θεανθρώπῳ* comitatur. Praeterea anglicanorum placitum spectari *dupliciter* potest, vel *seiunctum* a catholico dogmate de primatu Petri, vel cum eo *copulatum atque cohaerens*. Si posteriori modo consideretur, non is ego sum qui diffiteri velim, sic illud cum ratione consentire, ut ab ipsa ratione fidei lumine [63] collustrata postulari videatur. Sed hoc ne pacto anglicani illud considerant, vindicandumque suscipiunt? immo et a dogmate de primatu illud plane divellunt, et quo studio episcoporum *ὑπεροχὴν* defendunt, eodem Petri *προστασίαν* insectantur. Quae quum ita sint, impetrare a me nullatenus possum quominus concludam, *placitum de discrimine praestantiaque episcoporum tam parum rationi consentire, ut ab ea perspicue luculenterque dissideat.*

18. Percontor enim ab anglicanis, unde ipsi consensionem cum ratione maxime educant. Audio Hammondum [64], Pearsonium, Beveregium, Binghamum,

[60]) Ac omnes sane difficultates, quibus excogitandis suam industriam ostenderunt protestantes, *illatae* sunt, non ex ipsis *eductae* verbis, quorum contra perspicuitate osores primatus diceres commoveri.

[61]) Haec enim propria ratio est mysteriorum, e qua consequitur neque singulis vocabulis *distinctas notiones*, neque integrae propositioni *distinctum sensum* respondere.

[62]) Quum e veritatibus revelatis aliae *rationales* sint, *prater-rationales* aliae, ac aliae *super-rationales*, character proprius earum, quae praeter-rationales dicuntur, hic est, ut *si* revelatae semel fuerint, vim facultatemque rationis non superent. Ad hunc porro veritatum ordinem pertinet institutio primatus.

[63]) Quo nimirum ratio noverit, consilium fuisse Christi, ut singulae ecclesiae formam faciemque unitae cohaerentisque familiae referrent.

[64]) Cuius insignes extant dissertationes, *quibus episcopatus iura adstruuntur*. A quibus seiungi non debent quae in Vindiciis Ignatii Pearsonius, in Codice Ecclesiae primitivae illustrato Beveregius, et in primo Origg. Ecclesiast. tomo Bingham praeclarissime disputarunt. Quae tamen doctrinae, eruditionisque praestantia impetrare a presbyterianis non potuit, quominus

aliosque maiorum gentium anglicanos theologos respondere, inde manifestissime educi, quod constet Christum *de unitate singularum ecclesiarum vehementer fuisse sollicitum*, eam vero talem esse, quae, negata distinctione praestantiaque episcoporum, nullatenus obtineri posse videatur. Prudenter, sed minorem ne *de unitate totius ecclesiae*, quam *ecclesiarum singularum* curam sollicitudinemque Christus ostendit? persuadere mihi non possum fore aliquos, qui id serio affirment atque contendant. Ecquae enim unitas nisi *ecclesiae totius* illa est, quam Christus commendat [65] et praecipit, quamque apostoli tantopere inculcant? et dum in symbolo *unam* profitemur ecclesiam, *particularem* ne ecclesiam, an *ubique diffusam* significamus? illam ipsam significamus, quam eadem professione testamur esse *catholicam*, atque *unitatem* ideo *ecclesiae catholicae* profitemur. Fuit igitur consilium, fuit certa Christi voluntas, ut *unitatis dote ac tessera tam singuli coetus quam universum ecclesiae corpus praefulgerent.*

19. Porro si ad efficiendam tuendamque *in singulis christianis coetibus* unitatem necessarium fuit, ut illis singuli praeficerentur antistites a presbyteris distincti, ac presbyteris auctoritate potiores: si ratio flagitat, ut Christus qui singulares christianos coetus voluit unitate cohaerentes, idem auctor institutorque discriminis praestantiaeque episcoporum habeatur; arbitrabimur ne vel ad efficiendam custodiendamque *unitatem catholicae ecclesiae* non fuisse necessarium, ut illius regimen *universali praeposito*, cui omnes subessent, committeretur: vel rationem *non ex aequo* postulare, ut Christus qui *unitatem* praecepit *catholicae ecclesiae*, auctor institutorque *pastoris universalis* existimetur? Sicuti enim *necessitas* non utrinque modo *par* est, sed eo *comparate ad unitatem catholicae ecclesiae* validior, quo difficilius est *innumeros* quam *paucos*, *ubique diffusos* quam *brevibus adstrictos finibus*, et *dissitos ingenio*, *moribus*, *legibus* quam *sibi similes* in unitate continere; ita *ratio* quae *pro singularibus ecclesiis singulares poscit antistites, multo exigit validius institutionem praepositi universalis*, ne finis absque mediis intentus, et ne divinum Christi opus *a praescripto sapientiae* devium, alienumque videatur. Quid ergo moliuntur anglicani, dum utrumque dogma *discerpunt*, ac pro institutione episcoporum ita certant, ut *primatus institutionem* pugnaciter negent? auctoritatem detrahunt veritati quam defendunt, iisque *seiunctis* quae nequeunt *nisi copulata* consistere, arma praebent presbyterianis, quibus placitum a quo ipsi *episcopalium* nomen habent, impetant primum, tum vero etiam labefactent. Quare *realis evidentia* multo iis textibus splendidior inest, qui *ad stabiliendum Petri primatum* afferuntur, quam

agmine facto, Salmasius, Blondellus, Rivetus, Dallaeus et illis obsisterent, et episcoporum ὑπεροχὴν divinitus institutam oppugnarent, ac eo quidem concertationis exitu, ut illis eruditione forte non impares, sed sanitate iudicii, ac bonitate inprimis caussae longissime inferiores viderentur.

[65]) Lib. I. nn. 394. seqq. Mihi sane anglicanorum opinio, qua de *ecclesia universali* negant, quod de *particularibus ecclesiis* affirmant, imaginem quidem seiunctae avulsaeque insulae refert, at imaginem regni Christi non refert.

illis conveniat, quibus *ὑπεροχή episcoporum*, *realis praesentia*, *divinaque Christi persona* comprobantur.

20. Vis autem demonstrationis quae *ex instrumentis* desumitur, *evidentiae respondet quum verbali, tum reali, qua textus pollent*, adeo ut maior sit minorve, quo intensior haec est vel dilutior. Aliis verbis, demonstrationis vis ac potestas ad eam evidentiae rationem exigitur, quam *directam* mathematici appellant. Atqui utraque evidentia *eodem aut pleniori etiam gradu* iis textibus inest, qui ad Petri primatum spectant, eiusque divinam institutionem patefaciunt. Reliquum est igitur, ut vis demonstrationis pro Petri primatu *eadem*, vel etiam *illa potior* iudicetur, quae argumentis competit, quibus episcoporum ἐξουσία, realis praesentia, divinaque Christi hypostasis comprobantur. Atqui insita hisce argumentis virtus talis est, ut articuli iisdem comprobati, sine gravissimo haereseos scelere, anglicanis, lutheranis, calvinianisque suffragantibus, vocari in dubitationem nequeant. Eodem ergo iure, ne dicam potiore, affirmandum est, sine flagitio atque haeresi negari non posse primatum Petri, qui eadem aut maiori etiam evidentia *revelatus* ostenditur.

Quam quidem consequutionem vellem ut sedulo anglicani expenderent, ac animo secum lutherani calvinianique diligenter reputarent: tum candide edicerent, videantur ne sibi consentanea et loqui et profiteri. Certissimam namque spem alo, futurum ut sibi ipsis utiliter displiceant, seque ipsos notent atque reprehendant, utpote qui in deligendis quos teneant articulis, *non revelationis perspicuitatem*, *sed partium studia*, *factionumque praciudicia* sectentur. Profecto neque satis umquam catholico facient sciscitanti, cur primatum eadem vel maiore evidentia propositum negent, qui episcoporum ὑπεροχὴν simili vel minori evidentia suffultam tuentur: cur primatum oppugnent qui realem praesentiam, Christique divinitatem argumentis haud evidentioribus innixam defendunt; neque reperient quo sibimetipsis faciant satis, si quando in hanc cogitationem inciderint, quanam de caussa eidem revelationis evidentiae nunc quidem morem gerant, nunc vero obnitantur atque resistant. Itaque ne secumipsis pugnent, candoremque lucis repellere videantur, opus est, ut qua singuli fide episcoporum divinam ordinationem, realem praesentiam et Christi ὁμοουσιότητα credunt, eadem Petri primatum confiteantur.

21. Praesertim quum et *tertium* accedat κριτήριον, quo evidentia revelati primatus non minimum augetur. Etenim commune est catholicis [66] et protestantibus [67] *doctrinae analogiam* praestantissimis hermeneuticae adminiculis accensere, illique vim dignitatemque loci *realiter paralleli* [68] tribuere. Ne

[66]) Testantur eorumdem opera, in quibus ducta ex analogia fidei doctrinaeque argumenta passim occurrunt.

[67]) Horum sententiam exponit Franciscus Buddeus in praefat. ad Philologiam Glassii, *in qua de genuino interpretandi Scripturam principio disseritur*.

[68]) Cuius placiti inde caussa desumenda est, quod nequeant Scripturae partes, iisque comprehensa doctrinae capita non ἁρμονικῶς conspirare.

autem huius praesidii usus suo effectu fraudetur, utrique monent, *duo ex aequo extrema vitia* fugienda esse, quorum alterum, scribit [69] Jahn, huc redit, *ne locis Scripturae sensus subiiciatur analogiae oppositus;* alterum vero tale est, *ne contra Scripturarum verbis, ut ea analogiae conformentur, vis inferatur, quod esset sacris libris inferre sensum, qui ex ipsis efferendus fuisset.* Haec si sedulo diligenterque vitaveris, nihil analogia doctrinae opportunius, nihil ad iuvandam illuminandamque interpretationem accommodatius.

Verum suppetit ne talis doctrinae summa in omnibus novi testamenti libris eminens ac diffusa, ad cuius analogiam, tamquam ad lydium lapidem, eorum textuum enarratio exprimatur, qui ad Petri dotes praerogativasque referuntur? suppetit profecto, eaque insignis, et *tribus omnino capitibus* comprehensa. E quibus primum iis componitur textibus [70], qui *ad divinam* pertinent *episcoporum institutionem;* reliqua vero duo iis absolvuntur, qui *ecclesiam unam* [71], *catholicamque* [72] demonstrant. Ecquid enim cum hisce doctrinae articulis coniunctius, quam *supremum* constitutum esse *praepositum*, qui eas *in universam ecclesiam* partes obeat, quibus in suos quique coetus, assignatamque sibi gregis portionem minores antistites defunguntur? quid rursum ab iisdem remotius, quam *partibus* quidem *institutione episcoporum* esse consultum, *universo* autem *corpori*, quod *unum* esse debet atque *catholicum*, *institutione supremi pastoris* non esse provisum? Expositio igitur textuum, qui de Petro in bibliis leguntur, eo pertinens, ut is universae ecclesiae praepositus, et visibilis auctor eiusdem catholicae unitatis creatus iudicetur, *cum analogia doctrinae tam belle cohaeret*, *ut censeri indubitata debeat, nisi ii forte sint textus qui illam repudient.* Atqui tantum abest, ut spectati *absolute* textus illam repudient, ut *ex sese* contra ἀμέσως referant, neque ab ea reddenda detorqueri possint, quin omnes interpretandi leges violentur. Ea igitur textuum ad Petrum spectantium acceptio, qua eiusdem primatus stabilitur, analogia doctrinae, concentuque eorum quae de instituta a Christo ecclesia Scripturae referunt, mirifice confirmatur.

22. Cui confirmationi nihil plane deerit ad fidem plenissime faciendam necessarium, si *quartum* etiam illudque *externum* κριτήριον adhibeatur. Quodnam vero? quod *e testium consensione* desumitur. Non ego in praesentia vim divinam, auctoritatemque falli nesciam christianae traditionis urgebo, neque me hoc clypeo muniam, vel inde caussae patrocinabor: ea solum ponam quae nemo prudens vel negare ausit, vel adducere in dubium possit. Ponam I. suffragium antiquissimorum testium in eo quod versamus quaestionis genere *negligi impune non posse*: tum II. ponam, ex eiusmodi suffragio *vehementissimum pro ea interpretatione praeiudicium* haberi, quacum illud conspirat.

[69]) Enchirid. cap. III. §. 32.

[70]) Act. XIV. 22, XX. 28, I. Tim. V. 19—22, II. Tim. IV. 2—5, Tit. I. 5, I. Petr. V. 2—3.

[71]) Matth. XVI. 18, XVIII. 18, Joh. X. 16, Ephes. V. 25, I. Cor. XII. seqq., Joh. XVII. 20. seqq.

[72]) Luc. XXIV. 47, Act. I. 8, IX. 15, Coloss. I. 8, I. Cor. I. 23, IX. 20, Rom. X. 18.

Sane qua de re agitur? agitur primum de serie *textuum dogmaticorum* interpretanda: agitur deinde *de eo doctrinae capite*, quod quum maximi esset momenti, ignorari a nemine poterat. At vero talia ne ista sunt, de quibus antiqui testes, christiani patres, scriptoresque ecclesiastici *tuto inauditi* praetereantur? si sermo de rebus foret *geographicis*, *chronologicis*, *archaeologicis*, etsi invitus, utcumque tamen permitterem; sed quum de textibus sermo sit *dogmaticis*, iisque ad gravissimum doctrinae caput pertinentibus, neque ego permiserim, neque quisquam sibi permittendum merito postularit. Quem enim latet quo studio tum servandis, quum rite enarrandis dogmaticis Scripturarum textibus antiqui patres vacaverint? qua cura sategerint, ne novae fallacesque interpretationes, et ex iis profectae novae fallacesque doctrinae inveherentur? quem latet una cum Scripturis germanam earumdem potestatem ad eos ex apostolicae praedicationis fonte [73] defluxisse?

Praeterea videri ne tutum potest viam inire ab ea diversissimam, quam apostoli signarint, quamque christianum nomen constanter tenuerit? atqui et Paulus [74] docuit audiendos esse testes, et christianum nomen sive in synodos coactum, sive ubique terrarum diffusum nihil habuit antiquius quam ut e testibus penderet. Disertissima sunt quae de patribus [75] nicaenis, quaeque de ephesinis [76] narrantur; neque minus diserta quae litteris consignarunt Leontius [77] byzantinus, Johannes [78] Cassianus, Theodoritus [79], Augustinus [80], Hieronymus [81], Epiphanius [82], Basilius [83], Origenes [84], Tertullianus [85], Clemens [86] alexandrinus, ac his omnibus vetustior Irenaeus, [87] inquiens: „Agnitio vera est apostolorum doctrina, et antiquus ecclesiae status in universo mundo, et character corporis Christi, secundum successiones [88] episcoporum, quibus illi eam quae in unoquoque loco est

[73]) Quod Origenem permovit, ut in praefat. ad opus περὶ ἀρχῶν, n. 2. scriberet: „Itaque cum multi sint, qui se putant sentire quae Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, servetur vero ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab apostolis tradita, et usque ad praesens in ecclesia permanens; illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione.“

[74]) II. Tim. II. 2.

[75]) Apud Athanasium de Decretis Nic. Synodi, et Auctorem Hist. Tripart. lib. II. capp. II — III.

[76]) Apud Vincentium lerinens., Comm. cap. XLII — XLIII.

[77]) Con. Nestorium, lib. I.

[78]) De Incarnat. lib. I.

[79]) In tribus dialogis frequenter.

[80]) Con. Cresconium, lib. I. capp. XXXII — XXXIII.

[81]) Epist. CXXVI. ad Evagrium, et luculentissime in dialogo adv. Luciferianos.

[82]) Haeress. LXI — LXXV — LXXVIII.

[83]) In primo con. Eunomium, et de Spiritu-sancto, cap. XXIX. Recoli autem debent quae de eo, deque Gregorio nazianzeno Scripturas interpretantibus Rufinus narrat H. E. lib. II. cap. IX.

[84]) In Matth. Tract. XXIX.

[85]) Ad omnem paginam in libro de Praescriptionibus.

[86]) In VII. Stromatum.

[87]) Adv. Haeres. lib. IV. cap. LXIII.

[88]) Inter quas successiones eam esse

ecclesiam tradiderunt, quae pervenit usque ad nos, custodita sine fictione, *Scripturarum tractatione plenissima*, neque additamentum neque ablationem recipiens; *et lectio sine falsatione* [89], *et secundum Scripturas expositio legitima et diligens, et sine periculo, et sine blasphemia*, et praecipuum dilectionis [90] munus, quod est pretiosius quam agnitio, gloriosius autem quam prophetia, omnibus autem charismatibus eminentius." Ut enim idem [91] addit: „Ubi charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab apostolis ecclesiae successio, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis, et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et eam, quae est in unum Deum qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt: et eam quae est in Filium, Dei dilectionem adaugent, qui tantas dispositiones propter nos fecit: *et Scripturas sine periculo nobis exponunt.*"

Quis tandem e protestantibus non meritis cumulat laudibus Hebraicas Lightfooti Horas, Schoettgenii in texendis Hebraicis Thalmudicisque Horis diligentiam, et Meuschenii curas in adornanda interpretatione N. T. ex Thalmude, hebraeorumque antiquitatibus? quis in enarrandis hebraicis Scripturis non sibi indictum putat sin minus iurare in eorum verba, plurimi certe facere Aben Ezrae, Mosis ben Maimon, Davidis Kimchii, Jarchi, Levi ben Gerson, Mosis ben Nachman, R. Bechai, Isaaci Abarbanel, et Aben ben Melech commentarios, annotationes, scholia? ne unus quidem, quum quisque cernat, boni esse sagacisque interpretis eos fontes adire, aquasque ex iis in rem suam dextere sollerterque corrivare. At negabimus ne patribus, priscisque ecclesiae doctoribus, quod rabbinis deferimus, et thalmudistarum commentationibus largimur? id esset non illiberale solum, sed omnino iniquissimum. Consulantur ergo patres oportet, eorumque testimonium audiatur.

23. Neque audiatur solum, verum si *concors* sit, *universale*, *constans* [92], eo habeatur in pretio, quo illi consona bibliorum expositio impensissime commendetur. Qua de re unam eamdemque esse mentem novi tum catholicorum [93] omnino omnium, quum illorum e protestantibus [94], qui prudentiae eruditionisque

principem quae a Petro orditur, declarat lib. III. cap. III.

[89]) Cuius criminis reos fuisse haereticos, et Patres testantur unanimes, et singulari opere inscripto, *De veteribus haereticis ecclesiasticorum codicum corruptoribus*, Bartholomaeus Germonius demonstravit.

[90]) I. Cor. XIII. 13.

[91]) Lib. IV. cap. XLV.

[92]) Unde illud Vincentii lerinensis in Comm. cap. III: „Magnopere curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est; hoc est enim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quae omnia fere universaliter comprehendit; sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem."

[93]) Concil. trident. Sess. IV. Decret. de edit. et usu sacrorum librorum.

[94]) Lege horum nomine disserentem Gulielmum Beveregium in prooemio ad Cod. canonum Ecclesiae primitivae, itemque Ernestum Grabium in praefat. ad lectorem praemissa tomo primo Spicilegii

fama prae ceteris inclaruere. Et incredibile sane videri debet, inanem esse fallacemque interpretationem bibliorum, quam patres, ecclesiasticique scriptores *quavis aetate, ubique terrarum, summo consensu, ac nemine refragante* adoptarint. Neque minus incredibile videri debet reperiri quempiam posse, qui sibi eousque blandiatur, assenteturque, ut testimonio et consensione christianae antiquitatis non vehementer commoveatur.

Inquirendum igitur superest, an de Petro, deque Scripturarum textibus qui ad eum referuntur, suam prompserint sententiam Patres, illamque *unanimes* declararint. Sed ea praemisimus, eaque identidem interseruimus quae funditus controversiam dirimunt, luculenterque demonstrant, iis omnibus placuisse, quod magnus Gregorius [95] his plane verbis complexus est: „Cunctis evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et *omnium apostolorum principi Petro apostolo totius ecclesiae cura commissa est.* Ipsi quippe dicitur, *Petre amas me? pasce oves meas.* Ipsi dicitur, *ecce satanas expetiit cribrare vos sicut triticum; et ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ipsi dicitur, *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam* ..... Ecce claves regni coelestis accepit, potestas ei ligandi atque solvendi tribuitur, cura ei totius ecclesiae, et principatus committitur."

ss. Patrum ut et Haereticorum seculi post Christum natum, I. II. et III.

[95]) Lib. V. epist. XX. al. lib. IV. epist. XXXII. Qui hom. VI. in Ezechiel. n. 9. de Petro comparate ad Paulum scribit: „Se minori fratri ad consensum dedit, atque in eadem re factus est sectator minoris sui, ut etiam in hoc praeiret, quatenus qui primus erat in apostolatus culmine, esset primus et in humilitate. Non ad memoriam revocat, quod primus in apostolatum vocatus sit, non quod claves regni caelestis acceperit." Neque aliter in decimo libro de *Trium Capitulorum* defensione Facundus hermianensis, inquiens: „Aliquando Petrus apostolorum primus, sicut iam diximus, reprehensus a Paulo minimo apostolorum, non indigne tulit, nec pro sui primatus gloria resistentem sibi despexit."

Quid autem sibi velit formula, *apostolorum primus*, et contextus ostendunt, et luculentius declarat Gregorius lib. XIII. epist. XXXVII. ad Johannem panormitanum scribens: „Illud admonemus, ut apostolicae sedis reverentia nullius praesumptione turbetur; tunc enim *status membrorum* integer manet, si *caput fidei* nulla pulsat iniuria."

CAPUT II.

Evidentiae ratio duplex, internae externaeque: — cuiusmodi illa sit, qua instituta probatio fulget: — ea proprie est externa: — quae tamen et interna dici quadamtenus potest: — declaratur: — triplex obscuritas: — quae obsit necessariae evidentiae, quaeque apte cum illa componatur: — immo fidem auctoritatemque probationibus conciliet, quibus capita christianae doctrinae vindicantur: — an omnia ex instrumentis pro primatu adducta eiusdem sint generis, efficiendaeque probationi similiter conferant: — negatur, ostenditurque subordinata ea esse, non coordinata: — quae emineant: — triplex κριτήριον, quo iudicium dirigatur: — transitus ad insequentem tractationem.

24. Nihil nobis est *certum*, quod idem nobis non sit *evidens;* ac *evidentia* vel ipsa est *certitudo*, vel certitudinem *individua societate* comitatur. Porro certitudo, quae est *sibi similis* ac *uniusmodi*, si ad animum mentemque referatur, cuius est *modus quidam* ac *habitus*, vel ut nonnullis loqui placet, si *psychologice* spectetur; eadem *dissimilis* sibi est, ac *duplici comprehensa ordine*, si eorum habeatur ratio quibus gignitur sustentaturque, vel ut dicere etiam mos est, si *ontologice* consideretur. Indicia sane argumentaque, e quibus *veluti e totidem efficientibus caussis* prodit, alia comparata sic sunt, ut rem nobis certam, *nonnisi esse* demonstrent, alia vero ut eam *esse debere praeterea* persuadeant. Profecto iudicia argumentaque quibus certus sum, novemdecim abhinc saeculis extitisse Jesum nazarenum, illumque miraculis et incredibili quadam ac omnino divina sanctitate sapientiaque claruisse; nullam quidem potestatem mihi reliquam faciunt dubitandi, an revera tantus vir, idemque Deus in Judaea apparuerit, sed non propterea mihi quoque *necessitatem* pandunt, qua apparere illum *debuisse* cognoscam. At contra iudicia argumentaque quibus certus sum, hanc rerum conspicuam universitatem, quam *mundum* nominamus, temporariam esse et creatione productam, non tantum rem ita se habuisse, verum etiam *necessitatem*, ob quam ita se habere *debuerit*, liquido patefaciunt. Atque hinc ea existit *certitudinis partitio*, qua in *internam externamque* diribetur, adeo ut *externa* dicatur et sit quae argumentis respondet, quibus *rei existentia, factumque ipsum* ostenditur: *interna* vero quae argumentis gignitur, quibus *tam rei existentia factumque ipsum, quam eiusdem necessitas e rei natura profecta* demonstratur.

25. Jamvero pro duplici certitudine *duplex* quoque secernitur *evidentia*, *interna*, *externaque*, ac huius discriminis *eadem* est *caussa*, cui gemina partitio certitudinis debetur.

Ad hanc autem evidentiae distributionem tum etiam philosophi, theologique respiciunt, quum auctores nobis sunt, ne *evidentiam credibilitatis* cum *evidentia veritatis* confundamus. Illam enim *externam* esse, hanc *internam*: illam argumentis gigni quae factum probant, eiusque necessitatem non probant; hanc argumentis deberi quae rem, eiusque necessitatem ostendunt: illam ex iis pendere quae *rem circumstant*, hanc ex iis oriri quae rei *intestina* sunt, illiusque οὐσίαν naturamque constituunt: illam *contingentibus* legibus inniti, hanc necessariis: illi denique rem subesse *in se obscuram* et nonnisi ἔξωθεν luculentam, huic vero rem obversari *claris distinctisque notionibus comprehensam.*

26. Quibus leviter adumbratis, neque enim praesentis erat loci vel ea persequi uberius, vel enucleatius expolire, ut ad rem nostram continuo accedamus, interrogationi respondebimus, quae sua se sponte offert: *cuiusmodi evidentia, interna ne an externa, probatio fulgeat primatus, de cuius certitudine antecedenti capite disseruimus.* Est autem, uti ego quidem intelligo, perspicuum, *eam evidentiam per sese ac proprie externam esse, atque dici externam oportere: evidentiam esse credibilitatis non veritatis.* Sane ex instrumentis, testibusque pendet, quae quum factum instituti primatus, Petroque collati indubium reddant, nullam tamen illius absolutam necessitatem, ac ex ipsis haustam rebus suapte natura praeseferunt. Utcumque enim sive *primatum*, sive primatus cum ***Petro***, qui eiusdem *subiectum* est, *coniunctionem* consideres, omnemque in partem animo verses; reperies omnino nihil, quod horum aliquid *ex sese, simpliciterque* postularit. Neque mirum, quum haec, quaeque hisce cognata sunt, ad *liberam Christi institutoris voluntatem* tandem aliquando revocentur; proindeque *externa* quidem *credibilitatis evidentia e testibus instrumentisque oborta* fulgere possint, *interna* autem ac *ex ipsis profecta rebus* enitere *suapte natura* non possint.

27. Quod tamen non impedit, quominus haec ipsa paullo inspecta secus *interna evidentia* perfundi *quadamtenus* videantur. Quonam vero pacto? ut id lectores intelligant, secum animo reputent, praescriptas a Christo institutiones sic illi fuisse liberas, ut non potuerint non esse *sapientes*, immo ad ipsum sapientiae ἀρχέτυπον accuratissime expressae. Est enim Christus quemadmodum [1] θεοῦ δύναμις, ita et θεοῦ σοφία, ac nullius operis auctor extitit, quod sui auctoris insculptam formam, impressamque imaginem non referret. Si quae igitur ab eo constituta noverimus, quae cum primatu cohaereant, illum exigant, neque ab eo divelli posse videantur, hac ipsa rerum consensione, mutuoque

[1]) I. Cor. I. 24. E quo testimonio Asterius apud Athanasium in tertia adversus arianos oratione ansam arripuit negandi divinam Christi naturam, utpote qui δύναμις θεοῦ, non item ἡ δύναμις θεοῦ nuncupetur. Ita nimirum perditi homines de rebus maximis ludebant, et e fluxa articulorum potestate de summa fidei statuebant. Quid porro si dictum invenissent Christum τὴν δύναμιν θεοῦ, vel quod perinde est, τὴν σοφίαν θεοῦ? an victas dedissent manus? si ita est, dent igitur, quum non modo Matth. XI. 19. ἡ σοφία, verum etiam λευκάδι φωνῇ Luc. XI. 49. ἡ σοφία τοῦ θεοῦ dicatur.

nexu[2] utemur, ut non illius modo institutionem, verum etiam *institutionis necessitatem* comprobemus.

Cui explanandae doctrinae ea insigniter conferunt, quibus Thomas[3] evincit, *Deum velle aliquid aliud a se necessitate suppositionis*, inquiens: „Quicumque vult aliquid, necessario vult ea quae necessario requiruntur ad illud, nisi sit ex parte eius defectus vel propter ignorantiam, vel quia a recta electione eius quod est ad finem, interdum abducitur per aliquam passionem, quae de Deo dici non possunt. Si igitur Deus volendo se, vult aliquid aliud a se, necessarium est eum velle omne illud, quod ad volitum ab eo de necessitate requiritur: sicut necessarium est Deum velle animam rationalem esse, supposito quod velit hominem esse.“ Eodem pertinent quae de ea quaestione[4] disputat, *utrum divinae voluntatis possit ratio assignari*, scribens: „Sicut supra ostensum est, supposito quod Deus aliquid velit, sequitur ex necessitate quod velit ea, quae ad illud requiruntur. Quod autem aliis necessitatem imponit, est ratio quare illud sit. Ratio igitur quare Deus vult ea quae requiruntur ad unumquodque, est ut sit illud ad quod requiritur.“

28. Jam igitur eo summa redit, adsint nec ne quae probent, eorum fuisse auctorem Christum, quae neque sibi constare, neque animo concipi sine primatu possint: quae probent a Christo ea prodiisse, quae non minus primatum exigant, quam sol obortus lucem, effectusque caussam postulent. At vero adesse quae talia sint, iis suadetur abunde, quae de unitate ecclesiae, deque eiusdem catholicitate superius[5] disseruimus. Quae ego non repetam, sed ut caussae lectoribusque commodius prospiciam, dabo operam, ut perspicua uberiori luce niteant, et quae firma ex sese sunt, validius etiam stabiliantur.

Quem in finem animadverto, certis Scripturarum testimoniis innotescere, ratum decretumque fuisse Christo, ut unitas qua insignem ecclesiam voluit, ad quadruplex expressa σχῆμα, *morale*, *civile*, *physicum*, *divinumque* videretur. Et de *morali* sane schemate ea accipi debent bene multa, quibus[6] vel ἀποφατικῶς haereses et schismata vetantur, vel κατα φατικῶς voluntatum[7] concordia, ac

[2]) Patet iste locus amplissime, et dici potest fons praecipuus illius theologiae, quae *scholastica* appellatur, et cuius egregia specimina non in libris solum Anselmi et Damasceni, sed vetustissimorum quoque patrum reperiuntur. Ex hoc sane fonte repeti debent usitatae apud illos consequutiones: hominum genus originali infectum labe in lucem venire, quia pro omnibus mortuus est Christus, ut omnes in libertatem assereret: Christum credi Deum oportere, quia nonnisi *θεάνθρωπος* eam obire potuit *οἰκονομίαν*, quam illi Scripturae tribuunt: necessariam esse gratiam, quia homines ad eum evecti sunt ordinem, qui ambitum, facultatemque naturae longissime supergreditur: et beatam Virginem esse *θεοτόκον*, quia Christus quem genuit, verus est Deus *εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας*.

[3]) Cont. Gent. lib. I. cap. LXXXIII. n. 4.

[4]) Ibid. cap. LXXXVI. n. 3.

[5]) Lib. I. nn. 393. seqq.

[6]) I. Cor. XI. 19, Tit. III. 10, I. Cor. I. 10, et XII. 15, Judae v. 19.

[7]) Act. I. 14, II. 42—46, IV. 23—32;

mentium animorumque conspiratio praecipiuntur. Neque pauciora sunt, minusque diserta, quae unitatem ecclesiae *civili* simillimam [8] ostendunt. Huc enim faciunt solemnes *civitatis* [9] *regnique* imagines, huc *praepositorum* [10] institutio, atque huc inculcatum crebro [11] discrimen eos inter qui *αὐθεντικῶς* docent quique docentur, qui pascunt quique pascuntur, qui iubent quique morem gerunt. Ad *physicum* vero unitatis *σχῆμα* quod attinet, me plane fugit, an iis quidpiam desiderari possit illustrius, quibus Paulus frequenter [12] tradit, non aliter ecclesiam esse unam, ac in tanta membrorum functionumque varietate unicum sit humanum corpus, arctissimeque cohaerens.

Reliquum est postremum *σχῆμα*, illudque perfectius ac omnino *divinum*, et de quo nemo nostrum ne suspicatus quidem esset, nisi Christus *θεάνθρωπος* divinis plane verbis illud [13] praemonstrasset, inquiens: *Non pro eis* (apostolis) *autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt* (pro fidelibus nimirum omnibus) *per verbum eorum in me: ut omnes unum sint* (est enim Christus, inquit in Gnom. Bengelius, Sapientia קֹהֶלֶת congregatrix); *sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis* (*ἐν ἡμῖν*, quibus suprema origo illius unitatis aperitur, qua unum inter se esse fideles debent. Unitas nimirum atque coniunctio cum Patre et Filio principium est unitatis, qua mutuo fideles devinciuntur: unde haec unitas divina est, quemadmodum divinum est principium quo determinatur.) *unum sint: ut credat mundus* (*ἵνα ὁ κόσμος πιστεύσῃ*: unitas igitur fidelium divinum referens *ἀρχέτυπον*, et ex divino profecta fonte coniunctionis cum Deo, tessera esse debuit argumentumque, quo *ὁ κόσμος*, hominum universitas, ad amplectendam Christi fidem excitaretur.), *quia tu me misisti. Et*

Ephes. I. 22—23, II. 13—16, III. 6, IV. 4—12—15—16, V. 23—30; Coloss. I. 19—24, III. 15.

[8]) Haec cum civitate ecclesiae comparatio post Samuelem a Pufendorf in libello *De habitu religionis christianae ad vitam civilem*, protestantibus plerisque omnibus vehementer displicuit, quod illam suis rationibus minus commodam experirentur. Ea tamen et perspicuis bibliorum testimoniis stabilitur, et frequentissime usurpatur a Patribus, Clemente alexandrino in IV. Stromat., Eusebio in Ps. LXXXVI, Dem. Evang. lib. I. cap. VI, et lib. V. cap. IV, Athanasio in Ps. XLVII, Hilario in Matth. cap. IV. n. 24, Basilio epist. LXI. n. 1, et in Ps. XLV. n. 4, Cyrillo hierosolymitano, Catech. XVIII. n. 26, Ambrosio in Ps. CXVIII. n. 35, Chrysostomo in Ps. XLV. nn. 1—2, et Augustino in opere de Civitate Dei. Immo, inquit Mamachius epist. II. ad Justinum Febronium, §. VII. n. 21: „aio, Patrum esse omnino nullum, quin, cum psalmos, prophetias, Isaiae praesertim, evangelia interpretetur, *civitatis* vocabulo in Scripturis haud perraro ecclesiam indicari, animadvertat.“

[9]) Matth. V. 14, XIV. 47—50, Marc. IV. 26—30, Luc. XIII. 18—20, Ephes. V. 5, II. Petr. I. 11, Apoc. XXI. 2.

[10]) Act. XX. 28, II. Cor. III. 10, I. Thess. V. 12.

[11]) Act. XV. 41. coll. XVI. 4, I. Cor. XII. 18, Hebr. XIII. 17.

[12]) I. Cor. XII. 12. seqq. coll. Rom. XII. 4—5, Ephes. IV. 15—16.

[13]) Joh. XVII. 20—24.

ego claritatem[14] *quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut* (καθώς: quod adverbium iam bis repetitum, quum de ὁμοιότητι, non ἰσότητι intelligendum sit, luculenter παράδειγμα sistit, quod in ecclesiae unitate refulgere debet.) *nos unum sumus, ego in eis* (ἐγὼ ἐν αὐτοῖς: habes rursum divinum principium externae conspicuaeque unitatis.), *et tu in me, ut sint consummati in unum* (ἵνα ὦσι τετελειωμένοι εἰς ἕν, ut sint perfecte concordes et unanimes, quasi sibi mutuo *inexisterent*, unusque forent essentia homo, unica praeditus anima, mente, corde), *et ut cognoscat* (praemiserat, ἵνα ὁ κόσμος πιστεύσῃ, subdit quod perfectius est, καὶ ἵνα γινώσκῃ ὁ κόσμος, gradatione illi gemina, qua v. 8. usus erat. Videant porro protestantes, an tales sint illorum coetus, e quorum conspicua unitate hanc fidem, atque istam cognitionem haurire ὁ κόσμος possit.) *mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos* (καὶ ἠγάπησας αὐτούς: ita ut non minus fidelium unitas *signum* sit unitatis Filii cum Patre; quam mutua eorumdem caritas *signum* sit dilectionis, qua Filium Pater complectitur.), *sicut me dilexisti.*

29. Haec porro tam insignis, tamque divina unitas, qua militans ecclesia quoddam veluti[15] μίμημα sit ἀγγελικῆς δόξης, immo adumbratio quaedam et ἔκτυπος illius unitatis, qua augustae trinitatis hypostases *unum* sunt; talis ne censeri potest, ad quam efficiendam conservandamque necessarium haud sit *conspicuum principium*, e quo extet, *origo*, e qua dimanet, *centrumque* ad quod omnia convergant? In eiusmodi opinionem iis solum fas est concedere, qui neque *rerum naturis*, neque *analogia*, neque *ipsa experientia* commoventur. Haec namque omnia[16] ad evidentiam usque demonstrant, non magis sine *efficiente conspicua*

[14]) Quam τὴν δόξαν Christus nominat, Ammonius in Catena, Theophylactus in Commentario, et Gregorius nyssenus hom. XV. in Cant. Canticorum, interpretantur de Spiritu-sancto, quem Christus donarit. At mihi longe est probabilius per δόξαν intelligi υἱοθεσίαν, de qua sermo est Joh. I. 12, I. Joh. III. 2, et Rom. VIII. 17. Cf. Heinsium in Aristarcho sacro, cap. XXVI, et Suicerum ad v. δόξα.

[15]) Desumpta ista sunt e Clemente alexandrino, qui in VI. Stromat. §. XIII. scribit, videri sibi progressiones ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων καὶ διακόνων esse μιμήματα ἀγγελικῆς δόξης.

[16]) Sic omnino visum esse antiquissimis patribus, Ignatio, Irenaeo, Tertulliano, Cypriano, aliisque non affirmat solum, verum etiam eorum allegatis testimoniis confirmat Laurentius Moshemius in Diss. theologico-historica, *De Gallorum appellationibus ad concilium universae ecclesiae, unitatem ecclesiae spectabilem tollentibus.* At quomodo se inde expedit? ea ratione, quam aegre divinaveris. Ait enim, latuisse patres, quo constituta ab ipsis principia spectarent, quamque ex iis pronum esset, supremam unius primatis auctoritatem stabilire. Sed ipsissima eius verba accipiantur ex §. XIII: „Nesciverit Cyprianus et reliqui consectaria, quae cum eorum coniuncta sunt praeceptis de ecclesia. Id vero quin sentiat, nemo unus tam hebes esse potest, inter unitatem quamdam universae ecclesiae in romano pontifice desinentem, talemque qualem ex Irenaeo et Cypriano descripsimus, communitatem, vix tantum esse spatii, quantum inter

caussa obtineri posse descriptam in bibliis ecclesiae unitatem, quam esse possit sine fundamento domus, sine lege concentus, ac in multiplici varietate ordo et pulchritudo sine principio, quo multiplex ac varium in unum redigatur. „Utinam, utinam, verba sunt [17] Melanchthonis in literis ad Camerarium datis anno MDXXX, possem non quidem *dominationem* (hoc spectro terrebantur, aut terreri se protestantes simulabant) confirmare, sed *administrationem* (credo non quovis vacuam iure) restituere episcoporum. Video enim qualem simus habituri ecclesiam, dissoluta πολιτείᾳ ecclesiastica: video postea multo intolerabiliorem futuram tyrannidem, quam antea umquam fuit.“ Sed erat etiam cur praeterea videret quod Grotium non latuit, quique propterea [18] scripsit: „Gradus praepositorum in ecclesia esse debere, et per illos gradus compaginari ecclesiam, docuit nos Paulus, Ephes. IV. 11. Ordo sive in partibus sive in toto continetur principatu quodam, sive praepositi unitate.... Hic ordo semper in ecclesia manere debet, quia semper manet causa, idest, periculum schismatis.“ Et [19] alibi: „Sicut exercitus, sicut navis regi non potest nisi per gradus praefectorum, qui gradus in unum desinant; ita nec ecclesia. Etiamsi omnes qui sunt in ecclesia, essent dilectione summa praediti, tamen tali ordine esset opus. Deus non amat facere semper miracula, sed ad res optimas etiam optimas monstrat vias, qualis est ad unitatem ecclesiae certus ordo.“ A quibus ne lato quidem ungue discedens [20] Leibnitius, scribit: „Quum Deus sit Deus ordinis, et corpus unius ecclesiae catholicae et apostolicae uno regimine hierarchiaque universali continendum, iuris divini sit; consequens est, ut eiusdem sit iuris supremus in eo spiritualis magistratus, terminis se iustis continens (haec verba nunc addo), directoria potestate ad explendum munus, pro salute ecclesiae agendi facultate instructus, tametsi locus ac sedes huius potestatis in metropoli christiani orbis Roma ex humanis considerationibus [21] placuerit.“

atrium et cubiculum, aut inter manum et digitos. Si primorum saeculorum *innocentia* obstitit, quominus cogitando praesentirent insidias, quas sacrae libertati nescii et inviti struebant, posteri certe acutiores fuerunt, neque diu Pontificibus obscurum fuit, quantum illa placita virtutis haberent, ad potentiam et auctoritatem suam stabiliendam.“

Sed quam vocat *innocentiam* Moshemius? innocentia ne, an potius ἀβλεψία, eaque incredibilis existimari debet, qua quis non cernit *propinqua*, *contigua*, *cohaerentia*, ut digitis manus cohaerent? Quod non cernantur *remota*, *seiunctaque*, id et intelligi et concedi potest; sed quod neque ea videantur, quae in oculos incurrunt; id si alteri quam coeco adscripseris, contumeliosus habeberis. Verum quo se Moshemius verteret? neque inficiari poterat doctrinam patrum de unitate ecclesiae cum dogmate de instituto primatu arctissime copulari: neque lutherano theologo integrum erat profiteri, dogma de institutione primatus antiquissimorum patrum suffragio muniri. Quid ergo consilii coepit? ipse *oculatissimus* patres fuisse *coecos* commentus est.

[17]) Epistt. lib. IV. epist. CIV.

[18]) Votum pro Pace, ad art. VII.

[19]) Animad. in animadvers. Riveti, ad art. VII.

[20]) Epist. VIII. edit. Kortholti.

[21]) Dicuntur haec a viro maximo ne-

30. Post quae nemo irascetur pontifici omnino maximo, Pio II, quod in mantuano conventu affirmare [22] non dubitaverit: „Non principes, non reges, non imperatores, non potentes populi, non patrum et conciliorum decreta romanam et apostolicam sedem fixerunt et erexerunt, nec ullis synodicis constitutis omnibus ecclesiis per orbem praelata est; sed omnes ecclesias per orbem sparsas universum *unam ecclesiam* esse, *unum* sibi *thalamum*, et ipsius praesidem fore beatum Petrum voluit Christus, verus homo qui regnat in trinitate verus Deus. Haec sedes est una perfecta matris suae, una electa genitricis suae, haec est apostolica [23] sedes, quam Verbum illud, per quod caelum et terra creata sunt, non hominum mortalitas fluxa instruxit. Haec, quam prophetarum praesagio constituit Deus super gentes et regna, quam apostolorum testimonio, martyrum sanguine, imperialis sedis adeptione munivit. Huius ordinationi quisquis resistit, utique potestati Dei resistit.“ De qua divina ordinatione episcopi tarraconensis provinciae ad Hilarum pontificem scribentes, verissime [24] monuerunt: „Etiamsi nulla esset *necessitas* ecclesiasticae disciplinae, *expetendum* revera nobis fuerat illud privilegium sedis vestrae, quo susceptis regni clavibus post resurrectionem Salvatoris per totum orbem beatissimi Petri singularis praedicatio universorum illuminationi prospexit, cuius vicarii principatus [25] sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus et amandus.“

Et quis sane eum non amet principatum, quis non illud expetat privilegium, quo uno comparari ea unitas potest, qua nihil in ecclesia augustius, nihil sanctius, nihil divinius? quo uno fieri satis tam *rationi* quam *fidei* potest? Rationi quidem, cui hoc insitum est, ut varium diversumque ad perfectiorem, quae obtineri potest, unitatem adductum velit. Fidei vero, cuius σύστημα, si primatum detraxeris, neque secum consentit, neque imaginem exhibet sapientiae. Tecum namque *theoremata* recole quae e fide nosti, de una eaque catholica ecclesia, deque episcoporum institutione eo spectante, ut singulis christianis coetibus provideatur. Quo haec omnia recidunt, si a primatu seiungantur? ἀσύστατα sunt, pugnantia, et si εὕρημα humanum videri possunt, divinum certe non possunt. Immo ausim dicere, qui haec ab invicem discerpta tueri pergant, illis multo peccare gravius, quos Tertullianus [26] insectatur, scribens: „Viderint qui stoicum, et platonicum

gligentius, de quibus tamen non est cur simus in praesentia solliciti.

[22]) Apud d'Achery, Spicileg. T. III. pag. 308. edit. de la Barre.

[23]) Apostolica tum *origine*, quam ab apostolorum principe sortita est, quum *apostolicae auctoritatis plenitudine*, quam illi suus institutor legavit.

[24]) Epist. I. ad Hilarum R. Pontificem.

[25]) Huic *principatui* fidem praeterea faciunt episcopi *Macedoniae* in litteris ad Gelasium, episcopi *Orientis* in epistola ad Symmachum, episcopi *Syriae* in libello recitato Act. V. synodi CP. habitae sub Menna, anno DXXXVI, archimandritae *Syriae secundae* in epistola ad Hormisdam, et *armenii* scriptores apud Eduardum Hurmuz, in Annalibus Scient. Relig., Romae, anno MDCCCXXXVIII.

[26]) De Praescriptt. cap. VII.

et *dialecticum* christianismum protulerunt." Ipsi enim non divino solum splendore, verum etiam dialectica concinnitate christianismum exuunt.

31. Ceterum haec *de evidentia* institutae probationis controversia haberi absoluta non potest, nisi alteri responsum fuerit interrogationi, cuiusmodi illam esse tueamur. Talem ne quae *nulla vel tenuissima laedatur nubecula*, an talem satius, quae licet *non obsita tenebris, non undequaque tamen clarescat?* talem ne, quae *in media luce* sit posita, an talem satius, quae *ab umbris non penitus* eximatur? quo enim spissior, tenuiorve erit *obscuritas* quocumque profecta ex capite, eo dilutior liquidiorve erit *evidentia*, quae *maxima* censebitur, si a quacumque fuerit obscuritate seiuncta. Quibus ut occurram, necessarium arbitror *triplicem obscuritatis rationem* distinguere, quid quaeque *valeat* ostendere, ac *propriam* tandem illius evidentiae *vim*, quam defendimus, stabilire.

32. Itaque ea primum obscuritatis ratio animum subit, quae *illata, adscita* ac *πολεμικὴ* nuncupari potest, ac inde existit, quod *seposito sensu*, quem verba ad usitatas interpretandi leges expensa *ἀμέσως* fundunt, nihil eorum praetermittitur, quae speciem fidemque insolitis, remotis, obliquisque commentariis conciliare posse videntur. Huius obscuritatis tot numerantur exempla, quotquot olim extitere, ac nunc etiam existunt de dogmatibus controversiae. Iis referta est haereseon historia, e qua quum alia utiliter [27] discas, tum istud inprimis, nullum esse Scripturae testimonium adeo evidens, ac solis propemodum radiis exaratum, quod homines callidi, iidemque experrecti ingenii [28], variaeque eruditionis non sibi sumpserint obscurandum.

Ecquid enim exordio evangelii Johannis illustrius? quidve [29] eo validius,

[27]) Ac illud utilissime, nihil esse apud haereticos fixum ratumque, quod iis opponunt Irenaeus adv. Haeres. lib. I. cap. IX. n. 5, lib. III. cap. XII. n. 7, et lib. V. cap. XX. nn. 1—2; Hegesippus apud Eusebium H. E. lib. IV. cap. XXII, Origenes in Ezech. hom. II. n. 4, Tertullianus con. Valentin. cap. IV, Eusebius in Ps. I. 1, et Hieronymus in Is. V; tum illud, nihil esse eisdem antiquius quam insectari clerum, dicteriisque proscindere. „Quis haereticorum, scribit Hieronymus in Abdiae cap. I, non despicit ecclesiasticos? quis non exultat in malis eorum, si quando propter peccata populi persequutioni traditi fuerint? et multi si vel infirma fide, vel supra petrosa seminati in negationem corruerint, videas illos exultare, gaudere, nostram ruinam suam putare victoriam."

[28]) „Non enim, ait Augustinus in Ps. CXXIV. n. 5, putetis, fratres, quia potuerunt fieri haereses per aliquas parvas animas. Non fecerunt haereses nisi magni homines, sed quantum magni tantum mali montes. Non enim montes erant tales qui susciperent pacem." Et Hieronymus in Osee cap. X: „Nullus enim potest haeresim struere, nisi qui ardentis ingenii est, et habet dona naturae, quae a Deo artifice sunt creata. Talis fuit Valentinus, talis Marcion, quos doctissimos legimus. Talis Bardesanes, cuius etiam philosophi admirantur ingenium." Unde illud Bernardi in Cantic. Serm. LXV. n. 2: „Omnibus una intentio haereticis semper fuit, captare gloriam de *singularitate scientiae.*"

[29]) Joh. I. 1. seqq.

ut ὑπόστασις τοῦ λόγου, eiusdem ὕπαρξις ante incarnationem, immo natura divina ac sempiterna, virtusque omnipotens demonstretur? utique nihil praeclarius, enucleatius nihil, dummodo receptas *criticae* atque *hermeneuticae* regulas sequaris. Ab his enim si discesseris, neque tibi religioni duxeris insolita persequi, fluxa [30] complecti, anomalias sermonis [31] comminisci, et παραλλήλων loco habere, quae vix umbram aliquam similitudinis referunt; omnia erunt obscura, implexa, et e quibus non quidvis maxime [32] libuerit, extundas. Quod utinam susceptae cum antiquis recentioribusque photinianis disputationes non tam perspicue [33] ostenderent. Neque tam perspicue confirmarent quae etiamnum cum sacramentariis vigent et fervent. Splendida profecto sunt verba [34] institutae Eucharistiae, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου: ac mentem animumque nativo fulgore percellunt. Sed si tibi permiseris et vim pronominis demonstrativi [35] tentare, et insitam verbi substantivi potestatem [36] subvertere, et quae sunt diversissima similibus connumerare, et omnia potius moliri quam proprio literalique sensui adquiescere; facile existimabis, receptam a catholicis, lutheranisque interpretationem non obscuram modo esse, arduam, durissimam, sed prorsus dignam de qua repetantur quae a Chamierio [37] olim scripta, nostro hoc saeculo Clarkius [38] iteravit: nonnisi ab iis probari posse, qui ipsius rationis iacturam fecerint. Longe verius, opportuniusque arbitraberis cum Hornio [39] contendere, verba Salvatoris τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, talia esse quae his respondeant, τοῦτό ἐστιν ὁ ἄρτος τοῦ σώματός μου: haec vero istis aequipollere, τοῦτό ἐστιν ὁ ἄρτος τῆς διαθήκης διὰ τοῦ ἐμοῦ θανάτου ἐγκαινισθησομένης: atque adeo ex *algebristarum* regulis nihil impedire, quominus *insequens aequatio* substi-

[30]) Cuiusmodi est lectio, θεοῦ ἦν ὁ λόγος, a Samuele Crellio in libro, *Initium evangelii Johannis ex antiquitate ecclesiastica restitutum*, defensa, quamquam omnia criticae instrumenta legendum esse persuadeant, θεὸς ἦν ὁ λόγος.

[31]) De his vide Oederum in annotatt. ad Catechesin Racoviensem.

[32]) Cuius maleficii reos haereticos universim omnes traducunt patres, Irenaeus adv. Haeres. lib. I. cap. IX. n. 3, lib. V. capp. XIII—XXI, Dionysius corinthius apud Eusebium H. E. lib. IV. cap. XXIII, Clemens alexandrinus Stromat. VII. §. 16, Origenes in Num. hom. IX. n. 1, et saepissime Tertullianus, qui adv. Hermog. cap. XXVII. scribit: *Hae sunt argutiae et subtilitates haereticorum simplicitatem communium verborum torquentes in quaestionem.*

[33]) Cf. Marani opus inscriptum, *Divinitas Domini nostri Jesu Christi manifesta in Scripturis et Traditione*, lib. I. capp. VII — VIII.

[34]) Matth. XXVI. 26—28. coll. Marc. XIV. 22—24, Luc. XXII. 19—20, I. Cor. XI. 23—25.

[35]) Cf. opus, *La Perpétuité de la Foi*, Liv. II. chapp. III. seqq. Tom. II.

[36]) Cf. Wiseman, *De la présence réelle*, Diss. VI — VII.

[37]) De Eucharist. lib. X. cap. XV. §. 70.

[38]) Sermon. de natura, institutione ac fine s. Eucharistiae, pag. 51. Londini 1814.

[39]) Introduct. Tom. II. pag. 414. edit. septimae.

tuatur, *τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου* = *τοῦτό ἐστιν ὁ ἄρτος τῆς διαθήκης διὰ τοῦ ἐμοῦ θανάτου ἐγκαινισθησομένης*.

33. Jamvero de hoc *illatae*, *adscitae* atque *polemicae obscuritatis* genere *tria* brevissime monenda habeo, quae quum alicuius esse momenti videantur, neque a nobis praeteriri, neque ingrata accidere lectoribus debent. Sit autem illud primum, non esse cur ab eo sincerae necessariaeque evidentiae detrimentum periculumve timeamus. Est enim non instrumentorum, probationisque defectus, sed *interpretum*, *eorumque vitium* qui aut caussae favent, aut illi refragantur. Praeterea si quid inesse ponderis ad caussam iuvandam, laedendamve huic obscuritati concederetur; nihil in theologia foret, nihil in philosophia, nihil in historia non dubium ac praeceps. Nullum enim harum disciplinarum caput assignare licet, quod inanibus coniecturis, absurdis suspicionibus, praeposterisque commentariis mali, deceptive homines aut in dubitationem non adduxerint, aut non etiam expungendum, reiiciendumque contenderint. Quo illorum artificio, doloque malo factum puto, ut veteres patres [40] in disputatricem artem fuerint plus semel acerbiores, et cum haereticis [41] e Scripturarum auctoritate, testimoniisque decertandum esse negarint. Inde certe factum est, ut Prudentius [42] non ineleganter scripserit:

> Quid non libido mentis humanae struat?
> Quid non malorum pruriat?
> Statum lacessunt omnipollentis Dei
> Calumniosis litibus.
> Fidem minutis dissecant ambagibus
> Ut quisque lingua est nequior.
> Solvunt ligantque quaestionum vincula
> Per syllogismos plectiles.

34. Venio ad alterum e tribus, et quin diffitear, candide sincereque prae me fero, exhibitam de primatu e divinis litteris probationem ab hoc obscuritatis genere neque integram esse neque solutam. Et qui fieri id poterat, quum tribus continenter saeculis homines a catholica communione divisi, numero innumeri, ingenio sagaces, eruditione illustres nullum non moverint lapidem, ut Petri praerogativas subverterent, textusque bibliorum iis statuendis opportunos in suam sententiam pertraherent? portentum hoc fuisset, cuius nullum neque olim simile extitit, neque spes est ut aliquando videatur. Repeto igitur quod ultro professus sum, mihi nullatenus insidere mentem, ut talem probationis evidentiam defendam, quae ab obscuritate illata, adscita et polemica [43] immunis exemptaque sit. Neque propterea opus fore arbitror prolixius ostendere, nullam inde perniciem, detrimentum nullum in necessariam veramque evidentiam permanare. Manifestum namque esse omnibus debet, eiusmodi obscuritate neque

[40]) Cf. Tertullianum de Praescriptt. cap. VII.

[41]) Ibid. cap. XV.

[42]) Praefat. in Apotheos. vv. 17. seqq.

[43]) n. 32.

vim probationis infringi, neque illius germanam sinceramque evidentiam aut imminui aut violari; sed defectum dumtaxat hominum vitiumque patefieri.

35. Quare satius multo fuerit, aliqua tertio loco *signa* proponere, quibus *certo, probabilive iudicio* decernatur, *quaenam interpretationis obscuritas ad hoc quod contemnimus genus revocari debeat.* Et principio quidem *signum* nobis esse poterit, si animadverterimus, non tranquille ac pacate, sed contentiose, neque sine iurgiis [44] dicteriisque interpretationem haberi. Ab hoc enim strepitu, atque ab hac animorum concitatione mirum quantopere abhorreat hermeneutica disciplina, dum candide, ac ex amore veritatis excolitur. Nihil enim est ea sedatius, tranquillius nihil, ac nihil quod magis animum intentum postulet, perturbationibusque solutum.

Huic cognatum habebimus *signum*, si forte noverimus, multo esse sollicitiores interpretes *ut opposita eludant refellantque*, quam ut propria statuant ac demonstrent. Nescio enim quo pacto usuveniat, quod tamen usuvenire omnes fatemur, ut in alienis refutandis non tam quaeratur quod verum est, quam quod prodesse caussae utcumque potest: non tam quaeratur veritatis consequutio, quam laus profligati hostis et palma [45] victoriae.

Accedit et *tertium*, quod tum nobis praesto erit quum intellexerimus, eo spectare interpretes, ut ad praeceptum animo dogma interpretationem ipsam flectant ac temperent. Haec enim enarrandi ratio [46] periculosissima est, eoque suo fertur pondere, ut non e bibliis profitenda fides educatur, sed fides iam animo informata bibliis ipsis adscribatur.

Tum esse *signum* poterit, si non quaecumque omnia ad caussam faciunt, eaque dextere sollerterque in unam collecta summam, sed singula seorsum, ac discerpta veluti membra interpres expendat atque consideret. Qui enim hoc pacto interpretationi student, hi se splendidissimo harmoniae conspirationisque lumine privant, illosque imitari videntur, qui de specie formaque hominis iudicaturi non mutuo cohaerentes partes inspicerent, sed capillos, ungues, digitos, latera divisim contemplarentur.

Neque illud levius sane *indicium*, si quot ad caussam pertinent textus, tot diversis, dissitisque commentariis explanandi sint. Sibi namque veritas constat,

[44]) Nisi totus fallor, discrimen non ultimum eos inter qui veritati, quique errori patrocinantur, hoc est, quod illi rarissime incalescunt, sibique duriora permittunt, hi contra et aestuant frequenter, et frequentius etiam conviciantur. Indoles scilicet ingeniumque caussae quae defenditur, in ipsa defensione apparet ac extat. Cf. De Maistre, Du Pape, Liv. I. chap. IV.

[45]) Hinc illud a viris prudentibus animadversum, ipsam quoque periclitari veritatem, dum ardentius adstruitur, contentionemque impedire, quominus quod medium est ac rectum, constanter teneatur.

[46]) Cuius periculi tot prostant exempla, quot novimus commentarios haereticorum, qui ut Hilarius loquitur de Trinit. lib. VI. n. 37, *vim afferunt dictis gloriosis*, ac ut Irenaeus subdit con. Haeres. lib. V. cap. XIII. n. 5, *coguntur haec tanta male interpretari, qui unum nolunt bene intelligere.*

unaque veluti luce fulget, argumentumque haberi debet non obscurum erroris ac fallaciae, si nihil menti nisi avulsum, dissipatumque obversetur. Quid vero si ad interpretationem texendam *necessarium sit* potiora alterius oppositaeque momenta aut silentio premere, aut supremis dumtaxat adumbrare lineis, ne insito splendore assensum rapiant? quid si usurpari canones debeant, quos in similibus caussis merito repudies ac damnes? quid si obvia, plana, compertaque seponi videas, eaque contra inculcari quae remota sunt, obliqua, ac vix aut ne vix quidem usu recepta? quid si omnes anomaliae sermonis corradendae sint? quid si sensus emergat exquisitus, quique numquam nisi eruditissimis venire in mentem [47] potuerit, ac iis ipsis nonnisi post multiplices iteratasque commentationes? quid tandem si talis prodeat commentarius, de quo per plura omnino saecula [48] ne unus quidem cogitarit, et cuius neque vola neque vestigium in libris appareat ante obortam contentionem scriptis, et ab iis quidem scriptis, quorum neque pietatem pius ipse contemnas, neque eruditionem eruditus ipse [49] asperneris neque ingenium ingeniosus ipse non plurimi ducas? Profecto si haec, hisque affinia innotuerint, neque de corruptela interpretationis poterit esse dubitatio, neque exorta inde obscuritas alia censeri quam *illata*, *adscita*, atque *polemica*.

36. A qua *aliud obscuritatis genus* secerni debet, quod quum *insitum* dici possit ac *reale*, eo suapte natura spectat, ut necessariam probationis evidentiam plus minusve in discrimen adducat. Duplici autem ex fonte *vocabulorum* et *phraseon* enascitur, quum haec *divisim* aut *coniunctim* ita se habent, ut nullo studio, nullaque arte definire certo possis, sive quas illis *notiones*, sive quas istis *sententias* instrumenti, librique auctor subiecerit. Non deesse eiusmodi

[47]) Fallax censendus erit, quum verus sensus ab eo alius esse nequeat quem offerre Christus voluit; noluerit autem certissime Christus aliud significare quam quod apostoli, qui eruditissimi non erant, facile assequerentur. Cf. Keilii opuscula academica, pagg. 85. seqq. edit. Lipsiae 1821.

[48]) Talis commentarius, utpote ab eo sensu alienus, qui primus mentem occupat, quemque verba sponte referunt, non poterit in suspicionem non venire.

[49]) Ad ecclesiae patres respicio, de quorum hermeneutica peritia non me fugit quam sinistre Rosenmüllerus iudicarit in opere inscripto, *Historia interpretationis Librorum Ss. in Ecclesia christiana.* Sed neque me fugit, quantopere ab ea iudicii temeritate abhorruerint non Ernesti solum in Interpret. N. T. pag. 342. Lipsiae 1809, verum etiam Henricus Clausen in opusculo, *Aurelius Augustinus Hipponensis sacrae Scripturae interpres*, Haunaei 1827, et Benedictus Winer in *Pauli ad Galat. epist. graece perpetua annotat. illustrat.* Lipsiae 1828. Referam quae de Chrysostomo scribit pag. 15: „In iis, quas ad singulos ss. libros confecit homilias, nihil antiquius habet, nisi sensum et singulorum verborum et integrorum commatum, e loquendi usu, ex historiis, e scriptorum denique sacrorum consiliis explicare, eaque in re idoneam probavit solertiam, ita ut si quae parum recte, nihil tamen temere dictum reperiatur.“ Insequente vero pagina decima-sexta simillimis plane laudibus Theodoritum honestat.

exempla norunt eruditi, et theologi ac interpretes non tam fatentur [50], quam passim lamentantur. Porro quum id contingit, duo ἀμέσως consequuntur: ac inprimis obscuritatem ex ipsis instrumentis textibusque prodire, atque *insitam* idcirco esse et *realem*: tum vero ductas ex hisce locis *probationes fluxas* esse, *incertas*, *finesque probabilitatis* rarissime praetergredi. Confidimus autem, immo certissime tenemus ea nos praemisisse, eaque esse addituros quae non sinant, ut primatus probatio, cuius vim gravitatemque tuemur, huic obscuritatis generi obnoxia existimetur.

37. Venimus ad *tertiam postremamque obscuritatis speciem*, quae tessera eorumque character videtur quae divina christianaque revelatione proponuntur. Hanc ego dicam *obscuritatem fidei* [51], illius *originem* aperiam, *consensionemque* cum necessaria probationis evidentia demonstrabo. Et de obscuritate quidem fidei nemo est theologorum, sive catholicorum, sive protestantium, qui non crebro loquatur, quique illam tesseris non adnumeret christianae revelationis, de quibus multiplici nomine certissimi reddimur.

Ac certissimi sane de ea reddimur *plena* inprimis *inductione*, quum nullus sit apostolici symboli articulus, cuius evidens revelatio a quavis umbra immunis sit atque expedita. Accedunt solemnes Patrum [52] sententiae, revelationis splendorem umbris veluti interiectis nonnihil temperari. Eodem pertinet πολυθρύλλητον Petri effatum [53]: *Καὶ ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον, ᾧ καλῶς ποιεῖτε προςέχοντες, ὡς λύχνῳ φαίνοντι ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ, ἕως οὗ ἡμέρα διαυγάσῃ, καὶ φωςφόρος ἀνατείλῃ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμων. Et* praeterea [54] *habemus firmissimum* [55] *propheticum sermonem, ad quem, praeclare vos geritis, dum animum advertitis, tamquam ad lucernam in tenebricoso* [56] *splendentem loco, donec dies elucescat, atque lucifer* [57] *in cordibus vestris exoriatur.*

[50]) „Quae hucusque enumeravimus, verba sunt Jahn in Enchiridio §. 12, praecipuae sunt caussae obscuritatis s. scripturae, de qua *olim* protestantes inter et reliquos christianos omnes magna vigebat contentio, *nunc* sopita; protestantes enim *iam a tribus decenniis* obscuritatem Scripturae confitentur.“

[51]) Loquutio haec est usitata apprime theologis, qui de fidei obscuritate (quam Paulus innuit Hebr. XI. 1, dum fidem vocat ἔλεγχον οὐ βλεπομένων) pluribus disputant. Omnium nomine confer Johannem De Lugo, *De virtute fidei divinae*, Disput. II.

[52]) Chrysostomi, Theodoriti, Theophylacti ad Hebr. XI. 1, itemque Gregorii nysseni con. Eunomium Orat. XII. pag. 746. Aliorum testimonia eodem spectantia dabit Rittershusius Lectt. Sacr. lib. V. cap. III.

[53]) II. Petr. I. 19.

[54]) Hanc vim inesse particulae καί, nexus cum antecedentibus probat.

[55]) Manifesta est enallage gradus, qua *comparativum* βεβαιότερον pro *superlativo*, vel simplici *positivo*, ut Syro placuit, usurpatur.

[56]) Graeci opponunt τὸ στίλβον καὶ λαμπρὸν τῷ αὐχμηρῷ καὶ ἀλαμπεῖ. Unde Hesychius: αὐχμηρόν· ξηρόν, σκοτῶδες.

[57]) Bengelius in Gnomone, et Pott in annotationibus principio monent, vocabula φαίνοντι, διαυγάσῃ et ἀνατείλῃ pro *imperfectis* habenda esse; tum subdunt, τῷ

Si enim ὁ προφητικὸς λόγος splendet ille quidem, verum non splendore solis sed lucernae, ac splendet in loco squalido; qui contingere potest ut desumpta ex eo argumenta non *βεβαιότερα* modo sint, sed nulla quoque caligine inumbrentur?

Quaedam igitur obscuritas, quae neque evidentiam revelationis, neque constantiam assensionis impedit, proprietas est, eorumque argumentorum character, quae e divinis eruta litteris ad fidem persuadendam adhibentur. Quod Paulus [58] expressit, inquiens: *Βλέπομεν γὰρ* [59] *ἄρτι δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον.* *Videmus enim nunc* [60], quod ad firmitatem, immotamque persuasionis certitudinem [61] requiritur, sed videmus *per speculum atque in aenigmate*, quod nequit ab umbris esse seiunctum, quae tum evanescent quum videbimus *facie ad faciem* פָּנִים אֶל־פָּנִים, quod plus valet quam פֶּה אֶל־פֶּה, *στόμα πρὸς στόμα*, designatque visionem non *mediatam*, sed *immediatam*, quam alibi [62] dicit *εἶδος*, Johannes [63] vero visionem Dei, *καθώς ἐστι.*

38. Huius autem obscuritatis, ne omnia persequi videar, *duos* eosque potissimos innuam *fontes*, *obiectivum* alterum, ac alterum *subiectivum*, quique situs in nobis est, et a nobis repetendus. Et sane decebat, ut quae est Dei auctoris ratio, eadem in profecta ab ipso revelatione emineret. Est porro Deus non magis ὁ *φανερώτατος* quam ὁ *ἀφανής*, ac propterea [64] *φῶς ἀπρόσιτον* inhabitare perhibetur. Decebat supernaturalem *ἀποκάλυψιν* naturali et cosmologicae [65] quadamtenus respondere, ut unus idemque Deus utriusque auctor

φωσφόρῳ lucem adventu Christi uberrime diffusam significari. Quae interpretatio idcirco mihi non probatur, quod cum *orationis subiecto* minus apte consentiat. Petrus enim christianos alloquitur, quibus iampridem lux dominici adventus affulserat.

[58]) I. Cor. XIII. 12.

[59]) Particulam *γὰρ* omittunt non plures solum codices et Patres, verum etiam vulgatus et armenius interpretes.

[60]) Nunc quum manent v. 13: *πίστις, ἐλπίς, ἀγάπη:* nunc dum cognoscimus *ἐκ μέρους:* nunc dum nobis quidem adest *γνῶσις*, non autem *ἐπίγνωσις*, quae notitiam multo pleniorem exprimit, quia, ut Eustathius monet, *ἡ ἐπὶ πρόθεσις καὶ ἀκρίβειάν τινα σημαίνει καὶ ἐπίτασιν ἐνεργείας.*

[61]) Est enim fides, ut apud Clementem alexandrinum in altero Stromatum definitur, *ἀφανοῦς πράγματος ἑνωτικὴ συγκατάθεσις, rei non apparentis uniens assensio:* est, ut auctor Orationis de Fide apud Basilium loquitur, *συγκατάθεσις ἀδιάκριτος τῶν ἀκουσθέντων, ἐν πληροφορίᾳ τῆς ἀληθείας τῶν κηρυχθέντων θεοῦ χάριτι, eorum quae audita sunt assentiens approbatio sine ulla haesitatione, cum plena persuasione de veritate eorum, quae Dei munere sunt praedicata.*

Itaque fidei opponitur *ἐποχὴ* et academicorum *ἀῤῥεψία*, et a Paulo propterea dicitur ad Coloss. II. 5. *τὸ στερέωμα*, et Hebr. VI. 19. cum *ἀγκύρᾳ* comparatur.

[62]) II. Cor. V. 7.

[63]) I. Joh. III. 2.

[64]) I. Tim. VI. 16.

[65]) Cosmologicam revelationem dico, quae conspicuae universitatis rerum creatione continetur, quamque Paulus Rom. I. 19—20. *φανέρωσιν* vocat, qua *ἀπὸ κτίσεως κόσμου ab ipso condito mundo*, τοῖς

principiumque videretur. Quamquam vero haec adeo sit perspicua, ut ii merito [66] ἀναπολόγητοι iudicentur, qui quum intellexerint τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, τὰ ἀόρατα αὐτοῦ, idest, αΐδιον αὐτοῦ δύναμιν καὶ Θειότητα, ipsum tamen Deum, non uti par erat, glorificarunt; nihilominus neque omnibus vacat umbris, neque ita lucet [67] ut nihil nisi pervium splendidumque praeseferat. Decebat [68] Christum inter revelationemque christianam talem existere σχέσιν, ut quemadmodum assumpta servi forma assumentis Verbi formam velavit, incredibilemque divinitatis splendorem intercepit; ita inspersae umbrae fulgentissimam revelationis lucem temperarent. Decebat nonnisi per gradus [69] ad divinorum γνῶσιν, immo ἐπίγνωσιν

ποιήμασι *per creaturas*, veluti per totidem vestigia, τὰ ἀόρατα Θεοῦ intelliguntur.

[66]) Rom. I. 20.

[67]) Scite Tertullianus Apologetici cap. XVII: „Quod colimus nos, Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo iussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum maiestatis suae: unde et graeci nomen mundo κόσμον accommodarunt. Invisibilis est, etsi videatur: incomprehensibilis, etsi per gratiam repraesentetur: inaestimabilis, etsi humanis sensibus aestimetur, adeo verus et tantus est. Ceterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod aestimari potest, minus est et oculis quibus occupatur, et manibus quibus contrectatur, et sensibus quibus invenitur. Quod vero immensum est, soli sibi notum est. Hoc quod est, Deum aestimari facit, dum aestimari non capit. Ita eum vis magnitudinis et notum hominibus obiecit, et ignotum.“ His simillima habent Gregorius nazianzenus Orat. XXXIV, et R. Moses in Summa sua Talmudica, Tract. de fundamentis Legis, cap. I.

[68]) Philipp. II. 6 — 9. Cum quibus conferri debent quae scribit romanus Clemens in I. ad Corinth. cap. XVI: Τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλοσύνης τοῦ Θεοῦ, ὁ κύριος ἡμῶν Χριστὸς Ἰησοῦς, οὐκ ἦλθεν ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας, οὐδὲ ὑπερηφανίας, καίπερ δυνάμενος· ἀλλὰ ταπεινοφρονῶν.

[69]) I. Cor. XIII. 12. Unde vulgatissima apud Patres doctrina, γνῶσιν fructum esse ac fidei coronam. Διὰ πίστεως, ait Chrysostomus in epist. ad Philipp. hom. XI, ἡ γνῶσις: et Theodoritus in primo de curandis graec. affect. sermone, ἡγεῖται τῆς γνώσεως ἡ πίστις: Cyrillus vero alexandrinus ad Joh. VI, μετὰ τὴν πίστιν ἡ γνῶσις, καὶ οὐ πρὸ τῆς πίστεως: et Theophylactus in epist. ad Tit. I. 1, πρῶτον ἡ πίστις, εἶτα ἀπὸ ταύτης ἡ ἐπίγνωσις.

Quibus, aliisque eadem mente dictis summopere abutuntur, qui propterea statuunt, *nullam nobis esse certam cognitionem, quae non e fide pendeat, ac fide sustentetur.* Etenim vocabulo γνώσεως non quamvis certam notitiam, sed illud nominatim cognitionum genus Patres significant, quod circa obiecta divinitus revelata versatur, quodque scholae dicere solent *intelligentiam dogmatum.*

Hinc apud eosdem Patres reperias necesse esse, ut γνῶσις fidem antevertat. Theodoritus in sermone quem citavimus, inquit: Δεῖται ἡ πίστις τῆς γνώσεως ..., οὔτε γὰρ πίστις ἄνευ γνώσεως. Eadem docet Marcus eremita de Lege spirituali, scribens: Ὁ μὴ γινώσκων τὴν ἀλήθειαν, οὔτε ἀληθῶς πιστεύειν δύναται· ἡ γὰρ γνῶσις κατὰ φύσιν προηγεῖται τῆς πίστεως. Neque aliter Hesychius presbyter Cent. I. n. LX, et auctor Constitutt. Apostol. lib. VII. cap. XXXIV.

Quare germana Patrum sententia his

homines adduci. Decebat ea[70] hominibus a Deo manifestari, quae attingere illi quidem possent, inspicere penitus ac undequaque pervadere non possent.

Et re sane vera cuiusmodi sunt quae divina revelatione continentur? pleraque omnia[71] vim facultatemque rationis aut *praetergrediuntur* aut etiam *supergrediuntur*. Quae vero talia sunt, ea nequeunt ita luce splendescere, ut nullis omnino tenebris infuscentur. Praeterea quibus divina revelatio limitibus finitur? ea patet amplissime, suoque ambitu *θεολογίαν*, *οἰκονομίαν*, *πνευματολογίαν*, *ἀνθρωπολογίαν*, *κοσμολογίαν* et *τελολογίαν* comprehendit. At fieri ne potest, ut in tanta maximarum rerum varietate humanae mentes numquam haereant, numquam ambigant, numquam penitus coecutiant?

39. Quae mihi commodam insternunt viam *ad alterum eumque subiectivum obscuritatis fontem* aperiendum. Duo namque sunt quae in humanis mentibus facillime quisque deprehendat, *intuendi angustissima virtus*, *deducendi* vero *inferendique facultas* non paullo quidem illa amplior, sed et laboriosior, et minori splendida lumine, et periculis erroribusque frequentius obnoxia. Numquam profecto semetipsum excussit, numquam pertentavit, qui haec in compertis exploratisque non habeat. Conscientia enim ac intimus quidam animi sensus ignorare nos non sinunt, et quam parum *intuendo*, et quam *deducendo* non admodum valeamus. E quibus quum alia colliguntur, tum ista nominatim, paucissima omnino esse quae nobis *directo immediatoque lumine* innotescunt: pleraque omnia *nonnisi reflexo obliquoque lumine* a nobis apprehendi: huius autem luminis claritatem *ea ferme lege* decrescere, qua deductionum illationumque *numerus* augetur. An igitur videri insolens potest, si summa revelationis evidentia nobis non affulgeat nisi attenuata ac repressa? si iubar divinae veritatis nobis quidem luceat, sed ex umbris non penitus nos eximat? si[72] ex parte videamus, ac ex parte ad liquidius lumen aspiremus? Tamdiu ista usuvenient, quamdiu obnoxiam mortalitati naturam non funditus exuerimus.

40. Quin tamen inde *ullum* immineat *periculum evidentiae*, quam fides postulat, et qua destitui divina revelatio nequit. Ecquae enim evidentia necessaria est? *insita* ac *realis*, quaeque dubitationem praecidat omnem quum de

continetur Clementis alexandrini verbis in V. Stromatum: *Οὔτε ἡ γνῶσις ἄνευ πίστεως, οὔθ' ἡ πίστις ἄνευ γνώσεως, neque cognitio*, dogmatum videlicet intelligentia, *sine fide*, *neque fides sine cognitione*, idest, sine multiplici certaque notitia, qua ad fidem ipsam via complanetur. Sed lege Eusebium Praeparat. Evang. lib. I. capp. II—IV.

[70]) Id Thomas con. Gentiles lib. I. cap. V. insigniter ostendit, dum probat: *Quod ea, quae ratione investigari non possunt, convenienter fide tenenda proponuntur.*

[71]) Ea namque omnia, quibus divina revelatio constat, ita commode dispescuntur, ut alia sint *iuxta rationem*, *praeter rationem* alia, ac alia *supra rationem*. E qua partitione liquet, *fieri non posse*, ut quae ad divinam revelationem pertineat, *uno eodemque tractationis modo* proponantur, adprobentur ac expoliantur.

[72]) I. Cor. XIII. 9—12.

ipsa revelatione, tum de sensu iis subiiciendo instrumentis, quibus capita revelationis distincte efferuntur. Huic autem evidentiae neque obest, neque obesse *fidei obscuritas* potest, utpote quae et ex alio prodeat fonte, et propriam instrumentorum perspicuitatem ne levissime quidem attingat. Quod si qui negarent hi neque satis sibi compertam utriusque obscuritatis rationem ostenderent, neque contendere possent, vel unum a nobis credi articulum, cuius revelatio evidens sit, quum horum omnino nullus existat, quem fidei obscuritas non comitetur.

De qua obscuritate *tria* postremo habeo quae velim animadversa: ac I. illius umbra nonnihil evidentiam restingui probationis, qua institutio primatus demonstratur: II. talem eam esse, cui bene consulta ratio adversari non possit: immo talem, pro qua III. singulares Deo gratias persolvat.

41. Et probatio sane primatus non secus ac primatus ipse considerari *dupliciter* potest, *in se* primum ac *absolute*, *σχετικῶς* deinde et *comparate* quum ad potestatem apostolis omnibus adscriptam, tum ad testimonia quibus ea significatur. Si *priori modo* primatus, eiusque probatio spectentur, mihi dubium non est, illius institutionem probationemque esse omnino *evidentissimam*, et cui difficilius resistas quam adquiescas. At vero si *comparationem* ineas, si uno eodemque mentis adspectu et primatum eiusque probationem, et communem apostolorum auctoritatem textusque quibus ea effertur, complectaris; nescio quae erumpunt nebulae, non illae quidem spissae, quaeque evidentiae fulgorem retundant, eiusmodi tamen quae nonnihil obscuritatis gignere videantur. Etenim neque pronum omnino est cum summa singulorum auctoritate unius principem gradum honoris, ordinis, potestatisque componere: neque omnino expeditum, quum dictum singulis [73] legamus, *ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τῷ οὐρανῷ· καὶ ὅσα ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ·* ac [74] rursum, *καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ πατήρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς*, unum nihilominus Petrum amplitudine excellentiaque iuris omnibus antepositum profiteri.

Quod non latuit protestantes, quorum propterea eo conversa studia [75] novimus, ut nihil non corrogarint, quod ad augendam exaggerandamque obscuritatem conferre posse arbitrarentur. Erat tamen cur etiam attenderent, non omnem obscuritatem aut obesse evidentiae revelationis, aut robur probationum subvertere. Cur expenderent, necessariam evidentiam, virtutemque probationum nihil detrimenti capere, si illa absit obscuritas, quam *insitam realemque* nuncupavimus. Cur considerarent, obscuritatem in hac de primatu controversia longe esse ea tenuiorem, quae christianae doctrinae capita alioqui indubitata de trinitate consubstantiali, de unitate personae Christi, de propagata originis culpa, deque poenarum aeternitate circumdat et ambit. Cur denique animadverterent, non deesse quamdam fidei propriam obscuritatem, quae e mutua articulorum comparatione fre-

[73]) Matth. XVIII. 18.

[74]) Joh. XX. 21.

[75]) Argumento esse possunt quae referunt Pfaffius in Origin. Juris Ecclesiast. cap. I. art. II, et Walchius H. E. sect. I. cap. III. §. 4.

quenter exoritur, et qua christianorum dogmatum probatio non laeditur, sed novo potius veritatis indicio collustratur.

42. Quod indicium etsi minus *rationi* consonum prima fronte appareat, cum ea tamen egregie consentire penitiori consideratione intelligimus. Ut enim missa faciam quae superius [76] adnotavi, hoc unum petam, an abrupta alpium displiceant, et opaca silvarum offendant. Immo et illa placent summopere, et hisce oculi non mediocriter delectantur. Atqui non magis vel alpinis saltibus congruit ut sint abrupti, vel silvis ut sint opacae, quam sacra quaedam obscuritas [77] supremi numinis revelationi conveniat. Quae enim divina sunt, ac supernaturali ordine contenta, *utpote infinito contigua*, nequeunt esse *nobis* undequaque luculenta, et nulla mysterii prope caligine velata. Ea tamen caligine, eaque mystica umbra, cuius *non defectus*, sed *lucis copia* inexhaustus fons est ac principium. Unde immensum cernitur discrimen, quod *obscuritatem erroris*, a qua mens refugit, et *obscuritatem fidei* quam animus veretur, seiungit ac disterminat. Illa a defectu lucis, ementitoque veritatis splendore dimanat, haec inde suam ducit originem, quod oculi nobis sint imbecilliores, quam tantam radiorum vim, tantamque veritatis plenitudinem ferre possint atque complecti.

43. Quare haec ipsa fidei obscuritas, mea quidem sententia, talis est, quam *iis merito beneficiis* accenseamus, quibus omnium donorum auctor Deus suam in filios hominum benevolentiam, effusamque caritatem demonstrat. Quod ne cui incredibile, minusve probabile videatur, reputet secum quae apta cum illa sint atque connexa. Inveniet illi primum referri in acceptis oportere, ut quisque nostrum de Deo, divinaque sapientia et multo [78] sentiat magnificentius, et mirabilius loquatur. Vix enim ea mirari solemus quae prostant, quaeque ita sunt exposita, ut ea plene perfecteque teneamus. Inveniet nihil esse hac mystica obscuritate validius, sive ad instillandam modestiam, fastumque animi cohibendum, sive ad inflammanda desideria, quibus in Deum totius lucis veritatisque fontem rapiamur. Inveniet pulcherrimam inde occasionem existere prudentiae constantiaeque exercendae: prudentiae quidem qua *erroris obscuritatem* ab *obscuritate fidei* diligenter secernimus; constantiae vero qua non sinimus ut a profitenda fide, quam nobis iniunctam divinitus novimus, fidei ipsius obscuritate [79] dimoveamur.

76) nn. 37—38.

77) Hinc *τοῦ μυστηρίου* nomen in divinis litteris et ecclesiasticis monimentis tam crebro repetitum. Est autem *μυστήριον*, interprete Chrysostomo in I. Cor. hom. VII, *τὸ ἀπόῤῥητον:* et in epist. ad Rom. homil. XIX, *τὸ ἀγνοούμενον καὶ ἀπόῤῥητον, καὶ πολὺ μὲν τὸ θαῦμα, πολὺ δὲ τὸ παράδοξον ἔχον*. Cf. Casaubonum de Satyra, lib. I. cap. II, et Vossium in Etymologico.

78) Hoc ipso argumento utuntur Patres, ut Scripturarum obscuritatem nobis esse opportunissimam confirment.

79) Hac etiam obscuritate fieri arbitror, ut a Paulo Rom. I. 5. *ὑπακοὴ πίστεως* memoretur. Nam, docente Chrysostomo in epist. ad Rom. hom. XXVII, *ὑπακοῆς ἡ πίστις δεῖται, οὐ πολυπραγμο-*

Neque illud levioris momenti, hac lucis umbrarumque societate amplissimam nobis potestatem fieri ostendendi obsequii quo Deum reveremur. Si enim lux omnia occuparet, evidentiaeque radiis omnia perfunderentur, vix aut ne vix quidem homines possent *obsequium intellectus* omnium nobilissimum Deo deferre, illique tacitas renitentis animi cogitationes litare. Sed quum evidentia et obscuritas, splendor ac umbrae apte simul permiscentur, copia nobis fit, ut *propter evidentiam* prudenter firmissimeque credamus, *propter obscuritatem* vero *ac umbras* mentem animumque Deo subiiciamus.

44. Hisce expeditis quae de pondere evidentiaque adductae probationis disserenda succurrerunt, id videtur esse reliquum ut pressius enucleatiusque definiatur, quo se habitu, mutuoque respectu *elementa* excipiant, quibus probatio ipsa coalescit. Sint ne uniusmodi an diversa, eodem ne habenda loco an alio eoque distincto, *coordinata* ne sint an potius *subordinata.* Verum et de hoc quaestionis capite superius egimus [80], et quid iudicari de eo debeat, quum universa tractationis series ostendit, tum *ceterarum probationum analogia* non obscure significat. Puto enim vix aliquod assignari dogma posse *pluribus diversisque bibliorum effatis* comprobatum, quod *ex uno alterove maxime testimonio* non pendeat. Hoc si qui certum exploratumque non habent, animo probationes recolant quibus regenerationis per baptismum necessitas, gratuita iustificatio, veritas dominici corporis in Eucharistia, divinarumque personarum consubstantialis trinitas statuuntur et vindicantur; profecto sentient ad unum illas alterumve revocari testimonium, e quo splendorem, firmitatemque inprimis mutuantur. Hinc quod Glassius [81] et cum eo viri docti monuere, eorum praecipue textuum literalem propriumque sensum, sive τὸ ῥητὸν urgendum esse, *quibus aliquis fidei articulus ex professo traditur*, *quia omnis* [82] *fidei articulus in Scripturis alicubi ex professo propriis et perspicuis verbis est expositus, quae illius articuli propria quasi sedes sunt et domicilium.* Quo pertinent Augustini [83] verba: „Nihil est obscure dictum in Scripturis, quod spectat ad fidem vel mores, quod non planissime dictum sit in aliis locis.“ Igitur concludit Glassius: „Si in tali Scripturae textu versemur, in quo fidei articulus aliquis ex professo traditur, ibi ut ne latum unguem a verborum proprietate divelli nos patiamur, conveniens est. Usus autem huius canonis contra calvinianos est, verba sacrae coenae substantialia variis troporum nebulis obfuscare conantes, quibus iure

σύνης· καὶ ὅταν θεὸς ἐπιτάττῃ, πειθέσθαι οὐ περιεργάζεσθαι, obedientia fides eget, non curiosa scrutatione; et si quid Deus praeceperit, obtemperandum, non curiose scrutandum.

[80]) In Prolegomenis ad hunc Commentarium cap. IV. nn. 27. seqq.

[81]) Philolog. lib. II. Part. I. Tract. II. sect. I. cann. I—II.

[82]) Falsum id est, neque tamen in homine mirandum qui lutherana placita sequeretur.

[83]) De Doctr. Christ. lib. II. capp. VI — IX; ubi tamen neque haec ipsa verba, neque eodem plane dicta sensu reperiuntur.

meritoque opponitur hoc, verba institutionis, Matth. XXVI, Marc. XIV, Luc. XXII, I. Cor. X. et XI. ***esse propriam huius articuli sedem***, in qua is ex professo tractatur. Ergo verba articuli istius substantialia *κατὰ ῥητὸν* et proprie sunt accipienda.“

Porro quod in controversia de praesentia reali Glassius, lutheranique testimoniis adscribunt quae Eucharistiae institutionem referunt; id a nobis in hac de primatu disceptatione iis tribuatur oportet, quae Matth. XVI. 16—20, Luc. XXII. 31—33, et Joh. XXI. 15—18. narrantur. Sicut enim illa sedes sunt domiciliumque doctrinae de veritate corporis Christi in Eucharistia, ita haec sedes domiciliumque aestimari debent illius fidei, qua Petri primatum profitemur. In quo sane iudicio *triplici eoque perspicuo criterio* confirmamur.

45. Et *criterio* primum *interno*, quod res investigationi subiecta, ipsaque textuum ratio sua sponte suppeditant. De *facto* enim quaeritur *divino*, quo uni prae omnibus Petro eximiae praerogativae collatae fuerint, et *προστασία* in ceteros omnino omnes attributa. Atqui id quaestionum genus, si dirimendum *instrumentis* suscipiatur, ex iis testimoniis *per se* pendet, *quae promissiones referunt, collationemque repraesentant.* Quamquam igitur nullum adhibuerimus testimonium, quod probationi inchoandae, expoliendae, illustrandae, confirmandaeque non conduceret; inter ea tamen excellunt ac fastigium prope occupant, quae promissa eorumque praestationem complectuntur. Eiusmodi autem sunt quae nuper memoravimus, et in quibus nihil admodum desideres, quo Petrum eximiis honestatum promissionibus, ac iis deinde auctum locupletatumque cognoscas.

Quod *altero eoque externo criterio* non minus luculenter suadetur. Evolve enim patrum [84] opuscula, versa synodorum [85] gesta, et litteras auctoritatesque [86] veterum romanorum praesulum considera: quid est quod ubivis repetitum legis, quodque crebrius audis inculcatum? istud profecto, Petri decora, supremamque auctoritatem iis potissimum constare testimoniis, quae ex tribus evangelistis

[84]) Tertulliani con. Marc. lib. IV. cap. XIII, de Praescriptt. cap. XXI, de Monog. cap. VIII, Scorpiac. cap. X; Hippolyti in s. Theophan. n. IX, Origenis in Exod. hom. I. n. 4, Cypriani epist. LXXI, Hilarii pictaviensis in Matth. cap. XVI. n. 7, Victorini in comm. ad Galat. I. 15, Epiphanii Haeres. LIX. n. VII, Ancor. n. IX; Ephraemi de Sacerd. pag. 3. Tom. III. Basilii de Judicio Dei, Prooem. n. 7, Ambrosii in Luc. Lib. X. nn. 175—176, et ne sim nimius, Zenonis veronensis, Lib. I. Tract. XIII. de circumcisione.

[85]) Quae in his ad rem praesentem spectantia continentur, omnium diligentissime complexus est Alphonsus Muzzarelli in opere, *De auctoritate Romani Pontificis in Conciliis Generalibus.*

[86]) Litteras romanorum praesulum dici *auctoritates* consuevisse, demonstrat Petrus Coustantius in praefatione qua illarum editionem instruxit. Ex iis autem consuli prae ceteris debent epistolae Julii ad Eusebianos n. 21, Damasi ad Orientales adversus apollinaristas, Siricii ad Himerium n. 20, Zosimi ad Concilium carthaginiense, Caelestini ad ephesinam Synodum post damnatum Nestorium, et Leonis epist. V, cap. II. edit. Balleriniorum.

indicavimus. Tanta igitur, tantorumque *testium* conspiratio *signum* nobis esse debet, firmissimum caussae praesidium his omnino textibus contineri.

Quod et *tertio indicio*, *criterioque* confirmatur. Fac enim partes interroges quae se hostiliter appetunt, fac interroges catholicos, interroges protestantes, et ab utrisque sciscitcris, vel quibus maxime adiumentis fidant, vel quae acrius oppugnanda evertendaque arbitrentur. Catholici sane respondebunt, adiumenta omnium optima ex eo repeti triplici testimonio [87], de quo loquimur. Protestantium vero unam item audies consonamque vocem, eo nudatis praesidio catholicis vix quidpiam suppetere, quo susceptam primatus defensionem aliqua veri specie [88] persequantur. Ne autem de insita huic consensioni auctoritate dubitemus, *duo* prae ceteris faciunt, *et quod* probabile nullatenus sit, praeclarissima ingenia societatum omnium christianarum per aliquot saecula in maxima caussa, quamque summis studiis expenderint, a veritate aberrasse: *et quod* multo etiam longius a probabilitate discedat, contrarias infensasque partes in unam eamdemque concessisse sententiam, quam non habuerint exploratissimam.

Constat igitur et *subordinata* esse *elementa* quibus primatus demonstratio componitur, et *principem locum evangelicis testimoniis* convenire, et nostrum esse *haec ipsa testimonia secundis plenioribusque curis retractare*. Natura namque duce ac magistra edocemur, quae cariora sunt, quaeque pretiosiora et amantius fovere, et diligentius communire.

[87]) De qua catholicorum persuasione liquet I. e disertis illorum verbis: II. ex modo quaestionis dirimendae, quum nihil sibi antiquius esse ostendant, quam sinceram horum textuum interpretationem tueri: et III. e censuris, quibus eos veluti caussae proditores notant, qui non hisce maxime textibus insistunt.

[88]) Latine reddam quae recentissimus interpres N. T. Dr. Bloomfield anglice scribit ad Matth. XVI. 18: „Ad eum, inquit, Scripturae textum pervenimus, quo romana ecclesia inprimis utitur, ut sua placita de Pontificis primatu, deque eiusdem infallibilitate defendat. Opus igitur est, ut singula quaeque ad eum spectantia singulari cura persequamur.“

CAPUT III.

Occasio promissi primatus, Matth. XVI. 13: — prior Christi interrogatio ad omnes apostolos, v. 13: — illorum responsio, v. 14: — altera interrogatio ad eosdem directa, v. 15: — responsio Petri, v. 16: — an illius propria censeri debeat: — protestantium opinio: — ea nullis munitur rationibus: — immo certis refellitur argumentis, quibus Bengelius subscribit.

46. Narrationem, qua *occasio* promissi primatus, *ipsaque promissio* continentur, his omnino verbis [1] Matthaeus orditur: Ἐλθὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς εἰς τὰ μέρη Καισαρείας τῆς Φιλίππου ἠρώτα τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ λέγων. Non unum alterumve *sed omnes* ἀδιαφόρως *discipulos* Jesus interrogavit, et ab iis [2] petiit: Τίνα με [3] λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου; *quem me dicunt homines esse filium hominis?* idest, quid de me homine meaque dignitate homines arbitrantur? quam mihi homini qualitatem conditionemque homines adscribunt? est enim υἱὸς ἀνθρώπου idem ac ἄνθρωπος, ex eo [4] loquendi usu hebraeis, chaldaeisque vulgari, quo et hominem [5] dicunt בֶּן־אָדָם, בַּר אֱנָשׁ, et nomen [6] υἱὸν sic aliis quum nominibus, tum praepositionibus addunt, ut significatione redundet. Quare Glassius, ut canonem his conceptum verbis, *duobus substantivis in regiminis statu positis, significatio posterioris vel unice, vel cumprimis attenditur, et prius* [7] πλεονάζει, confirmet [8] exemplis, non ea solum adhibet in quibus redundant nomina פָּנִים, פֶּה, שֵׁם, יָד, aliaque, sed ea quoque in quibus abundat nomen בֵּן, atque ex hoc hebraismo factum esse [9] docet, ut Christus saepissime υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου nuncupetur.

[1]) Matth. XVI. 13.

[2]) Ibidem.

[3]) Mira est instrumentorum et testium varietas de pronomine μέ, quum iis quae illud omittunt, haud pauciora sint quae retinent. Et retinendum omnino esse existimant Millius in Proleg. n. 1194, et Bengelius in notis criticis ad N. T.

[4]) Marc. III. 28: Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι πάντα ἀφεθήσεται τὰ ἁμαρτήματα τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, idest, τοῖς ἀνθρώποις, uti etiam Matth. XII. 31.

[5]) Gen. XI. 5, Deut. XXXII. 8, Eccles. III. 19. Ezech. III. 17, VI. 2, et Daniel. VII. 13.

[6]) Cf. Gatakerum, de Stylo N. T. cap. XVI.

[7]) Non in ipso hebraismo, in quo ad elegantiam, loquendique proprietatem pertinet, sed in aliis linguis, quibus hebraica redduntur.

[8]) Philolog. Sacr. Lib. I. Tract. I. de nomine, can. XXXVIII.

[9]) „Hoc hebraismo Christus saepissime

47. Ex hac autem interrogatione liquet, id unum ab apostolis Christum postulasse, ut *munere historici* qui cum fide aliorum sententias refert, fungerentur. Postulavit enim ut edicerent quas noverant apud populum disseminatas de *filio hominis* opiniones; qua formula nolim penitus negatum, ita semetipsum declarasse Christum ex patribus [10] genitum κατὰ σάρκα, ut simul tacite innu-

dicitur υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου *filius hominis*, Matth. X. 23, XVI. 13, XX. 28, Marc. II. 18, Luc. VI. 5, Joh. III. 14; Apoc. I. 13. dicitur ὅμοιος υἱῷ ἀνθρώπου, *similis filio hominis*, uti propheta Ezechiel saepe a Deo dicitur בֶּן אָדָם *filius hominis*, cap. II. 1—11...."

Aliter de hac formula Bengelius in Gnomone statuit, scribens: „Frequens apud evangelistas et diligentissime observanda est haec nomenclatura, qua nemo nisi solus Christus, a nemine, dum ipse in terris ambularet, nisi a semetipso appellatus est *filius hominis*. Primum Joh. I. 52. ut primum reperti fuere, qui eum Messiam et Filium Dei, ib. v. 50, agnoscerent; et deinceps saepissime, ante praedictionem passionis et post. Nam ab iis, qui fidem in ipsum suscipiebant, dictus est *filius David*. Recte suspicati sunt iudaei, ea designari Messiam. Nam ut *Adam primus* cum tota progenie dicitur *homo*, sic *Adam secundus*, I. Cor. XV. 45, dicitur *filius hominis*: non ea ratione, qua *filii hominis*, idest, tenues opponuntur *filiis viri*, idest, potentibus, Ps. XLIX. 5, quave homines communiter dicuntur *filii hominum*, Marc. III. 28, Ephes. III. 5, Ezech. II. 1. et passim; sed cum articulo, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Videtur articulus respicere prophetiam Dan. VII. 13. Unus hic nempe homo est, quem Adamus post lapsum ex promissione exspectavit pro tota sua progenie: ὁ δεύτερος, *secundus*, I. Cor. XV. 47, quem omnis prophetia V. T. indigitavit, qui totius generis humani iura et primogenituram sustinet, Luc. III. 23—38, et cui uni, quod humani nominis nos non poeniteat, Ps. XLIX. 21, debemus, Rom. V. 15. Porro hac appellatione Christus inter homines ambulans et expressit, et pro oeconomia illius temporis occultavit (Matth. XXII. 45.) inter homines, et satanam celavit, se esse τὸν υἱὸν *Filium* absolute dictum, idest, Filium Dei promissum, datumque homini, Gen. III. 15, Es. IX. 6, ortumque ex homine Hebr. II. 11. (perinde uti uno *exaltationis* vocabulo et crucem et glorificationem suam insignivit, Joh. XII. 32.), et simul seipsum praesentis suae conditionis quasi admonuit, Matth. XX. 28, Philipp. II. 7—8."

Ad haec respexisse crederes L. G. Pareau et P. Hofstede de Groot theologiae professores in Academia Groningana, quum in *Lineamentis Theologiae christianae universae*, editis Groningae 1848, de Christo scribunt, Part. I. Sect. I. §. 29: „Qui homo erat, humanitate cum reliquis hominibus omnibus iunctus, idem ab his omnibus eo distinctus erat, quod perfectus erat homo, merito κατ᾽ ἐξοχὴν dictus ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου." Et mox: „Quia Jesus novus quasi surculus erat, merito dicitur a Paulo *alter Adam*, I. Cor. XV. 45."

[10]) Rom. I. 3. coll. Philipp. II. 6—8. Praeclare Theodoritus in commentario ad priorem locum: Ἡ γὰρ τοῦ κατὰ σάρκα προσθήκη, αἰνίττεται ὡς τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς υἱός ἐστιν ἀληθῶς κατὰ τὴν θεότητα. οὐδὲ γὰρ ἐπὶ τῶν τοῦτο μόνον ὄντων ὅπερ ὁρῶνται, ἔστιν εὑρεῖν τὸ κατὰ σάρκα προσκείμενον. *Illa enim adiectio, secundum carnem, innuit quod Dei et Patris vere est Filius secundum divinitatem. Neque enim in iis, qui id sunt solum quod vi-*

erit, aliamque *formam* adsignificaverit, qua erat aequalis Deo, quamque velo humanitatis obtexit, ut *οἰκονομίαν* exinanitionis impleret.

Audita praeceptoris interrogatione morem gessere discipuli; *οἱ δὲ εἶπον*, subdit [11] evangelista; et sicuti interrogati *omnes* fuerant, ita *omnes* responderunt, et quae quisque audiverat, candide renunciavit. Responsionum vero summa talis [12] fuit: *Οἱ μὲν Ἰωάννην τὸν βαπτιστήν, ἄλλοι* [13] *δὲ Ἠλίαν, ἕτεροι δὲ Ἱερεμίαν ἢ ἕνα τῶν προφητῶν.* Minime autem vel huius loci, vel necessarium esse existimo sollicite inquirere, qui contigerit ut in tantam opinionum varietatem israelitarum vulgus concesserit. Errorum enim fontes [14] sunt innumeri, et tum solum investigantur utiliter, quum periculum est ne aliis item fraudi esse pergant.

48. Cognitis populi commentis, institit [15] Jesus, et *λέγει αὐτοῖς· ὑμεῖς δὲ τίνα με λέγετε εἶναι*; Quemadmodum *primam interrogationem ad omnes* direxerat, ita *ad omnes*, qui significantur pronomine *ὑμεῖς*, et forma plurali *λέγετε*, *posteriorem* dirigit; et quemadmodum *priori interrogatione* vulgatas opiniones ab ipsis postulaverat, ita *posteriori*, non sine tacita eorum quae acceperat reprehensione, ab iisdem flagitat ut quod ipsi prae ceteris electi ac plenius edocti institutique mente crederent, ore pariter verbisque profiterentur.

Nondum interrogationem Jesus absolverat, quum [16] *ἀποκριθεὶς Σίμων Πέτρος εἶπε· respondens Simon Petrus dixit.* Omnibus scilicet ex aequo interrogatis sed tacentibus, unus fuit Simon Petrus qui responderet. Utique unus ipse respondit, subdit e protestantium opinione [17] Kuinoel, sed refert novisse, et *cur* unus, *quove pacto*, *quave morali persona unus* responderit? idcirco autem unus respondit, quod foret *reliquis* [18] *indole ingenioque ferventior:* et quum unus respondit, *omnium personam gessit*, *communemque apostolis sententiam, non sibi propriam declaravit.*

49. Verum quis protestantes docuit, unum *propterea* respondisse Petrum, quod ingenii esset fervidioris? *rei ne natura, editaque a Petro confessio?* sed talia ista sunt, tamque divina, ut adscribi naturali ingenio nonnisi absurdissime possint. An *Matthaei narratio*, qua id vel tradatur diserte, vel obscure saltem innuatur? atqui ne syllaba quidem huc pertinens evangelica narratione continetur. Immo ea continentur quae falsam absonamque ostendunt protestantium suspicionem. Continuo [19] namque singulari Patris beneficio, supernaeque reve-

dentur, *est invenire adiectum illud*, *secundum carnem.*

[11]) Matth. XVI. 14.

[12]) Ibidem.

[13]) Pro, *ἄλλοι δέ*, non desunt codices qui legant, *οἱ δέ*.

[14]) De hisce errorum fontibus agit Wetstenius in subiecto commentario.

[15]) Matth. XVI. 15.

[16]) Ibid. v. 16.

[17]) In comm. ad h. l.

[18]) Cui suspicioni ut fidem conciliet, Chrysostomum laudat, qui tamen addit, idcirco prae ceteris Petrum respondisse, quod esset *τὸ στόμα τῶν ἀποστόλων*, *ὁ τοῦ χοροῦ τῶν ἀποστόλων κορυφαῖος.*

[19]) Matth. XVI. 17. coll. XI. 27, et Joh. VI. 44: *Οὐδεὶς δύναται ἐλθεῖν πρὸς*

lationi tribuitur, quod unus prae omnibus Petrus nobilissimam confessionem ediderit. Quare non ingenio fervidiori, de quo non esset cur tanta protestantes [20] comminiscerentur, sed divino charismati adscribendum est quod unus Petrus responderit.

Respondit tamen, aiunt, *communi nomine*, *communique persona*. At unde probant? inde ne quod ab evangelista *ῥητῶς* affirmetur? atqui Matthaeus de ceteris penitus silet, et ne levissimo quidem indicio significat, aut communes partes Petrum obiisse, aut illi fuisse concreditas. An inde quod saltem *δυνάμει*, contextuque sermonis innuatur? sed non minus *antecedentia* quam *consequentia* repugnant. Repugnant *antecedentia*: quum enim Christus omnes indiscriminatim interrogavit, omnes item indiscriminatim respondisse e verbis [21] constat, *οἱ δὲ εἶπον*. Mos igitur apostolis non erat, ut in communi caussa suas Petro partes committerent. Repugnant *consequentia*: quum Christus accepta Petri responsione *non omnes apostolos*, sed ipsum unum [22] *μακάριον* felicem fortunatumque praedicarit. Omnes vero *μακαρίους* dixisset, si Petri responsio non eius propria, sed omnibus communis extitisset.

50. Quorsum vero illa, *beatum* [23] propterea celebrari Simonem, quod *non carnem et sanguinem*, *sed caelestis Patris revelationem* eius fidei magistram habuerit, quam professus est? an *proprie*, an *vere* in caelestis Patris revelationem Petro factam refunderetur, quod ipse ab apostolis in unam eamdemque responsionem conspirantibus accepisset, ut communi omnium nomine referret? nisi haec praepostera absurdaque videantur, me plane fugit quo signo, quove criterio absurda ac praepostera iudicentur.

Quare videmus nemini nisi e protestantium factione haec aut his similia in mentem venisse: immo, quod multo est pluris aestimandum, videmus antiquos ecclesiae patres, eosque testes spectatissimos in eam ipsam ivisse sententiam quam defendimus, quam textus Scripturae unice refert, quamque argumenta praeclarissima confirmant. Huius profecto sententiae patronus fuit hierosolymitanus Cyrillus [24], inquiens: „Omnibus autem reticentibus, humanas enim vires excedebat huiusmodi documentum, Petrus apostolorum princeps et supremus ecclesiae praeco dicit ad ipsum, *tu es Christus*.“ Hanc docuit pictaviensis Hilarius [25], scribens: „Petrus in cunctorum apostolorum silentio Dei Filium reve-

μέ, ἐὰν μὴ ὁ πατὴρ ὁ πέμψας με ἑλκύσῃ αὐτόν.

[20]) Eiusmodi commentorum specimen habes in Potti prolegomenis ad epistolas catholicas.

[21]) Matth. XVI. 14.

[22]) Ibid. v. 17.

[23]) Ibidem. Ad rem Theophylactus: *Μακαρίζει τὸν Πέτρον ὡς ἐκ θείας χάριτος λαβόντα τὴν γνῶσιν. ἀποδεχόμενος δὲ αὐτόν, δείκνυσι λοιπὸν τὰς τῶν ἄλλων ἀνθρώπων ὑπολήψεις ψευδεῖς. Beatum dicit Petrum, utpote qui e divina gratia cognitionem acceperit. Quum autem Petrum probat, consequenter ostendit aliorum hominum opiniones falsas.*

[24]) Catech. XI. n. 3.

[25]) De Trinit. lib. VI. n. 37.

latione Patris intelligens gloriam beatae fidei suae confessione promeruit." Et [26] alibi: „Hoc in Petro considerandum est, fide eum caeteros anteisse. Nam ignorantibus caeteris primus respondit, *tu es Christus Filius Dei vivi.*" Hanc tradidit his verbis [27] Ambrosius: „Petrus non exspectavit populi sententiam, sed suam promsit dicens, *tu es Christus Filius Dei vivi.*" Et [28] rursum: „Cum Petrus dixisset, *tu es Christus Filius Dei vivi*, hunc solum non immerito laudavit." Quid vero Optatus, amasenus Asterius et seleuciensis Basilius? ille relatis verbis, *tu es Christus Filius Dei vivi*, subdit [29]: „Ecce ceteris non agnoscentibus Filium Dei, solus Petrus agnovit." Asterius vero [30] sic habet: „Percontante quandoque Domino ex duodecim quem eum dicerent, quum omnes reliqui tacerent et cunctarentur, statim Petrus aperiens os beatam illam ac plane perspicuam edidit confessionem." Cui Basilius consentiens [31] ait: „Petrus sciscitanti Domino statim respondit, silentiumque discipulorum tum erubescentium ille solvit."

51. Si quid igitur consequi interpretando possumus, exploratissimum censeri debet, fuisse Petrum non communis fidei praeconem sed propriae interpretem; neque omnium nomine, communique [32] persona, sed suo nomine, suaque persona interroganti Jesu respondisse.

Quod Albertus Bengelius sacris quidem protestantium addictus, sed in paucis eruditus atque candidus semel ac iterum testatus est. Ac inprimis, quum [33] verbis, *Σίμων Πέτρος*, hunc subiecit commentarium: „Hoc solemni loco nomen et cognomen iungitur. Apparet, Simonem citius et uberius agnosse Filium Dei, et condiscipulis praeluxisse." Deinde quum de [34] phrasi, *σὰρξ καὶ αἷμα*, adno-

[26]) In Matth. cap. XV. n. 17.

[27]) In Luc. lib. VI. n. 97.

[28]) Ibid. n. 93, et lib. X. n. 175: *Quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.* Hinc Maximus taurinensis serm. V. in Nat. Apost.: „Tu, Petre, me confessus es primum in terris, ego te in caelo regnoque meo perpetuum faciam habere primatum. Et quid iustius, fratres, quam ut supra eum fundaretur ecclesia, qui tantum dedit ecclesiae fundamentum? quid fieri potuit sanctius, quam ut ille acciperet claves regni caelorum, qui caelestis regni Dominum revelavit?"

[29]) Con. Parmen. lib. I. cap. X, et lib. VII. cap. III.

[30]) Homil. in ss. Principes Apost. n. 2.

[31]) Serm. in s. Andream Apostolum.

[32]) Quod si permitti debeat, alterutro dumtaxat modo accipi potest: I. quod communi nomine responderit *consequenter*, quum eam ediderit confessionem, quam auditam apostoli probarent: vel II. quod communi nomine responderit *iuridice*, quum inter apostolos versaretur prophetica *Petri* appellatione insignis, atque adeo non uti unus e multis, sed veluti *ὁ πάντων ἀποστόλων προκεκριμμένος* (apud Eusebium H. E. lib. III. cap. V.), et sin minus *collatione*, *destinatione* saltem *ὁ κορυφαιότατος καὶ προστάτης τῶν ἀποστόλων*, ut Cyrillus hierosolymitanus Catech. II. n. 19. de eo loquitur. Est autem principis et capitis proprium ceteros *iuridice* repraesentare.

[33]) In Gnom. ad Matth. XVI. 16.

[34]) Ibid. ad v. 17.

tavit: „Homo quicumque; *caro et sanguis*, metonymice, corpus et anima, Ephes. VI. 12. Gal. I. 16. Nemo mortalium ante Petrum tum hoc ipsum sciebat.“

Sed quid scivit Petrus, aut quam edidit tam insignem confessionem quae a Patre revelante exspectanda esset? narrat Matthaeus, dum illum his respondentem [35] verbis inducit: *Σὺ εἶ ὁ Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ* [36] *ζῶντος*. *Tu es Christus*, quo appellativo nomine significavit, Jesum esse [37] מְשִׁיחַ יְהוָה, regem *κατ' ἐξοχὴν* a Deo promissum, *Χριστὸν βασιλέα*, qui gentes universas suo imperio gubernaret. Addens vero, ***Filius Dei viventis***, fontem reseravit [38] tantae dignitatis, quod nimirum esset Filius non *κατὰ θέσιν*, quomodo filii quoque fuerant Elias, Jeremias ac prophetae, sed *κατὰ φύσιν*, ac Filius adeo germanus ***Dei viventis***. Ubi nomen ***Dei***, propter *σχέσιν* ad ***Filium***, adhibetur *ὑποστατικῶς*, idemque notat [39] ac *ὁ πατήρ μου ἐν τοῖς οὐρανοῖς*: appositum vero *τοῦ ζῶντος* non tam discrimen [40] ab idolis, mortuisque diis, quam *γεννητικὴν* Patris *ἐνέργειαν* referre videtur. Petri igitur confessio duplici membro continetur, quorum altero dignitas Jesu appellativo *τοῦ Χριστοῦ* nomine exprimitur, altero intima eiusdem origo adiectis verbis, *ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος*, declaratur.

[35]) Matth. XVI. 16.

[36]) Pro participio *τοῦ ζῶντος*, unus alterve codex habet *σώζοντος*.

[37]) Ps. II. 2. coll. Act. IV. 26.

[38]) Patrocinatur arianis Kuinoel, dum in commentario refert ac probat ista Koppii verba: „Omnium maxime improbabilem eorum interpretum et theologorum rationem videri non diffiteor, qui naturam vere summoque gradu divinam hac ipsa formula significari arbitrantur; cum huic interpretationi non tantum ne unus quidem locus, si singuli accurate tractentur, faveat, verum etiam ipsius formulae *υἱός* propria significatio, locusque I. Cor. XV. 27. seqq., quo *υἱὸς* expresse dicitur *ὑποτάσσεσθαι τῷ πατρί*, aperte repugnet.“

[39]) Matth. XVI. 17. Porro Filius prae Patre non modo dicitur *ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ*, verum etiam *ὁ μονογενής*, *ὁ μονογενὴς παρὰ πατρός*, et *ὁ ἴδιος υἱὸς τοῦ θεοῦ*.

[40]) In libris utriusque testamenti verus Deus a commentitiis diis secernitur, quum ille dicitur Jos. III. 10, I. Sam. XVII. 26—36, Jerem. X. 9—10, Act. XIV. 15, I. Thess. I. 9. אֱלֹהִים חַי, *θεὸς ζῶν*: hi vero nuncupantur *εἴδωλα ἄψυχα* Sap. XIV. 29, מֵתִים, *νεκροὶ* Ps. CVI. 28, Sap. XIII. 10, et *μάταια*, אֱלִילִים Zach. XI. 17.

CAPUT IV.

Christi ad Petrum responsio, Matth. XVI. 17—18: — eiusdem cum antecedentibus nexus: — illustratur: — de vocibus πέτρος καὶ πέτρα: — an eae συνωνύμως adhibeantur: — protestantium dissidia: — quid illorum plures, ac recentiores plerique omnes arbitrentur: — gravissima Michaelis censura: — argumentis confirmatur: — et συνωνυμία plena in luce ponitur: — Glassii et Reineccii coniectura ex pronominum discrimine apud syrum interpretem: — quam levis ea sit ac prorsus inanis: — Heinsii sententia, et quid veri illi subsit et cum catholica doctrina consonum: — aliorum de particula καί, deque pronomine ταύτῃ suspiciones: — reiiciuntur: — ostenditurque adoptatam a protestantibus hermeneuticam exlegem esse, et ad Scripturas pervertendas unice accommodatam: — animadvertitur in graecos schismaticos.

52. Confessionem Simonis iis simillimam, quae divinus Pater pridem [1] significaverat, inquiens: *Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ εὐδόκησα:* probavit Jesus [2], *καὶ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτῷ, atque ita* [3] *illi respondit, αὐτῷ* non *αὐτοῖς*, ut paullo [4] superius, quum omnes alloqueretur. Dixit autem: *Μακάριος εἶ, Σίμων βὰρ Ἰωνᾶ· ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι, ἀλλ' ὁ πατήρ μου ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς: beatus es*, planeque dignus [5] qui beatus praediceris, ***Simon Jonae*** [6] ***filius***, qua patronymica appositione hebraeis usitata a reliquis omnino

[1]) Matth. III. 17. coll. Ps. II. 7, Matth. XVII. 5, Marc. IX. 6, Luc. IX. 35.

[2]) Matth. XVI. 17.

[3]) Inductione exemplorum, Gen. XVIII. 27, Jos. I. 16, II. Reg. I. 12, Joh. I. 49, Matth. XI. 4—25, XII. 38, XVII. 4, XXI. 24, XXV. 9—37—40—45, Marc. VII. 28, constat, sacris scriptoribus esse in more positum, ut ostensuri quid aliquis dixerit, responderitve, non solum utantur promiscue verbis *ἀποκρίνεσθαι*, *εἰπεῖν*, *λέγειν*, *εἰρεῖν*, verum etiam illa coniungant. Quod dum fit, alterutrum ex verbis significationem referre videtur particulae *ὧδε*, vel pronominis *τάδε*, ut reddi latine possit, ***ita***, ***sic***, ***hunc in modum***, ***haec***.

[4]) Matth. XVI. 15.

[5]) Eodem sensu, quo Luc. XI. 27.

[6]) In Alberti Glossario, *βὰρ Ἰωνᾶ* redditur *υἱὸς περιστερᾶς*, ***filius columbae***, ac si componeretur ex בַּר ***filius***, et יוֹנָה ***columba***. Sed Epiphanius, Hieronymus, Drusius, Grotius, alii, monuere, syro-hebraicum nomen *βὰρ Ἰωνᾶ*, idemque *πατρωνυμικόν*, per syncopem, ac extrita littera ה, factum esse ex *βὰρ Ἰωάννα*, ***filio Johannis***.

secernitur, *quia non caro et sanguis*, imbecillaque [7] humana natura *revelavit tibi* quod confessus es, *sed Pater meus qui in caelis* est. Apposite [8] Juvencus:

Tum Dominus forti respondet talia Petro:
Petre, beatus eris: nam talia pandere certe
Humanus sanguis, vel terrae portio corpus
Haud umquam poterit: Genitoris munera sola
Possunt tam validum fidei concedere robur.

Quibus caussa effertur *μακαρισμοῦ* Petri, eaque e singulari Patris [9] benevolentia, qua illum prae ceteris superna revelatione illustravit, profecta declaratur.

53. Pergit [10] Jesus, et oratione arctissime nexa subdit: *Κἀγὼ* [11] *δὲ σοὶ λέγω*, *et ego vero dico tibi*, vel quod in idem redit, *ego vero etiam dico tibi.* Quae si ad ea referantur quae *ἀμέσως* praecedunt, hunc reddunt sensum: *quemadmodum Pater meus revelatione superna auctor tibi fuit beatitudinis; ego quoque non tibi deero, norisque illam donis cumulabo.* Sin autem cum responsione Petri paullo remotiore coniungantur, hanc dabunt sententiam: *tu paternae revelationi obsequutus me confessus es Christum Filium Dei viventis, meamque dignitatem declarasti, et ego tibi tuam vicissim* [12] *dignitatem patefacio atque dico.* Porro sive prior, qui Leoni [13] placuit, sive alter relationis, coniunctionisque

[7]) De formula, *σὰρξ καὶ αἷμα*, בָּשָׂר וָדָם, confer Lightfootum ad h. l.

[8]) Hist. Evangelic. lib. III.

[9]) Unde peti argumentum potest, quo in numero eorum coniecturae haberi debeant, qui Petrum idcirco reliquis praepositum arbitrantur, quod esset aut *aetate provectior*, aut *vocatione prior*, aut *ingenio ferventior*.

[10]) Matth. XVI. 18.

[11]) Utraque vulgata editio, antiqua et nova, omittit particulam *δέ*, redditque: *et ego dico tibi.* Cantabrigiensis vero codex presse adhaerens graecae lectioni, habet: *et ego autem dico tibi.*

[12]) *Mercedem accepit*, ait in comm. Hieronymus, *vera confessio.* Ut enim Petrus Coton monet in opere inscripto, *Geneve Plagiaire*, Depravation XXIX: „Particula *et*, quae heic apponitur, non habet vim copulandi, ut patet; nihil enim copulandum praecessit: sed *ἀντιμισθίαν*, idest, redditionem et retributionem mercedis significat, ut sit idem quod *vicissim.*“ Eodem sensu quo Paulus de Christo scribit ad Philipp. II. 9: *Διὸ καὶ ὁ θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε*, *propterea vicissim Deus illum superexaltavit.*

[13]) Serm. IV. de anniversario die assumptionis suae ad Pontificatum: „Ideo beatus es, quia te Pater meus docuit, nec terrena opinio te fefellit, sed inspiratio caelestis instruxit: et non caro et sanguis, sed ille me tibi, cuius sum unigenitus Filius, indicavit. *Et ego*, inquit, *dico tibi:* hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita ego tibi notam facio excellentiam tuam. *Quia tu es Petrus:* idest, quum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum, praeter quod nemo potest aliud ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.“

modus deligatur, manifestum est: I. verba Salvatoris et quae eisdem significantur, ad *unum* Simonem Petrum pertinere: II. eo spectare Christum, ut novis donis Petrum exornet: III. his vim rationemque inesse *τῆς ἀντιδωρέας* pro ea quam ille edidit confessione: ac propterea IV. quae heic commemorantur, *propria* esse Petri, *excellentiae genere* comprehendi, ac *idonea* inprimis esse *ad quaestionem* de illius praerogativis *dirimendam*.

54. Sed ipsam iam Christi responsionem proferamus. Continuo [14] subiecit: *Ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ* [15] *ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν·* Idest Juvenco [16] interprete:

Tu nomen Petri digna virtute tueris,
Hac in mole mihi saxique in robore ponam
Semper mansuras aeternis moenibus aedes.

De hac autem divina Christi responsione istud video a protestantibus maxime quaeri, utrum vocabula *πέτρος* ac *πέτρα* sint *συνώνυμα*, ac de uno eodemque subiecto adhibeantur: utrum idem sit qui *πέτρος* quique *πέτρα* dicitur: ac utrum de Petro affirmetur fore, ut ecclesia super illum aedificetur.

Et quamquam [17] mihi, ac uti opinor prudenti cuivis, neque caussa obscura sit neque dubia, quum ita nectantur verba, partesque copulentur, ut si qui contenderint alium vocari *πέτρον, πέτραν* alium, neque *Πέτρον* esse, cui fundamenti dignitas promittitur, hi videri debeant non interpretari orationem sed corrumpere, non impedita enodare, sed expedita implicare; nihilominus ne quid praetermittam ad eam rite statuendam idoneum, studia exigunt protestantium, quae nulla forte in re alia aut eminuere magis, aut se manifestius prodiderunt. Referam igitur describamque sincere quae Christophorus Wolfius, eiusdemque nominis Koecherus pro suo instituto, proque caussa cuius vindicias susceperant, collegere; efficiamque ut fateri quisque debeat, non nobis verum ipsis adscribendum protestantibus si meliora non adduxerimus.

55. Wolfius itaque in curis philologicis et criticis ad hunc locum scribit: „Quis per *petram* hic intelligendus sit, et veteres ecclesiae doctores [18] et recen-

[14]) Matth. XVI. 18.

[15]) Codices latini cum uno alterove graeco exhibent lectionem, *ἐπὶ ταύτην τὴν πέτραν*.

[16]) Hist. Evangelic. lib. III.

[17]) Lib. I. nn. 42. seqq.

[18]) De antiquis ecclesiae doctoribus mox addit: „Ex Patribus alii petram *de Christo ipso, de Petro* alii, alii *de confessione Petri*, alii *de apostolis* accipiunt. Loca singulorum vide apud Jo. Launoium in epistolis Part. V. epist. VII. pagg. 419. seqq., M. Ant. de Dominis lib. I. cap. VI. de Republ. Ecclesiastica, Casaubonum Exercit. Anti-Baron. XV, et in Casaubonian. pag. 83. cum notis meis pag. 285, Forbesium in Instruct. Theolog. lib. XV. toto, et inprimis cap. VI, Suicerum T. II. Thesauri, pagg. 698. seqq., Dupinium de antiqua Ecclesiae disciplina, Part. IV. cap. I, et Natalem Alexandrum in H. E. Sec. I. diss. IV. Pontificii itaque non habent, cur ad auctoritatem Patrum se recipiant.“ Quod utrum graviter, prudenterque dictum sit, inferius patebit.

tiores disputarunt; nobis autem in hanc disputationem ingredi per brevitatem non licet." At sin minus ingreditur, ad eam tamen, aliquot interiectis, accedit, subdens: „Nostrates et qui nobiscum hac in parte faciunt, alii vel de *Christo* ipso vel de *confessione* Petri paulo ante edita *petram* explicant. Ac posteriores quidem in argumentum afferunt [19] similem Pauli phrasin, qua Ephes. II. 20. doctrinam apostolorum et prophetarum fundamentum esse ait, cui superstructa sit ecclesia. Priores vero se recipiunt ad loca Scripturae varia, in quibus [20] Christus *petra*

[19]) Similis profecto non est similitudine *verbali;* restat ergo ut similis sit similitudine *reali.* At similitudo *realis* pendet ex orationis contextu, qui utroque in loco est *diversissimus.* Fingitur ergo similitudo. Sed, per me licet, existat, an inquirendum propterea non erit, eodem ne an dissimili modo super Petrum, apostolos reliquos ac prophetas ecclesia aedificetur? hoc nemo dixerit. Eo igitur quaestio redit, ut quid Matth. XVI. 18. promissum Petro fuerit, accurate determinetur.

[20]) Qui hoc pacto disserunt, ne ludere iidem videantur, necesse est *duplicem hypothesim* praestituant, ac I. metaphoricas Christi appellationes, cuiusmodi *petrae* et *fundamenti* nominibus I. Cor. III. 11. coll. I. Petr. II. 6. exprimuntur, tales esse quae cum altero communicatae censeri nequeant: tum II. analogiae bibliorum sic esse inhaerendum, ut quod *alicubi* assertum Christo legitur, idipsum *ubivis* tribuendum illi esse iudicetur. Sed utraque hypothesis absurda est, certisque argumentis refellitur.

Ac de priore quidem sic habet Grotius ad Matth. XVI. 18: „Non obstat (quominus πέτρα ad Petrum referatur) quod alibi Deus *petra* dicatur, et Christus *unicum fundamentum;* quum novum non sit easdem similitudines ad diversas res diverso modo significandas adhiberi. Alibi Paulus I. Cor. III. se *architectum* vocat, quod officium heic Christus sibi vindicat; neque aliter *petrae* et *fundamenti* nomen apostolis tribuitur, quam Rom. XI. 14. coll. I. Tim. IV. 16. *salvum facere.* Tum ut Matth. XVI. 19. *solvere et ligare,* utrumque proprie Ephes. IV. 32, Coloss. III. 13, Matth. IX. 6, Marc. II. 10, Luc. V. 24. tribuitur Deo Patri et Christo, ut quoque *peccata dimittere;* sic omnia II. Cor. V. 18. apostolis etiam communicantur ut ministris delegatis ob eam qua funguntur legationem per ministerium reconciliationis." Et ad Ephes. II. 20. subdit: „Voces per translationem usurpatae aliis aliter aptantur. Jesus I. Cor. III. 11. *fundamentum*, et Apoc. XXI. 14. apostoli *fundamenta.*"

Ad alteram vero refellendam abunde sufficit id animo reputare, quod cap. I. 4—5—7. scribit, repetitque Johannes, τὸν λόγον esse τὸ φῶς, quodque v. 8. de Praecursore addit, οὐκ ἦν ἐκεῖνος τὸ φῶς, ἀλλ' ἵνα μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ φωτός. Quamquam enim verissima ista sint, non minus tamen indubitata sunt verba ipsius Christi apostolos alloquentis Matth. V. 14: Ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου, quae cum his conferri debent quae de semetipso Jesus affirmat Joh. VIII. 12: Ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου, et cap. IX. 5: Φῶς εἰμι τοῦ κόσμου, quibus vaticinium consentit de eo editum Luc. II. 32: Φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν.

Utraque igitur hypothesis falsa est, ac de iis ne cogitassent quidem protestantes, si ad utrumque ordinem *naturalem* et *supernaturalem* tantisper animum advertissent. Nihil enim ex utroque ordine evidentius, quam homines divina largitate in consortium divinarum proprietatum adscisci,

vel *lapis* appellatur, v. gr. I. Cor. X. 4, et Ephes. II. 20, ubi λίθος ἀκρογωνιαῖος audit. Prae ceteris B. Olearius, in Obss. Sacris pag. 451, Petrum ipsum interpretem verborum suorum [21] esse ostendit in epistolae suae prioris II. 4, ubi affirmat, πρὸς Χριστὸν προσερχομένους λίθον ζῶντα καὶ αὐτοὺς (τοὺς πιστοὺς) ὡς λίθους ζῶντας οἰκοδομεῖσθαι οἶκον πνευματικόν. Quae verba tam affinia his Christi ipsi esse iudicantur, ut pro repetitione et illustratione verborum Christi haberi debeant. Mentem itaque Domini hanc esse arbitratur: *agnovisti me Christum lapidem illum vivum a prophetis promissum*, κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, *vicissim agnosco te Petrum, hoc est, nomini a me tibi imposito fidem respondere video, te igitur ecce lapidem etiam vivum. Super hac Petra vero, quam agnovisti, tales lapides vivos exstruam, ut inde existat aedificium ecclesiae meae, Hierosolyma nova, civitas caelestis.*"

Refert deinde tertium illorum commentarium, „qui a pontificiorum castris et persuasione alioquin alieni, πέτραν de Petro interpretati sunt, ideo inprimis, quod paronomasiam talem hic in verbis, σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, esse censent, qualis occurrit Gen. XLIX. 8. Ita Clericus ad Hammondum, qui Cameronem in Praelectionibus suis ad hunc locum, et in Myrothecio interpretationem hanc extra dubium collocasse existimat."

Negat continuo Wolfius tantam sibi huius interpretationis perspicuitatem videri, suamque promens opinionem, ait: „Mihi quidem sententia de Christo ipso tamquam *petra* mirifice placet, et videtur omnino sanctissimus Servator *exsertis et directis in se digitis* Petro manifestum fecisse de quo loquatur. Adde Casaubonum, Exercit. Anti-Baron. XV. Allixius ὁμόψηφος in Considerationibus super libros prophet. V. T. pag. 185. Christum putat speciatim respicere ad Danielis II. 35, ubi vaticinium exstat de lapide (idest Christo) qui imagine percussa in magnum evaserit montem, et totum orbem impleverit."

56. Prolixior est ac in recensendis auctorum nominibus diligentior [22] Koecherus, qui sic habet: „Quid voce πέτρα Servator optimus significaverit, *mire variant* doctorum virorum veteris ac recentioris aevi sententiae, quarum silvam aliquam exhibent Ludovicus [23] Dupinius, Justinus [24] Febronius, Johannes [25]

Neque mirum, quum universa erga homines Dei οἰκονομία *ex amore* profecta (qui amor ipse est Deus, de quo scriptum est I. Joh. IV. 7—13: Ὅτι ὁ Θεὸς ἀγάπη ἐστί) *ad coniunctionem*, qui fructus est amoris, suo pondere adspiret. Unde aureum illud Athanasii in aureo libello de incarnatione Verbi: Ὁ τοῦ θεοῦ λόγος ἐνηνθρώπησεν, ἵνα ἡμεῖς θεοποιηθῶμεν.

[21]) Non sunt illa verba Petri, sed Christi, atque adeo pronomen *suorum* Oleario aut Wolfio negligenter excidit.

[22]) Analect. Philolog. et Exeget. ad Matth. XVI. 18.

[23]) De antiqua Eccles. disciplina, Dissert. IV. cap. I. §. 1.

[24]) De statu Ecclesiae, et legit. Pontif. Romani potestate, cap. I. §. 2.

[25]) Confess. Catholic. Lib. I. Part. II. cap. II.

Gerhardus, Leighius [26], Huthius [27], Isaac [28] Barrow, et Augustus [29] Tittel. — Christum, quum verba ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ recitaret, *digitum in se intendisse*, et *semetipsum* illis designasse, Witsius [30], Schoettgenius [31], Schultzius [32], Bodius [33], Georgius [34], Chrysander [35], Huthius [36] arbitrantur. — Illum in mente habuisse *confessionem*, quam de ipso Petrus religiose ediderat, Erasmus [37], Centuriatores [38] Magdeburgenses, Pasor [39], Hedinger [40] statuunt. — Utrumque, *et Jesum Christum*, et apostoli de eodem *confessionem memorabilem*, coniungendum intelligendumque esse, putant [41] Meisnerus et [42] Glassius. — Petram denotare *Petrum apostolum*, alio tamen sensu ac scopo, quam pontificii, opinantur Werenfelsius [43], Beausobre [44], Pfaffius [45], Bengelius [46], Palairet [47], Crusius [48], Stackhouse [49], Collier [50], et [51] Moldenhaver."

Quasi vero nondum ista sufficerent, pergit: „Supersunt *quaedam aliae et diversae* loci nostri explanationes. Interpretantur nempe illum Flacius [52] *de Christo eiusque doctrina et religione;* Basnage [53] *de Petri confessione tam passive quam active sumpta*, idest, de Christo ecclesiae fundamento et eius praedicatione; Hardtius [54] *de fide sic comparata, ut fides in Petro prodita*, quae sit solida, firma, ac divina; Verpoortennius [55] *de revelatione Patris caelestis de Filio suo eiusque persona, officio opereque salutari, et divinitus proposita, et fide per hanc revelationem accensa, recepta et effectibus verae fidei prodita:* Pistophilus [56] et [57] Frisch *de gravissima et maxime fundamentali doctrina de*

[26]) Annotatt. pag. 87.

[27]) Dissert. memor.

[28]) Tract. von des Pabsts vermeynter obersten Kirchen-Gewalt, pag. 112.

[29]) In praefat. ad librum Barrow.

[30]) De oeconom. foeder. lib. III. cap. XIII. §. 21.

[31]) In Horis Hebraic. ad Matth. XVI. 18.

[32]) Manipul. observatt. pag. 206.

[33]) Annotatt. ad version. evang. Matthaei aethiop. pag. 116.

[34]) In notis ad N. T.

[35]) Dissert. de repraesent. actionis, §. XLVII.

[36]) Dissert. cit. cap. II.

[37]) In annotatt.

[38]) Centur. I. lib. I. cap. IV.

[39]) Lexic. Graec. pag. 762.

[40]) Anmerkungen zum N. Test.

[41]) Philosoph. sobria, Part. II. sect. I. cap. II. q. IV.

[42]) Philolog. lib. V. tract. I. cap. VIII, et tract. II. cap. II.

[43]) Opusc. Theolog. T. I. pag. 262.

[44]) Remarques pag. 55.

[45]) Origines Juris eccles. cap. I. art. III.

[46]) In Gnom. ad h. l.

[47]) In Observatt. pag. 55.

[48]) Hypomnemat. ad Theolog. prophet.

[49]) Vertheidigung der biblischen Geschichte, Part. VI.

[50]) Einleitung zum richtigen Verstand der h. Schrift, §. 202.

[51]) Erlaeuterung, pag. 77.

[52]) In Clave, pag. 913.

[53]) Annal. ad an. Domini XXXII. §. XXVIII.

[54]) Apud Winklerum in Tempe anec. p. 496.

[55]) Fascicul. dissertt. pag. 19.

[56]) Erlaeuterung schwerer Stellen der h. Schrift, Vol. I. pag. 560.

[57]) Kritik über die Heumann. Uebersetzung. pag. 93.

Jesu Christo. Brünings [58] existimat, vocem πέτρα idem esse quod πνύξ, locus quidam petrosus apud athenienses, quo populum convocabant. Hinc verba Christi sic illustrat: *in hac petra* (petroso loco attico simili) *aedificabo ecclesiam* sive concionem *meam.*" Post quae, ne quam ipse foveret sententiam, ignoraremus, subdit: „Longius haec petita esse, parumque illis lucis afferre, plures haud dubie mecum sentient. Fabricius [59] nullam meliorem se legisse interpretationem profitetur, quam Augustini, qui, ut uno verbo eam referam, petram de Christo hominum salvatore exponit.

57. Haec illi, ad quae si animum nonnihil adverterimus, protinus intelligemus, in summo opinionum sententiarumque discrimine protestantes versari, nihil admodum habere explorati atque comperti, faciliusque invenire quae improbent quaeque damnent, quam quae statuant, sibique aliisque argumentis idoneis persuadeant. Quum enim de *subiecto* quaereretur, ad quod nomina πέτρος καὶ πέτρα referenda sint: quumque responsio peteretur fixa atque rata; operam illi quidem dedere ut responderent, sed *neque sibi neque aliis* facere satis potuerunt. Non sibi, quum quae alteri probabatur responsio, alteri displiceret; non aliis, ac praesertim catholicis, qui in tanta dissensione indicium minime dubium erroris, ignorataeque veritatis sibi deprehendere videbantur. Illorum namque mentibus insidebat, quod sapientissimi patres, Irenaeus [60], Tertullianus [61] ac Athanasius [62] monuere, postremum haud esse erroris argumentum, quod e varietate dissidiisque interpretationum, doctrinaeque repetitur.

Ne autem morosior existimer, hoc interea *praeiudicium* seponam, illudque potius considerabo, quidnam tandem protestantes impedierit, quominus, etsi vehementissime cuperent, in unam eamdemque interpretationem convenirent. Cuius quidem impedimenti *duas* reperio *caussas*, e quibus ipsimet alterutram admittant necesse est. Neque enim video quid reponi huic argumento possit: „Interpretationum dissidia vel *ipsis* tribuenda sunt *interpretibus* qui suo male fungantur munere; vel *ex obscuritate textus* repetenda, qui enarrandus explanandusque proponatur. Si enim et textus sit conspicuus, et interpretes legibus obsequantur artis quam profitentur; una omnium necessario erit sententia, unus idemque commentarius. Jamvero dubitari non potest, in enarrandis Christi verbis, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, plurimum inter se discrepasse ac porro discrepare protestantes, quum brevissimi incisi *decem* saltem [63] ab iis profectae expositiones numerentur. Concludendum igitur superest, vel protestantes ad interpretandum accedentes non iis paruisse legibus, quibus sincera exponendi ratio dirigitur, atque adeo suo muneri in caussa minime levi non leviter

[58]) Compend. Antiquitt. Graec. cap. XIII. §. 3.

[59]) Salut. Lux Evangelii, cap. L.

[60]) Con. Haeres. lib. I. cap. III, lib. III. cap. II, et lib. V. cap. XX.

[61]) De Praescriptt. cap. XXVIII.

[62]) De Decret. Nic. Synodi.

[63]) Ita ut non melius sibi in enarrandis his verbis protestantes constiterint, quam in definienda illorum potestate, quibus divinae Eucharistiae institutio continetur.

defuisse; vel textum explanandum obscurum esse, iisque obductum tenebris quae non facile depellantur."

58. Nihil est profecto in hac deductione contortum, obliquum nihil, nihil quod planum apertumque existimari non debeat. Seligant igitur alterutrum protestantes, fateanturque vel secus ac opus foret suam se operam in interpretando collocasse, vel in textum offendisse obscurum et salebrosum, quemque neque intentis curis adducere ad liquidum potuerint. Non instabo ut unum prae altero concedant, neque indicia urgebo sane non pauca quae *interpretum vitium*, *neglectasque ab iis hermeneuticas leges* demonstrare videntur. Non urgebo quod obvia planaque neglexerint, quod nullam contextus rationem habuerint, quod ad ementitos parallelos locos se receperint, quod suppleverint quae in textu nuspiam comparent, quod gestus in praesidium vocarint, quod nativum immediatae significationis splendorem [64] conquisitis impedimentis retuderint, et quod infensum concitatumque ostenderint animum, ac minus idcirco parem ad sincerum veritatis lumen hauriendum.

Ut enim exemplo utar, haud opinor videri admodum pacata posse, quae huius occasione textus in Lexico ad N. T., in opere scilicet a turbis contentionibusque alienissimo, Georgius Pasor [65] his verbis complexus est: „Sophistae (quo convicio quotquot sumus catholici oneramur) qui abutuntur hoc loco ad stabiliendam suam ἱεραρχίαν et *tyrannidem*, non attendunt in dicto loco Matth. XVI. 18. ἀντανάκλασιν, quae talis est *figura*, ubi eadem quidem vox iteratur, sed in alia significatione, cuius generis exempla afferri possunt permulta, Matth. VIII. 22, Luc. IX. 26, Joh. II. 23—24, et III. 6."

Haec, inquam, licet gravia, et ad detegendum interpretum vitium opportuna, non urgebo, potestatemque protestantibus faciam, ut dissidia quibus in partes ivere, neque secum commodius quam cum catholicis conspirant, *aut* in vitium interpretum, *aut* in difficultatem interpretationis, obscuritatemque textus refundant.

59. Novi quid optabunt, ac probe sentio eos numquam esse concessuros, ut ipsimet interpretes, violataeque hermeneuticae leges dissidiorum caussa habeantur. Quod etsi non admodum sit probabile, et a catholicis constantissime denegetur, permittam tamen, sinamque, ut varias ideo fuisse ac porro esse interpretationes affirment, quod implexus sit textus, diversisque commentariis obnoxius. At, quaeso, advertant quae ego inde concludam.

Concludo I. iustam illis defuisse caussam conflandi fatalis schismatis, quod a tribus iam saeculis christianam societatem dilacerat. Ecquae enim fuit miserrimae divisionis potior ratio, vera origo, supremumque principium? quod de instituta divinitus hierarchia, deque Petri praerogativis aliter illi decreverint ac

[64]) Eodem ferme pacto quo osores alicuius veritatis luculentissime comprobatae nullum ponunt modum excogitandis, proferendisque difficultatibus, quibus nativam demonstrationis evidentiam obscurent.

[65]) In Lexico Graeco-latin. ad N. T. v. Κηφᾶς.

communis receptaque fides postularet: quod eum Petro primatum detraxerint, quem dum schisma primum saeviit, christiani omnes eidem [66] deferebant. At ignorabant ne huius decisionem litis e sincera maxime interpretatione pendere verborum Christi, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*? immo et noverant, et profitebantur, tantasque idcirco adhibuere curas, ut illa secus ac catholici tenerent, accipienda esse comprobarent. Bene habet. Sed eo ne pervenere ut quod sibi efficiendum sumpserant, perficerent? ut indubitatis argumentis catholicorum expositionem refellerent, novam, suamque stabilirent? domesticae dissensiones ac ex iis expressa confessio de obscuritate textus, planum apertumque reddunt, iis forte *probabilia* adfuisse quae opponerent, sed *certa explorataque necessario* defuisse. *Probabilibus* igitur innixi *coniecturis* integrum sibi esse arbitrati sunt conflare schisma, unitatem abrumpere, pacis vinculum dissolvere, ecclesiam catholicam haereseos ac *tyrannidis* [67] accusare, accusatamque proscribere, constitutis pastoribus diem dicere, obedientiam negare, novum erigere ministerium, altare altari opponere, auctoresque esse ut *humana* audirentur nomina lutheranorum, calvinistarum, zwinglianorum, episcopalium, methodistarum, fratresque eodem lavacro regeniti, eumdem invocantes Patrem, eadem matre nutriti, eamdem profitentes fidem, eadem alti spe, et ad eamdem adspirantes hereditatem acerbissimis inimicitiis dissiderent.

Verum quibus moribus, quibusve legibus aut id olim licuit, aut modo licet, aut aliquando licebit? patribus nostris, viris sanctissimis ac sapientissimis [68] una semper vox fuit, una sententia: tantam esse schismatis turpitudinem, tantum scelus, tantumque flagitium, ut nulla esse ratio tam gravis, tamque perspicua possit, quae par ad illud excusandum, honestandumque videatur. Quid igitur de iis iudicassent, qui *dubiis incertisque de caussis* unitatem scindere, caritatem violare, hierarchiam subvertere, omniaque perturbare aggrederentur? iudicassent profecto agi illos inflammarique non spiritu Christi, qui spiritus est unitatis atque concordiae, sed spiritu eorum quos Judas [69] primum dicit *τοὺς ἀποδιορίζοντες*, ac mox, *ψυχικούς*, *πνεῦμα οὐκ ἔχοντες*.

Quamquam auctoritate Patrum opus non est, quum et ipsa se res prodat, et ne ab ipsis quidem protestantibus, dum candidius agunt, in discrimen vocetur.

[66]) Quod Henricus VIII, princeps deinde conflati in Anglia schismatis, adversus Lutherum in opere de Sacramentis et verissime monuit, et gravissime confirmavit.

[67]) Qua tyrannidis accusatione nulla apud protestantes frequentior, sicut et nulla iniquior, quum solemnia catholicae professionis instrumenta doctrinam referant ab ipsa tyrannidis specie alienissimam. Sed opus erat, ut potestatem quam subversam protestantes volebant, invisam primum horrifico tyrannidis nomine redderent.

[68]) Lege alteram epistolam Paciani barcinonensis antistitis ad Sympronianum novatiani schismatis asseclam.

[69]) Jud. v. 19.

Calvinus [70] enim, Beccanus [71], Marloratus [72], Crocius [73], Sadeel [74], Zanchius [75], Davenantius [76], Pastores ecclesiae gallicanae [77], aliique [78] sexcenti unanimes docent, ne separatio ab externa ecclesiae catholicae communione vitio verti, iisque adnumerari possit, quae Paulus peccata carnis appellat, *duo* omnino postulari, ac *errorem* inprimis, illumque *fundamentalem*, quem catholica communio profiteatur, defendat, aliisque profitendum, defendendumque praecipiat: *certam* deinde *plenamque erroris probationem.* Si alterutrum desit, neque separationem licere, neque inductam purgari a summa impietate posse. Jamvero ut *priorem* conditionem tacitus praeteream, quid de *altera* arbitrabimur? arbitrabimur ne adfuisse illam protestantibus, adfuisse argumenta certa, plenasque probationes, quibus et deceptos ostenderent catholicos verba Christi, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, interpretantes, suumque commentarium *tam variu̯m, tamque multiplex* adstruerent? haec omnia defuisse illis affirmemus oportet, ac adeo defuisse et etiam num iustam deesse caussam, qua conflatum schisma tueantur.

60. Ad alterum venio, ac ex eadem interpretationum varietate concludo II., non antea debuisse protestantes de verbis Christi quidpiam decernere, quam sententiam christianae antiquitatis explorassent, neque ab ea potuisse discedere, quin impudentiae, temeritatisque notam incurrerent. Non illud in praesentia mihi definiendum universim propono, quae quantaque [79] christianae antiquitati tribuenda sit auctoritas, neque illud, Scripturae ne verbis, an hominum iudicio arbitrioque, ut loqui ipsi amant, adquiescendum sit; sed hoc peto ac vero etiam postulo, quid fieri et deceat et debeat quum de eo Scripturarum textu explanando disputatur, cuius vim significationemque *ancipitem sibi dubiamque* ipsimet testantur. Si verum numquam non est quod Philippus Melanchthon ad Fridericum Myconium [80] scripsit, *videri tutum non posse a communi sententia veteris ecclesiae discedere:* et rursum [81], *magnam esse temeritatem, dogmata ferre, inconsulta ecclesia veteri, cuius iudicium contemni non potest*; id profecto longe verissimum credi tum debet, quum reliqua nobis adiumenta vel deesse penitus experimur, vel non eiusmodi suppetere, quibus ad *certam veritatis consequutionem* provehamur.

At quo pertinent diversi protestantium commentarii, vel quid diversae eorumdem interpretationes significant? nimirum propinquis, insitisque hermeneuticae adiumentis neque certam obtineri interpretationem posse, neque litem

[70]) Institutt. lib. IV. cap. I. §§. XII—XIV—XVII.

[71]) De Locis, loco XLI. de Ecclesia §. XXII.

[72]) In I. Cor. III. 12.

[73]) In Controversiis, Controv. III. cap. VII.

[74]) Respons. ad artic. Burdeg. art. LXI.

[75]) De Ecclesia, cap. VII.

[76]) Epist. ad Duraeum.

[77]) Apud Davenantium in epist. cit.

[78]) Magno numero citantur ab Adriano et Petro De Walemburch, *De unitate Ecclesiae*, lib. II. capp. VII. seqq.

[79]) De quo doctrinae capite conferri possunt quae Dionysius Petavius disputat in Prolegomenis ad Dogmata Theologica.

[80]) Apud Hospinianum, pag. 114.

[81]) Ibid. pag. 172.

praecidi. Decuit ergo necessariumque fuit, ut sententiam christianae antiquitatis antea protestantes consulerent, quam de sincera verborum Christi interpretatione arbitrarentur.

61. Immo necessarium fuit, ut sibi religioni ducerent a recepta communi antiquitatis suffragio interpretatione divertere. Missa faciam, quae splendidissima ecclesiae lumina [82], institutique divinitus pastores doctoresque uno ore testantur, nefas esse haereticorumque proprium ab ea linea in enarrandis Scripturarum oraculis secedere, quam maiores sua auctoritate signarint; ac id unum monebo quod obtinere fidem apud omnes debet: non posse novos recentesque interpretes sine nota impudentis temeritatis eam *vetustissimi instrumenti* expositionem deserere, quam ii unanimes tradiderint qui primi instrumentum ipsum accepere, qui auctoribus propinquiores omnia multo noverant accuratius, quorum pluribus instrumenti idioma erat vernaculum, quique sese de retinenda propagandaque accepta ab auctoribus significatione sollicitos demonstrarint.

Nisi eiusmodi canon interpretibus sit sanctus, nescio an sibi constare possit hermeneutica disciplina: nescio an medium futurum sit reliquum, quo iis occurratur, quos Tertullianus [83] vocat *ingenia de spiritalibus nequitiae, cum quibus luctatio est nobis*, „et qui habent vim, et in excogitandis instruendisque erroribus *felicitatem non adeo mirandam*, quasi difficilem et inexplicabilem, quum de saecularibus quoque scripturis exemplum sit eiusmodi facilitatis. Vides hodie ex Virgilio fabulam in totum aliam componi, materia secundum versus, versibus secundum materiam concinnatis. Denique Hosidius [84] Geta Medaeam tragoediam ex Virgilio plenissime exsuxit. Meus quidam propinquus ex eodem poeta inter cetera stili sui otia Pinacem Cebetis explicuit. Homero-centones etiam vocari solent, qui de carminibus Homeri propria opera more centonario ex multis hinc inde compositis in unum sarciunt corpus. Et utique *fecundior divina literatura* ad facultatem cuiusque materiae. *Nec periclitor dicere, ipsas quoque Scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, ut haereticis materiam subministrarent*, quum legam oportere haereses esse, quae sine Scripturis esse non possunt."

Jamvero non aliis meliori iure tribuas, quod omnium primi Scripturae instrumentum acceperint, quod fuerint auctoribus viciniores, quod instrumenti linguam habuerint vernaculam, quodque semet expositionis semel traditae tenaces ostenderint quam iis per quos sententia christianae antiquitatis ad nos usque pervenit. Necessarium igitur protestantibus fuit, sententiam iudiciumque christianae antiquitatis explorare, illudque complecti, ne secus vitium impudentis temeritatis contraxisse viderentur.

82) Horum sententias, constantemque doctrinam expendit, illustratque Ludovicus Thomassinus, T. III. Dogmat. Theologic. Tract. I. de Prolegomenis Theologiae, capp. XVIII. seqq.

83) De Praescriptt. cap. XXXIX.

84) De hoc nomine aliter ab aliis lecto vide Rigaltii adnotationem.

62. Sed, quod omnium pace dictum velim, certum mihi compertumque est, antea protestantes de textus interpretatione iudicasse quam antiquitatis sententiam expendissent, et ab hac, quam non cognoverant, penitus aberrasse. Utrumque, quo potero brevius, expediam.

Praesto adhuc sunt opera *saeculo sexto-decimo* ab illis edita, et in quibus quum alia exstant miserrimae illius aetatis *propria*, tum maxime eminet incredibilis quaedam et ad stomachum usque creandum facta [85] christianae antiquitatis, traditionisque contemptio. Haec in iis ad omnem paginam, neque sine fastidio legas: solis inhaerendum esse Scripturis, seponendos esse Patres, pontificiosque exagitandos, qui solam habeant Traditionem quam crepent, solosque Patres, quorum humana auctoritate suas corruptelas vendibiles reddant. A primis iam saeculis, ipsaque martyrum aetate sordes inhaesisse ecclesiae, neque venam traditae doctrinae illimem defluxisse. Quid iamvero censes? verisimile ne putas, qui hosce in Patres, Traditionemque animos gererent, impensam eos dedisse operam, ut christianae antiquitatis monimenta excuterent, sententias cognoscerent, cognitasque vererentur? fructus sunt isti aestimationis et obsequii, non contemptus et odii. Est igitur *omnino probabile*, antea secum statuisse protestantes quid de verbis Christi affirmarent [86] negarentve, quam de cognoscenda christianae antiquitatis interpretatione sedulo cogitarint.

Cui probabilitati *vis* additur *certitudinis*, si libri ab iis contra Petri praerogativas eodem saeculo evulgati aliqua cura inspiciantur. Horum ego ob oculos habeo numerum non exiguum, meque admiratione percelli profiteor dum considero, hinc quidem inauditam affirmandi negandique confidentiam, inde vero totius christianae antiquitatis inscitiam singularem. Vix enim aliquot in iis reperias veterum lacinias, et Augustinum si exceperis semel iterumque citatum, reliqui Patres omnes, graeci latinique, Pontifices, synodi, historia penitus conticescunt. Dubitari igitur non potest, de interpretatione verborum Christi prius decrevisse protestantes, quam sua studia ad exquirendam christianae antiquitatis sententiam converterint. At quo exitu? illo ipso qui erat non exspectandus, sed prudentissime metuendus. Ab interpretatione scilicet totius christianae antiquitatis pondere stabilita longissime discesserunt.

At enim ista forte audentius dicimus quam par foret, aut nobis certe pensum imponimus nonnisi prolixa tractatione complendum? aliter orationem inflexissem, viamque iniissem aliam, si mihi alterutrum necessarium existimassem. Putavi enim ac etiam num puto, neque audacia opus esse ut accusentur, neque prolixiori disputatione ut protestantes convincantur, quod unanimem antiquitatis traditionem neglexerint ac damnarint.

[85]) Quod habes praeclare demonstratum in opere, La Perpetuité de la Foi. T. II. Liv. I. chap. I.

[86]) Id zwinglianis, calvinianisque contigisse in controversia de propria significatione verborum, quibus Eucharistiae institutio effertur, laudato in opere, capp. II. seqq., perspicuis argumentis demonstratur.

63. Enimvero quum plurimae [87] sint loquendi formulae de Petri praerogativis adhibitae, atque in Patrum libris, gestis synodorum, Pontificum litteris, monimentisque liturgicis usurpatae; prae reliquis tamen frequentiori usu, pleniorique consensione eae celebrantur, quibus ipsemet dicitur *petra* [88] *ecclesiae, aedificandae ecclesiae* [89] *petra, aedificationi ecclesiae* [90] *subiacens*, *aedificationem ecclesiae in se ipsum* [91] *recipiens*, *στερεὰ* [92] *πέτρα*, *petra quam non vincunt* [93] *superbae inferorum portae, petra* [94] *solidissima*, *cui* [95] *Dominus sui nominis, quo petra nuncupatur*, *communionem indulsit*, *secundum* [96] *a Christo fundamentum*, *magnum* [97] *ecclesiae fundamentum*, *fundamentum* [98] *simpliciter ac θεμέλιον*, *fundans* [99] *ecclesiam sua firmitate*, *firmamentum* [100] *ecclesiae*, *apostolus in quo est* [101] *ecclesiae firmamentum*, *firmamentum* [102] *fidei*, *columna* [103] *ecclesiae*, *eiusque* [104] *crepido.* E quibus liquet appellationes *fundamenti ecclesiae*,

[87]) Harum bene multas collegit Franciscus Harlay archiepiscopus rothomagensis, Apolog. Evang. lib. II. pag. 235, edit. Paris. MDCXXV.

[88]) Ab Hilario pictaviensi in Matth. XV. n. 6, in Ps. CXXXI. n. 4, et de Trinitate lib. VI. n. 20; Gregorio nazianzeno, Orat. XXVI. pag. 453, Ambrosio in primo ex hymnis, cuius meminit etiam Augustinus, Retractt. lib. I. cap. XXI, et Epiphanio in Ancor. n. 9.

[89]) A Tertulliano de Monogam. cap. VIII, Origene in Ps. I. apud Eusebium, H. E. lib. VI. cap. XXV, Cypriano epist. LXXI. ad Quintum, et Firmiliano epist. ad Cyprianum, quae est LXXV. inter Cyprianicas.

[90]) A Basilio con. Eunomium lib. II. n. 4, et Zenone lib. II. tract. XIII. n. 2.

[91]) Ab iisdem.

[92]) Ab Epiphanio, Haeresi LIX. n. 7.

[93]) Ab Augustino in Ps. con. partem Donati, et Leone in Serm. XCVIII. al. XCIV. cap. I, ubi Petrum *apostolici ordinis principem* vocat, qui *beatitudinis felicitate donatus, sacram inviolabilis petrae acciperet firmitatem*, *super quam fundata ecclesia portis inferi et mortis legibus praevaleret.*

[94]) A Theodorito epist. LXXVII.

[95]) En verba Maximi taurinensis in Serm. pro Natali Petri et Pauli: „Hic est Petrus, cui Christus Dominus communionem sui nominis libenter indulsit; ut enim sicut Paulus apostolus edocuit, *petra erat Christus*, ita per Christum Petrus factus est petra, dicente ei Domino: *tu es Petrus*, *et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.*"

[96]) A nazianzeno Gregorio in homilia Archieratico inserta.

[97]) Ab Origene in Exod. hom. V. n. 4.

[98]) In Sacramentario Gallicano edito a Mabillonio T. I. Musei Italici, pag. 343; in Missali Mozarabo apud Josephum Blanchinium T. I. collect. opp. Cardinalis Thomasii, pag. 124; in synodo ephesina, Act. III; et in epist. I. Pseudo-Clementis ad Jacobum fratrem Domini, n. 1.

[99]) A Petro Chrysologo, Serm. CLIV.

[100]) Ab Ambrosio de Virginit. cap. XVI.

[101]) Ab eodem in Lucam, lib. IV. n. LXX.

[102]) A Chrysostomo in homilia de talentorum decem millium debitore, T. III. pag. 4.

[103]) A Philippo apostolicae sedis legato, Act. III. ephesini concilii.

[104]) A chalcedonensi synodo, Act. III: „Sanctissimus et beatissimus episcopus magnae senioris Romae Leo, per nos et per praesentem sanctam synodum, una

ac *eius super quem fundata est ecclesia*, non minus in christianis monimentis *proprias* esse Petri, quam in romanis monimentis appellationibus *africani* et *cretici* Scipio, Metellusque distinguantur.

Porro hae formulae tanta consensione receptae, omniumque usu frequentatae eiusmodi sunt, ut *suam* demonstrent *originem*, *communemque fidem* patefaciant. Suam demonstrant originem, illamque non aliam a Christi verbis, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν:* communem vero fidem patefaciunt, quum nihil sit vulgato constantique loquendi usu ad fidem ostendendam sive accommodatius, sive validius. Igitur *ubivis*, *ab omnibus*, *semper* creditum est, Christi verba ad Petrum spectare, iisque Petrum ecclesiae fundamentum destinari. Atqui haec est illa fides, illa ipsa Scripturae interpretatio, quam antiquiores maxime protestantes oppugnandam, convellendamque credidere, et propter quam tantas turbas, tantosque tumultus adversus catholicos conviciis *papistarum*, *romanensium*, *sophistarumque* notatos concitarunt. Triti omnium manibus controversiarum libri, criticorumque sacrorum *συλλογή* me ab onere levant testimonia recitandi, potestatemque faciunt concludendi, neque consuluisse, uti debebant, protestantes christianae antiquitatis sententiam, neque illi adquievisse, sed ab ea devios non sine nota impudentis temeritatis discessisse.

64. Verum iam telam retexo, *ὑπόθεσιν* ad limam revoco, sciscitorque iure an iniuria praesens de quo disserimus textus *obscurus* habeatur. Haberi autem obscurum non posse contendo, argumentisque confirmo. E quibus primum sit *negans*, ac omnino huiusmodi: obscuritas textus si qua sit, ea dimanet oportet sive ex lectione, sive ex vocabulis seorsum acceptis, sive ex phrasibus, sive ex orationis structura, sive ex materia eidem subiecta. Si enim et lectio sit certa, et vocabula trita, et phrases compertae, et *σύνταξις* usitata, et materia conspicua, nullus esse locus obscuritati potest. Nihil autem horum in verbis Christi desideratur: non lectionis certitudo, quum ea sit indubitata: non vocabulorum et phrasium evidentia, quum ea sit splendidissima, nullumque occurrat vocabulum insolens, nullaque phrasis impedita: non structura ad leges expressa, quum ea sit simplicissima: non denique materia conspicua, quum ea sit obvia atque plana. Nequit ergo textus censeri obscurus, neque ex eiusdem obscuritate repeti commentariorum [105] varietas, qua secum ipsis et cum catholicis protestantes confligunt.

Et *de evidentia* quidem textus praeclarum est iudicium, quod non pauci ex antiquioribus protestantibus tulere, quodque recentiores plerique omnes sequuntur. Negarunt illi videri dubium posse, an *unum idemque subiectum* duplici nomine *Petri* ac *petrae* significetur: negant idipsum quotquot recentiori aetate scripserunt. Eorum nominibus, quos Wolfius [106] et Koecherus [107] laudarunt, addi

cum ter beatissimo et omni laude digno b. Petro apostolo, qui est *πέτρα καὶ κρηπὶς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καὶ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως ὁ θεμέλιος*, nudavit Dioscorum episcopatus dignitate."

[105]) nn. 55 — 56.

[106]) n. 55.

[107]) n. 56.

plura [108] facile possent; sed multo fore utilius arbitror referre, quae duumviri eruditissimi Bengelius et Dodwellus affirmant et probant.

65. Ille igitur in Gnomone [109] his plane verbis utitur: „*Πέτρος* alias denotat *lapidem*; sed in Simone *petram*. Enimvero talem virum non conveniebat [110] appellitari *Petram* foeminina terminatione: vicissim Matthaeus (satius graecus Matthaei interpres) libenter scripsisset, *ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ*, si sermonis ratio tulisset. Quare haec duo, *πέτρα* et *πέτρος* stant pro uno nomine, sicut unum utrinque nomen *kepha* legitur in syriaco. *Petrus* heic ponitur ut proprium, dicitur enim, *tu es*, non, *tu eris;* et tamen connotatur aperte vis appellativi, ut *petram* denotet.“ Tum aliquot commemoratis Petri ornamentis subdit: „Praeterea hic potissimum *fratres suos confirmare, ovesque et agnos Domini pascere* iussus est. Atque illustre cognomen, alias ipsi Christo tribui [111] solitum, qui item *petra* dicitur, haud sine maximae rei significatione inditum Petro esse oportet, qui etiam in catalogo apostolorum *primus* dicitur, et primo semper loco ponitur, Matth. X. 2, vide etiam I. Petr. II. 4—7.“

Plenius eamdem sententiam confirmat [112] Dodwellus, ac *petrae* nomine intelligi *Petrum* oportere demonstrat: „1°. Quod *nomina* (hominibus a Deo facta) ut plurimum de ipsa *persona* agnominata, pro usitatissimo Scripturarum more, intelligenda sint. Quod probant orthodoxi de nomine *Emmanuel* adversus socinianos. 2°. Quod nomen illud *Cephae*, cui respondet illud *Petri graecum*, diu ante confessionem illam, a prima usque eius conversione inditum ei fuerit a Domino. 3°. Quod *emphatica* sint illa, *dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram*, quasi *de eodem* dicta essent omnia. Praesertim 4°. quia in

[108]) Cf. Poli Critic. Sacr. Synopsin ad Matth. XVI. 18.

[109]) Gnom. ad Matth. XVI. 18.

[110]) Quamquam *πέτρος καὶ πέτρα* significatione non distent, nihilominus I. ad rupem exprimendam, lapidemque denotandum multo est usitatius nomen *πέτρα*, pro quo nonnisi rarissime (II. Macc. I. 16, IV. 41, in fragm. Aquilae, Ex. IV. 21, Ps. LXXVIII. 15, apud Homerum Iliad. ς'. v. 270, Euripidem, Med. v. 28, et Xenophontem, Anab. lib. IV. 5—8.) *πέτρος* adhibetur. Fuit autem II. cur graecus interpres in priori inciso *πέτρον*, in altero *πέτραν* diceret. Ne scilicet vel rariori uteretur vocabulo, vel nomine femininae terminationis hominem appellaret, quod sine contemptus indicio fieri vix posse videbatur. Quibus III. refellitur Lightfooti coniectura, idcirco duo incisa seiungi oportere, quod in altero legamus, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*, non autem, *καὶ ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ*. Multo est verior accuratiorque IV. Theodori Bezae animadversio scribentis: „Dominus syriace loquens nulla usus est agnominatione, sed utrobique dixit *Cepha;* quemadmodum et vernaculum nomen *Pierre* tam de proprio, quam de appellativo dicitur. In graeco quoque sermone *πέτρος* et *πέτρα* non re sed terminatione tantum differunt.“

[111]) Similia habet Hieronymus in Jerem. lib. III. cap. XVI: „Non solum enim Christus *petra*, sed et apostolo Petro donavit, ut vocaretur *petra*.“

[112]) Dissertt. Cyprianic. Diss. VII. §. XXXI.

idiomate *syriaco*, quo *loquutus* est Dominus, quo *scripsit* etiam evangelista, periret illa omnis *paronomasia*, ex qua illas (de petra, quae sit Christus vel fides de Christo), quas diximus, eliciunt interpretationes, nec plus quam *una* utrobique vox occurreret, nimirum illa *Cephae;* et quidem 5°. *paronomasiam* illam propterea induxisse videtur *graecus* evangelistae *interpres*, tum quod *Petri* nomen *masculinum viro* esset magis congruum, tum quod eo dumtaxat nomine apud *graecos* appellari solitus esset, tum maxime quod *πέτρον* nomen licet *saxis* commune apud graecos, at certe *cantibus* designandis, quae quidem solidissima essent aedificii construendi *fundamenta*, est quidem *πέτρας* illud longe usitatius. Unde constat graecis auribus quam fuerit *paronomasia* non *elegans* modo sed plane necessaria. Quae tamen non vidisse *latinos*, non est mirum, graecae linguae atque syriacae pariter ut plurimum imperitos.“

66. In hac autem interpretatione statuenda unanimes sunt recentiores protestantes, e quibus duos commemorabo, Rosenmüllerum patrem, testem ceteroqui minime bonum, et Theophilum Kuinoel haud paullo eruditiorem. Prior [113] ad verba, *σὺ εἶ Πέτρος*, scribit: „*Πέτρος* respondet nomini syriaco *κηφᾶς*, quod antea erat ipsius nomen, a כֵּיפָא, *petra. Πέτραν* autem *ὄρος*, *montem* sive *rupem* etiam apud Homerum interpretantur critici. Et Christus imponit ipsi nomen *Petri* non *Petrae*, quia terminatio foeminina non videbatur esse conveniens viro; quamquam et hoc notandum est, atticos scriptores, Sophoclem et Aeschinem etiam *πέτρον* dixisse, quorum loca indicavit Jo. Alberti Obs. Philolog.“

Ad ea vero progressus quae sequuntur, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, ait: „*Petra* nec est confessio Petri, nec Christus semetipsum digito vel nutu designans (quas interpretationes nec contextus admittit), sed ipse Petrus. Dominus syriace loquens nulla usus est agnominatione, sed utrobique dixit Cephas, quemadmodum gallicum nomen *Pierre* tam de proprio quam de appellativo dicitur. Designavit itaque digito aut nutu *Petrum;* id enim conveniebat proposito reddendae rationis impositi nominis. Ita de *Abrahamo* dictum: nomen tuum erit Abraham, quia patrem multarum gentium te constitui. *Jacobo:* Israel erit nomen tuum, nam ut principem te geris apud angelos et homines. Ita Christus: Petrus a me nominatus es, quia eris quasi petra.“

Neque secus Kuinoel, qui verba Salvatoris hoc commentario [114] explanat:

[113]) In Scholiis ad Matth. XVI. 18.

[114]) Comm. ad Matth. XVI. 18. Consentit Schleusner, qui in Lexico N. T. ad vocem *πέτρα* scribit: „Matth. XVI. 18: *Ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, tibi, velut fundamento, saxo solido constanti, superstruam ecclesiam christianam.“ Neque aliter D. Bloomfield in anglico ad hunc locum commentario, qui I. notat, sententiam esse recentioribus interpretibus communem, unum idemque subiectum duplici nomine *πέτρου καὶ πέτρας* significari: et merito, pergit II. ut enim episcopus Marsh scite monuit, *ἀδύνατα* tentant, qui *πέτραν* a *πέτρῳ* seiungere moliuntur. Ca-

„Ego vero vicissim (*κἀγώ*, ut X. 22.) tibi dicam, quis tu sis, et quid a te exspectandum sit. *Σὺ εἶ Πέτρος, tu vere nominaris Petrus*, idest, rupes, saxum, nomen et omen habes. Sic Gen. XLIX. 8. יְהוּדָה אַתָּה, *tu recte nominaris Juda*, nam יוֹדוּךָ, quod sequitur, alludit ad nomen יְהוּדָה, add. Gen. XXVII. 36. Nomen *Πέτρος*, sive potius כֵּיפָה, hoc est, *πέτρος*, rupes, Jesus imposuerat Petro; usus autem est Jesus syro-chaldaice loquens vocabulo כֵּיפָה, et Matthaeus eadem dialecto scribens illud ipsum quoque vocabulum adhibuit. Sed Matthaei graecus interpres primo loco scripsit *πέτρος*, et altero *πέτρα*, quia proprium apostoli nomen graecum non erat *πέτρα* sed *πέτρος*. Nullum autem discrimen his vocabulis inest; imo graeci promiscue dicunt *πέτρος* et *πέτρα* ad significandum *saxum, rupem*. Sic *πέτρος* legitur Herodot. IX. 55, Callim. h. Apoll. 22, Sophocl. Oed. Tyr. 342. vid. Fischeri index Aeschin. s. v. *πέτρος*, et Albertius ad h. l.“

Alterum vero incisum sic reddit: „*Et super hac rupe ecclesiam meam exstruam*, quae verba edisserens Jesus Petrum manu vel digito tetigisse putandus est. *Male* enim plures interpretes per *πέτραν* intellexerunt vel Christum ipsum, vel professionem Petri paulo ante editam. Neque vero *ad has contortas interpretationes* confugissent interpretes, si non *pontificii* [115] e verbis, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*, ad Petrum relatis, male ac perperam vindicare voluissent Petri successoribus, hoc est, pontificibus romanis auctoritatem et praerogativam singularem ac divinam.“

67. Ceterum quo erat utroque et doctior et sagacior, eo protestantium *ψευδοδοξίαν* multo refutavit validius Henricus [116] Michaelis, cuius verba fide qua

nones namque omnes III. legitimae interpretationis utriusque coniunctionem evidentissime postulant. Quam ultro IV. vetustiores protestantes concessissent, nisi sibi, suaeque caussae a pontificiis timuissent; et nisi ab analogia fidei alienum existimassent, eam dotem adscribere Petro, quae Is. XXVIII. 16, I. Cor. III. 11, et I. Petr. II. 6—7—8. Christo tribuitur. Sed V. non magis pontificii urgent verba, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, quam insequentia, *καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς*: neque illis magis quam his Petri praerogativas tuentur. Quemadmodum igitur protestantium nemo sibi idcirco proposuit, ut verba, *καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς*, a Petro averteret; ita non fuit, quod etiam episcopus Middleton vidit, cur eadem de caussa praecedentia verba referri ad Petrum posse negarent. Studium vero VI. servandae analogiae inconsultum videri debet, quum omnino aliter Christus et Petrus ecclesiae petra, fundamentumque dicantur.

[115]) Qua confessione nescio quid desiderari possit pontificiis honestius. Ex ea enim sequitur, propositam ab iis defensamque interpretationem adeo fuisse perspicuam, ut dogmaticis quidem coniecturis obscurari, impeti vero argumentis grammaticis, philologicis et hermeneuticis nullatenus potuerit.

[116]) Introduct. in libros N. T. Par. I. §. XIV. Gottingae 1788.

maiori potero, latine reddam: „Illud, inquit, huic testimonio sinistrum accidit, quod in manus venerit polemicorum, ac ex iis obscuritatem contraxerit. Quemadmodum catholicis non concedo ad romanos pontifices pertinere quae de Petro dicuntur; ita fidem adiungere nequeo protestantibus, verba *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ* ad Christum referri, qui digitum in semetipsum intenderit quum ea pronuntiavit. Quod illi utique dicunt, minime vero evangelista."

„Sane quum praecedat, *σὺ εἶ Πέτρος*, et continuo sequatur, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*, quis studio partium non abreptus diffiteatur, ***Petrum*** esse ***petram***? quamquam graece loquutus esset Christus, de eo dubitari non posset, quum nomen *πέτρα*, etsi terminatione diversum, manifestam ad *Πέτρον* allusionem praeferat. At Christus loquutus est chaldaice, vel potius syriace quum in Galilaea versaretur; in utraque autem lingua nullo ab invicem discrimine vocabula כֵּיפָא, *πέτρα*, et כֵּיפָא, *πέτρος*, *κηφᾶς* seiunguntur. Quare interpres syrus eadem voce, iisdemque litteris usus est: ܐܢܬ ܗܘ ܟܐܦܐ ܘܥܠ ܗܕܐ ܟܐܦܐ. His vero responsio continetur, qua illorum castigari inscitia debet, qui nomina *πέτρον καὶ πέτραν* non solum ***distincta*** sed etiam ***opposita*** arbitrantur. Accedit pronomen *ταύτῃ*, quo is demonstratur qui *ἀμέσως* antecedit, diciturque *Πέτρος*, petra, *πετροανήρ*. Quae de digito finguntur, quem Jesus in semetipsum converterit, polemico interpreti adscribi debent, illi non possunt. Ecqui enim foret nexus inter propositiones, *σὺ εἶ Πέτρος*, et, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, si *πέτρας* nomine non Petrus, sed Christus exprimeretur? quod praemium retulisset Petrus? illi simillimum quod vir nobilis referret, quem ita imperator alloqueretur: ***ego dico tibi, esse te virum nobilem, et hunc*** (alium, diversumque digito monstrans) ***nobilem faciam, praediisque locupletabo, quibus exspoliari non possit.***"

68. Nimirum sic omnia comparata sunt, ut nisi hoc sit certum, unum eumdemque dici et *πέτρον* et *πέτραν*, et ***super Petrum*** aedificandam ecclesiam promitti, nihil quod sit certum, proferri posse videatur. Inspiciantur enim ***antecedentia***, et quo ea pertineant, attendatur. Orditur[117] Jesus, *μακάριος εἶ, Σίμων βὰρ Ἰωνᾶ, ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι, ἀλλ' ὁ πατήρ μου ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς*: tum[118] subdit, *κἀγὼ δὲ σοὶ λέγω*. Sed quid haec ostendunt, quid mutuo quo vinciuntur nexu probant, nisi Jesum in eo esse, ut promissis collatisve donis Petrum honestet? nullum vero illi conferret donum, nullum polliceretur, nisi verba, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, ad eum pertinerent. Ecquod enim? an Petri nomen? sed illud iampridem acceperat. Praeterea quid magnifici, quid praeclari, et ad cumulandam beatitudinem idonei in nudo nomine ac re, quam significat, destituto? ***Antecedentia*** igitur postulant, ut verba, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*, de Petro ipso intelligantur.

Quod rursum *σχέσις* evincit, qua se mutuo Christi, Petrique responsiones excipiunt. Nihil enim hac conspiratione evidentius:

[117]) Matth. XVI, 17. [118]) Ibid. v. 18.

I. *Σὺ εἶ ὁ Χριστός.*	I. *Σὺ εἶ Πέτρος.*
II. *Ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος.*	II. *Καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.*

Sicut enim utroque priore inciso *appellativum dignitatis nomen*, ita utroque posteriore *explicatio* effertur *dignitatis* appellativis nominibus adumbratae. Deperit autem, penitusque cessat haec partium harmonia atque conspiratio, si eae ab invicem divellantur. Quemadmodum igitur fas non est, verba *ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος*, a praecedentibus, *σὺ εἶ ὁ Χριστός*, seiungere; ita incisum, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, cum praecedente, *σὺ εἶ Πέτρος*, copulandum est.

Cuius coniunctionis, relationisque necessitatem *singula* quoque *verba* demonstrant, quibus testimonium ipsum continetur. Ac demonstrat inprimis verbum *εἶ*, *es*. Si enim Simon non *dicitur* tantum, sed *ἀληθῶς* est qui dicitur, ac revera *πέτρος* est, plane consequitur dotem illi proprietatemque convenire, ut tamquam solidissima petra ecclesiae supponatur. Si qui ergo ab eo incisum averterint, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*, hi et connexa divellere, et veritatem sermonis Christi dicentis, *σὺ εἶ Πέτρος*, in discrimen adducere videbuntur.

Quod et paullo aliter efferri sic potest. Non dicit Christus, *tu vocaris Petrus*, sed, *ego vero etiam dico tibi*, *ὅτι σὺ εἶ Πέτρος*, *quod tu es Petrus*, tibique dos ac proprietas inest, quae metaphora ac imagine petrae significatur. Sed ea dos non illi *ex sese* inerat, quum *ex sese* mobilis esset, fragilis et inconstans. Dicendo igitur effecit Jesus quod dixit, ostenditque se illud idem esse Dei Verbum, per quod omnia facta sunt. Quorsum vero omnipotenti virtute is qui est [119] Patris virtus, et [120] *τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλωσύνης τοῦ θεοῦ*, Simonem petram reddidit, effecitque ut petrae firmitate constantiaque potiretur? erit hoc tibi perspicuum, si ad eum verba retuleris, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*, quae si ab eo seiunxeris, nihil admodum reperies quod divinam commendet Christi providentiam et maiestatem. Liquet igitur non aliud iis designari subiectum quam Petrum.

Quod iterum suadent et particula *καί*, et pronomen *τοῦτο*. Illa enim *suapte natura* iungit copulatque sermonem, istud vero subiectum demonstrat quod proxime antecedit. At si verba *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*, a Petro separes, neque particula *καὶ* vim copulandi, neque pronomen *τοῦτο* vim retinebit demonstrandi subiecti, quod *ἀμέσως* praecedit: opus erit obliquas illis significationes adnectas, principesque violes hermeneuticas leges. Quae violatio eo videri in praesentia gravior debet, quo manifestius est, incisum consequens, media particula *καί*, cum antecedente coniungi, tamquam *effectum cum caussa*, vel *signum cum re quam denotat*. Et hanc sane copulandi rationem [121] mutuus

[119]) I. Cor. I. 24. coll. Joh. I. 3. Hebr. I. 2.

[120]) Hac periphrasi Christus a Clemente designatur in priore ad Corinthios epistola, §. XVI.

[121]) Quum duo plurave copulari mul-

probat incisorum respectus, e quo talis prodit sensus: *tu es Petrus*, lapisque firmissimus, *et ideo* (significatione *effectus*), vel *quoniam* (potestate *signi*) *super hanc petram*, immotumque lapidem *aedificabo ecclesiam meam*.

Quid vero illud, *οἰκοδομήσω*? si de seipso Jesus, non de Petro verba *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*, pronunciasset, numquam *οἰκοδομήσω*, sed prorsus *οἰκοδομῶ* dixisset; nam et ecclesiae aedificium sibi incumbens iampridem inchoaverat, inchoatumque etiam tum promovebat. Ea igitur de Petro pronunciavit. Quod adhibita *imago*, orationisque *decorum* pari evidentia confirmant. Utitur namque Jesus emblemate *principis architecti*, atque huius sibi *personam*, *munusque* asserit, inquiens, *οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*. Nemo autem non cernit *ἄτοπον* esse, ut unus idemque eadem imagine, eodemque emblemate [122] veluti *princeps aedificii architectus*, ac *illius fundamentum* repraesentetur. Selecta igitur imago, orationisque decorum non sinunt, ut verba, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*, de Jesu intelligantur. Unus autem reliquus est Petrus, de quo accipi possint. De Petro igitur accipienda sunt, in quem Jesus, uti sapiens architectus, idcirco primas sollicitioresque curas ostendit, ne secus exstruendum deinde aedificium inconstantia fundamenti nutaret.

Quid? quod ne oriri quidem suspicio possit, an alius diversusque sit, qui primum *πέτρος*, quique postea *πέτρα* nuncupatur? atqui ita omnino se res habet. Fac enim legeres, *κἀγὼ δέ σοὶ λέγω, ὅτι σὺ εἶ πέτρα, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.* Etiamsi maxime cuperes, de alio tamen diversoque subiecto pro alterutro inciso cogitare non posses. Sed ita plane loquutus est Jesus, ita Matthaeus scripsit, quum uterque utroque in membro idem ܟܐܦܐ nomen adhibuerit. Ipsa igitur suspicio praeciditur, ne de alio forte quam de Petro dictum arbitremur, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.*

Sane, ut nonnihil secus idem explanem, commentarius, *ὁ ἑρμηνεύεται*

tiplíciter possint, inter alios modos particula *καὶ* expressos hi saepe recurrunt, quibus coniunctio designatur vel *effectus cum caussa*, et *rei signatae cum signo*, vel *caussae cum effectu*, et *signi cum re signata*. Prioris usus exempla, in quibus *καὶ* reddi debet *ideo*, *idcirco*, *igitur*, *itaque*, *unde*, *propterea*, esse possunt Act. VII. 43, Luc. XII. 29. coll. Matth. VI. 31; Matth. X. 1. coll. IX. 37—38; Marc. IX. 5, I. Cor. V. 13, Galat. II. 16. Posterioris vero, in quibus idem valet ac *nam*, *enim*, habentur Luc. I. 14, Joh. III. 13, I. Cor. XIV. 32, I. Joh. III. 4, Apoc. I. 18.

Etiam apud hebraeos particula ו utramque saepe significationem refert, Deut. IV. 39, X. 19, Jos. I. 2, Gen. XXII. 12, Judd. VI. 14, Ps. LX. 13, illique alexandrini substituunt modo *οὖν*, modo *καί*, qua item Jerem. XLIV. 23, Is. V. 25. vertunt *ῥῆσιν* עַל־כֵּן *propterea*.

Jamvero in locis nostro plane geminis, et quibus impositio nominum, earumque declaratio continetur, cuiusmodi sunt Gen. XVII. 5—15, XXXII. 28, II. Sam. XII. 24—25...., particula *καὶ* alterutram significationem constanter exhibet.

[122]) Qui sentiunt decorum rhetoricum, a nobis, opinor, non dissidebunt.

Πέτρος, quem Johannes [123] subiicit Christi verbis, *σὺ εἶ Σίμων, ὁ υἱὸς Ἰωνᾶ· σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς*, luculenter ostendit, *πέτρον* esse vocabulum *ἑρμηνείας*, ac nomen Simoni revera promissum, et deinde collatum fuisse *Κηφᾶν*. Porro syriacum *κηφᾶς* quum *πέτρος* tum *πέτρα* graece effertur, et duo vocabula ita terminatione differunt, ut significandi potestate [124] consentiant. Quod igitur graece legimus, *σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, idem *significatione* valet ac si legeremus, *σὺ εἶ πέτρα, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*. Sed si hoc alterum legeremus, ne possemus quidem de *πέτρᾳ* a *πέτρῳ* divellenda suspicari. Necesse igitur est, ut unum eumdemque Simonem duplici nomine *πέτρου καὶ πέτρας* expressum demonstratumque credamus.

Accedunt [125] *consequentia* particula *καὶ* tam arcte cum antecedentibus nexa, ut *idem utrorumque subiectum* significari evidentius non possit. Subiectum autem consequentium exprimitur pronomine *σοί*, *tibi*, qui est Petrus. Idem igitur est subiectum, de quo dicitur, *σὺ εἶ Πέτρος*, ac mox, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*.

69. Ea hactenus persequuti sumus argumenta, quae *propinqua*, *insitaque* nominantur; his duo adiicimus *externa* ac *paullo remotiora*, neque propterea vel ad faciendam fidem, vel ad animos commovendos minus accommodata. Mihi enim persuadere non possum homines reperiri, qui sibi tantopere fidant, eosque spiritus alant, ut aspernentur, nulloque in numero habeant veterum Scripturae interpretum unanimem consensionem. Haec enim consensio duplici maxime nomine se nobis vehementer commendat, *eruditione* inprimis ac ipsorummet interpretum *peritia*: *illarum* deinde *ecclesiarum suffragio*, in quarum gratiam suas ipsi interpretationes edebant. Neque enim opinari possumus, quidquam iis fuisse antiquius, quam ut interpretationes praeferrent, quas communi, pleniorive ecclesiarum consensione probatas agnoscerent.

Age iam, ac oculos in polyglotta Waltonii biblia converte, interpretationesque *syriacam*, *arabicam* [126], *persicamque* considera. Videntur ne tibi interpretes suspicati, alium forte esse qui *πέτρος*, ac alium qui mox *πέτρα* nuncupatur? fuisse illos ab eiusmodi suspicione alienissimos inde liquido constat, quod una eademque voce pro sua quisque lingua, distincta terminatione nomina *πέτρου καὶ πέτρας* reddiderit. His adde *armenium* interpretem, quem Griesbachius [127]

[123]) Joh. I. 43. Hunc commentarium omittit Syrus.

[124]) Ad rem Hieronymus in epist. ad Galat. II: „Non quod aliud significet *Petrus*, aliud *Cephas*; sed quod quam nos latine et graece *petram* vocamus, hebraei et syri propter linguae inter se viciniam *Cepham* nuncupant.“

[125]) Matth. XVI. 19.

[126]) Dolo ne malo, an casu factum sit, nescio, illud scio in arabicis Scripturis cura Biblicae Societatis editis Londini anno 1825, et Calcuttae anno 1826, non idem vocabulum in utroque inciso, sed in priore بطرس, in altero vero الحجرة adhiberi.

[127]) Ad Matth. XVI. 18. not. n.

allegat, tum tecum reputa, an levi auctoritatis pondere stabiliatur, Petrum esse de quo Jesus dixit, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.* Gravissimum scilicet est hoc pondus auctoritatis, neque eo tamen maius, quod e suffragio eorum omnium existit, qui a primordiis christianae religionis ad nicaena usque tempora [128] floruere, suamque de Christi verbis sententiam litteris consignarunt.

Hos ego novi esse omnino *sex*, Tertullianum et Cyprianum in Africa, Origenem Alexandriae, Caesareae Firmilianum, Stephanum et Hippolytum Romae. Atqui nemo horum est qui a protestantibus non dissideat, qui nobiscum non consentiat, apertisque verbis non declaret, Petrum esse quem Dominus futurum ecclesiae fundamentum destinaverit. Adducantur testes, ac testimonia recitentur. Testimonium [129] Tertulliani: „Latuit aliquid Petrum aedificandae ecclesiae petram dictum, claves regni caelorum consequutum, et solvendi et alligandi in caelis et in terris potestatem?" Item [130]: „Super te, inquit, aedificabo ecclesiam meam, et tibi dabo claves non ecclesiae, et quaecumque solveris vel ligaveris, non quae solverint vel alligaverint. Sic enim et exitus docet, in ipso ecclesia exstructa est." Rursum [131]: „Quae ecclesia super illum (Petrum) aedificata est." Testimonium Cypriani [132]: „Petrus, quem primum Dominus elegit, et super quem aedificavit ecclesiam suam." Denuo [133]: „Petrus cui oves suas Dominus pascendas tuendasque commendat, super quem posuit et fundavit ecclesiam." Testimonium Origenis [134]: „Vide magno illi ecclesiae fundamento et petrae solidissimae, super quam Christus fundavit ecclesiam, quid dicatur a Domino: modicae, inquit, fidei, quid dubitasti?" Rursum [135]: „Petro quum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et super illum veluti super petram fundaretur ecclesia, nullius alterius ab eo virtutis confessio nisi caritatis exigitur." Testimonium [136] Firmiliani: „Qualis vero error sit, et quanta sit caecitas eius qui remissionem peccatorum dicit apud synagogas haereticorum dari posse, nec permanet in fundamento unius ecclesiae quae semel a Christo supra petram solidata est; hinc intelligi potest, quod soli Petro Christus dixerit: quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelis: et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in caelis." Testimonium Stephani [137] apud Firmilianum: „Atque ego hac in parte iuste indignor ad hanc tam apertam et manifestam Stephani

[128]) His me limitibus circumscribo, I. quod haec vetustissima traditio apud omnes maximum auctoritatis pondus obtineat: deinde vero II. ne prolixius excurrat oratio: ac III. ne varietate interpretationum, quae apud consequutos patres occurrunt, sibi aliisque protestantes negotium creent.

[129]) De Praescriptt. cap. XXII.

[130]) De Pudicit. cap. XXI.

[131]) De Monogam. cap. VIII.

[132]) Epist. LXXI.

[133]) De habit. virg.

[134]) In Exod. hom. I. n. 4.

[135]) In epist. ad Rom. lib. V. n. 10.

[136]) In epist. ad Cyprianum, quae est inter cyprianicas epist. LXXV.

[137]) Apud Firmilianum in laudata ad Cyprianum epistola.

stultitiam [138], quod qui sic de episcopatus sui loco gloriatur, et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta ecclesiae collacata sunt, multas alias petras inducat, et ecclesiarum multarum nova aedificia constituat, dum esse illic baptisma sua auctoritate defendit.“ Testimonium [139] Hippolyti: „*Διὰ τούτου τοῦ πνεύματος Πέτρος ἐφθέγξατο τὴν μακαρίαν ἐκείνην φωνήν· σὺ εἶ ὁ Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ζῶντος· διὰ τούτου τοῦ πνεύματος ἐστερεώθη ἡ πέτρα τῆς ἐκκλησίας.* Hoc actus Spiritu Petrus extulit beatam illam vocem, *tu es Christus filius Dei viventis:* huius virtute Spiritus petra ecclesiae consolidatus est.“

En argumenta *externa internis*, *insitisque* consentiunt: cum *Scripturis Traditio* conspirat: et quod *instrumentorum* verbis ostenditur, suffragio *testium* confirmatur. Vel igitur nihil est quod planum fieri instrumentis ac testibus possit, vel hoc utique est, Petrum dici *πέτραν*, eumque ecclesiae fundamentum designari.

70. In tanta probationum copia illam sibi prae reliquis excutiendam profligandamque Salomon Glassius delegit, quam ex *ἰσοδυναμίᾳ* nominum *πέτρου καὶ πέτρας* desumpsimus. Quare ubi [140] de *παρονομασίᾳ* loquitur, quam Quintilianus *προςονομασίαν*, Hermogenes *παρήχησιν*, et hebraeorum magistri לשון נופל על הלשון, *vocabulum cadens super vocabulum alterum*, appellant; sic omnino habet: „Evidens cumprimis paronomasiae huiusmodi exemplum est Matth. XVI. 18, ubi Christus post editam de se confessionem, quae a Petro [141] nomine omnium facta erat, ita ad nomen eius (quod ei indiderat Joh. I. 41.) alludens loquitur: *Tu es Πέτρος et super hac Πέτρᾳ aedificabo ecclesiam meam.* Ad Petri, inquam, nomen fit allusio, de se autem Christus loquitur, prout in confessione Petri celebratus pro Christo filio Dei viventis fuerat, ipso Petro interprete I. epist. cap. II. 4—5—6.“

Sed quae ista est ratio, sermonis membra paronomasia iungi, ab eo propterea qui *πέτρος* dicitur, distinctum esse diversumque qui *πέτρα* nuncupatur? cur non potius arbitrabimur, incisa apud Matthaeum eo fere modo coniungi, quo [142] haec, *vocavit nomen eius* שֵׁת *Seth,* כִּי שָׁת *quia posuit mihi Dominus semen aliud*: tum [143] ista, יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת *dilatet Deus Japheto*: ac [144] denuo שְׁלֹמֹה יִהְיֶה שְׁמוֹ *Salomo erit nomen eius*, וְשָׁלוֹם וָשֶׁקֶט אֶתֵּן עַל־יִשְׂרָאֵל בְּיָמָיו *nam pacem et tranquillitatem ponam in Israele diebus eius*?

[138]) Indignantis prorsus sunt verba, qui quum erraret ipse gravissime, et Stephanus catholicam fidem tueretur, ibi stultitiam eamque apertam manifestamque vidit, ubi universum christianum nomen liquidam veritatem contemplatur.

[139]) In s. Theophan. n. 9.

[140]) Philolog. sacr. lib. V. tract. II. cap. II.

[141]) Falsum istud esse, vel dextere omnino interpretandum, superius evicimus.

[142]) Gen. IV. 25.

[143]) Ibid. IX. 27.

[144]) I. Paral. XXII. 9.

An paronomasiae non sunt nisi *negantes*, quaeque *allusionis subiectum* ea ostendant proprietate *nudatum*, quae mox commemoratur? immo pleraeque omnes sunt *affirmantes*, subiectoque allusionis tribuendum esse monent quod deinde expolitur. Quam vim *affirmantem* heic accipi oportere, omnia probant quae disputavimus, tum istud praeterea, quod *acceptio negans* ab orationis contextu summopere abhorreat. Hunc enim sensum redderet: *tu es Petrus* firmitate insignis, *et super hanc petram*, cuiusmodi tu non es, et qualis ego sum, *aedificabo ecclesiam meam*. Verum quid I. hoc sermone abruptius, et ab audientium exspectatione remotius? quid II. a voluntate referendae gratiae significanda alienius? quid contra III. ad notandum Petrum accommodatius? Huc profecto redirent Christi verba: *tu quidem Petrus es stabilis ac firmus, non ea tamen stabilitate et constantia, ut super te aedificare possim ecclesiam meam, quam propterea non super te, sed super meipsum, qui immota sum petra, aedificabo.* An haec ad laudem pertinent, ad beatitudinem cumulandam faciunt, et eximiam praemii speciem praeseferunt? nihil minus. Igitur IV. si admitti paronomasia debet, ea *affirmans* non *negans* existimanda est.

Quamquam V. res est in tuto, quum in graeca versione paronomasia habeatur *grammatica* non *logica; nulla* autem penitus sit, si ad verba quae Christus protulit, quaeque Matthaeus scripsit, attendatur. Habetur in graeca versione *grammatica paronomasia*, quia πέτρος et πέτρα ita allusione conveniunt, ut *genere* ac *terminatione* distinguantur: abest vero *paronomasia logica*, quia eadem est utrique voci subiecta idea, eadem utriusque vocis significandi potestas. In verbis autem quae Christus adhibuit, quaeque Matthaeus retulit, nullum est παρονομασίας vestigium; quum utroque in membro unum idemque nomen ܟܐܦܐ usurparint. Quare ταυτότητι non παρονομασίᾳ orationis partes cohaerent. Quod Glassius minime diffitetur, inquiens: „In syriaco vero (qua lingua Christus fuit loquutus) eadem vox est כיפא, quae et *Petrum* nomine proprio, et *petram* appellativo nomine significat."

71. Verum ea mox subdit, quae hominis ostendunt infensum animum, nihilque non molientem, ut adversariis suis negotium creet. Scribit enim: „Habemus igitur quod volumus, *clamat pontificius*, Petrum scilicet esse petram illam, de qua Christus loquitur. Si Augustinus[145] advertisset, in-

[145]) Non unius Augustini in I. Retractt. cap. XXI, in Joh. Tract. CXXIV. n. 5, et Serm. LXXV. al. XIIII. de verbis Domini n. 1. sententia fuit, sed Origenis quoque in Matth. T. XII. n. 10, Eusebii in Ps. XVI, et comm. in Isaiam n. 16, Ambrosii in Lucam lib. VI. n. 97, Hieronymi in cap. VII. Matthaei, Theodoriti in I. Cor. III. 11, Cyrilli alexandrini in Joh. I. 40, Auctoris homiliae de Natali Petri Eucherio inscriptae, Laurentii mediolanensis in primo de Muliere Chananaea libro apud Mabillonium pag. 55. veter. Analectorum, Isidori Origg. lib. VII. cap. IX, Bedae in homil. de s. Petro, et Hadriani I. in litteris ad Hispaniae episcopos datis, *Petrum a petra* esse dictum, petram vero esse Christum, super quem ecclesia aedificatur.

At vero I. a petra dictum esse Pe-

quit [146] Bellarminus, Cepham nihil aliud significare quam *petram*, et Dominum dixisse, *tu es petra, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*, nihil dubitasset de veritate nostrae sententiae.“ Sed quid ad ista Glassius? e vestigio reponit: „Nihil ex hoc *iesuita* lucratur. Nil quicquam enim ex eo *τῇ παρηχήσει* et trum, intelligi dupliciter potest, *derivatione* inprimis *grammatica*, *derivatione* deinde *ontologica*, ac illius participatione qualitatis, *qua* Christus *in se est* petra, et *cuius consortio* Simon *factus est* petra. Illud inane est, hoc alterum verissimum. Atqui Patres posteriori sensu loquuntur. Ambrosius l. c.: „Ideo Petrus non exspectavit populi sententiam, sed suam promsit dicens, *tu es Christus filius Dei vivi*, qui et semper est, nec caepit ut esset, et esse non deficit. Magna autem Christi gratia, qui omnia prope vocabula sua discipulis suis donavit. *Ego sum*, inquit, *lux mundi*, et id tamen quo ipse gloriatur, discipulis nomen indulsit dicens: *vos estis lux mundi* .... *Petra* est Christus ...., sed etiam discipulo suo huius vocabuli *gratiam* non negavit, ut ipse sit *Petrus*, *quod de petra habeat soliditatem constantiae*, fidei firmitatem.“ Hieronymus l. c.: „Supra hanc petram (cuius mentio est Matth. VII. non autem XVI.) Dominus aedificavit ecclesiam, ab hac petra apostolus Petrus sortitus est nomen.... Fundamentum, quod apostolus architectus posuit, unus est Dominus noster Jesus Christus. Super hoc fundamentum *stabile* et *per se* (non communicatione, qua apostolus Petrus a petra sortitus est nomen) robusta mole fundatum aedificatur ecclesia.“ Augustinus in tertio ex locis indicatis: „Petra *principale* nomen est. Ideo Petrus (uti effectus) a petra (tamquam principio et caussa), non petra (quae est principium et caussa) a Petro (qui est effectus); quomodo non a christiano Christus, sed a Christo christianus vocatur.“ Et Serm. LXXVI. cap. II: „Petrus a petra cognominatus beatus, ecclesiae figuram portans, apostolatus *principatum* tenens.“ Consonat Beda l. c.: „Petra autem erat Christus, et super hanc petram, idest, super Dominum Salvatorem, qui fideli suo cognitori, amatori, confessori *participium sui nominis* donavit, ut videlicet a petra Petrus vocaretur, supra quam aedificatur ecclesia.“

Ad haec II. aliud est quaerere, quinam ex *sese* ac *simpliciter* credi debeat ecclesiae fundamentum, ac aliud quinam *proxime* futurum ecclesiae fundamentum *Matth. XVI. 18.* significetur. Atqui priorem controversiam habent Patres, non posteriorem, dum Christum esse ecclesiae fundamentum confirmant.

Postremo III. quod iidem docent, super Christum, tamquam super petram, aedificari ecclesiam; accipi tripliciter potest, *coordinate*, ut loquuntur, *subordinate* et *exclusive*. Jamvero nemo est qui contendat sive Petrum, sive alium quempiam esse cum Christo *coordinatam ecclesiae petram*, quia nemo est qui diffiteatur, infinitum esse intervallum quo dignitas Christi Dei a dignitate Petri ac alterius cuiuscumque hominis separatur. Sub Christo autem et post Christum Petrum esse petram ecclesiae, atque adeo petram esse *subordinatam*, Scripturae tradunt, Patresque uno ore testantur. Quare si de *coordinata ecclesiae petra* sermo sit, unus Christus ac omnino *exclusive* ecclesiae petra credendus est; sin autem *de petra subordinata*, etiam Petrus *post* Christum, et *ante* reliquos omnes ecclesiae petra existimari debet.

[146]) De Rom. Pontif. lib. I. cap. X.

allusioni perit: כיפא ut nomen proprium est, aliud sine dubio significat, quam ut nomen est appellativum. Sicut *Abel*, *Debora*, *Rachel*, *Jona* aliud significant, quum nomina propria sunt, quam dum appellativa sunt, licet in ipsa denominatione nihil mutetur. Ut igitur denominativa haec sunt a suis primitivis dicta; ita denominativum *Cepha* est, qua personam Petri designat, et non petram ipsam significat, sed qui ad petram, a qua denominatur, certa ratione attinet. Attendit hoc ipsum syrus interpres, qui כִּיפָא priori masculinum הוּ *ipse*, praeponit: כִּיפָא autem posteriori, foemininum הָדָא *haec* (et foeminini generis esse, quando *lapidem* significat, ex I. Cor. X. 4, Matth. XXIII. 42, Marc. XVI. 4. patet.). Qua ratione procul dubio etiam Christus fuit loquutus.“ Postremam hanc animadversionem amplexus est, probavitque [147] Christianus Reineccius, inquiens: „Syrus per pronomina, unum masculini generis, et alterum foeminini generis, *Petrum* a *petra* sufficienter distinguit.“

At I. quo pacto cum aientibus Christi verbis, *tu es* כיפא, illud componas, Simonem *non esse Cepham*, sed *ad Cepham pertinere*? Praeterea II. pertinere quis ad alium *dupliciter* potest, externa *σχέσει*, ac interna eiusdem proprietatis communicatione. Quo igitur sensu dicitur Simon non esse petra, sed pertinere ad petram? si priore, nihil inanius, nihilque a verborum proprietate remotius. Sin autem posteriore, id habemus quod tuemur, Simonem esse petram, *non suapte quidem natura, vera tamen illius dotis participatione*, qua Christus est, petraque princeps nuncupatur.

Ad haec III, unde Simoni nomen *Cephae* factum est? partim *ex praesenti eventu*, ac partim, et multo etiam *ex eo* magis *qui erat futurus*. Illud ostendunt verba, *σὺ εἶ Πέτρος:* hoc insequentia declarant, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.* Igitur si *ratio* impositi nominis habeatur, censeri illud debet quum *historicum*, tum maxime *propheticum*. Historicum inprimis et simillimum [148] nomini *Israelis*, quod componitur ex שָׂרָה *instar principis se gessit*, et אֵל *Deus fortis*, inditumque Jacobo idcirco traditur, quia שָׂרִיתָ *ut principem te gessisti cum Deo et cum hominibus.* Propheticum deinde, quodque conferri debet cum nomine [149] *Abrahami*, ex אָב *pater*, רָם *excelsus*, et הָמוֹן *multitudo*, cuius potestatem aperit Deus, subdens: כִּי אַב־הֲמוֹן גּוֹיִם נְתַתִּיךָ *quia patrem multitudinis gentium posui te;* itemque cum nomine [150] *Sara*, de quo Hieronymus [151] scribit: „Causa nominis ita immutati haec est, quod antea dicebatur (Sarai) *princeps mea*, unius tantum domus mater familias: postea vero (addita eadem littera ה, quae Abrami nomini accessit)

[147]) In notis ad Biblia sacra quadrilinguia edita Lipsiae MDCCXLVII.

[148]) Gen. XXXII. 28.

[149]) Ibid. XVII. 5.

[150]) Ibid. v. 15.

[151]) Quaestt. Hebraic. in Genesim.

dicitur absolute *princeps*, idest, ἄρχουσα. Sequitur enim, *dabo tibi ex ea filium, et benedicam ei, et erit in gentes, et reges populorum erunt ex ea.*" Jam si neges Simonen esse *Cepham*, *historicam vim* nominis labefactas: sin autem super eum aedificandam ecclesiam abnuas, *propheticam* eiusdem significationem evertis. Igitur et de Simone dicitur quod sit Cephas, et super Simonem, tamquam super Cepham aedificanda ecclesia praedicitur.

Sed quid IV. de syro interprete, quidve de pronominum apud eum discrimine? nisi aliunde Glassii et Reineccii eruditionem compertam haberem, omnino suspicarer, fraudi illis fuisse linguarum orientalium imperitiam. Ecquid enim vulgatius, quam nomen ܟܐܦܐ *terminatione* et *usu* [152] generis esse foeminini, atque hoc genere in utroque inciso adhiberi? At in priore inciso iungitur cum pronomine ܗܘ, quod generis est masculini? Non reponam, enallagen generum haud esse insolentem, neque me ad figuram intelligentiae recipiam; duo solum [153] adnotabo, quae sunt philologis omnibus exploratissima.

Ac illud inprimis, characterem esse linguarum semiticarum, ut *verbum substantivum demonstrativis pronominibus* efferatur. Pronomen igitur ܗܘ verbo substantivo ܗܘܐ aequipollet. — In hoc autem pronominum usu lex est, ut *genere* quidem ac *numero* cum *subiecto*, *persona* vero cum *praedicato* conspirent. Prostant huius constructionis [154] exempla, inter quae istud [155] insigne: ܐܢܬܘܢ ܐܢܘܢ ܡܠܚܗ ܕܐܪܥܐ, *vos illi* (nimirum *estis*) *terrae sal*; ubi quum subiectum sit in plurali masculino secundae personae, et praedicatum in singulari foeminino tertiae; pronomen ܐܢܘܢ *illi*, persona cum praedicato, et genere et numero cum subiecto consentit. Quod igitur apud Matthaeum in priori inciso adhibetur pronomen masculinum ܗܘ, non inde repeti debet, quod masculina significatione ܟܐܦܐ accipiatur, sed quod ratio linguae postulet, ut pronomen partes implens verbi substantivi genere et numero cum subiecto conveniat. Eodem prorsus modo, ad grammaticam quod pertinet constructionem, quo [156] legimus: *bibebant de petra* ܡܢ ܟܐܦܐ *spiritali*, *quae cum ipsis veniebat*, ܟܐܦܐ ܕܝܢ ܗܝ ܗܘ ܗܘܐ ܡܫܝܚܐ, *petra autem illa* (ܗܝ generis foeminini) *ipse* (generis masculini) *erat Christus*. Quae adeo sunt perspicua, ut Augustinus Dathius [157] sui esse muneris existimarit, e glassiani operis editione, quam ipsemet

[152]) Marc. III. 16, Luc. VI. 14, Joh. I. 43, I. Cor. X. 4.

[153]) Paullo etiam secus praecidi haec difficultas poterit, dummodo animadvertatur, syriacum pronomen ܗܘ aeque ac hebraicum הוא, non raro utroque genere masculino ac foeminino usurpari.

[154]) Matth. V. 14, XI. 3, et Daniel II. 38.

[155]) Matth. V. 13.

[156]) I. Cor. X. 4.

[157]) Philolog. Sacr. lib. II. tract. II. cap. II. edit. Lipsiae 1776.

novis perfectam curis adornavit, penitus expungere, quae Glassius ἀγωνιστικῶς agens, et hypothesi seductus, ex interprete syro infelicissime animadverterat.

72. A quibus animadversionibus seiuncta nolim quae tradit Daniel Heinsius, magni inter criticos nominis, et eximiae apud protestantes celebritatis. Dum hunc expendit locum, adductis verbis, *κἀγὼ δὲ σοὶ λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος*, negat *tantum illis inesse difficultatis*, *quantum nonnulli existimarunt;* quamquam, subdit [158], „circumspectione et eruditione [159] opus sit. Neque enim cuiquam auctor sim, *ut non consulta antiquitate prius*, *sententiam de eo ferat;* quod et sine studio partium, quae christianos maxime disiungunt, fieri hic velim. Nomina propria in sacris, aut ἀτελῆ plerumque sunt, aut ἐντελῆ: plena, inquam, aut defectiva, sive quae sic dicuntur, ut aliquid intelligatur. Quod vel ex patriarcharum nominibus planum. Abraham est nomen ἐντελές, quod compositione impletur. Isaac, ἀτελές, risus, Sarae nempe. Ut et Jacobi, qui supplantator, fratris nempe. Ita Sara, princeps, fidelium videlicet. Ita Petrus, sive proprie, sive aliter sumas, ἀτελές. Petrus, fidei videlicet. Nam de Petro dici potest, quod de suo λᾶας, eiusdem significationis, notant graeci, ὅτι σημαίνει τὸ προσηγορικὸν ὄνομα καὶ τὸ κύριον, *appellative sumi aut proprie.* Est igitur nomen

[158]) Exercitt. Sacr. in Matth. XVI. 18.

[159]) Mihi probabile nullatenus videtur opus esse eruditione, ut germana verborum Christi sententia teneatur. Ecquos enim Christus alloquebatur? eruditos ne subactique ingenii viros? immo apostolos, homines rudes, et ex ipsis apostolis nominatim Petrum haud reliquis multo eruditiorem. Nemo igitur sibi facile persuaserit, iis Christum usum esse verbis, quorum vera sententia deprehendi sine eruditione non posset. Eruditione utique opus est, ut illatae ab eruditis tenebrae depellantur; sed communis sanitas mentis, animique candor sufficiunt, ut quo spectent verba Christi, certo intelligatur.

Qua sanitate, quove candore caruisse dixerim Christianum Stock in Clavi linguae sanctae N. T. ad vocem Πέτρος scribentem: „Πέτρος, lapis qui proiici vel provolvi vel quacumque ratione e loco in locum moveri potest. (Atqui addendum erat, quod Albertius et Palairetus in Observationibus philologicis adnotarunt, πέτρον et πέτραν in graecorum libris saepe indiscriminatim adhiberi.) Ex hoc nomine appellativo Simon Jonae filius sortitus est cognomen proprium, quia, ut Erasmus Schmidius ait, officio suo futurus erat lapis in omnes mundi partes proiiciendus, in quas eius confessio una cum ipsius obiecto, nempe Christo Jesu Salvatore mundi, divulganda erat. (Quid hac imagine absurdius? aut quid a Christi verbis remotius? tolerabile ne est, ut immotum ecclesiae aedificium super Petrum fundatum repraesentetur tamquam in omnes mundi partes proiiciendum, ac per omnes orbis plagas discurrens et volitans? haec tamen monstra sibi fingunt protestantes, quibus propterea aegre concesseris, ut rationalistis indignentur, quod commentariis commenta substituant. Neque enim puto aliquam ab iis invectam interpretationem, quae ab omni veritatis specie longius abscedat.) Quamquam non erraveris, si cum B. Maio dixeris, Petrum dictum a petra Christo (quasi hoc proprie quaereretur, et non illud potius, ad quem pertineant verba Salvatoris, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ.), quem confessus erat.“

simul et *ἐπώνυμον*, sive significativum et *ἀτελές*, sive quod ad aliud refertur. Neque hoc s. Chrysostomus non vidit, qui hom. II. in Ps. L. ita dictum ait, *ἐπειδὴ τῇ πίστει πεπετρωμένος ἦν*. Procopius ad lib. Judicum: *ἡ δὲ πέτρα τὸ στεῤῥὸν τῆς πίστεως, δι' ἣν ὁ Πέτρος ὠνόμασται*, *petra firmitudinem designat fidei, unde Petrus est dictus.* Hoc est, *Petrus a petra*, ut Augustinus loquitur, *quae est fides in veram petram.* Optime, ne confundatur petra, sive lapis preciosus (quod et Leo Papa sollicite adnotavit), qui caput anguli tot locis dicitur. Petro igitur dictum est, *σὺ εἶ Πέτρος*, ut Abrahamo dicitur, *ut sis benedictio*, *καὶ ἔσῃ εὐλογία*, ad verbum, vulgo, *erisque benedictus*, graeci, *καὶ ἔσῃ εὐλογημένος*. Igitur, *σὺ εἶ πέτρος*, quod Chrysostomus eodem modo interpretatur, *σὺ πεπετρωμένος εἶ.* Et addit, *fide.* Petro igitur dicitur, *tu es Petrus:* Abrahamo, *tu es benedictio.* Vere es quod diceris. Petrus nempe in domo Dei, *qui in petra fundatus es*, ut cum Augustino sic loquamur."

In quibus quum *duo* sint quae probem, cetera improbem necesse est. Probo Abrahami cum Petro comparationem, ac discrimen probo inter nomina institutum, ut alia *absoluta* sint, ac alia *relativa*, quae etiam *μετουσιαστικὰ* grammatici appellant. Sed vicissim improbo, quod male duo ista confundantur, aliquid *proprie* possideri, ac illud ipsum *ex sese*, *summoque gradu* possideri: improbo quod *apertus* negligatur *relationis terminus*, prae quo Simon est, diciturque *πέτρα*: improbo quod *relatio ad terminos dumtaxat assignificatos*, non uti par est, exponatur: ac tandem improbo quod aliquot, iisque decisis avulsisque Patrum sententiis abuti Heinsius non obscure videatur.

73. Sane nemo neget, quemque nostrum *proprie* esse, vivere, cogitare, loqui: nemo neget Paulum *proprie* fuisse gentium doctorem, ac apostolos et prophetas *proprie* esse [160] ecclesiae fundamenta. Atqui neque nobis illa *ex nobismetipsis* insunt, neque haec Paulo, apostolis et prophetis *ex sese* competunt, sed omnia, pro duplici rerum ordine naturali et supernaturali, a Deo bonorum omnium origine dimanarunt ac dimanant. Infinito scilicet significationis intervallo seiunguntur formulae *proprie* atque *ex sese*; immo posterior uni convenit Deo, qui quod est, *ex sese* est, quia est *ὁ ὤν*. Quare quum de Petro, eiusque praerogativis disputamus, neque venit neque venire in controversiam potest, utrum ipse *ex sese* sit *πέτρα*, sed utrum *proprie* sit *πέτρα*, quamquam dotem hoc nomine significatam ab eo mutuam acceperit, qui quum Filius sit Dei viventis, ac vivens ipsemet Deus, *ex sese* et *κατ' ἐξοχὴν* petra est, et firmitatis, qua Simon denominatur *πέτρα*, origo est et caussa. Hoc autem sensu Simonem esse *πέτραν*, dubitari [161] non potest, quia in aeternum manent verba Christi.

[160]) Ephes. II. 20.

[161]) Dubitavit tamen, immo inter ceteros aperte negavit Christianus Schoettgenius in Horis Hebr. et Talmud. ad Matth. XVI. 18. inquiens: „Quum verba haec, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*, mirum quantum negotii facessiverint interpretibus; lumen aliquod ipsi ex hebraismo accendemus. Ubi primo loco praesupponimus, *petram*, cui ecclesia imposita est, neminem alium esse nisi Christum: nemo enim aliud fundamentum ponere potest. I. Cor. III. 11.

κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος. Dubitavit tamen Heinsius, scribens: *Ita Petrus, sive proprie, sive aliter sumas:* ac ideo dubitavit, quod non satis ad eiusmodi discrimen adverterit.

Qui multo etiam minus ad eum advertit *relationis terminum*, prae quo Simon apertissimis verbis *πέτρα* nuncupatur. Est Simon proprie *πέτρα*, sed *cui* et *prae quo termino*? non est opus coniecturis, quum Christi prostet interpretatio

Hinc illud fluit (quod sane non fluet, si hypothesis vel falsa sit, vel ambigua et anceps. Quo autem sensu falsa sit, quove item ambigua et anceps, iam saepe declaravimus.), Christum, quum verba illa, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*, pronunciaret, digitum in semetipsum intendisse, seque ostendisse, cuius rei alia quoque exempla prostant. Ps. XXXIV. 7: זֶה עָנִי קָרָא *hic pauper Deum invocavit* (sed quo argumento ostenditur, digitum a Davide in seipsum fuisse intentum? plane nullo.).

„Ipse Christus Joh. II. 19: *Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, solvite templum hoc*, nimirum corporis, quod Christus tunc indice digito ipsis ostendit. (Sed cur non monet Schoettgenius illico v. 21. addi, *ἐκεῖνος δὲ ἔλεγε περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ?* cur non profert similem ex Matthaeo commentarium, quo significetur, verba, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*, de Christo accipi oportere? Praeterea unde probat intenti digiti usum? ex Johannis ne narratione? atqui Johannes de eo signo a Christo usurpato penitus tacet. Neque tacet solum, sed ea adiicit, quibus huius signi commentum profligatur. Pergit enim v. 22: *Ὅτε οὖν ἠγέρθη ἐκ τῶν νεκρῶν, ἐμνήσθησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ὅτι τοῦτο ἔλεγεν αὐτοῖς· καὶ ἐπίστευσαν τῇ γραφῇ, καὶ τῷ λόγῳ ᾧ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς.* Itaque non ex intenti digiti signo, sed *ex eventu* didicerunt apostoli, quo pertinerent Jesu verba, *λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν.* Consulat igitur Schoettgenius *eventum*, legat *Actorum librum*, atque ex his de verbis, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*, iudicium pronunciet. Quid evenisse cernit? quid legit? nimirum partes eas omnes sibi Petrum constanter vindicasse, illique apostolos unanimes detulisse, quae nonnisi omnium capiti convenirent, neque alteri merito tribuerentur quam illi, super quem ecclesiae aedificium exsurgeret.)

„Sic cap. VI. 50: *hic est panis* (nulla neque iniecta, neque necessaria intenti digiti mentione), *qui de caelo descendit.*

„Porro vox *καὶ* vertenda est per *verum*, *sed*, prout exempla quamplurima apud Noldium in Concordantiis ostendunt. (Quid, quaeso, ostendunt? an particulam *καὶ* per se esse non *copulativam* sed *adversativam?* aut saepius adversativa quam copulativa significatione adhiberi? neutrum nisi inepte dixeris. Ostendunt igitur, particulam *καὶ* vim identidem adversativam referre, ac tum solum dum contextus eam notionem postulat. Atqui praesens contextus quin eam postulet, evidentissime reiicit.)

„Sic ergo sensus erit talis: *Tu sane es Petrus, vir nominis tui, et hac edita confessione ostendisti, te non algam esse sed petram: verum in hac petra (seipsum vero indigitabat) aedificabo ecclesiam, non in te, qui tantum petra es petrae meae superstruenda.*“ Quae dum lego, videtur mihi neque satis intellexisse Schoettgenius quae diceret, neque in promptu habuisse vocabula, quibus paullo nitidius mentem suam patefaceret.

dicentis, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*. Est igitur Simon *petra ecclesiae*, et *comparate ad ecclesiam*, cui supponitur, quamque firmitate divinitus accepta constabilire debet. Quid vero de hoc potissimo interpretationis capite Heinsius? quid de hoc relationis termino, quem Christus tanta perspicuitate declaravit? mutus omnino est, licet plura de iis habeat relationis terminis, qui non *significantur*, sed solum *assignificantur*, qui *non exstant*, sed *in lucem subtiliter proferendi sunt*.

Ne autem haec ipsa accipiantur praepostere, et in perniciem exploratissimae veritatis convertantur, operae pretium fuerit animadvertisse, referri Simonem posse I. *ad formalem caussam*, qua in se πέτρα est: II. *ad caussam efficientem*, cuius virtute obtinuit, ut πέτρα diceretur ac esset: III. *ad caussam meritoriam*, quae nobilissimam τῆς πέτρας praerogativam illi conciliavit: et IV. *ad caussam instrumentalem*, qua ecclesiae πέτρα est, ecclesiamque continet ac sustentat.

74. Jamvero quaestio *de formali caussa* nequit esse expeditior, quum Simon *formaliter* sit petra eximio quodam consortio, singularique *μετουσίᾳ* illius proprietatis, ob quam Christum *ex sese*, *summoque gradu* petram principem profitemur.

Neque altera minus expedita *de efficiente caussa*, quae verbis effertur, *κἀγὼ δὲ σοὶ λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος*, ac ipsemet est Christus, qui ea potentia qua omnia potest in caelo et in terra, effecit, ut Simon nomen, invictamque petrae firmitatem consequeretur. Ex hac autem Petri ad efficientem caussam relatione consequitur: I. nihil impedire quominus, sin minus *grammatice*, *ontologice* [162] dicamus, *Petrum* esse *a Christo petra*, non secus ac radius est a sole, a fonte rivus, et ramus a radice: II. Petrum sic esse ecclesiae πέτραν, ut primum ac potissimum πέτρα ecclesiae sit [163] Christus, a quo ipsemet Petrus habuit ut πέτρα redderetur: et III. cogitari de Petro non posse tamquam de petra ecclesiae, quin simul ac multo etiam magis de Christo cogitetur; *ea nimirum lege, qua simul relativa intelliguntur, ac illud primum quod est* [164] *relationis principium*.

De *caussa* porro *meritoria*, propter quam Christus Simonem discipulis

[162]) De hac ontologica derivatione cogitasse Patres, dum a Christo *petra* Simonem dictum *Petrum* tradidere, aliquot eorumdem testimoniis nuper ostendimus.

[163]) Quum id animadvertissent Patres, super Christum aedificari ecclesiam docuere. Non quod crederent I. nomine πέτρας Matth. XVI. 18. proxime significari Christum: non quod negarent II. petram de Petro proxime dici; sed quod III. intelligerent eum esse nexum inter Christum petram et Petrum petram, ut quo textu Petrus petra ecclesiae ostenditur, eodem, ac multo etiam magis Christus ecclesiae petra ostendatur.

[164]) E quibus duo sequuntur: I. utramque interpretationem *petrae* de Christo ac de Petro esse *immediatam*, quia *relativa* menti simul obversantur: id autem II. inter utramque discriminis existere, quod interpretatio petrae de Christo est *realis*, ac ex ipsis hausta rebus, interpretatio vero de Petro est *verbalis*, ipsisque vocibus ἀμέσως significata.

praetulit, ac nomine et dignitate *petrae* locupletavit, manifestum est contineri illam beata fidei confessione, quam Simon edidit, inquiens, σὺ εἶ ὁ Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος. Ut enim eam protulit, Christus, gratiam propemodum relaturus, continuo subiecit: κἀγὼ δέ σοὶ λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος. E *qua factorum serie* intelligimus, dignitatem petrae, rationemque fundamenti ecclesiae *eo nexu* cum sincera fide, illique consona professione *cohaerere*, *quo morales effectus cum suis caussis devinciuntur.* Igitur I. obversari animo nequit *designatio* Christi *de futura ecclesiae petra*, quin simul *vera fides*, *eiusque vera professio* [165] menti animoque succurrant. Igitur II. designata a Christo ecclesiae petra non est Simon *seorsum* ac *absolute*, sed Simon σχετικῶς et *comparate* ad veram fidem, cui animo adhaeret, quamque ore profitetur. Igitur III. tam Simon, quam vera eius fides, orthodoxaque fidei professio *ad rationem* pertinent fundamenti ecclesiae, quae super Simonem vera credentem, veraque confitentem aedificanda praedicitur. Non ita tamen IV. ut *discrimen* penitus tollatur, *quo* Simon, eiusque vera fides, orthodoxaque professio, ut futurum ecclesiae fundamentum proponuntur. Etenim Simonem futurum ecclesiae πέτραν *significatur*, at id de fide, eiusque confessione solummodo *assignificatur:* illud *totidem verbis edicitur*, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, hoc *ductu serieque rerum continetur:* illud *legitur*, hoc *eruitur:* illud *directum* est, hoc *obliquum:* illud *explicitum* ac *apertum*, hoc *rebus ipsis* [166] *inclusum atque velatum.*

Superest relatio ad *instrumentalem caussam*, modumque quo Petrus πέτρα est, eaque obiturus praedicitur, quae *fundamenti imagine* significantur. Nemo autem qui rem accuratius inspexerit, ab Ambrosio dissentiat docente [167] *non de carne Petri, sed de fide dictum esse, et super hanc petram aedificabo*

[165]) Alterutrum enim non sufficit, tum quia scriptum est Rom. X. 10: Καρδίᾳ γὰρ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην· στόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν: tum quia ecclesia Christi, utpote visibilis, non solum veram internamque fidem exigit, sed externam quoque orthodoxamque fidei confessionem efflagitat.

[166]) Repeti debent de hac interpretatione, deque eiusdem apud Patres usu quae de interpretatione *petrae* pro Christo animadvertimus. Non sunt istae interpretationes *verbales* sed *reales*, non *significantur* sed *assignificantur*; non pendent *e grammaticis tricis*, sed *e rebus ipsis*, *relativorumque lege* deducuntur; non *se excludunt* sed *cohaerent*, atque iis *similimae* videntur quibus sensus *typicus* et *anti-typicus* effertur.

Hinc Patribus solemne est, modo unam alteramve interpretationem sequi, modo duas tresve simul proponere. Ideo ne quod I. vel multiplicem litteralem sensum admitterent; vel II. in una eademque πέτρας voce interpretanda non sibi constarent; vel III. accommodationibus obsequerentur? primum ac postremum *necessarium* non est, alterum vero omnino *falsum*. Nexus enim rerum, assignificationesque relativae effecere, ut quamquam Patres nomine *petrae* proxime designari Petrum intelligerent; nihilominus ecclesiam super Christum, fideique confessionem aedificandam docerent.

[167]) De Incarnat. cap. V. n. 34.

ecclesiam meam; quum fides sit ecclesiae fundamentum. Nemo non subscribat alexandrino Cyrillo, qui rationem [168] explanans, qua Petrus futurus erat ecclesiae petra, *petram*, ait, *opinor*, *nihil aliud quam inconcussam et firmissimam discipuli fidem vocavit*, *in qua ecclesia Christi ita fundata et firmata esset*, *ut non laberetur*, *et esset inexpugnabilis inferorum portis*. Nemo non probet quae in Patrum [169] scriptis, monimentisque liturgicis [170] saepissime repetuntur: sincera fide, eiusque orthodoxa confessione Petrum esse ecclesiae *πέτραν*, illique ceu quoddam immotum fundamentum substerni. His enim etsi non *separentur*, quod fieri nequit, apte tamen sollerterque *distinguuntur duo fundamenti respectus*, *materialis* alter, ac alter *instrumentalis;* et tam *proprie* Petrus ostenditur tamquam *subiectum*, cui fundamenti dignitas promittitur, quam *ratio modusque* aperitur, quo ipse esset fundamenti munus partesque expleturus.

Quare si verba Salvatoris, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, ad instrumentalem caussam referantur, hunc fundent [171] sensum: *et super hanc petram* orthodoxae confessionis, cuius tu, revelante Patre, es auctor, *aedificabo ecclesiam meam.* Qua interpretatione nihil verius, nihil ad intelligendam Salvatoris *οἰκονομίαν* accommodatius, nihilque opportunius ut fundamentum respondere aedificio, partesque omnes caelestis Hierusalem sibi mutuo consentire videantur. Quum enim [172] *ἡ ἄνω Ἱερουσαλήμ*, eademque mater *πάντων ἡμῶν*, *congregatio* [173] sit, *quae in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis assurgit;* quid congruentius, quam Petrum *immota fidei confessione* illius vinculum, fundamentumque existimari?

Porro haec omnia, quae erant sedulo distinguenda, vel silentio premit, vel male commiscet Heinsius, eoque quod damnaverat *studio partium* imprudens seductus in id incumbit, ut decisis aliquot avulsisque Patrum sententiis [174] verba

[168]) De Trinit. lib. IV.

[169]) Testimonia Patrum diligenter collegit Petrus Ballerinius, De vi et ratione Primatus, cap. XII. §. I.

[170]) Cuiusmodi sunt Sacramentarium Gallicanum a Mabillonio editum, Missale Gothicum a Cardinali Thomasio evulgatum, Benedictionale Lambecianum et Gregorii Sacramentarium quod Menardo debemus.

[171]) Quem Felix III. in quinta ad Zenonem imperatorem epistola his verbis expressit: „Cum ipse Petrus dixisset ad Dominum, *tu es Christus filius Dei vivi*, ab ipso audire meruit: *Beatus es Simon Bariona*, *quia caro et sanguis non revelavit tibi*, *sed Pater meus qui in caelis est*, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ σου τῇ ὁμολογίᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, et super istam tuam confessionem aedificabo ecclesiam meam.“ Hinc Gregorius lib. IV. epist. XXXVIII. ad Theodolindam reginam: „In vera fide persistite, ait, et vitam vestram *in petra ecclesiae*, hoc est, *in confessione* beati Petri apostolorum principis solidate.“

[172]) Gal. IV. 26.

[173]) Sunt verba Ambrosii de Officiis, lib. III. cap. III. n. 19.

[174]) Licet ea praemiserimus, quae ad Patrum sententias interpretationesque rite intelligendas sufficere debent; ne tamen vel umbra difficultatis supersit, haec praeterea exploratissima theoremata teneantur. I. Orthodoxorum patrum nullus Petri prae-

Christi detorqueat, ac fundamenti dignitate Petrum exspoliet. Et detorsio sane verborum Christi censeri commentarius debet, quo membrum, σὺ εἶ Πέτρος, ita reddit: *tu es Petrus, nempe, in domo Dei, qui in petra fundatus es.* Est enim eiusmodi interpretatio *obscura*, *obliqua*, *manca* et qua veram Christi mentem assequi non possis.

Quid vero illud quod Augustinum, Leonem, Chrysostomum huius enarrationis *testes* adducit? Augustinum? qui donatistas alloquens suam, communemque fidem his verbis [175] expressit:

Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede,
Et in ordine illo patrum quis cui successit, videte.
Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.

Leonem, quo nemo illustrius Petri praerogativas exornavit? ac illustria sane ista sunt, quibus subiectam promissioni Christi significationem [176] edisserit: „Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine *petrae* perseverans, suscepta ecclesiae gubernacula non reliquit. Sic enim prae ceteris

rogativas, eiusque inter apostolos προστασίαν aut negavit, aut in dubitationem adduxit. II. Omnium haec fuit certissima fides, dictis factisque perspicue manifestata, Petrum inter apostolos iure ac dignitate excelluisse. III. Quotquot ab instituta ecclesia ad nicaenam usque synodum verba Christi Matth. XVI. 18. interpretati sunt, nomen πέτρας de Petro accipiendum esse docuere. IV. Post arianas turbas celebrata a patribus fuit interpretatio, qua πέτραν ad Christum, editamque a Petro orthodoxam, ac arianae perfidiae contrariam confessionem referebant. V. Huius interpretationis auctores neque primam vetustioremque negarunt, neque ab ea repetenda et pro opportunitate inculcanda abstinuerunt. VI. Eiusmodi interpretationes censeri debent coordinatae non oppositae, conspirantes non se mutuo excludentes.

Interpretatio VII. *petrae* de Petro duplici potissimum nomine ab aliis differt: ac 1°. differt *tempore*, quum illa vetustior sit ac primitiva, hae sint recentiores: differt 2°. *forma*, quum illa sit verbalis, istae sint reales; illa significetur, istae assignificentur; illam suapte sponte voces praeferant, istae relativorum lege comprobentur. In eo tamen conveniunt VIII., quod omnes sunt *immediatae*, quia relativa simul intelliguntur ac exhibentur.

Ex his porro IX. colligitur, 1°. varietatem interpretationum apud patres cum unitate fidei sententiarumque consentire, quae varietate interpretationum apud protestantes funditus subvertitur: 2°. ex alio plane fonte *dogmatico* atque *hermeneutico* discrimen interpretationum apud patres et apud protestantes repeti oportere. Ab his enim si petas, cur negent πέτραν ad Petrum referri, talem accipies responsionem: quod Petro nulla primatis auctoritas tribui possit aut debeat; et quod grammaticae rationes aliud relationis subiectum ostendant. At contra patres ὑπεροχὴν Petri unanimes confitentur, suasque interpretationes stabiliunt non proxima verborum particularumque significatione, sed rationibus ontologicis, ac e lege relationum depromptis. Juverit contulisse quae habet Cardinalis Orsi, De Rom. Pontif. auctoritate, lib. IV. cap. II. art. I. §§. 1. seqq.

[175]) In Ps. con. Partem Donati.

[176]) Serm. II. in anniv. die assumpt. suae.

est ordinatus, ut dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum regni caelorum ianitor constituitur, dum ligandorum, solvendorumque arbiter, mansura etiam in caelis iudiciorum suorum definitione, praeficitur; *qualis ipsi cum Christo esset societas*, per ipsa appellationum eius mysteria nosceremus."

Chrysostomum postremo, qui non solum Petro asserit fundamenti dignitatem, sed detrahi non posse sine Christi iniuria contendit? Anomoeos namque [177] refellens: „Viden, inquit, quomodo ad sublimiorem de se opinionem Petrum erigat, et seipsum revelet, *καὶ δείκνυσιν υἱὸν ὄντα τοῦ θεοῦ διὰ τῶν ὑποσχέσεων τῶν δύο τούτων;* ac per hasce duas promissiones se Filium Dei esse ostendat? Nam quae unius Dei sunt propria, nempe peccata solvere, *καὶ τὸ ἀπερίτρεπτον τὴν ἐκκλησίαν ποιῆσαι ἐν τοσαύτῃ κυμάτων ἐμβολῇ, καὶ ἄνθρωπον ἁλιέα πέτρας πάσης ἀποφῆναι στεῤῥότερον, τῆς οἰκουμένης πολεμούσης ἁπάσης, ταῦτα αὐτῷ ἐπαγγέλεται δώσειν*, ecclesiam in tanto fluctuum concursu immotam reddere, hominemque piscatorem toto impugnante orbe petra firmiorem reddere; haec se illi daturum pollicetur. Eodem modo quo Pater Jeremiam [178] alloquens dicebat, se posuisse illum sicut columnam aeream et sicut murum. *ἀλλ' ἐκεῖνον μὲν ἑνὶ ἔθνει, τοῦτον δὲ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης.* sed illum uni genti, hunc autem in universo terrarum orbe. Libenter quaererem ab iis qui imminutam Filii dignitatem volunt, *ποῖα μείζονα δῶρα, ἅπερ ἔδωκεν ὁ πατὴρ τῷ Πέτρῳ, ἢ ἅπερ ἔδωκεν ὁ υἱός;* quae maiora sint dona, ea ne quae Pater, an quae Filius Petro dedit? nam Pater revelationem Filii Petro dedit; *ὁ δὲ υἱὸς τὴν τοῦ πατρὸς καὶ τὴν αὐτοῦ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἔσπειρε, καὶ ἀνθρώπῳ θνητῷ πάντων τῶν ἐν τῷ οὐρανῷ τὴν ἐξουσίαν ἐνεχείρισε, τὰς κλεῖς αὐτῷ δούς· ὃς τὴν ἐκκλησίαν πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἐξέτεινε, καὶ τοῦ οὐρανοῦ ἰσχυροτέραν ἀπεφῆνεν.* Filius vero et Patris et suam revelationem per totum orbem disseminavit, ac mortali homini omnem in coelo potestatem dedit, dum claves illi tradidit, qui ecclesiam per totum orbem terrarum extendit, et coelis firmiorem monstravit. Ait [179] enim, coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. *Πῶς οὖν ἐλάττων, ὁ τοιαῦτα δούς, ὁ τοιαῦτα κατωρθωκώς;* quomodo ergo minor is, qui talia dedit, qui talia fecit?"

75. Ne quid intentatum omitterent, ingeniumque polemicae concertationis evidentius exprimerent, inquisiere ulterius protestantes [180] quum in vim potestatemque particulae *καί*, qua alterum incisum orditur, tum pronominis demonstrativi *ταύτῃ:* ac de illa quidem principio adnotarunt, particulam esse respondentem hebraeorum ו; plus semel, Matth. XII. 35, XV. 14, I. Joh. II. 20, non esse *συνθετικὴν* sed *ἀντιθετικήν*, idemque valere ac *ἀλλὰ sed*, et non compositionem coniunctarum, sed pugnantium rerum oppositionem significare. Jamvero quid impedit, subiecere [181], quominus adversativa potestas heic praeferatur? nihil

[177]) In Matth. hom. LIV. al. LV. n. 2.

[178]) Jerem. I. 18.

[179]) Matth. XXIV. 35.

[180]) Apud Matthaeum Poli in Synopsi Critic. Sacr. ad Matth. XVI. 18.

[181]) Atque ita Koecherus in Analectis

prorsus. Praeferatur igitur, ac eiusmodi existet sensus: ***Et ego vicissim dico tibi, quod tu es Petrus, sed*** ego ***super hanc petram***, qualis ipse sum, ***aedificabo ecclesiam meam.***

Sed quid proprie in quaestionem adducitur? illud ne quomodo *possit* accipi particula καί, an illud potius quomodo e certis immotisque hermeneuticae legibus accipi *debeat?* illud ne quam vim referre *absolute possit*, an potius quam vim *comparate* ad praesentem contextum, cuius omnia spectentur adiuncta, *revera praeferat?* quisque sentit, non illud prius quaeri, quod tum fit quum lexica [182] conscribuntur; sed hoc posterius, quod fieri toties debet, quoties de interpretatione disputatur. Eo igitur quaestionis caput summaque redit, ut inspectis antecedentibus et consequentibus, totaque orationis serie diligenter perlustrata definiatur, *obvia* ne, *propria* ac *usu trita*, an *remotior*, *rariorque* potestas particulae καὶ deligenda sit. Atqui talis est universa sermonis facies, quae obviam, propriam, communem, eamque copulativam et συνθετικὴν particulae καὶ significationem postulat.

Quod quibus comprobetur argumentis, iam saepius ostendimus. Sane nequit incisum, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, a praecedente divelli, quin I. ἁρμονία et concentus inter responsionem Christi ac Petri funditus perturbetur: quin II. oratio Christi reddatur fracta, salebrosa, et nonnisi per parentheses utcumque complananda: quin III. continui et ne levissime quidem adumbrati [183] orationis transitus in brevissimo sermone confingantur: quin IV. sensus qui mentem sua sponte occupat, nulla impellente caussa, deseratur: et quin V. abrumpatur vinculum quo Christi verba cum eiusdem consilio cohaerere debent.

Manifestum namque est propositum fuisse Christo vicem rependere Petro, illumque pro edita confessione eximiis praemiis cumulare. Hoc ductus sermonis evincit: hoc exordium, κἀγὼ δέ σοὶ λέγω, persuadet: hoc veteres ecclesiae patres unanimes adnotarunt. Unde media quoque aetate Theophylactus [184] scripsit: Ἀμείβεται τὸν Πέτρον ὁ κύριος, μισθὸν αὐτῷ διδοὺς μέγαν, τὸ ἐπ' αὐτῷ

ad Matth. XVI. 18, particulam καί, inquit, reddendam esse per *verum*, *sed*, bene monuerunt Michaelis in Notis crit. pag. 10, et Schoettgenius in Horis hebr. pag. 143, item in Lexico N. T. pag. 477. edit. noviss. pag. 510. Hanc notionem illius voculae multis scriptorum sacrorum profanorumque locis confirmat Eckardus in Observatt. philolog. pag. 52.

[182]) Lexicorum autem scriptores diceres ex interpretibus non paucos, qui tum sibi omne tulisse punctum videntur, quum ad singulas voces particulasque farraginem silvamque notionum, quas illae induere *absolute* possunt, collegere.

[183]) Nam sequentia illico verba, καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς, ad Petrum certissime spectant; unde minimo intervallo triplex haberetur transitus a Petro ad Christum, et a Christo iterum ad Petrum, quum tamen verba non praeferant nisi arctissimam continuationem.

[184]) Comm. ad Matth. XVI. 18.

οἰκοδομηθῆναι τὴν ἐκκλησίαν. *remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quod supra eum aedificavit ecclesiam.* At si verba, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, seiungantur a praecedentibus, κἀγὼ δέ σοὶ λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος: si particula καὶ reddatur ἀλλά, et adversativa significatione sumatur; quodnam praemium Christus Petro contulit, quamve illi vicem rependit dignam edita confessione, dignam beatitate quam de eo praedicaverat, dignam solemni exordio, κἀγὼ δὲ λέγω σοί, dignam persona loquentis? nihil plane contulisset, quum *Petri* nomen *destinatione* ac vero etiam *impositione* iampridem Simon accepisset. Quare vix unum alterumve e recentioribus interpretibus invenies, cui particula καὶ non sit copulativa, quique incisum, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, ad Petrum non referat.

76. Sed iam alterum videamus corruptelae quam reiecimus finitimum, et quo se tandem protestantes recipiunt. Inficiari ipsi neque volunt neque possunt, hanc esse *demonstrativorum pronominum* rationem, ut subiectum quod *proxime* antecedit, suapte natura designent. Quid igitur moliuntur, ut incisum ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν a Petro removeant? Principio monent quod est verissimum, tam *demonstrativa* quam *relativa* pronomina ad subiectum identidem referri non propinquum, sed mediatum ac remotius. Quod ut exemplis confirmarunt, cum Glassio, Dathioque[185] subdunt: „Huc pertinet Matth. XVI. 18: καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ *et super hac petra aedificabo ecclesiam meam.* Non super Petro, cuius mentio immediate praecedit, sed super Christo Jesu, quem Petrus v. 16. confessus est, *tu es Christus filius Dei viventis.*“

Quibus ut respondeam, opportunissimum arbitror describere quae Glassius, suffragante Dathio, continuo adiicit: „Abutuntur autem hac observatione[186] photiniani, dum I. Joh. V. 20. verba, οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεός, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος, non ad *proxime praecedens*, filium scilicet Dei Jesum Christum, sed ad *remotius*, Deum scilicet Patrem referenda esse dicunt; quo veram Jesu Christi deitatem subvertant, ut ex Socino contra Bellarmin. et Wieck. cap. V. clas. III. argument. XII, et in comment. I. epist. Joh. cap. V. pag. 516. videre est. Sed, quod regula etiam praecipit, *nonnumquam* hoc fieri debet, contexto nempe sermone ita iubente. Usus vero pronominum relativorum et demonstrativorum *regularis* est, ut ad proxime praecedentia referantur. Et de demonstrativo οὗτος in ipso Johanne exempla in promptu sunt, Joh. I. 2—7—30, I. Joh. I. 2, cap. V. 6, II. Joh. v. 9. Cum igitur *necessitas* nos *nulla cogat*, ut naturalem hunc demonstrativi usum in explicatione verborum I. Joh. V. 20. deseramus: *scopus* praeterea apostoli sit Christi Salvatoris veram descriptionem tradere; et *collatio* insuper ostendat, ei praedicatum τοῦ ἀληθινοῦ θεοῦ καὶ τῆς ζωῆς αἰωνίου vere competere,

[185]) Philolog. Sacr. lib. I. tract. II. de Pronomine, can. XI.

[186]) Quod pronomina demonstrativa ad remotius nonnumquam subiectum referantur.

confer cap. I. 1—2, cap. V. 11—12, et Joh. I. 1—2—4; recte a nobis defenditur, οὗτος ad *proxime praecedentem* Ἰησοῦν Χριστόν, non ad *remotiorem* Deum ἀληθινὸν referendum esse."

At quid horum est quod de textu Matth. XVI. 18. non possit ac debeat iisdem verbis ingeminari? an quoad hunc textum *regula* desiit qua docemur, pronomina demonstrativa ex sese ad subiectum proximum revocari? an *canon* cessavit quo interdicitur, ne pronomina demonstrativa ad subiectum remotius *citra necessitatem* referantur? an *exempla* apud Matthaeum desiderantur, quibus communis regula servata comprobetur? an latet Christi *scopus* eo manifestissime spectantis, ut Petrum promissionibus locupletet? an desunt *loci paralleli*, quibus Petrus omnibus praepositus significetur? immo omnia adsunt et conspirant, ostenduntque non alium quam Petrum pronomine ταύτῃ designari.

77. In qua sententia validissime confirmabimur, si et *subiectam orationi materiam*, et *personarum temporisque adiuncta* nonnihil expenderimus. Lex namque est, cui boni omnes prudentesque obsequuntur, ut quo sermonis materia est gravior, eo verba deligantur aptiora, dicendique forma usurpetur, quae errandi aditum praecludat. Gravissimum porro summique momenti id esse, de quo in praesentia agitur, ex sese patet, quum ad modum rationemque instituendae regendaeque ecclesiae pertineat, tum dissidiis ostenditur diutinis ac acerbissimis, quae huius loci occasione extitere ac etiamnum existunt. Putabimus igitur et verba selecta fuisse diligenter, et eam dicendi formam usurpatam, quae sua perspicuitate dubitationem omnem de mente sententiaque loquentis e medio tolleret. Quid vero aut a delectu alienius, aut a perspicuitate remotius ea oratione, in qua *sensus obvius a sensu vero* [187] longissime distet, et *cuius partes, pronomina, particulae*, aliter sumantur, ac *nativa illarum potestas* exigat, *dictorumque series* suadeat? Negligunt igitur protestantes *loquendi legem materiae gravitate praescriptam*, dum particulam καὶ et pronomen ταύτῃ secus interpretantur, ac utriusque tritus vulgatusque usus efflagitet.

Neque minus *adiuncta* negligunt *personarum* et *temporis*. Ecquis enim est *qui loquitur*? Jesus, Dei Patris Verbum, divinusque hominum institutor atque doctor. Qui vero sunt *qui audiunt*? *omnes universim apostoli*, quos prae ceteris dilexit [188], suaeque doctrinae testes, praeconesque ordinavit: tum *nominatim Petrus*, quem ob eximiam fidei confessionem ornabat laudibus, praemiisque cumulabat. Quo autem *tempore* ista dixit? quum primum [189] suo ore *eccle-*

[187]) Jam huius discriminis superius memini, quod eo pertinet, ut sensus obvii nomine veniat *sensus simpliciter ita dictus, quemque verba praeseferunt*; nomine autem sensus veri *is exprimatur quem auctor intendit*.

[188]) Et quibus propterea, utpote iis quibus datum esset nosse mysteria regni Dei, seorsum enucleabat, si quae coram promiscua multitudine obscurius implicatiusque dixisset.

[189]) Hoc enim primum tempore extituram fidelium societatem *ecclesiae* nomine designavit; neque antea *ecclesiae* meminit, quam *Petri* tamquam proprii eiusdem fundamenti meminerit, ut omnes qui

siae nomen protulit, quum quod alibi [190] adumbraverat, enucleatius expressit, rationemque significavit, qua suum ipse opus [191] erat perfecturus. Quis iamvero ista secum reputans arbitretur, Jesum *coram apostolis loquentem, cum Petro* quem laudibus praemiisque ornabat *colloquentem, tum primum ecclesiam memorantem*, cuius speciem proponebat, oratione usum esse quae aliud exprimeret ac verba praeseferrent, et in qua *coniuncta* essent *seiungenda*, ac nihil *proprio*, nihil *obvio sensu*, nihil *pro ductu ipso adiunctisque* sermonis accipi oporteret? Videant igitur protestantes quam interpretationem sequantur. Omnino intelligent neque *grammaticam* illam esse, neque *historicam*, esse propterea *exlegem*, eoque spectantem, ut nihil sit reliquum, quod Scripturarum auctoritate statui, quodque eadem subverti vicissim non possit.

78. Quae in eos etiam graecae factionis schismaticos animadvertenda sunt, qui simili interpretandi licentia Christi verba depravarunt. Horum autem numero maxime veniunt schismaticus auctor [192] a Salmasio editus, Barlaam in opere [193] de Primatu Papae, cuius verba recitat, laudatque [194] Suicerus, et Nilus thessalonicensis archiepiscopus, qui [195] sic habet: *Ὠικοδόμησε μὲν τὴν ἐκκλησίαν ὁ Χριστός, ᾠκοδόμησε δὲ αὐτὴν ἐπὶ τῇ θεολογίᾳ τοῦ Πέτρου, καὶ ἐπὶ πᾶσιν οἱ τῆς τοιαύτης ὁμολογίας φύλακες ἔσονται.* ***Aedificavit quidem ecclesiam Christus, aedificavit vero eam super sermone quem de divina Christi natura Petrus habuerat, et super omnibus qui eiusmodi confessionis*** [196] ***custodes erunt.***

evangelium legimus intelligeremus, ecclesiam esse non posse quae Petro non innitatur.

[190]) Matth. VII. 24—25. coll. Luc. VII. 48.

[191]) Opus namque Christi merito dicitur ecclesiae aedificatio, Joh. X. 16, XI. 52.

[192]) Cuius verba citat Huetius in notis ad Tom. XII. Origenis in Matthaeum, n. 10.

[193]) De Primatu Papae, lib. II.

[194]) In Thesauro Ecclesiast. ad v. *Πέτρος*, §. I. n. 3.

[195]) De Primatu Papae, lib. II.

[196]) Ad vocem *πέτρα* inquirit Suicerus, una ne an multiplex fuerit veterum Patrum de Christi verbis interpretatio; ac primo statim loco scribit: ***quidam voluerunt unumquemque fidelium petrae nomine designari.*** Quod mox confirmare pergit testimoniis Origenis in cap. XVI. Matthaei, et hom. XVI. in Jeremiam, Basilii, ut ipse censet, in cap. II. Isaiae, Gregorii nysseni de perfecta Christiani forma, et Ambrosii lib. VI. in Lucam.

Sed I. quam gerunt in his testimoniis *personam? interpretum* ne qui *ἀκριβῶς* verba Salvatoris expendant, subiectamque illis potestatem pro contexta oratione declarent? neutrum manifestissime agunt. Quo igitur pacto illos adducit Suicerus, ac si munere interpretum functi verba Christi de singulis fidelibus accepissent?

At nonne II. unicuique fidelium adscribunt, ut sit *petra*, ac *pro viribus*, ut Nyssenus ait, *ἐν τῇ τρεπτῇ φύσει τὸ ἄτρεπτον τοῦ δεσπότου καὶ ἀμετάθετον* imitetur? Utique, sed quum docent non cui dicatur, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, verum *quibus virtutibus* tantam Petrus constantiam, tantamque

At unde haec Nilus, unde hisce affinia reliqui schismatici hausere? e Scriptura ne verbisque Salvatoris? nihil profecto minus, quum quidvis facilius sit, quam eum commentarium e Scripturae textu deducere. Num e Patrum doctrina atque sententiis? sed quantopere Patres ab eo corruptelae genere abhorruerint, nequit iis qui legunt non esse notissimum. Integrum igitur schismaticis non est repugnare catholicis, quin uno eodemque opere et Scripturis et christianae Traditioni refragentur. Immo quin pugnent *cum rerum naturis, iisque testibus* qui fidem penes illos obtinere debent. Si enim fideles singuli [197] propter *στεῤῥότητα καὶ βάρος λογισμοῦ*, constantemque orthodoxae fidei professionem illa sunt *πέτρα*, de qua Christus loquens affirmat, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν:* ecclesia ipsa quae tandem erit, quibusve partibus, ceu vivis lapidibus coalescet? tota ne erit *fundamentum*, aut *aedificium* nonnisi haereticis, fideique proditoribus componetur? alterutrum foret consequens, si schismaticorum commentarius probaretur. Sed nihil utroque absurdius, ac nihil propterea eo commentario perversius.

Quod iis etiam innotuit, qui schismati licet addicti, prudentiam tamen humanitatemque non penitus exuerant. Innotuit Photio, qui de *uno* Petro [198] scribit: *Πέτρος, ἐφ' ᾧ τὰ τῆς πίστεως κεῖται θεμέλια, Petrus, in quo reposita sunt fidei fundamenta.* Non latuit Theophylactum, qui [199] Petrum vocat *τὴν μετὰ Χριστὸν πέτραν καὶ στήριγμα, post Christum petram et firmamentum.* Neque fugit canonum peritissimum Balsamonem, quo interprete [200] *ecclesia dicitur οἰκοδομηθεῖσα παρὰ Κυρίου ἐπὶ τῷ θεοκήρυκι Πέτρῳ, a Domino aedificata super divinum praeconem Petrum.* Quem Menologium appellat *τὴν κρηπῖδα τῆς ἐκκλησίας, τὴν πέτραν τῆς πίστεως, θεμέλιον τῆς πίστεως, καὶ δογμάτων βάσιν ἄσειστον, basim ecclesiae, petram fidei, fundamentum fidei, et inconcussam dogmatum basim.*

dignitatem promeruerit. Quam quum ille eximia potissimum fidei confessione promeruerit, idcirco *ἀναλόγως* inferunt, quemque nostrum posse ac vero etiam debere ad similem perfectionem, stabilitatemque adspirare. Unde Ambrosius: *enitere ergo, ut et tu petra sis.* Et paullo ante: *qui carnem vicerit, ecclesiae fundamentum est; et si aequari Petro non potest, imitari potest.*

[197]) Verba sunt Gregorii nazianzeni, Orat. XXVIII.

[198]) Epist. CCXLIII.

[199]) In Luc. XXII.

[200]) Ad can. XVI. carthaginiensem.

CAPUT V.

Quae sit extensio subiecta vocibus Matth. XVI. 18. ἐκκλησίαν μου: — eae patent latissime, omnesque complectuntur qui nomen Christo darent: — Dodwelli opinio contendentis certum iis singularemque coetum designari: — expenditur eamque a vero longissime abhorrere demonstratur: — quod et protestantes fatentur: — qui propterea fateri et illud debent, praepostera esse quae de archetypo Petri primatu Dodwellus comminiscitur.

79. Sincera verborum Christi [1], *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, intelligentia, ac vis dignitatis promissae Petro qui *πέτρα* dicitur, non minimum ex ea pendet significatione, quae vocibus, *μοῦ τὴν ἐκκλησίαν*, subiiciatur. Quemadmodum enim de honore ac potestate alicui facta aliter necessario arbitreris, si *civitas*, *provincia* aut *regnum* credita illi commissave fuerint; ita eadem existimari neque debet neque potest vis ac ratio *petrae* promissa Petro, sive illarum significatio corripiatur angustius, sive latius protendatur. Decet igitur ac necessarium etiam est, ut qui sint fines illius loquutionis, qui ambitus, perspicue accurateque definiatur. Quod operosum haud erit, si hanc nobis legem dixerimus, ut eam solum interpretationem sequamur, eamque vocibus tribuamus potestatem, quae *loquendi usu biblico et ecclesiastico* ostenditur, *contextu orationis* suggeritur, *locisque parallelis* suppeditatur. Haec enim legitimae interpretationis principia quum *seorsum*, tum, et multo quidem evidentius, spectata *coniunctim* demonstrant, appellatione *ecclesiae* qua Christus utitur, eos comprehendi omnes, qui ad sacrum religiosumque coetum ab eo institutum pertinerent.

80. Et in Scripturis sane quum *ecclesiae* vocabulum de christianorum coetu [2] adhibetur, neque appositis [3] adstringitur, *ἀορίστως* patet, omnesque fideles ubique diffusos *sua extensione* comprehendit. Perspicuum id est *inductione* [4] *locorum*, qui hanc extensionis universalitatem indubitatam faciunt. Atqui in eo quem prae manibus habemus textu, *ecclesiae* nomen de christianorum coetu sumitur, nullisque appositis coercetur. Illius ergo significatio universalis est, eumdemque fundit sensum ac quum Christus [5] dicitur, *κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας*,

[1]) Matth. XVI. 18.

[2]) Interdum enim de quovis hominum coetu usurpatur, idemque valet ac *συναγωγή*, *πανήγυρις*, *σύνοδος*, ut Act. VII. 38, XIX. 32—39, Hebr. II. 12.

[3]) Sicuti adstringitur Act. VIII. 1, IX. 31, I. Cor. I. 2, I. Thess. I. 1, Coloss. IV. 16, Apoc. I. 4.

[4]) I. Cor. X. 32, XI. 16, XII. 28, Ephes. III. 10—21, V. 24—25—27—29—32, Coloss. I. 24.

[5]) Ephes. I. 22, III. 10—21, V. 23—24—25—27—29—32, Coloss. I. 18—24.

et Paulus[6] Timotheo praecipit quo se pacto gerat ἐν οἴκῳ θεοῦ, ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία. Quare quum varias ecclesiae significationes Schleusner[7] recenset, illamque tertio gradu ponit qua denotat *universum coetum doctrinam christianam profitentium, per orbem terrarum dispersorum*; mox subdit: *sic legitur in N. T. Matth. XVI. 18: ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.*

Neque his opponas construi τὴν ἐκκλησίαν cum pronomine μοῦ, atque adeo neque adhiberi *simpliciter*, neque de universali eiusdem extensione constare. Etenim pronomen μοῦ refertur[8] ad Christum, unde ἐκκλησία μου idem notat ac *ecclesia Christi*, ecclesia a Christo aedificanda, ecclesia qua latissime patet, quum neque pateat neque patere latius possit quam profecta a Christo aedificatio. Quod enim Paulus[9] de Corinthiis affirmat, θεοῦ οἰκοδομή ἐστε, *Dei aedificatio estis*, de christianis omnino omnibus intelligi debet; quum nemo sit, nemo esse christianus possit, qui a Christo Deo in templum sanctum non aedificetur. Constructio igitur cum pronomine μοῦ universalem significationis potestatem egregie confirmat.

81. Quae eadem perspicuitate ac evidentia recepto apud christianos loquendi usu stabilitur. Disserunt de eo pluribus Suicerus[10] et Tobias Eckhardus[11], e quibus, aliisque sat nobis erit animadvertisse: I. infinitam prostare exemplorum silvam, in quibus ecclesiae nomine[12] simpliciter accepto universitas fidelium designatur: II. nullum adduci exemplum posse, in quo *ex sese* ac *citra orationis adiuncta*, angustius usurpetur: III. universalem eiusdem extensionem *definitionibus* comprobari, quibus subiectam ecclesiae notionem Patres explicant, cuiusmodi haec est apud[13] Isidorum pelusiotam, τὸ ἄθροισμα τῶν ἁγίων, τὸ ἐξ ὀρθῆς πίστεως καὶ πολιτείας ἀρίστης συγκεκροτημένον, ἐκκλησία ἐστί, *coetus sanctorum*[14] *ex recta fide atque optima vivendi ratione collectus, ecclesia est:* IV. eodem pertinere quae tradunt *de partibus*, quibus ecclesiae aedificium constat, *membrisque* quibus corpus absolvitur. Docent enim[15] τοὺς ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ

[6]) I. Tim. III. 15.

[7]) Lexic. in N. T. ad v. ἐκκλησία.

[8]) Quare haec formula cum iis conferenda est, quibus I. Cor. X. 32, ... mentio fit ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ, neque illa minus quam hae universales existimari debent.

[9]) I. Cor. III. 9.

[10]) In Thesauro Eccles. ad v. ἐκκλησία.

[11]) In Technica Sacra, pagg. 70. seqq.

[12]) Hoc data opera Nicolius ostendit in Tract. *De l'unité de l'Eglise*, liv. I. chap. V.

[13]) Epist. lib. II. epist. CCXLVI.

[14]) Eo sensu quo in Scripturis ἅγιος, קָדוֹשׁ is passim dicitur, qui non est κοινός, sed a communi et promiscuo usu segregatus ad peculiares usus consecratus est. Hoc sensu fideles universim omnes dicebantur ἅγιοι et κλητοὶ ἅγιοι, opponebanturque τοῖς ἀδίκοις et τῷ κόσμῳ, infidelibus et a christiana professione alienis. Unde Chrysostomus hom. I. in epist. ad Rom. I. 7. de usitata apud Paulum loquendi ratione ait: Ἁγίους δὲ τοὺς πιστοὺς καλεῖ πάντας.

[15]) Origenes contr. Celsum lib. VI, Chrysostomus in epist. ad Ephes. hom. X, et Theophylactus ad I. Cor. XII. 27.

πιστοὺς illius esse partes, et [16] Christum sic obtinere *κεφαλῆς τάξιν*, ut οἱ *πιστεύοντες εἰς αὐτὸν τὴν τοῦ σώματος credentes in ipsum corporis locum* sortiantur. Neque aliud V. ex iis *proprietatibus* apparere, quas unanimes ecclesiae adscribunt, et inter quas ea eminet qua *catholica* [17] dicitur, *διότι καθόλου τοῦ κόσμου κεχυμένη ὑπάρχει*, *quia per universum orbem diffusa est*. Idipsum tandem VI. iis effici, quibus ambitum, amplitudinemque ecclesiae, argumento ducto e vocis origine, explanant; uti quum Cyrillus hierosolymitanus [18] scribit, *apte* christianorum coetus *ecclesia vocatur*, *διὰ τὸ πάντας ἐκκαλεῖσθαι, καὶ ὁμοῦ συνάγειν*, *propter omnium convocationem*, *congregationemque*. Usu igitur loquendi definita est potestas, quae *ecclesiae* nomini subest, eoque servato necesse est ut Christi ad Petrum verba de universitate fidelium intelligantur.

Quid praeterea ex commate [19] insequente, orationisque contextu manifestius, quam formulas *ἐκκλησίαν μου* et *βασιλείαν τῶν οὐρανῶν* significatione aequipollere? sed *ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν*, quum ecclesiae respondet, simpliciterque adhibetur, universum exprimit *τῶν πιστῶν* coetum. Hinc [20] illa, *ὁ μικρότερος ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν*, et [21] *ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται.* Quod igitur Christus dicit, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, idem prorsus notat ac si diceretur, *et super hanc petram*, tamquam vivos lapides, *fidelium populum aedificabo.* Sane quam heic vocat *μοῦ τὴν ἐκκλησίαν*, in loco plane gemino [22] appellat *τὰ ἀρνία μου καὶ τὰ πρόβατά μου.* Nemo autem est christianorum, qui [23] huius amplitudine formulae non comprehendatur. Neque igitur quisquam est, qui ecclesiae vocabulo non significetur, unde Petro Christus pollicetur fore, ut ipse petra sit ac fundamentum universitatis credentium.

82. Abnuit Dodwellus, et quamquam minime diffiteatur, verba, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, ad Petrum spectare; contendit tamen iis Petrum designari *petram* ac *fundamentum* non universalis sed *certae ac particularis ecclesiae*, quae ceterarum omnium *archetypus* foret ac *exemplar*. Quod ut explicet, et sin minus argumentis, suspicionibus saltem conjecturisque suadeat, praemittit [24]: *prophetam fuisse Salvatorem: omnia Salvatoris dicta et facta fuisse prophetica: nominum mutationes a prophetis factas non consuevisse vacare mysterio: etymologiam nominis Petri in ipsum potius apostolum, quam in eius confessionem solam quadrare debuisse: ita tamen in eius personam conferri debuisse, ut tamen ulterius* [25] *in gravioris momenti usum aliquem*

[16]) Theodoritus ad Ephes. I. 23.

[17]) Inter opera Athanasii, q. XXXVII. de Parabolis Scripturae.

[18]) Catech. XVIII.

[19]) Matth. XVI. 19.

[20]) Ibid. XI. 11.

[21]) Ibid. v. 12.

[22]) Joh. XXI. 15. seqq.

[23]) Scio uni alterive e protestantibus visum secus esse, sed ceteris repugnantibus, et contra manifestam verborum significationem, ut inferius patebit.

[24]) Dissert. Cyprianica VII. §. XXVIII —XXXVII.

[25]) Quod §. XXXII. his verbis explanat: „Verisimile non est in apostoli unius honorem haec esse Domini dicta referenda. Non erat maiestati eius congruum, ut dis-

sit etiam referenda: ad munus Domini propheticum id quoque pertinuisse ut ecclesiam suam formaret, non in doctrina modo, sed in disciplina etiam atque regimine: non hoc per apostolos dumtaxat medios praestare debuisse: ita tamen hoc curare ipsum debuisse ut tamen non disertis verbis proferret, sed per prophetica potius symbola atque aenigmata: pronos fuisse Domini auditores ut eius dicta omnia et facta in futurum ecclesiae usum referenda existimarent: et praecipue illa quae scriptis sacris mandata essent.

His autem praestructis veluti gradibus, subdit[26]: „Videri absonum non debere, ut Domini *familia* ecclesiae typum gesserit. Ut postea legimus de ecclesiis *κατ' οἶκον*, ita certe Dominus, quoties de ecclesia sua loquitur, servavit illam ipsam ut plurimum *domus* allegoriam. Proinde ut *οἰκείους πίστεως* appellavit[27] apostolus, ita[28] et *οἰκείους* Dominus. Proinde se[29] nunc *κύριον οἰκίας*, nunc[30] *οἰκοδεσπότην* vocat. Et quem praefecturus esset ecclesiae, eum[31] ecclesiae *οἰκονόμον*. Ad quam eamdem formam *apostolatus*, quem hic denotavit, *οἰκονομία*[32] dicitur, et qui *apostolatui successit* etiam[33] *episcopatus*. Nec aliunde[34] capit experimentum futuri *episcopi* quam e propriae *domus* administratione, ut inde intelligatur, quomodo sit *in Dei domo* versaturus. Atque ad eamdem administrationis *domesticae* metaphoram referendae sunt *claves regni*[35] *coelorum*. Cum enim *domus* Domini coeli fuerit archetypa, propriumque eius, ut *Messiae*, *regnum* illud fuerit *coelorum;* plane sequebatur, qui *domui* eius praefectus fuisset, eum *regno* etiam *coelorum* fore praeficiendum. Dispensationis autem domesticae *symbola* fuerunt *claves* ei tradendae qui domui esset praeficiendus, sive *uxor* fuisset illa, sive etiam *dispensator*. Hic autem ad *dispensatoris* officium respexit. Ut enim praeter *domus privatas*, aliae *publicae* erant quae *palatia* vocamus; ita claves illae palatiorum *totius regni* administrandi erant *symbola*. Ita[36] intelligendae *claves domus David*. Ut[37] enim *throni Davidis* heres erat Dominus, ita et[38] *claves David* habere dicitur, quae et ipsae *mystice* sunt intelligendae. Sunt enim eaedem hic *claves regni coelorum*,

cipulo, ut servo adularetur. Et vero *omnem* ille *titulorum fastum* in discipulis alibi repressit. Sed et ambitum, primatumque in suo regno studiose quaerendum, quam primum esset ei occasio a discipulis oblata, vetuerat, et quidem severissime. Non est igitur ut oblatum ultro a Domino hunc honorem existimemus, ni maiora habuisset in mente quam quae primo sese intuitu nobis offerunt.... Ecclesiae pariter hic atque apostoli causam tractari manifestum est."

[26]) Ibid. §. XXXVIII.

[27]) Galat. VI. 10.

[28]) Matth. X. 25—26.

[29]) Marc. XIII. 35.

[30]) Matth. X. 25.

[31]) Luc. XII. 42.

[32]) I. Cor. IX. 17.

[33]) Tit. I. 7.

[34]) I. Tim. III. 4—5—15.

[35]) De clavibus regni coelorum deque earumdem significatione inferius dicemus.

[36]) Is. XXII. 22.

[37]) Luc. I. 32.

[38]) Apoc. III. 7.

quae alibi [39] *claves mortis infernique* nuncupantur..... Videmus igitur quam apte *domus Domini* respondeat *ecclesiae*, quam apte claves sint symbola potestatis dispensatoriae atque domesticae, quam apte potestas illa dispensatoria apostolis primum, tum et episcopis apostolorum haeredibus conveniat."

83. Jamvero pergit [40]: „Ut haec apte per *domus* allegoriam repraesentata sunt, ita nondum maturum erat ut per aliam quamvis repraesentarentur *domo auctiorem*. Sub iudaeorum pontificatu et in synagoga agenti [41] Domino non erat invidiosum, si *domus propriae* administrationem, si munus dispensatorium *in domo*, cui placuisset, tribuendum assumsisset. Haec, vel iudaeis iudicibus, invidia carebant. Maiora tamen de eo crediderunt apostoli, domum illam non *privatam* esse sed *regiam; fore* enim Messiam regem qui gentem iudaeorum e romanorum iugo eriperet, regiamque illis potestatem restitueret. Proinde potestatem illam domus dispensatoriam facile erat ut de honoribus *palatinis* intelligerent. Sed ne ipsi quidem *aliorum* quam *iudaeorum* fore *regem* credidisse videntur, *regnumque* eius angustis Palaestinae finibus terminandum. Non igitur *provinciarum* administrationem rogarunt filii Zebedaei, sed *locum* [42] dumtaxat in *consessibus regni* honorificum. Ab eo aberant longissime ut *spirituale* et *futurae vitae* regnum eius esse crederent, ut per orbem qua patet universum ditionem eius esse agnoscendam, ut *gentes* eius fore participes, et quidem *paribus* cum Israele *privilegiis*, ut in hac vita nihil esset ab eo praeter *martyria* atque *cruces* exspectandum. Haec ita nondum crediderunt, ut si nondum in fide confirmati tale quidpiam a Salvatore audiissent, ne ipsi quidem fuissent a scandali periculo securi. Id ita futurum cum videret Dominus, studiosissime proinde ab omni plurium *ecclesiarum* [43] *mentione* abstinendum duxit."

Quae quum ita se habeant, concludendum esse statuit, verba Salvatoris non posse nisi *ad singulas ecclesias* referri. „Sive enim, inquit [44], *domum* illam Domini, pro *iudaeorum sententia*, intelligamus *de domo* dumtaxat *privata;* sive, pro *discipulorum* illa, *de domo* etiam *regia:* utrobique tamen *singularis ecclesiae* typum non excessit. Tota enim ditio *Palaestinae unicum* tamen agnoscebat *summum pontificem*, unicam solemnium conventuum *urbem*, scilicet *hierosolymitanam*, unicum *altare*, unica [45] totius gentis *sacrificia*. Haec tamen

[39]) Apoc. I. 18.

[40]) Ibid. §. XXXIX.

[41]) Crederes, dum ista legis, serviisse Dominum falsis, perniciosisque iudaeorum opinionibus; quod a vero quantopere abhorreat, non est praesentis loci pluribus demonstrare.

[42]) Rogavit pro eis mater, Matth. XX. 20. coll. Marc. X. 37, ut alter ad dexteram, alter ad sinistram sederet ἐν τῇ βασιλείᾳ, vel ut Marcus habet, ἐν τῇ δόξῃ Christi; de qua phrasi accurate disputat Vitringa, Observatt. Sacr. lib. II. capp. IV—V.

[43]) Male omnino, quum idcirco Dominus a *plurium* ecclesiarum mentione abstinuerit, quod *nonnisi unicam* instituerit ecclesiam, sicut *unum* a Patre accepit regnum, *unumque* corpus tam carneum, quam mysticum sibi copulavit.

[44]) Diss. cit. §. XL.

[45]) Sed haec omnia quid aliud prae-

omnia erant singulis etiam ecclesiis, pro illius aetatis moribus, communia. Uni illi sacerdoti respondebat *quilibet episcopus*, e sententia [46] Cypriani; uni altari singulorum episcoporum *communio*; uni illi urbi hierosolymitanae quaelibet per orbem *urbs* in qua visum esset constitui *episcopum*, unis illis gentis universae conventibus tribus illis anniversariis festis *Paschae*, *Pentecostes* atque *Tabernaculorum* celebrandis, ecclesiarum singularum *conventus* iisdem illis festis cum suo cuiusque episcopo.“

Paucis deinde interiectis, addit [47]: „Cum *singularum* itaque ecclesiarum typum gesserit illa Servatoris *domus*, videmus etiam quam apte *unius* dumtaxat *dispensatoris* facta sit mentio, qui idem fuerat *unius* typus *episcopi*. Et quidem ea vel ipsa ratio de *singulis* hoc *ecclesiis* intelligendum suadet, quod cum hoc in loco, in quo sententiae iam vulgo obtinenti, de *unica* dumtaxat *ecclesia* futura οἰκονομικῶς gratificatus est Dominus, *unius* dumtaxat occurrit mentio *dispensatoris*; postea cum de evangelio per orbem disseminando apertius loqueretur, ut proinde *plures* iam essent *domus* sive *ecclesiae* constituendae, tandem *plures* ab eo constituti sunt *dispensatores*, cum nulla vel minima *imparitatis* nota. Omnino omnia ad mentem Cypriani [48] accommodatissime. Sequebatur enim *singularum* ecclesiarum *unicos* esse ex Domini institutione dispensatores episcopos. Sequebatur etiam *ecclesiae catholicae* praefectum *episcoporum* [49] *collegium*. Illi nempe *parium* sibi invicem apostolorum collegio respondit antitypon in *ordinario* ecclesiae regimine collegium episcoporum, ipsorum quoque inter se *parium*, qui *singularum* essent ecclesiarum dispensatores *summi*, et nulli humanae potestati obnoxii. Cum autem *unam* dumtaxat *familiam* constituerent apostoli, reliqui, excepto dispensatore, pro *privatis* habendi erant, ut plane nihil faciat illud symbolum ad *unum episcopum* reliquis per orbem *universis* praeficiendum.“

Quare allegoriam fundamenti his verbis [50] enarrare pergit: „Observandum, non *domum* hic intelligi quamcumque, sed *publicam* dumtaxat et *sanctam*, quaeque adeo I. pro *templo* esset habenda. Nec enim alibi solebant haberi populi *conventus*, quos ἐκκλησίας vertunt LXXII. Interpretes, quos vocabulorum ecclesiae *technicorum* auctores fuisse diximus. Eo nimirum respexisse videtur Dominus, quod de Messia praedictum [51] esset, fore ut *reaedificaret tabernaculum David quod decidit*, *et diruta eius reaedificaret*, *et erigeret illud*. Haec certe

ferunt, quam quod catholici affirmant, regimen ecclesiae Christi ad unum supremum dispensatorem revocari? sit Cypriani doctrina, praehabitum idcirco fuisse Petrum, ut fons esset ac visibile principium catholicae unitatis.

[46]) De sententia Cypriani iam egimus plus semel, deque ea videri praeterea possunt quae in praefatione ad eiusdem opera maurinus editor Prudentius Maranus scribit.

[47]) Ibid. §. XLI.

[48]) Praepostere, quum exploratissima

[49]) His exprimitur anglicanum dogma, quo ecclesiae administratio *ad aristocratiam* revocatur.

[50]) Ibid. §. XLII.

[51]) Act. XV. 16.

prophetae [52] Amosi verba ad tempora Messiae accommodavit s. Jacobus, quae de *templo* illos intellexisse qui locus erat *tabernaculo* recipiendo ab ipso Davide [53] destinatus, est sane verisimile. II. Quoties de *templi reaedificatione* loquuntur [54] veteres prophetae, ita illam ut plurimum efferunt, ut *de fundamentis* eius mentionem faciant, unde facile erat ut colligerent, a primis usque fundamentis fore eius sub Messia restaurationem. Ita videmus quam apte de fundamentis ecclesiae ponendis meminerit Salvator. III. Tamen *templum* hoc *Messiae*, non *literae* erat, sed *mysticum*, et quidem *vivum* illud, ut a templo illo iudaeorum vita destituto distingueretur, quippe quod *Dei* etiam *vivi* est templum, quo titulo Deus iudaeorum a gentium idolis in V. T. distinguitur. Non igitur *lapidibus* sed *personis* constat hoc Messiae templum. *Superaedificati*, inquit [55] apostolus, *super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Jesu Christo: in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. In quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.* IV. Igitur cum hoc ipsum templum *e personis* constet, non est utique mirandum si *fundamentum* habeat itidem *personam*, nec dura istiusmodi locutio existimanda, sed genuina potius, reique ipsi accommodatissima. V. In hoc tamen templi huius *spiritualis a materiali* diversa est ratio, quod cum aedificium materiale *pluribus* nitatur *lapidibus fundamentalibus*, spirituale *unicum* dumtaxat habeat, quoties de *unica* dumtaxat Scripturae loquuntur [56] *ecclesia*. Petrae equidem vocem pariter ac *πέτρον* pro quolibet *saxo* intelligi posse fateor. Cum vero de aedificii *fundamento* usurpatur, ut [57] eius firmitatem denotet, tum vero *unum continuum saxum* intelligendum esse contendo, quando nimirum *solum* ipsum non aliud est quam *saxeum*. Ita *petrae* vox hoc in loco intelligitur cum apostolo tribuitur, ut proinde *aliis* locum non relinquat *sui ordinis*, ne *apostolis* quidem. Ita etiam *lapis angularis* intelligendus est. Quamquam enim in aedificio materiali *plures* sint lapides angulares; at quo sensu Domino tribuitur, in aedificio spirituali certum est *plures* esse non posse. VI. Igitur si in hoc ecclesiae typo praeter *fundamentum invisibile*, ipsum nimirum Dominum, fuerit praeterea aliud *visibile*, *humanum*, et quidem illud ipsum quoque *unicum*; sequitur et *in singulis ecclesiis antitypis* praeter Christum aliud esse etiam fundamentum visibile et humanum, pariterque unicum, quod non aliud esse potuit quam episcopus."

84. Quae quidem omnia neque tanta cura, neque tanta prolixitate descripsissem, nisi quoddam veluti ingenii lumen referrent, multaque rei illustrandae

52) Amos IX. 11.

53) I. Paralip. XVII. 1.

54) Is. XLIV. 28, Jerem. XXX. 18.

55) Ephes. II. 20—21—22.

56) Atqui nuspiam Scripturae loquuntur nisi de unica ecclesia, quam unicum sit mysticum Christi corpus; et si quando plurium coetuum mentionem iniiciunt, illosque ecclesiae titulo exornant, non aliter eos exhibent ac membra unius eiusdemque corporis, quod uno eodemque tam invisibili quam visibili capite regatur.

57) Matth. VII. 24—25, Luc. VI. 48.

opportuna, eaque verissima complecterentur. Ecquid enim verius quam de Petro dici, *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*? quid verius quam his verbis ecclesiae iuxta ac Petri caussam contineri? quid verius quam Christum ea proferentem id muneris explesse quod ab ipso explendum sancti Dei homines praedixerant, fore ut disiectum, labefactatumque Davidis tabernaculum ab imis usque fundamentis reaedificaret? quid verius quam accommodatissimam esse *petrae* metaphoram *de Petro*, *deque persona* adhibitam, ut ea fundamentum significaretur aedificii non *materialis* sed *mystici*, quodque e lapidibus non *mortuis* sed *viventibus* viventi Deo erigeretur? quid verius quam eadem metaphora Petro dignitatem adscribi, qua ceteris plane omnibus, ipsisque apostolis praeponeretur? quid verius quam non magis *unam* ostendi *ecclesiam*, de qua Christus loquitur, ac *unum lapidem angularem*, illumque Christum, quam *unum conspicuum fundamentum*, illudque Petrum? quid tandem verius quam eo orationem totam pertinere, ut regimen *christianae ecclesiae* illi fore simillimum adumbraretur, quod *in ecclesia iudaica* praecessit, ut quemadmodum *unus* in hac fuit *summus sacerdos*, ita *unus* in illa futurus esset *supremus dispensator*? Talia haec sunt quae suo merito probentur, quaeque a Dodwello anglicanarum partium theologo nullatenus exspectari posse videbantur.

A quo exspectari contra et poterant et debebant quae cum his iungit, miscetque: I. Servatoris domum, ad quam ipsemet sua oratione respiciebat, typum fuisse *singularis* non *universalis* ecclesiae: Petrum II. propterea designatum quidem ab eo fuisse *supremum dispensatorem*, sed qui *singulari* non *universali ecclesiae* esset praeficiendus: unde III. promissam illi dignitatem huc recidere, ut veluti *archetypus*, *exemplarque* eius regiminis proponeretur, quo instituendae deinceps per orbem universum ecclesiae a singularibus praepositis, summisque dispensatoribus administrarentur. Video quam haec doctrinae illi adversentur quam nos catholici profitemur, quaque a protestantibus dissidemus: video eo referri omnia, ut *aristocraticum episcopale regimen* non sine manifesta praerogativarum Petri pernicie a Christo institutum persuadeatur; sed bene habet, quod tam perspicue sint falsa, ut facillimo negotio erroris convincantur.

85. Inquire enim a quo ea capite pendeant, cuive hypothesi innitantur. Comperies constare sibi illa non posse, nisi fixa rataque habeatur interpretatio vocis *ecclesiae* a Christo adhibitae, quamque Dodwellus *de singulari ecclesia* Salvatoris domo praefigurata accipiendam esse contendit. At quibus argumentis, quibusve hermeneuticae adminiculis hanc ille acceptionem tuetur ac firmat? usu ne loquendi biblico atque christiano, sermonis contextu, locisque parallelis? ne apicem quidem de his habet, quibus tamen [58] sincera quaevis expositio maxime continetur. Non agit ergo interpretem, sed ut Hilarius [59] loquitur, *secundum*

[58]) Mirum videri non debet quod de his tacuerit, quum adeo perspicue (nn. 80—81) catholicorum interpretationi patrocinentur.

[59]) De Trinit. lib. X. Praemiserat: „Quis enim doctrinae profectus est, placita magis quam docenda conquirere? aut

desideria studiorum potius, *quam secundum evangelicam fidem coacervat doctrinam.*

Sane evangelica fides clamat, *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Quid Dodwellus? recipit verba fidei, sed illorum intelligentiam corrumpit, et quam Christus dicit *ecclesiam meam*, non hanc aut illam, sed ecclesiam meam, regnumque meum, de singulari ille definitoque coetu interpretatur; ut novo comprobetur exemplo [60], *de intelligentia haeresim, non de Scriptura esse*, *sensum non sermonem fieri crimen, et formam quidem fidei certam esse, sed quantum ad haereticos omnem sensum incertum esse.* Ubi mihi videor immutatis vocibus, et *Filii* nomine *ecclesia* intellecta, repetere illud posse, quo arianos ad incitas redigebat Ambrosius [61], inquiens: „Filium (ecclesiam meam) ergo legimus: mens tua percipit lectionem, edat lingua confessionem. Aufer hinc argumenta, ubi fides quaeritur."

Sed permittantur Dodwello argumenta, ac unde illa sumat, examinetur. Tamquam certum interpretationis canonem praestituit, eam verborum Domini significationem esse tenendam, *quae cum ideis conspiret, quas de eiusdem domo iudaei habebant*, *vel haud paullo perfectiores apostoli conceperant.* Hoc est quod inculcat, hoc cui insistit, et quo fidem auctoritatemque edito a se commentario conciliat. Verum quis non catholicorum modo, sed anglicanorum etiam ac protestantium, quibus rationalistarum placita non penitus arriserint, hanc normam probet, et de potestate verborum Christi ex praeposteris iudaeorum notionibus,

quae doctrinae religio est non docenda desiderare, sed desideratis coacervare doctrinam?"

Quod haereticorum vitium enarrandi Scripturas *pro voluntate* ac *electione*, e qua ipsum *haereticum* nomen defluxit, alibi frequenter Hilarius carpit, uti quum lib. VIII. scribit: „Multi sunt qui simulantes fidem non subditi sunt fidei, sibique fidem ipsi potius *constituunt*, quam *accipiunt*, sensu humanae inanitatis inflati; dum quae *volunt*, sapiunt, et nolunt sapere quae *vera* sunt; cum sapientiae haec veritas sit, ea interdum sapere quae nolis. Sequitur vero *hanc voluntatis sapientiam sermo stultitiae;* quia necesse est quod stulte sapitur, stulte et praedicetur. Jamvero stulta praedicatio quantum malum est audientium, cum seducuntur in sententiam stultitiae sub opinione sapientiae!"

Ex eodem vitio dissidentes repetit haereticorum commentarios, quum esse uniusmodi nequeat, quod ad variam, multiplicemque voluntatis electionisque normam dirigitur. „Per haec vitia, ait lib. X, studiosarum voluntatum omnes adversantium intentionum emergunt *contradictiones*; et inter *veri* assertionem et *placiti* defensionem pertinax pugna est, dum se et *veritas* tenet, et tuetur *voluntas*. Ceterum si non praeiret *rationem voluntas*, sed *per veri intelligentiam ad velle* id quod verum est, moveretur, numquam *doctrina voluntati* quaereretur, sed *voluntatem omnem doctrinae ratio* commoveret, essetque omnis sine contradictione veritatis sermo, cum unusquisque non quod *vellet*, id verum esse defenderet, sed quod *verum* est, id velle coepisset."

[60]) Verba sunt eiusdem Hilarii de Trinit. lib. I.

[61]) De Fide, lib. I. cap. V.

aut imperfectis adhuc rudioribusque apostolorum ideis iudicandum esse arbitretur? nonne propterea Christus veluti *lux* refulsit, ut errorum tenebras umbrasque depelleret? nonne tamquam *veritas* apparuit, ut falsa detegeret, inchoataque absolveret? nonne *magisterii* partes idcirco obiit, ut auditores, discipulosque ad altiora proveheret? [62] Quum igitur interpretanda veniunt Christi verba, non de eo debemus esse solliciti, quid *antea* iudaei, quidve discipuli imperfecti adhuc carnalesque existimarint, sed quid ille proprie dixerit, quidve aequum fuerit ut iudaei *deinde* ac discipuli existimarent et crederent. Iis porro verbis usus est Dominus, quae ecclesiam *simpliciter* exprimunt, futurumque eiusdem regnum repraesentant. De ecclesia igitur *simpliciter absoluteque* spectata, deque universali Salvatoris regno, cui Petrus ceu supremus dispensator praeficeretur, intelligenda sunt.

86. Et re sane vera *quando* ea Dominus protulit, *quemque* iis alloquutus est? *cui* et *quando* dixit, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν? tum illa protulit, quum instituendum a se regnum *ecclesiae primum* nomine nuncupavit; ad *Petrum* vero eadem direxit, quem caelesti revelatione Pater edocuerat, quique Jesum ipsum non ut prophetam solum, hominemque praestantissimum, sed ut Christum Dei, germanamque Patris prolem credebat et confitebatur. Nemo autem sibi facile persuadeat, tum carnalibus iudaeorum opinionibus, imperfectisque discipulorum iudiciis Christum indulsisse, quum Pater magnum [63] aperiret pietatis mysterium, Deumque in carne manifestatum revelaret: tum veram ecclesiae rationem Petro abscondisse, quum Petrus divinam illius naturam, gloriamque depraedicaret: tum pro conditione humanae imbecillitatis verba temperasse, quum fides, lumenque caelitus immissum omnia sibi vindicarent. Vel enim opportunum numquam fuit, ut de *mystico suo corpore* pro rei veritate Christus loqueretur; vel tum maxime decuit, quum superna revelatione quod illi esset *caput*, Petro innotuit, quumque *caput ipsum* ecclesiae nomine *suum corpus* appellavit. Adiuncta igitur sermonis ostendunt, solemnem usitatamque significationem *ecclesiae* vocabulo esse subiiciendam.

Quod et aliud ostendit ab ipsomet Dodwello [64] prudenter animadversum: „Non magis *prophetias obscuras*, cum respondissent *eventus*, non iam amplius obscuras, sed, pro id genus prophetiarum ratione, *manifestas*, fideque adeo dignissimas visas esse; quam certa quaedam Salvatoris dicta *aenigmatice*, quum *officia* in ecclesia constituissent apostoli, iam patuisse *manifesto*, quam ea essent *ad Domini mentem* ab apostolis oblitis nescientibusque constituta. Erant enim

[62]) Praeclare nyssenus Gregorius in altero adversus Eunomium libro: „In terris visus est Christus et cum hominibus conversatus, ut non amplius homines *pro animi sui sententia* de eo quod est opinentur ....; sed persuasi quod vere Deus in carne apparuit, illud solum verum pietatis mysterium esse credant, quod per ipsum Verbum et Deum nostrum traditum est, qui per seipsum apostolis loquutus est.“

[63]) I. Tim. III. 16.

[64]) Diss. cit. §. XXXV.

πιστοὺς illius esse partes, et [16] Christum sic obtinere *κεφαλῆς τάξιν*, ut *οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτὸν τὴν τοῦ σώματος credentes in ipsum corporis locum* sortiantur. Neque aliud V. ex iis *proprietatibus* apparere, quas unanimes ecclesiae adscribunt, et inter quas ea eminet qua *catholica* [17] dicitur, *διότι καθόλου τοῦ κόσμου κεχυμένη ὑπάρχει, quia per universum orbem diffusa est.* Idipsum tandem VI. iis effici, quibus ambitum, amplitudinemque ecclesiae, argumento ducto e vocis origine, explanant; uti quum Cyrillus hierosolymitanus [18] scribit, *apte* christianorum coetus *ecclesia vocatur, διὰ τὸ πάντας ἐκκαλεῖσθαι, καὶ ὁμοῦ συνάγειν, propter omnium convocationem, congregationemque.* Usu igitur loquendi definita est potestas, quae *ecclesiae* nomini subest, eoque servato necesse est ut Christi ad Petrum verba de universitate fidelium intelligantur.

Quid praeterea ex commate [19] insequente, orationisque contextu manifestius, quam formulas *ἐκκλησίαν μου* et *βασιλείαν τῶν οὐρανῶν* significatione aequipollere? sed *ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν*, quum ecclesiae respondet, simpliciterque adhibetur, universum exprimit *τῶν πιστῶν* coetum. Hinc [20] illa, *ὁ μικρότερος ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν*, et [21] *ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται.* Quod igitur Christus dicit, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, idem prorsus notat ac si diceretur, *et super hanc petram*, tamquam vivos lapides, *fidelium populum aedificabo.* Sane quam heic vocat *μοῦ τὴν ἐκκλησίαν*, in loco plane gemino [22] appellat *τὰ ἀρνία μου καὶ τὰ πρόβατά μου.* Nemo autem est christianorum, qui [23] huius amplitudine formulae non comprehendatur. Neque igitur quisquam est, qui ecclesiae vocabulo non significetur, unde Petro Christus pollicetur fore, ut ipse petra sit ac fundamentum universitatis credentium.

82. Abnuit Dodwellus, et quamquam minime diffiteatur, verba, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, ad Petrum spectare; contendit tamen iis Petrum designari *petram* ac *fundamentum* non universalis sed *certae ac particularis ecclesiae*, quae ceterarum omnium *archetypus* foret ac *exemplar.* Quod ut explicet, et sin minus argumentis, suspicionibus saltem coniecturisque suadeat, praemittit [24]: *prophetam fuisse Salvatorem: omnia Salvatoris dicta et facta fuisse prophetica: nominum mutationes a prophetis factas non consuevisse vacare mysterio: etymologiam nominis Petri in ipsum potius apostolum, quam in eius confessionem solam quadrare debuisse: ita tamen in eius personam conferri debuisse, ut tamen ulterius* [25] *in gravioris momenti usum aliquem*

[16]) Theodoritus ad Ephes. I. 23.

[17]) Inter opera Athanasii, q. XXXVII. de Parabolis Scripturae.

[18]) Catech. XVIII.

[19]) Matth. XVI. 19.

[20]) Ibid. XI. 11.

[21]) Ibid. v. 12.

[22]) Joh. XXI. 15. seqq.

[23]) Scio uni alterive e protestantibus visum secus esse, sed ceteris repugnantibus, et contra manifestam verborum significationem, ut inferius patebit.

[24]) Dissert. Cyprianica VII. §. XXVIII —XXXVII.

[25]) Quod §. XXXII. his verbis explanat: „Verisimile non est in apostoli unius honorem haec esse Domini dicta referenda. Non erat maiestati eius congruum, ut dis-

sit etiam referenda: ad munus Domini propheticum id quoque pertinuisse ut ecclesiam suam formaret, non in doctrina modo, sed in disciplina etiam atque regimine: non hoc per apostolos dumtaxat medios praestare debuisse: ita tamen hoc curare ipsum debuisse ut tamen non disertis verbis proferret, sed per prophetica potius symbola atque aenigmata: pronos fuisse Domini auditores ut eius dicta omnia et facta in futurum ecclesiae usum referenda existimarent: et praecipue illa quae scriptis sacris mandata essent.

His autem praestructis veluti gradibus, subdit[26]: „Videri absonum non debere, ut Domini *familia* ecclesiae typum gesserit. Ut postea legimus de ecclesiis *κατ' οἶκον*, ita certe Dominus, quoties de ecclesia sua loquitur, servavit illam ipsam ut plurimum *domus* allegoriam. Proinde ut *οἰκείους πίστεως* appellavit[27] apostolus, ita[28] et *οἰκείους* Dominus. Proinde se[29] nunc *κύριον οἰκίας*, nunc[30] *οἰκοδεσπότην* vocat. Et quem praefecturus esset ecclesiae, eum[31] ecclesiae *οἰκονόμον*. Ad quam eamdem formam *apostolatus*, quem hic denotavit, *οἰκονομία*[32] dicitur, et qui *apostolatui successit* etiam[33] *episcopatus*. Nec aliunde[34] capit experimentum futuri *episcopi* quam e propriae *domus* administratione, ut inde intelligatur, quomodo sit *in Dei domo* versaturus. Atque ad eamdem administrationis *domesticae* metaphoram referendae sunt *claves regni*[35] *coelorum*. Cum enim *domus* Domini coeli fuerit archetypa, propriumque eius, ut *Messiae*, *regnum* illud fuerit *coelorum;* plane sequebatur, qui *domui* eius praefectus fuisset, eum *regno* etiam *coelorum* fore praeficiendum. Dispensationis autem domesticae *symbola* fuerunt *claves* ei tradendae qui domui esset praeficiendus, sive *uxor* fuisset illa, sive etiam *dispensator*. Hic autem ad *dispensatoris* officium respexit. Ut enim praeter *domus privatas*, aliae *publicae* erant quae *palatia* vocamus; ita claves illae palatiorum *totius regni* administrandi erant *symbola*. Ita[36] intelligendae *claves domus David*. Ut[37] enim *throni Davidis* heres erat Dominus, ita et[38] *claves David* habere dicitur, quae et ipsae *mystice* sunt intelligendae. Sunt enim eaedem hic *claves regni coelorum*,

cipulo, ut servo adularetur. Et vero *omnem* ille *titulorum fastum* in discipulis alibi repressit. Sed et ambitum, primatumque in suo regno studiose quaerendum, quam primum esset ei occasio a discipulis oblata, vetuerat, et quidem severissime. Non est igitur ut oblatum ultro a Domino hunc honorem existimemus, ni maiora habuisset in mente quam quae primo sese intuitu nobis offerunt.... Ecclesiae pariter hic atque apostoli causam tractari manifestum est."

[26]) Ibid. §. XXXVIII.

[27]) Galat. VI. 10.

[28]) Matth. X. 25—26.

[29]) Marc. XIII. 35.

[30]) Matth. X. 25.

[31]) Luc. XII. 42.

[32]) I. Cor. IX. 17.

[33]) Tit. I. 7.

[34]) I. Tim. III. 4—5—15.

[35]) De clavibus regni coelorum deque earumdem significatione inferius dicemus.

[36]) Is. XXII. 22.

[37]) Luc. I. 32.

[38]) Apoc. III. 7.

quae alibi [39] *claves mortis infernique* nuncupantur..... Videmus igitur quam apte *domus Domini* respondeat *ecclesiae*, quam apte claves sint symbola potestatis dispensatoriae atque domesticae, quam apte potestas illa dispensatoria apostolis primum, tum et episcopis apostolorum haeredibus conveniat."

83. Jamvero pergit [40]: „Ut haec apte per *domus* allegoriam repraesentata sunt, ita nondum maturum erat ut per aliam quamvis repraesentarentur *domo auctiorem.* Sub iudaeorum pontificatu et in synagoga agenti [41] Domino non erat invidiosum, si *domus propriae* administrationem, si munus dispensatorium *in domo,* cui placuisset, tribuendum assumsisset. Haec, vel iudaeis iudicibus, invidia carebant. Maiora tamen de eo crediderunt apostoli, domum illam non *privatam* esse sed *regiam;* fore enim Messiam regem qui gentem iudaeorum e romanorum iugo eriperet, regiamque illis potestatem restitueret. Proinde potestatem illam domus dispensatoriam facile erat ut de honoribus *palatinis* intelligerent. Sed ne ipsi quidem *aliorum* quam *iudaeorum* fore *regem* credidisse videntur, *regnumque* eius angustis Palaestinae finibus terminandum. Non igitur *provinciarum* administrationem rogarunt filii Zebedaei, sed *locum* [42] dumtaxat in *consessibus regni* honorificum. Ab eo aberant longissime ut *spirituale* et *futurae vitae* regnum eius esse crederent, ut per orbem qua patet universum ditionem eius esse agnoscendam, ut *gentes* eius fore participes, et quidem *paribus* cum Israele *privilegiis*, ut in hac vita nihil esset ab eo praeter *martyria* atque *cruces* exspectandum. Haec ita nondum crediderunt, ut si nondum in fide confirmati tale quidpiam a Salvatore audiissent, ne ipsi quidem fuissent a scandali periculo securi. Id ita futurum cum videret Dominus, studiosissime proinde ab omni plurium *ecclesiarum* [43] *mentione* abstinendum duxit."

Quae quum ita se habeant, concludendum esse statuit, verba Salvatoris non posse nisi *ad singulas ecclesias* referri. „Sive enim, inquit [44], *domum* illam Domini, pro *iudaeorum sententia,* intelligamus *de domo* dumtaxat *privata;* sive, pro *discipulorum* illa, *de domo* etiam *regia:* utrobique tamen *singularis ecclesiae* typum non excessit. Tota enim ditio *Palaestinae unicum* tamen agnoscebat *summum pontificem*, unicam solemnium conventuum *urbem*, scilicet *hierosolymitanam*, unicum *altare*, unica [45] totius gentis *sacrificia.* Haec tamen

[39]) Apoc. I. 18.

[40]) Ibid. §. XXXIX.

[41]) Crederes, dum ista legis, serviisse Dominum falsis, perniciosisque iudaeorum opinionibus; quod a vero quantopere abhorreat, non est praesentis loci pluribus demonstrare.

[42]) Rogavit pro eis mater, Matth. XX. 20. coll. Marc. X. 37, ut alter ad dexteram, alter ad sinistram sederet ἐν τῇ βασιλείᾳ, vel ut Marcus habet, ἐν τῇ δόξῃ Christi; de qua phrasi accurate disputat Vitringa, Observatt. Sacr. lib. II. capp. IV—V.

[43]) Male omnino, quum idcirco Dominus a *plurium* ecclesiarum mentione abstinuerit, quod *nonnisi unicam* instituerit ecclesiam, sicut *unum* a Patre accepit regnum, *unumque* corpus tam carneum, quam mysticum sibi copulavit.

[44]) Diss. cit. §. XL.

[45]) Sed haec omnia quid aliud prae-

omnia erant singulis etiam ecclesiis, pro illius aetatis moribus, communia. Uni illi sacerdoti respondebat *quilibet episcopus*, e sententia [46] Cypriani; uni altari singulorum episcoporum *communio*; uni illi urbi hierosolymitanae quaelibet per orbem *urbs* in qua visum esset constitui *episcopum*, unis illis gentis universae conventibus tribus illis anniversariis festis *Paschae*, *Pentecostes* atque *Tabernaculorum* celebrandis, ecclesiarum singularum *conventus* iisdem illis festis cum suo cuiusque episcopo."

Paucis deinde interiectis, addit [47]: „Cum *singularum* itaque ecclesiarum typum gesserit illa Servatoris *domus*, videmus etiam quam apte *unius* dumtaxat *dispensatoris* facta sit mentio, qui idem fuerat *unius* typus *episcopi*. Et quidem ea vel ipsa ratio de *singulis* hoc *ecclesiis* intelligendum suadet, quod cum hoc in loco, in quo sententiae iam vulgo obtinenti, de *unica* dumtaxat *ecclesia* futura οἰκονομικῶς gratificatus est Dominus, *unius* dumtaxat occurrit mentio *dispensatoris*; postea cum de evangelio per orbem disseminando apertius loqueretur, ut proinde *plures* iam essent *domus* sive *ecclesiae* constituendae, tandem *plures* ab eo constituti sunt *dispensatores*, cum nulla vel minima *imparitatis* nota. Omnino omnia ad mentem Cypriani [48] accommodatissime. Sequebatur enim *singularum* ecclesiarum *unicos* esse ex Domini institutione dispensatores episcopos. Sequebatur etiam *ecclesiae catholicae* praefectum *episcoporum* [49] *collegium*. Illi nempe *parium* sibi invicem apostolorum collegio respondit antitypon in *ordinario* ecclesiae regimine collegium episcoporum, ipsorum quoque inter se *parium*, qui *singularum* essent ecclesiarum dispensatores *summi*, et nulli humanae potestati obnoxii. Cum autem *unam* dumtaxat *familiam* constituerent apostoli, reliqui, excepto dispensatore, pro *privatis* habendi erant, ut plane nihil faciat illud symbolum ad *unum episcopum* reliquis per orbem *universis* praeficiendum."

Quare allegoriam fundamenti his verbis [50] enarrare pergit: „Observandum, non *domum* hic intelligi quamcumque, sed *publicam* dumtaxat et *sanctam*, quaeque adeo I. pro *templo* esset habenda. Nec enim alibi solebant haberi populi *conventus*, quos ἐκκλησίας vertunt LXXII. Interpretes, quos vocabulorum ecclesiae *technicorum* auctores fuisse diximus. Eo nimirum respexisse videtur Dominus, quod de Messia praedictum [51] esset, fore ut *reaedificaret tabernaculum David quod decidit, et diruta eius reaedificaret, et erigeret illud.* Haec certe

ferunt, quam quod catholici affirmant, regimen ecclesiae Christi ad unum supremum dispensatorem revocari? sit Cypriani doctrina, praehabitum idcirco fuisse Petrum, ut fons esset ac visibile principium catholicae unitatis.

[46]) De sententia Cypriani iam egimus plus semel, deque ea videri praeterea possunt quae in praefatione ad eiusdem opera maurinus editor Prudentius Maranus scribit.

[47]) Ibid. §. XLI.

[48]) Praepostere, quum exploratissima

[49]) His exprimitur anglicanum dogma, quo ecclesiae administratio *ad aristocratiam* revocatur.

[50]) Ibid. §. XLII.

[51]) Act. XV. 16.

prophetae [52] Amosi verba ad tempora Messiae accommodavit s. Jacobus, quae de *templo* illos intellexisse qui locus erat *tabernaculo* recipiendo ab ipso Davide [53] destinatus, est sane verisimile. II. Quoties de *templi reaedificatione* loquuntur [54] veteres prophetae, ita illam ut plurimum efferunt, ut *de fundamentis* eius mentionem faciant, unde facile erat ut colligerent, a primis usque fundamentis fore eius sub Messia restaurationem. Ita videmus quam apte de fundamentis ecclesiae ponendis meminerit Salvator. III. Tamen *templum* hoc *Messiae*, non *literae* erat, sed *mysticum*, et quidem *vivum* illud, ut a templo illo iudaeorum vita destituto distingueretur, quippe quod *Dei* etiam *vivi* est templum, quo titulo Deus iudaeorum a gentium idolis in V. T. distinguitur. Non igitur *lapidibus* sed *personis* constat hoc Messiae templum. *Superaedificati*, inquit [55] apostolus, *super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Jesu Christo: in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. In quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.* IV. Igitur cum hoc ipsum templum *e personis* constet, non est utique mirandum si *fundamentum* habeat itidem *personam*, nec dura istiusmodi locutio existimanda, sed genuina potius, reique ipsi accommodatissima. V. In hoc tamen templi huius *spiritualis a materiali* diversa est ratio, quod cum aedificium materiale *pluribus* nitatur *lapidibus fundamentalibus*, spirituale *unicum* dumtaxat habeat, quoties de *unica* dumtaxat Scripturae loquuntur [56] *ecclesia*. Petrae equidem vocem pariter ac πέτρον pro quolibet *saxo* intelligi posse fateor. Cum vero de aedificii *fundamento* usurpatur, ut [57] eius firmitatem denotet, tum vero *unum continuum saxum* intelligendum esse contendo, quando nimirum *solum* ipsum non aliud est quam *saxeum*. Ita *petrae* vox hoc in loco intelligitur cum apostolo tribuitur, ut proinde *aliis* locum non relinquat *sui ordinis*, ne *apostolis* quidem. Ita etiam *lapis angularis* intelligendus est. Quamquam enim in aedificio materiali *plures* sint lapides angulares; at quo sensu Domino tribuitur, in aedificio spirituali certum est *plures* esse non posse. VI. Igitur si in hoc ecclesiae typo praeter *fundamentum invisibile*, ipsum nimirum Dominum, fuerit praeterea aliud *visibile*, *humanum*, et quidem illud ipsum quoque *unicum*; sequitur et *in singulis ecclesiis antitypis* praeter Christum aliud esse etiam fundamentum visibile et humanum, pariterque unicum, quod non aliud esse potuit quam episcopus."

84. Quae quidem omnia neque tanta cura, neque tanta prolixitate descripsissem, nisi quoddam veluti ingenii lumen referrent, multaque rei illustrandae

52) Amos IX. 11.

53) I. Paralip. XVII. 1.

54) Is. XLIV. 28, Jerem. XXX. 18.

55) Ephes. II. 20—21—22.

56) Atqui nuspiam Scripturae loquuntur nisi de unica ecclesia, quum unicum sit mysticum Christi corpus; et si quando plurium coetuum mentionem iniiciunt, illosque ecclesiae titulo exornant, non aliter eos exhibent ac membra unius eiusdemque corporis, quod uno eodemque tam invisibili quam visibili capite regatur.

57) Matth. VII. 24—25, Luc. VI. 48.

opportuna, eaque verissima complecterentur. Ecquid enim verius quam de Petro dici, *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*? quid verius quam his verbis ecclesiae iuxta ac Petri caussam contineri? quid verius quam Christum ea proferentem id muneris explesse quod ab ipso explendum sancti Dei homines praedixerant, fore ut disiectum, labefactatumque Davidis tabernaculum ab imis usque fundamentis reaedificaret? quid verius quam accommodatissimam esse *petrae* metaphoram *de Petro*, *deque persona* adhibitam, ut ea fundamentum significaretur aedificii non *materialis* sed *mystici*, quodque e lapidibus non *mortuis* sed *viventibus* viventi Deo erigeretur? quid verius quam eadem metaphora Petro dignitatem adscribi, qua ceteris plane omnibus, ipsisque apostolis praeponeretur? quid verius quam non magis *unam* ostendi *ecclesiam*, de qua Christus loquitur, ac *unum lapidem angularem*, illumque Christum, quam *unum conspicuum fundamentum*, illudque Petrum? quid tandem verius quam eo orationem totam pertinere, ut regimen *christianae ecclesiae* illi fore simillimum adumbraretur, quod *in ecclesia iudaica* praecessit, ut quemadmodum *unus* in hac fuit *summus sacerdos*, ita *unus* in illa futurus esset *supremus dispensator*? Talia haec sunt quae suo merito probentur, quaeque a Dodwello anglicanarum partium theologo nullatenus exspectari posse videbantur.

A quo exspectari contra et poterant et debebant quae cum his iungit, miscetque: I. Servatoris domum, ad quam ipsemet sua oratione respiciebat, typum fuisse *singularis* non *universalis* ecclesiae: Petrum II. propterea designatum quidem ab eo fuisse *supremum dispensatorem*, sed qui *singulari* non *universali ecclesiae* esset praeficiendus: unde III. promissam illi dignitatem huc recidere, ut veluti *archetypus*, *exemplarque* eius regiminis proponeretur, quo instituendae deinceps per orbem universum ecclesiae a singularibus praepositis, summisque dispensatoribus administrarentur. Video quam haec doctrinae illi adversentur quam nos catholici profitemur, quaque a protestantibus dissidemus: video eo referri omnia, ut *aristocraticum episcopale regimen* non sine manifesta praerogativarum Petri pernicie a Christo institutum persuadeatur; sed bene habet, quod tam perspicue sint falsa, ut facillimo negotio erroris convincantur.

85. Inquire enim a quo ea capite pendeant, cuive hypothesi innitantur. Comperies constare sibi illa non posse, nisi fixa rataque habeatur interpretatio vocis *ecclesiae* a Christo adhibitae, quamque Dodwellus *de singulari ecclesia* Salvatoris domo praefigurata accipiendam esse contendit. At quibus argumentis, quibusve hermeneuticae adminiculis hanc ille acceptionem tuetur ac firmat? usu ne loquendi biblico atque christiano, sermonis contextu, locisque parallelis? ne apicem quidem de his habet, quibus tamen [58] sincera quaevis expositio maxime continetur. Non agit ergo interpretem, sed ut Hilarius [59] loquitur, *secundum*

[58]) Mirum videri non debet quod de his tacuerit, quum adeo perspicue (nn. 80—81) catholicorum interpretationi patrocinentur.

[59]) De Trinit. lib. X. Praemiserat: „Quis enim doctrinae profectus est, placita magis quam docenda conquirere? aut

desideria studiorum potius, quam secundum evangelicam fidem coacervat doctrinam.

Sane evangelica fides clamat, *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Quid Dodwellus? recipit verba fidei, sed illorum intelligentiam corrumpit, et quam Christus dicit *ecclesiam meam,* non hanc aut illam, sed ecclesiam meam, regnumque meum, de singulari ille definitoque coetu interpretatur; ut novo comprobetur exemplo [60], *de intelligentia haeresim, non de Scriptura esse, sensum non sermonem fieri crimen, et formam quidem fidei certam esse, sed quantum ad haereticos omnem sensum incertum esse.* Ubi mihi videor immutatis vocibus, et *Filii* nomine *ecclesia* intellecta, repetere illud posse, quo arianos ad incitas redigebat Ambrosius [61], inquiens: „Filium (ecclesiam meam) ergo legimus: mens tua percipit lectionem, edat lingua confessionem. Aufer hinc argumenta, ubi fides quaeritur."

Sed permittantur Dodwello argumenta, ac unde illa sumat, examinetur. Tamquam certum interpretationis canonem praestituit, eam verborum Domini significationem esse tenendam, *quae cum ideis conspiret, quas de eiusdem domo iudaei habebant, vel haud paullo perfectiores apostoli conceperant.* Hoc est quod inculcat, hoc cui insistit, et quo fidem auctoritatemque edito a se commentario conciliat. Verum quis non catholicorum modo, sed anglicanorum etiam ac protestantium, quibus rationalistarum placita non penitus arriserint, hanc normam probet, et de potestate verborum Christi ex praeposteris iudaeorum notionibus,

quae doctrinae religio est non docenda desiderare, sed desideratis coacervare doctrinam?"

Quod haereticorum vitium enarrandi Scripturas *pro voluntate* ac *electione*, e qua ipsum *haereticum* nomen defluxit, alibi frequenter Hilarius carpit, uti quum lib. VIII. scribit: „Multi sunt qui simulantes fidem non subditi sunt fidei, sibique fidem ipsi potius *constituunt*, quam *accipiunt,* sensu humanae inanitatis inflati; dum quae *volunt*, sapiunt, et nolunt sapere quae *vera* sunt; cum sapientiae haec veritas sit, ea interdum sapere quae nolis. Sequitur vero *hanc voluntatis sapientiam sermo stultitiae;* quia necesse est quod stulte sapitur, stulte et praedicetur. Jamvero stulta praedicatio quantum malum est audientium, cum seducuntur in sententiam stultitiae sub opinione sapientiae!"

Ex eodem vitio dissidentes repetit haereticorum commentarios, quum esse uniusmodi nequeat, quod ad variam, multiplicemque voluntatis electionisque normam dirigitur. „Per haec vitia, ait lib. X, studiosarum voluntatum omnes adversantium intentionum emergunt *contradictiones;* et inter *veri* assertionem et *placiti* defensionem pertinax pugna est, dum se et *veritas* tenet, et tuetur *voluntas.* Ceterum si non praeiret *rationem voluntas*, sed *per veri intelligentiam ad velle* id quod verum est, moveretur, numquam *doctrina voluntati* quaereretur, sed *voluntatem omnem doctrinae ratio* commoveret, essetque omnis sine contradictione veritatis sermo, cum unusquisque non quod *vellet,* id verum esse defenderet, sed quod *verum* est, id velle coepisset."

[60]) Verba sunt eiusdem Hilarii de Trinit. lib. I.

[61]) De Fide, lib. I. cap. V.

aut imperfectis adhuc rudioribusque apostolorum ideis iudicandum esse arbitretur? nonne propterea Christus veluti *lux* refulsit, ut errorum tenebras umbrasque depelleret? nonne tamquam *veritas* apparuit, ut falsa detegeret, inchoataque absolveret? nonne *magisterii* partes idcirco obiit, ut auditores, discipulosque ad altiora proveheret? [62] Quum igitur interpretanda veniunt Christi verba, non de eo debemus esse solliciti, quid *antea* iudaei, quidve discipuli imperfecti adhuc carnalesque existimarint, sed quid ille proprie dixerit, quidve aequum fuerit ut iudaei *deinde* ac discipuli existimarent et crederent. Iis porro verbis usus est Dominus, quae ecclesiam *simpliciter* exprimunt, futurumque eiusdem regnum repraesentant. De ecclesia igitur *simpliciter absoluteque* spectata, deque universali Salvatoris regno, cui Petrus ceu supremus dispensator praeficeretur, intelligenda sunt.

86. Et re sane vera *quando* ea Dominus protulit, *quemque* iis alloquutus est? *cui* et *quando* dixit, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν? tum illa protulit, quum instituendum a se regnum *ecclesiae primum* nomine nuncupavit; ad *Petrum* vero eadem direxit, quem caelesti revelatione Pater edocuerat, quique Jesum ipsum non ut prophetam solum, hominemque praestantissimum, sed ut Christum Dei, germanamque Patris prolem credebat et confitebatur. Nemo autem sibi facile persuadeat, tum carnalibus iudaeorum opinionibus, imperfectisque discipulorum iudiciis Christum indulsisse, quum Pater magnum [63] aperiret pietatis mysterium, Deumque in carne manifestatum revelaret: tum veram ecclesiae rationem Petro abscondisse, quum Petrus divinam illius naturam, gloriamque depraedicaret: tum pro conditione humanae imbecillitatis verba temperasse, quum fides, lumenque caelitus immissum omnia sibi vindicarent. Vel enim opportunum numquam fuit, ut de *mystico suo corpore* pro rei veritate Christus loqueretur; vel tum maxime decuit, quum superna revelatione quod illi esset *caput*, Petro innotuit, quumque *caput ipsum* ecclesiae nomine *suum corpus* appellavit. Adiuncta igitur sermonis ostendunt, solemnem usitatamque significationem *ecclesiae* vocabulo esse subiiciendam.

Quod et aliud ostendit ab ipsomet Dodwello [64] prudenter animadversum: „Non magis *prophetias obscuras*, cum respondissent *eventus*, non iam amplius obscuras, sed, pro id genus prophetiarum ratione, *manifestas*, fideque adeo dignissimas visas esse; quam certa quaedam Salvatoris dicta *aenigmatice*, quum *officia* in ecclesia constituissent apostoli, iam patuisse *manifesto*, quam ea essent *ad Domini mentem* ab apostolis oblitis nescientibusque constituta. Erant enim

[62]) Praeclare nyssenus Gregorius in altero adversus Eunomium libro: „In terris visus est Christus et cum hominibus conversatus, ut non amplius homines *pro animi sui sententia* de eo quod est opinentur .....; sed persuasi quod vere Deus in carne apparuit, illud solum verum pietatis mysterium esse credant, quod per ipsum Verbum et Deum nostrum traditum est, qui per seipsum apostolis loquutus est."

[63]) I. Tim. III. 16.

[64]) Diss. cit. §. XXXV.

multa Domini *dicta* quidem atque *gesta*, eo etiamnum superstite, non tamen nisi *in futurum* intelligenda. Unde etiam s. Spiritus officium ὑπόμνησις dicitur, qui non esset tam *nova* revelaturus, quam praeterita illa nec intellecta tamen Salvatoris dicta atque facta *in memoriam* revocaturus cum iam essent *ex eventu* ipso *manifesta*. Ut enim Domini διδαχὴ non *propria* ipsius erat, sed Patris; ita Spiritus sancti διδαχὴ non *alia* futura erat quam *Filii*. Ita enim praedixerat [65] Dominus *de suis* accepturum esse Spiritum sanctum, quae postea esset apostolis revelaturus."

Consulatur igitur *eventus*, et si quid ecclesiae nomini obscuritatis inest, ipsorum factorum lumine depellatur. Quid est quod gesta praeferunt, sive illa quae apostolicis litteris, sive quae apostolicis actis consignata leguntur? num *certae*, *singularique* ecclesiae fuisse Petrum praepositum, an curam illi *universae ecclesiae* fuisse caelitus demandatam? Hanc quaestionem iampridem diremtam dedimus, argumentisque idoneis comprobavimus, eas sibi partes [66] sumpsisse Petrum, ac eas illi ab omnibus [67] fuisse delatas, quae uni, eidemque supremo *universae ecclesiae* oeconomo praepositoque convenirent. Eventu igitur illustrius redditur, quod loquendi usus, orationis contextus, adiunctaque omnia persuadent: *universalem* a Christo designatam fuisse *ecclesiam* quum dixit, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.*

Quam universalis ecclesiae significationem ipse etiam Dodwellus [68] vidisset, nisi praeiudicata opinione deceptus sibi finxisset *hypothesim* de domo, familiaque Christi, quae *certam*, *singularemque ecclesiam* exhiberet. Quo enim nomine, quo titulo affirmare ipsi licuit, collectum primitus a Christo coetum *singularis* potius quam *universalis ecclesiae* exemplar extitisse? an tale est *semen*, quod aliquem dumtaxat e ramis, non totam arborem adumbret? an is est *fons*, qui aliquem solum e rivis, non totam ex eo defluentem aquarum copiam repraesentet? Decuit igitur ut domum, familiamque Christi ceu exemplar spec-

[65]) Joh. XVI. 13—14.

[66]) Lib. I. nn. 163. seqq.

[67]) Lib. I. nn. 269. seqq.

[68]) Immo illam quoque vidisset, nisi animum ab iis, quae ipsemet statuit, avocasset. Auctor (Diss. cit. §. XXXIX.) namque est, I. de dominica familia ecclesiam praefigurante non aliter sensisse apostolos quam *de regia domo*, cuius tam late pateret auctoritas, quantum Israelis regnum Messiae opera restituendum extenderetur: et II. eo sensu *de ecclesia* loquutum esse Christum, quo de eiusdem regno, regiaque domo apostoli cogitabant. Horum ego neutrum, quod facere meo iure possem, aut negabo, aut in controversiam adducam, sed potius a Dodwello petam, ut quid cum utroque nexum sit, etiam atque etiam consideret. Intelliget profecto cum his cohaerere, non potuisse Petrum *regiae domus supremum oeconomum* a Christo designari, quin *praepositus universo* eiusdem *regno*, *universaeque ecclesiae* ab apostolis cognosceretur. Nullus igitur patet locus interpretationi de ecclesia *singulari*: nullus doctrinae de *omnimoda* apostolorum aequalitate: ac nullus proinde anglicanae haeresi *de episcopali aristocratia*.

taret non *huius*, *illiusve ecclesiae*, sed *ecclesiae universae*, quae tum nonnisi inchoata, deinceps esset eiusdem principis architecti opera ad ultimas usque mundi plagas explicanda.

Qua semel cogitatione suscepta, neque negasset perinde esse sive *dominicae familiae*, sive *universae ecclesiae* Petrum praepositum confiteri: neque ab ea nominis *ecclesiae* interpretatione discessisset, quae protestantium consensione probata a Campegio Vitringa [69] et Christophoro Wolfio [70] his verbis effertur: „Ecclesia heic notat populum, civitatemque christianam, a Christo tunc constitutam, et amplius constituendam per Spiritum sanctum, secundum certas leges rectam, et ubicumque tandem illius partes et membra sint, per fidem coadunatam. Haec multitudo dicitur ecclesia, ut israelitarum populus olim dictus est קָהָל."

CAPUT VI.

Potestas integrae phraseos, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν: — quid de ea protestantes illi statuant, quibus Petri, petraeque nomina sunt συνώνυμα: — censent non aliam his verbis praerogativam, neque alium primatum quam praedicationis ostendi: — testimonia Cameronis, Bengelii, Rosenmülleri, Kuinoel, Schleusner et Bloomfield: — iudicium de hac interpretatione ferendum: — ea prorsus falsa est, quod internis externisque argumentis efficitur: — ipsorummet protestantium suffragio confirmatur: — iisque expolitur quae habentur Act. IX. 15: — legitima interpretatio affertur ac illustratur: — quid cum ea aptum sit atque cohaerens exponitur: — quaeve primatus ratio promissa Petro fuerit declaratur.

87. Definito *subiecto*, ad quod *petrae* vocabulum referri debet, et nominis *ecclesiae amplitudine* vindicata, hoc unum esse reliquum videtur, ut quae sit *integrae phraseos* vis ac potestas, quaeque ex ea *pendeant*, accurate declaretur. Ac de utroque sane capite hanc novi insedisse et etiamnum insidere mentem iis e protestantibus qui de *subiecto* vocabuli *petrae* nobiscum consentiunt: I. Christi verbis, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, nihil aliud significari, quam Petrum prae ceteris fuisse delectum, qui *omnium primus* iudaeis ac gentilibus evangelium praedicaret, *omnium primus* ex iudaeis ac gentilibus ecclesiam colligeret, ac *omnium primus* vivos spiritalis aedificii lapides poneret: unde II. promissam illi excellentiam ac prae ceteris *ὑπεροχὴν* ad *primatum praedicationis* suapte natura pertinere.

[69]) De Synagoga Vetere, lib. I. cap. I. [70]) In Curis Philolog. ad Matth. XVI. 18.

Innumeri propemodum sunt, qui hunc sibi commentarium expoliendum, tuendumque suscepere, e quibus, ne sim prolixior, aliquot solum commemorabo, illosque vel eruditiores, vel qui communiori usu prae ceteris innotuerint. Primum autem locum Hammondo [1] deferam et Cameroni, qui principio e Scripturis probant, *exordia* atque adeo *fundamenta* utriusque ecclesiae [2] *iudaicae* et *gentilis* ministerio Petri tribuenda esse; tum inferunt, verbis, *et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*, hunc prorsus inesse sensum: „Tu eris ecclesiae meae fundamentum, eadem mente qua [3] et reliqui apostoli erant fundamenta, et [4] columnae; quorum scilicet opera ecclesiae moles fulcitur atque sustentatur, et a quibus ecclesiae conditae sunt, *postquam* scilicet Petrus opus *inchoasset*, qui *primus* huius operis auctor fuit."

Non abludit Bengelius [5], inquiens: „Certe super apostolos aedificata est [6] ecclesia Christi, quatenus illi et *primi* fidelium fuere, et ceteri fideles *illorum opera* accessere. Qua in re praecipua quaedam sane Petri, salva apostolicae potestatis aequalitate, *praerogativa* extitit; nam is [7] et *primus* iudaeos lucrefecit plurimos, et idem [8] *primus* gentes ad evangelium [9] admisit."

Consonat Rosenmüllerus [10] his verbis: „Quid autem hoc loco sit οἰκοδομεῖν, id potest illustrari ex locis II. Cor. VI. 16, I. Petr. II. 5, I. Cor. III. 9, Ephes. II. 20. Ecclesia nempe comparatur [11] templo, cui fundamenti loco sunt apostoli. Haud vero aliter petrae aut fundamenti nomen tribuitur apostolis, quam τὸ σώζειν Rom. XI. 14. Quum ergo dicit Christus οἰκοδομήσω, tempus illud respicit, quo [12] Petrus *primus* omnium iudaeis, deinde [13] et alienigenis *erat annunciaturus* idipsum, quod hic profitebatur, nempe Jesum esse Christum et unigenam Dei Filium. Resurrectionem nimirum Jesu, cui consequens est, eum esse Christum et Dei Filium, crediderunt et iudaei et gentes tum communi apostolorum, tum *peculiari* etiam *Petri testimonio.* Per hunc modum Petrus factus est *petra* sive *fundamentum* populi christiani."

Neque secus Schleusner, cuius haec est [14] verborum Christi παράφρασις: „Tibi velut fundamento, saxo solido constanti superstruam ecclesiam christianam; hoc est, tu eris *summus et maxime insignis doctor* religionis christianae."

[1]) Apud Matthaeum Poli in Synopsi crit. ad Matth. XVI. 18.

[2]) Act. II—XV.

[3]) Apoc. XXI. 14.

[4]) Galat. II. 9.

[5]) In Gnom. ad Matth. XVI. 18.

[6]) Apoc. XXI. 14.

[7]) Act. II.

[8]) Ibid. X.

[9]) Videtur sensisse Bengelius tenuiora haec esse, quam ut vim reddant dominicae promissionis; unde continuo subdit: „Praeterea hic potissimum fratres suos confirmare, ovesque et agnos Domini pascere iussus est."

[10]) In scholiis ad Matth. XVI. 18.

[11]) Inciso consequente moveor, ut cum *civitate* potius quam cum *templo domove* comparari ecclesiam arbitrer.

[12]) Act. II. 14. seqq.

[13]) Ibid. X. et XV. 7.

[14]) In Lexic. N. T. ad v. πέτρα.

[15]) Probari ista possent, si *de primatu fidei ac doctrinae*, quo Petrus prae

Simillima notat Kuinoel, dum [16] ait: „Sensus verborum Christi nostro loco omnino hic est: tu in ecclesia mea (*μοῦ*, non Petri, sed Christi) fundanda egregiam operam navabis, per te *inchoabo* opus novae religiosae societatis condendae, tu eris [17] *στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἐκκλησίας*, unus e praecipuis religionis meae doctoribus et defensoribus. Id quod etiam *evenit;* nam Petrus [18] *primus omnium* post Christi in vitam reditum publice iudaeis et [19] gentilibus doctrinam Christi annunciavit. Alluditur autem verbis *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ κ. τ. λ.* ad morem in Palaestina receptum [20] aedificia in solo saxoso exstruendi, quo [21] aquarum procellarumque vim eludere possint; et ecclesia comparatur hoc loco cum domo ponenda et exstruenda super rupe, sicut et in scriptis apostolorum [22] saepius comparatur cum templo. Jesus ergo verbis, *ἐπὶ ταύτῃ . . . . . . ἐκκλησίαν*, illud tempus respexit, quo post suum ex his terris abitum *Petri opera* e iudaeis atque gentilibus quam plurimi ad Christi signa sese collaturi essent."

Hinc doctor Bloomfield [23] veluti rem exploratissimam, et a Pearsonio [24] iampridem animadversam tradit, Petrum ecclesiae *πέτραν* idcirco nuncupari, quod opus aedificandae ecclesiae *primus* inchoaverit.

88. In quo quidem commentario nihil est bonae frugis, nihil quod depravationis speciem, imaginemque non referat, quodque certis, luculentisque rationum momentis non confutetur. E quibus videri postremum non debet, quod numquam de eo antiqui Patres [25] cogitaverint, numquam aliquid in medium

omnibus insignis esset, et *propter quem* omnes in unam eamdemque cum eo fidem conspirare deberent, intelligerentur. Sed ab hoc sensu alienum fuisse Schleusner, non est cur dubitemus.

[16]) In comm. ad Matth. XVI. 18.

[17]) I. Tim. III. 15.

[18]) Act. II. 14. seqq.

[19]) Ibid. X—XV. 7.

[20]) Matth. VII. 24. seqq.

[21]) Nescio an non heic quadret canon quinto loco a Moshemio propositus, in Dissertatione, *De eo quod iustum est circa sacrarum litterarum ex profanis scriptoribus interpretationem et emendationem*, quique sic habet: „Arcana semper, *allusiones*, ut vocant, reconditasque virtutes, quas emphases appellant, in vocabulis et loquutionibus sanctorum scriptorum quaerere, res *nimiae* sagacitatis est."

[22]) II. Cor. VI. 16, I. Petr. II. 5, I. Cor. III. 9, Ephes. II. 10.

[23]) In notis ad Matth. XVI. 18.

[24]) In exposit. Symboli.

[25]) Cogitassent vero, si pronus obviusque fuisset, quemque verba et sermonis structura suggererent. Fas igitur mihi sit repetere quae Samuel Werenfelsius in Orat. de scopo interpretis sacrarum litterarum graviter monuit: „Unde est quod plurimi interpretes usque eo fastidiunt sensus faciles et simplices, venantur ubique singulares, longiusque petitos? ... Horum quidem hominum honestissima oratio est: nihil aliud ipsis, si diis placet, curae est quam caussa verbi Dei. .... At si rem penitius examinas, suam potius et gloriae suae caussam agunt. Quo enim exquisitior creditur cuiuslibet dicti sensus, eo latiorem campum sibi obtinuisse videntur, luxurianti phantasiae fraenum laxandi, et quidlibet in quolibet loco inveniendi."

adduxerint, quod ad illum accedere utcumque videretur. Habemus latinorum, graecorumque in Matthaeum commentarios, ac plurima eorumdem habemus opuscula, in quibus verba Salvatoris ad Petrum vel *data opera* expendunt, vel *carptim* ac *ὡς ἐν τύπῳ* interpretantur. In tanta nihilominus expositionum, adnotationumque copia ne vestigium quidem occurrit, quod cum protestantium explicatione conspiret; omnium namque una sententia est, prolatis a Christo verbis [26] *anteferri Petrum ceteris discipulis*, illi uni *maiora* quam ceteris committi, *τὸ τῆς ἐκκλησίας ἔρεισμα ecclesiae* [27] *columen* designari, *καὶ τὴν οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας et* [28] *ecclesiae aedificationem* in ipso veluti constitui.

Quae paucis quidem verbis, at ponderis omnino maximi complexus est [29] Gregorius nazianzenus, inquiens: „Vides, quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus et excelsis atque electione dignis, *ὁ μὲν πέτρα καλεῖται, καὶ τοὺς θεμελίους τῆς ἐκκλησίας πιστεύεται*, hic (scilicet Petrus) quidem petra vocetur, ecclesiaeque *fundamenta* in fidem recipiat?“ At quos dicit Nazianzenus *τοὺς τῆς ἐκκλησίας θεμελίους*? ipsos dubio procul apostolos. Neminem igitur excepit Christus, non magnum, non parvum, omnesque tam magnos quam parvos Petro regendos, sustentandosque commisit. Persuadere autem mihi nequeo tantopere sibi, suisque litteris, ingenioque protestantes confidere, ut hac adeo perspicua a priscis, sanctissimisque patribus dissensione ne leviter quidem commoveantur.

Qua profecto longe etiam commovebuntur vehementius, si ad eam caussam animum adverterint, quae Patrum aliquos impulit non quidem ut a Petro averterent, sed ut verba, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, de Christo inprimis interpretarentur. Hi sunt [30] Augustinus, Theodoritus [31], Beda [32], Paulinus [33] aquiliensis, Dungalus [34], Rhabanus Maurus [35], Hervaeus [36] ac [37] Innocentius III, quibus auctoribus tanta est excellentia, tantaque dignitas evangelicis verbis expressa, ut *plene ac per se* uni Christo conveniat, puro autem homini, quamquam eximiis aucto donis, *nonnisi altero gradu* convenire possit. Pluribus hanc caussam [38] Augustinus enarrat, ac pluribus post Augustinum reliqui expoliunt. At numquam in hanc mentem venissent, si evangelicis verbis non aliud efferri ornamentum putassent, quam quod protestantes existimant, et *praedica-*

[26]) Apud Basilium in prooemio de iudicio Dei, n. 7.

[27]) Apud eumdem con. Eunomium, lib. II. n. 4.

[28]) Apud Gregorium nazianzenum, Orat. VII. ad Gregorium patrem.

[29]) Orat. XXVI.

[30]) Retractt. lib. I. cap. XXI, in Joh. Tract. CXXIV, et de verbis Domini in Matth. Serm. XIII. capp. I—II.

[31]) In I. Cor. III. 11.

[32]) In Matth. XVI. 18.

[33]) Cont. Felicem urgelit. lib. I.

[34]) In libro con. Claudium taurinensem.

[35]) De Universo, lib. IV. cap. I.

[36]) In Matth. XVI. 18.

[37]) Serm. II. de consecrat. Pontificis.

[38]) Mihi prorsus mirum est, communia solum vulgataque a protestantibus reperiri, ubi patres nonnisi caelestia divinaque contuebantur. Sed in Scripturas quadrat quod de coloribus usurpamus, non minimum illorum splendorem ex aspicientium oculis pendere.

tionis primatu concludunt. Maximum igitur est inter utrosque interpretationis dissidium, neque ulla patet via, qua ad concordiam revocentur.

Sed forte ratio protestantibus non defuit cur in opposita irent, diversamque interpretationem, penitius inspecta verborum potestate consectarentur. Hoc quidem non admodum *prima fronte probabile* apparet, *secundis* vero expensum *curis falsissimum* deprehenditur.

89. Etenim ad quas ipsi normas suam interpretationem exigunt, aut quibùs e fontibus illi fidem conciliant? quae superius [39] a nobis descripta sunt, luculenter ostendunt, interpretationem de munere proponendi *primum* evangelii, deque *praedicationis primatu* cum eo munere cohaerente, triplici e loco ab ipsis desumi, quorum alter *dogmaticus*, *historicus* alter, ac postremus dici *analogicus* potest.

Mox videbo rite ne an praepostere ad eiusmodi se locos receperint, sed continuo postulabo qui factum sit ut *adiuncta orationis* neglexerint, *partium* συνάφειαν praeterierint, *insitamque metaphoricae loquutionis potestatem* usu loquendi non circumscripserint. Ideo ne quod isti neque *propinqui*, neque *potiores* legitimae interpretationis *loci* habeantur? sed eruditi plane omnes aliter decernunt, quibus solemne est cum Jacobo Elsnero [40] inculcare: *nihil aeque verae exegeseos regulis quam horum neglectum omissionemque adversari: quum ea tandem vocum, formularumque eligi significatio debeat, quam nexus orationis, res ipsa et circumstantiae reliquae maxime requirunt.* An igitur putabimus horum examen a protestantibus idcirco sepositum, quod neque sibi rebusque suis commodum fore praeciperent, quod catholicis gratissimum cognoscerent, quodque maiorem de eo curam gererent quo se modo expedirent, quam quo plena in luce veritatem collocarent? non negabo haec aliaque his similia ad conflandam in eos artificii dolique mali suspicionem opportunissima, sua veluti sponte animum subire; neque illis propterea insistam, sed porro pergam, vimque earum rationum aestimabo, quibus commentarium *de primatu praedicationis* communiri posse censuerunt.

E quibus prior eaque *dogmatica* mihi talis videtur, quae obesse quidem caussae possit, iuvare illam non possit. Ecquid enim aiunt? videlicet *omnimodam inter apostolos iuris auctoritatisque aequalitatem esse indubitatam, ac repudiari idcirco catholicorum expositionem oportere, quod huic certae exploratae que veritati refragetur.* At ne moneam quod est suapte natura manifestum, hoc praestituto lemmate constare quidem posse quaenam fallax sit interpretatio, non item quae germana, sinceraque existimari debeat; velim mihi protestantes respondeant, talis ne sit omnimoda apostolorum aequalitas, quae ultro a catholicis concedatur. Ego namque scio quod ipsi non ignorant, et negari illam a catholicis constanter, et iam inde a primis saeculis ab iis fuisse summa consensione negatam, quos catholici patrum, magistrorumque loco verentur. Unde

[39]) n. 87.

[40]) In observatt. ad Coloss. I. 24.

communem fidem his plane verbis Isidorus hispalensis[41] proponebat: „Quod vero *de parilitate* agitur apostolorum, *Petrus praeeminet ceteris*, qui a Domino audire meruit, *tu vocaberis Cephas, tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam;* et non ab alio aliquo, sed ab ipso Dei et Virginis Filio honorem pontificatus in Christi ecclesia primus accepit, cui etiam post resurrectionem Filii Dei ab eodem dictum est, *pasce agnos meos*, agnorum nomine ecclesiarum praelatos notans. Cuius dignitas potestatis etsi ad omnes catholicos episcopos est transfuga, specialius tamen romano antistiti singulari quodam privilegio veluti *capiti* ceteris membris celsiori permanet in aeternum. Qui igitur debitam ei non exhibet reverenter obedientiam, *a capite* seiunctus *acephalorum* schismati se reddit obnoxium.“

Ex his porro colligitur, nefas fuisse protestantibus in hac cum catholicis disceptatione eiusmodi doctrinae caput veluti *negantem*[42] *interpretationis normam* sibi praefigere, quod ab iis reiici damnarique non ignorarent. Utique, nisi praesto habuissent Scripturarum testimonia, quibus illud comprobarent. Quaenam vero? conspicua ne an obscura, certa an dubia, et de quibus maximae lites agitentur? non novi prolata hactenus fuisse[43] testimonia, quae clara, certa, ac extra contentionem posita merito videantur. Testimoniis igitur fluxae incertaeque explicationis protestantes innituntur, ut suum adprobent commentarium, illumque expugnent quem catholici complectuntur.

Postremo quaenam ratio videri idonea debet, ut haec ipsa de apostolorum aequalitate controversia apte dirimatur? quum nullum[44] adsit conspicuum testimonium, id reliquum dumtaxat[45] est, ut quaecumque omnia ad institutam a Christo regendae ecclesiae potestatem referuntur, sedulo colligantur, collecta comparentur, comparataque ad decidendam caussam, ferendamque sententiam adhibeantur. Atqui inter ea quae colligi, quae conferri, quaeque adhiberi debent, suus quoque est locus, isque insignis evangelico testimonio, cuius sinceram significationem exquirimus. Illius igitur interpretatio neque pendet neque pendere a dogmate potest, sive quod protestantes tenent *de aequalitate apostolorum*, sive

[41]) In epist. ad Eugenium toletanum episcopum.

[42]) Qua scilicet praefinirent quae admitti expositio nequeat.

[43]) Quae enim a protestantibus non sine aliqua veri specie adducuntur, ea habentur Matth. XVIII. 18, XXVIII. 18—20, et Joh. XX. 21—24. Sed I. his *diserte* efferri omnimodam apostolorum aequalitatem, ne ipsi quidem protestantes affirmare ausint. Reliquum est igitur II. ut illam *virtute* doceri contendant. Sed catholici unanimes repugnant, ac iis, ut ipsi censent argumentis, quae fidem facere debeant. Omnimoda igitur apostolorum aequalitas praesumi non potest, ac instar normae stabiliri, a qua evangelici textus interpretatio discedere nequeat.

[44]) Nobis quidem certum est neque conspicuum neque obscurum adesse, parcius tamen loquimur, ne ante triumphos agere quam absolvisse pugnam videamur.

[45]) Nullam propterea Traditionis mentionem iniicimus, quod nobis statutum sit, auctoritate *Scripturarum* litem dirimere.

quod catholici profitentur *de primatu*, quo unus prae omnibus Petrus auctus a Christo fuerit ac ditatus. Ab his autem alienissima sunt quae sibi protestantes sumunt, quum *instar dogmaticae regulae* apostolorum aequalitate utuntur, ut catholicam interpretationem proscribant. Omnia igitur sus deque miscent, *placitisque dogmaticis* in hermeneutica controversia non obscure abutuntur.

90. Quo comperto abusu, arduum nobis haud erit *alterius* quoque *canonis*, quem ipsi *ex eventu* sumunt, nosque *historicum* nuncupavimus, defectus vitiaque patefacere. Etenim I. quum de probandis improbandisve iuribus disputatur, nihil esse antiquius debet, quam ut instrumenta, tabulaeque consulantur, quibus *illorum institutio* continetur. Institutio namque est, e qua proprie iura pendent, quaeque arbitrii, iudiciique *legem* constituit. Neque periculo vacat, si institutione seposita, *ex eventuum factorumque norma* iudicium *maxime* pronuncietur. Nihil enim impedit quominus quis aut iura *non exercuerit* quibus potiebatur, vel non *ea amplitudine* exercuerit, qua poterat. Unde illud apud eruditos viros receptissimum, genus esse *perniciosissimae fallaciae*, si ex usus exercitiique defectu ipsius iuris potestatisque defectus concludatur. Quid iamvero protestantes? in hac de iuribus Petri capitali quaestione minimam de instrumentis tabulisque institutionis curam gerunt, seque totos ad usum. exercitium, factaque convertunt. Eam igitur ineunt explanandae controversiae rationem, quae et a rerum natura dissidet, et probari a nobis non potest.

Praesertim quum II. alio eoque deteriore vitio maculetur. Habitus enim quo iura cum usu, exercitioque cohaerent, est illi simillimus ac plane unus idemque quo caussae cum profectis ex iis effectibus devinciuntur. Neminem porro latet, vim, facultatemque caussae aestimari rite non posse, si *aliquot solum eiusdem effectus* considerentur: *summa* spectetur oportet, ut cuiusmodi illa sit, quantumque valeat, iudicetur. Quamquam igitur protestantibus permitteremus, ut de Petri iuribus ex historia potius ac eventu quam ex ipsa institutione decernerent; hac dumtaxat lege id a nobis permitti posset, ut nihil eorum silentio tegeretur, quae ad illius facta, gestaque referuntur: nihil eorum praeteriretur quae in evangeliis [46], quae in Actis [47], quaeque in apostolicis litteris [48] narrantur. At vero horum ne omnium habuerunt ipsi rationem, aut ex horum summa de praerogativis Petri, deque potestate phraseos, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν arbitrati sunt? immo e sexcentis propemodum factis, quae nos suo loco [49] expendimus, et quibus primatum Petri, supremamque auctoritatem stabilivimus, nonnisi unum alterumve [50] in examen ipsi vocarunt, ac ex uno tantum alterove quid de iure Petri, deque significatione evangelici textus sentiendum sit praepostera deductione concluserunt.

Atque heic III. me veritati prospecturum arbitror, si aliud praeterea notem quo seducti, deceptique protestantes videntur. Haud multis opus est ut quisque

46) Lib. I. nn. 13. seqq.

47) Ibid. nn. 163. seqq.

48) Ibid. nn. 150. seqq. nn. 269 seqq.

49) Ibid. nn. 259. seqq.

50) Ea nimirum solum quae narrantur Act. II. 14. seqq., X. et XV. 7.

intelligat, errorem esse non illum quidem *rarum*, *gravissimum* tamen, quo quae iuncta nexaque sunt non secus accipiuntur ac si *unum idemque* forent. Cohaerent lux et calor, neque propterea idem sunt: cohaerent vulnus et dolor, neque propterea confunduntur: cohaerent verbum mentis quodque ore profertur, neque distinctam propterea naturam exuunt: cohaerent flores et odor, neque propterea discrimen cessat quo secernuntur. Quid iamvero protestantes? rerum coniunctione decepti umbram corpori, rivum fonti, effectusque caussae substituerunt. Quum enim ex Actorum lectione [51] perspicerent, Petrum inter apostolos ministerio suo, verbique praedicatione eminuisse, quippe qui *primus* iudaeos, *primus* gentiles Christo adiunxerit, ecclesiamque ex utroque populo *primus* collegerit; id sibi reperisse visi sunt, quo et singulares illius dotes ostenderentur, et primatus ratio praerogativa praedicationis contenta explicaretur. Fallaci plane iudicio, quum ea Actorum lectio non ipsam primatus rationem, sed illius effectum aliquem exhiberet. Summopere namque decebat, ut qui propter primatum supremus ecclesiae doctor, fideique magister fuerat institutus, is omnium primus fidei doctrinam proponeret, magisterii partes obiret, fingendis discipulis operam daret, ecclesiamque ex utroque iudaeorum, gentiliumque populo exstrueret, ipsoque opere demonstraret quum ecclesiam futuram *universalem*, tum sibi auctoritatem potestatemque *catholici magisterii* fuisse collatam.

De quo arctissimo rerum nexu, ab ea tamen confusione alienissimo, quam protestantes commenti sunt, egregia habet Maximus taurinensis episcopus [52] de Petro scribens: „Tamquam bonus pastor tuendum gregem accepit, ut qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum: et qui ipse interrogationis tentatione nutaverat, ceteros fidei stabilitate fundaret. Denique pro soliditate devotionis *ecclesiarum* [53] *petra* dicitur, sicut ait Dominus: *tu es Petrus*, *et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Petra enim dicitur, eo quod *primus* in nationibus fidei fundamenta posuerit, *et tamquam saxum immobile totius operis christiani compagem molemque contineat.* Petrus ergo pro devotione petra dicitur, et petra pro virtute [54] Dominus nuncupatur, sicut ait [55] apostolus: *bibebant autem de spirituali consequente eos petra*, *petra autem erat Christus.* Recte *consortium* meretur *nominis*, qui *consortium* meretur et *operis.*" Ubi quod ait, Petrum appellari petram, *quod tamquam saxum immobile totius operis christiani compagem molemque contineat*, ad declarandam pertinet praerogativam Domini verbis expressam, *tu es Petrus*, *et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam;* quod autem addit, vocari petram *eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit*, ad id spectat quod erat cum dignitate primatus supremique magisterii iure consertum.

[51]) n. 87.

[52]) In Homiliis Hyemalibus, *De Petro Apostolo*, hom. IV.

[53]) Non certae cuiusdam ecclesiae, sed *ecclesiarum*, atque adeo *catholicae ecclesiae*, quae arctissima omnium societate componitur.

[54]) Virtutem intellige insitam, non benevola communicatione receptam.

[55]) I. Cor. X. 4.

91. Restat[56] *analogicus locus*, quo suam protestantes interpretationem colorant, quemque e textibus, ut ipsi opinantur, similibus geminisque desumunt. Horum autem *duos* proferunt, Pauli alterum[57] qui sic habet: *'Εποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν, ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ· ἐν ᾧ πᾶσα οἰκοδομὴ συναρμολογουμένη αὔξει εἰς ναὸν ἅγιον ἐν κυρίῳ*: ac alterum Johannis[58] qui scribit: *Καὶ τὸ τεῖχος τῆς πόλεως ἔχον θεμελίους δώδεκα, καὶ*[59] *ἐπ' αὐτῶν δώδεκα ὀνόματα τῶν δώδεκα ἀποστόλων τοῦ ἀρνίου.*

Verum respondent ne haec verba illis quae ad Petrum Christus direxit, inquiens: *Σὺ εἶ Πέτρος καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν?* sunt ne haec *tria* testimonia ad invicem *parallela* atque similia? similitudo *vocabulorum* plane desideratur, atque adeo non iniqua suspicio est, ipsam quoque *rerum* similitudinem desiderari. Ac abest profecto, tum quia *antecedentia, consequentia, adiunctaque omnia* in tribus testimoniis alia sunt ac diversa: tum quia evangelicum testimonium mercedem refert *uni Petro* repensam, duo vero reliqua excellentiam, praestantiamque *apostolis omnibus*, *ipsisque prophetis*[60] *communem* repraesentant. Quare patrum nullus, nullus ecclesiasticorum scriptorum docuit, *eamdem* esse evangelici textus, reliquorumque potestatem, ac ex his peti *normam* debere, qua illius significatio determinetur. Abutuntur igitur protestantes *analogia*, *locorumque collatione*, abutuntur *dogmaticis*, *historicisque* adiumentis, suamque tueri interpretationem nequeunt, quin *principes hermeneuticae leges* conculcent.

92. Et sane consideretur *imago* quae in evangelico testimonio adhibetur, et e qua *metaphoricae loquendi formulae* depromuntur. In oculos continuo incurrit, *eum respectum*, *habitumque* inter Christum ac Petrum designari, *quo* sibi mutuo *architectus*, *fundamentumque* respondent. Quemadmodum enim *architecti* personam gerit Christus, inquiens, *οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*: ita

[56]) n. 89.

[57]) Ephes. II. 20—22.

[58]) Apoc. XXI. 14.

[59]) Ex Gloss. *ἐν αὐτοῖς*.

[60]) Ne dubium sit *prophetarum* nomine Ephes. II. 20. venire prophetas non *veteris* sed *novi testamenti*, conferantur quae Paulus subdit capp. III. 5, IV. 11, quaeque Beniaminus Koppe disserit Excursu III. in epist. ad Ephesios. Jam vero de prophetis N. T. constat, I. Cor. XII. 28. coll. Ephes. IV. 11, *altero* ab apostolis *gradu* censeri illos haberique oportere.

Quo igitur accipiemus sensu, quod *infinite* dicitur, fideles, universamque ecclesiam aedificari *ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν?* eo ne ut dignitatis gradusque *discrimen* inter apostolos prophetasque tollamus? absurdum id foret. Absurdum igitur videri ex aequo debet, inde caussam negandi discriminis Petrum inter ceterosque apostolos sumi, quod tam his quam illi *fundamenti* ratio tribuatur. Contingere enim potest ut quod utrisque *commune* est, non *eodem* tamen *modo*, *eodemque gradu* utrisque conveniat: contingere potest ut quod *γενικῶς omnibus* adscribitur, idem *εἰδικῶς unius Petri* sit proprium.

fundamenti personam Petro adscribit, dicens, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ.* Respectus autem tanta perspicuitate, evidentiaque secretos commiscent protestantes: ac Petrum quem Christus futurum *πέτραν* affirmat, ipsi futurum *οἰκοδόμον* interpretantur: partesque *architecti* quas sibi hoc in loco Christus vindicavit, Petro deferunt, ut illum praerogativa *fundamenti*, qua insignitur a Christo, facilius exspolient. Ecquid enim est quod Petro promissum censent? quod ipse *omnium primus ministerio verbi* ecclesiam esset collecturus. Sed actio haec est ac functio *τοῦ οἰκοδόμου*, non autem munus et *ἀξίωμα τῆς πέτρας*.

Sequitur altera depravatio, qua *insitam vocabulorum vim potestatemque* corrumpunt. Christus enim eam Petro dotem, functionemque pollicetur, quae vocabulo effertur *fundamenti, cui aedificium numquam commovendum* incumberet. *Tu es*, inquit, *Petrus*, *et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*, *et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Propria autem immediataque *notio* fundamenti, quo *invictum*, *sempiternumque* aedificium sustentetur, *notio* est *stabilitatis* et *constantiae*, *notio* quae neque in dote neque in functione reponi potest, quae *perennis* haud sit, sed *dilabatur* ac *effluat.* Christus igitur dotem functionemque Petro spondet non *temporariam* ac *fluxam* sed *sempiternam* atque *constantem*, illumque futurum ecclesiae petram dicit *propter munus quod numquam esset desiturum.* Quis porro credat *eiusmodi* fuisse *primam* evangelii praedicationem, qua Petrus iudaeos ac gentiles ad Christum perduxit? quis fingat, ideo Petrum *iugiter* adesse ecclesiae, tamquam perenne eiusdem fundamentum, quod evangelii praedicationem ipse *iugiter auspicetur?* praeteriere iamdudum haec omnia, et nisi praeteriissent, *etiamnum* ecclesia inchoaretur. Nisi ergo affirmare placeat, posse pro arbitrio distinctas diversasque vocabulorum significationes commisceri: nuspiam iam esse ecclesiae fundamentum: ecclesiamque ipsam ab eo avulsam dissipatamque iacere; alia quaerenda est eorum quae Christus dixit sincerior interpretatio.

Quod nisi fiat, *ipsa* quoque *orationis veritas* periclitabitur. Si enim Petrus propter primatum praedicationis, coactosque primum fidelium coetus, ecclesiae *πέτρα* dictus existimetur; illius dumtaxat ecclesiae *πέτρα* haberi poterit, quam suis ipse curis exstruxerit. Suis autem curis, suoque ministerio nonnisi *singulares aliquot coetus* Domino dedicavit. Cuius igitur ecclesiae *πέτρα* habendus erit? *particularis* dumtaxat, quaeque angustis locorum, personarumque limitibus finiretur. Testatur vero Christus fore Petrum petram et fundamentum non huius illiusve ecclesiae, sed *τῆς ἐκκλησίας μου*, ecclesiae simpliciter, ecclesiae catholicae, ecclesiae ad finem usque saeculorum explicandae atque diffundendae. Sua igitur veritas promissioni Christi non constaret, si ea de praedicationis primatu acciperetur.

Quid quod ecclesia super Petrum aedificanda, quaeque Petro tamquam fundamento incumberet, fore *immobilis*, *constanterque victrix* perhibetur? *et portae inferi*, ait Dominus, *non praevalebunt adversus eam.* Quae vero ecclesiarum, quas Petrus sua praedicatione exstruxit, quasque *Petri alumnas*

Tertullianus appellaret, invicta perstitit, aut quae non oppugnata, expugnataque fuit? expugnatae fuerunt ecclesiae Palaestinae, expugnata ecclesia antiochena, et si protestantibus bene multis [61] credimus, ipsa quoque fracta victaque cecidit [62] romana ecclesia. Fundamenti igitur dignitas Petro collata neque ad eas solum refertur ecclesias, quas ipse primus aedificavit, neque de primatu praedicationis intelligi potest.

93. Quod ea luce splendet, ut plurium etiam e protestantium numero suffragium, assensionemque promeruerit. Eorum videlicet omnium, qui nihil sibi tutum, nihil contra catholicos validum satis munitumque arbitrabantur, nisi pro virili contenderent, *petrae* nomen dignitatemque *ad unum Christum* pertinere. Quos inter Franciscus Turrettinus [63] ad rem praesentem accommodatissime scribit: „Scio velle *quosdam* [64] ex veteribus, et post eos *nonnullos* [65] ex recentioribus, sic designatum fuisse singulare privilegium et munus Petro datum, ut primus [66] tam inter iudaeos quam inter gentes evangelium praedicaret, et sic ecclesiam christianam fundaret et colligeret. Sed licet hoc verum sit, *non potest huc*

[61]) Moderatiores sunt qui nostra aetate scribunt, sibique religioni ducerent convicia repetere, quibus romanam ecclesiam, veluti turpissimam meretricem, antiquiores protestantes insectabantur.

[62]) Quod a vero quantopere abhorreat, ex iis etiam deprehendere licet, quae in octava oecumenica synodo, act. VIII. Bahanes Patricius, episcopis suffragantibus advertit: ordinem esse divinitus praestitutum, ut in quinque patriarchalibus sedibus ecclesia universa consistat, ac *in evangeliis suis* propterea docuisse Christum fore, *ut nunquam illae aliquando penitus decidant, eo quod capita ecclesiae sint. Etenim*, pergit, *illud quod dicitur: et portae inferi non praevalebunt adversus eam, hoc denuntiat: quando duo ceciderint, currunt ad tria; quum tria ceciderint, currunt ad duo; quum vero quatuor forte ceciderint, unum quod permanet in omnium capite Christo Deo nostro, revocat iterum reliquum corpus ecclesiae.*

Sed haeresi victas corruisse quatuor patriarchales sedes, alexandrinam, antiochenam, hierosolymitanam et constantinopolitanam, neque catholicis neque protestantibus anceps est. Restat igitur ut invicta perstiterit romana Petri sedes, cum qua orthodoxi omnes convenire debeant, et cuius auctoritate, curisque disiecta membra ad corporis unitatem revocentur.

Hoc autem quod historia teste *factum* novimus, fieri *debuisse*, romanamque Petri sedem neque vinci neque superari *potuisse*; praeclare significavit Anselmus lucensis praesul in libro con. Guibertum scribens: „Uno vel duobus (e tribus praecipuis patriarchis) a fide corruentibus, romanus in eiusdem fidei fundamento licet pulsatus, licet concussus, tamen stetit *immobilis*. Caelum enim et terra transibunt, verba autem eius non transibunt qui dixit: *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.*"

[63]) Instit. Theolog. Elenctic. Loc. XVIII. q. XVII. §. XV.

[64]) Quos ex *veteribus* Turrettinus appellet, me fugit, quum illorum neminem noverim, qui eiusmodi interpretationem tradiderit.

[65]) *Nonnullos* sua Turrettinus aetate scribere potuit; in praesentia *plerique omnes* dicendi sunt.

[66]) Act. II. 24, et X. 34.

pertinere. Nam praeterquam quod hoc personale privilegium foret Petro, quod Papae competere non posset; sic bene quidem *architectus* et *fundator* vocaretur, per quem aedificanda esset ecclesia; sed non *fundamentum* eius, super quod aedificari deberet, ut heic Christus loquitur.“ Qua censura nihil simplicius, nihil verius, ac nihil quo interpretatio *de praedicationis primatu* validius profligetur.

Et admitti sane recipique non potest, quin *propria distinctaque* Petri Paulique *ornamenta* confundantur, *divinaeque oeconomiae ratio* perturbata violetur.

Sicut enim *character* est Petrique *nota* ut *ecclesiae fundamentum* credatur ac sit; ita *tessera* est *propriumque* Pauli *decus*, ut *summus praedicator* existimetur. Is *plus omnibus* [67] laboravit, ac is [68] ecclesiarum *omnium* cura studioque inflammatus ea praestitit, quibus inter delectos a Christo aedificatores princeps ac summus merito videretur. Unde Maximus de utroque simul apostolo sermonem habens [69]: „Jam necessarium, inquit, reor, ut *proprias eorum specialesque virtutes* prout ariditas linguae nostrae ingeniique tenuitas patitur, immo ut misericors Deus annuerit, proloquamur.“

At quas unicuique *proprias dotes* adscribit? et primum quas tribuit *Petro?* de eo scribit: „Hic ille est Petrus, qui confitendo Christum Dominum vivi Dei esse Filium, validissima invictaque nobis credendi fundamenta constituit.... Hic est Petrus, cui Christus Dominus communionem sui nominis libenter indulsit; ut enim sicut apostolus Paulus edocuit, *petra erat Christus*; ita per Christum Petrus factus est petra, dicente ei Domino: *tu es Petrus*, *et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam* .... Hic est Petrus, cui Christus ascensurus ad Patrem pascendas oviculas suas agnosque commendat, ut quos ille pietatis miseratione redemerat, hic fidei suae virtute servaret......... Quid [70] magnificentius Petro, qui tantae confessionis merito, cum corruptibili adhuc esset in corpore, et necdum ipse ascendisset in caelum, regnum illi caeleste et claudere et aperire permissum est?.... Quanti [71] igitur meriti apud Deum suum Petrus erat, ut ei post naviculae parvae remigium, totius ecclesiae gubernacula traderentur?.... Quid [72] de Petro referam, cuius tanta a Deo est approbata iustitia, tantaque ei potestas attributa est iudicandi, ut in arbitrio eius poneretur caeleste iudicium? perspicite ergo et aestimate, quanto nobis sit Petrus apostolus honore reverendus, cuius sententiam in terris prolatam sempiterni iudicis aequitas non repellit. Et ideo diligenter intendite quae sit eius gloriae magnitudo, cui dum claves regni committuntur aeterni, caelum illi claudere et aperire permissum est.“

De *Paulo* autem [73] subdit: „Hic est Paulus, qui pro suarum remuneratione virtutum ultra humana merita tertium raptus ad caelum, caelestia secreta cognovit, ut ecclesiarum futurus doctor inter angelos disceret, quod inter homines

[67]) I. Cor. XV. 10.

[68]) II. Cor. XI. 28.

[69]) In homiliis de Sanctis, *In Natali beatissimorum Petri ac Pauli apostolorum*, hom. I.

[70]) Hom. II. de eodem festo.

[71]) Hom. III. de eadem festivitate.

[72]) Ibidem.

[73]) Ibid. hom. I.

praedicaret. Aut quis ei impune ultra non credat, qui de sacramentis dominicis non solum audita loquitur, sed et visa testatur?.... Sed[74] iam veniamus ad beatissimum Paulum, cuius tanta est nihilominus plenitudo fidei, ut peculiarem quodammodo eum sibi ducem ad illuminanda gentium corda cunctorum praescius Salvator eligeret. Erat enim tam praecipuus in doctrina, animi virtute tam potens, innocentia et integritate tam sanctus, ut uno eodemque tempore, hinc eum sacerdotes et principes iudaeorum per aemulationem legis antiquae, data in christianos persequendi auctoritate dirigerent; hinc illum ad ecclesiae solatium atque omnium credentium firmamentum[75] Christus vocaret e caelo. Cuius ob hoc sunt a Domino caecati oculi, ut suscepta gratia veritatis, caelesti acie et lumine clariore fulgerent, pariterque adverteret christiani nominis princeps futurus[76], Christum quem persequebatur, caecandi illuminandique habere virtutem. Ut autem praeteream cetera, quae eum universo orbi mirabilem faciunt, unum illud quod ad omnes eius sufficit laudes, quis valeat aestimare quantae sit gloriae, quod cum inter homines ageret, speciali quadam divinitatis gratia, et paradisus illi penetrabilis et caelum pervium fuit? quid ergo, fratres, hoc doctore perfectius, qui in caelo didicit quod in terris doceret? quid hoc teste veracius, cui elevato super caelos oculis videre et approbare concessum est, quod postmodum promitteret credituris?.... Quid[77] hoc apostolo magnificentius, cui in medio mortalium constituto, et supra caelos ire datum, et ad terras redire concessum est? quid hoc beatius viro, qui inter secreta paradisi ediscere meruit, quod nec lingua hominis loqui possit, nec quisquam mereretur audire? et quum tantae sint sublimitatis illa quae docuit, ut comprehendere ea mens humana non possit, quantae illud putemus esse gloriae quod prodere sibi asserit non licere?"

[74]) Hom. II. de eodem festo.

[75]) Firmamentum omnium credentium fuit Paulus, I. eodem sensu quo ecclesia super omnes aedificata apostolos universim perhibetur: fuit II. sensu etiam praestantiore, quatenus doctrina sua omnium fidem instruxit ac munivit; sed firmamentum III. non fuit eo sensu quo de Petro dicitur, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, et quo eum credimus originem ac centrum catholicae unitatis designatum.

[76]) Princeps christiani nominis vocatur Paulus, quum I. eadem de caussa, qua apostoli generatim omnes in christianis monimentis *principes* dicuntur; tum II. proprio etiam nomine, quatenus inter apostolos splendore doctrinae praedicationisque refulsit. Minime vero III. princeps vocatur *iure* ac *potestate*, *praeque ipsis apostolis*; haec enim ornamenta IV. *uni Petro* constanter deferuntur, qui et Paulo *maior* nuncupatur.

Unde Pelagius II. in quarta, quae est ad Istriae antistites epistola, Petrum cum Paulo conferens ait: „Debet ergo perpendere vestra dilectio, quia praedecessorum nostrorum in hac caussa consensus tanto post inanis non fuit, quanto prius duris contradictionum laboribus insudavit. Sed his insuper factum Petri, *qui et Paulum superat*, vestra fraternitas ad memoriam reducat."

[77]) Hom. III.

Ad *utrumque* vero ea pertinent quae [78] subiicimus: „Gloriosissimos christianae fidei principes annuis solemnitatibus honorantes, ipsum Dominum ac Deum nostrum, qui huius auctor est fidei, debita religione veneramur..... Nos [79] vero ecclesiarum omnium reverendissimos patres, Petrum dico et Paulum, piissimis studiis honoremus, quibus Christi praestante gratia, factus est hodie de morte natalis, quibus finis vitae vivendi initium dedit..... Hi [80] ergo sunt beatissimi Petrus et Paulus, qui sacramentum caelestis regni uno spiritu praedicantes, sub unius passione diei doctrinam suam pio sanguine et morte fortissima consecrarunt, qui etiam tamquam ecclesiarum omnium principes facti dispensatione caelesti, Romam [81] petentes, sacratissima sua corpora in illius urbis arce reconderent, quae totius orbis obtinuerat principatum, quatenus potentiam virtutis suae Christus ostendens, ubi mundus caput habebat imperii, ibi regni sui principes collocaret..... Licet [82] in Petro fides emineat, in Paulo doctrina praecellat, et magisterium tamen Pauli fidei plenitudo est, et credulitas Petri doctrinae est fundamentum..... Hi [83] itaque sunt ecclesiarum columnae Petrus et Paulus, quos et vita sanctissima venerabilem produxit ad mortem, et gloriosus occasus fecit esse perpetuos. Quos non solum honoramus ut martyres, sed ut magistros patresque martyrum veneramur, qui ecclesiam Dei et caelesti praedicationis doctrina, et pii sanguinis effusione fundarunt..... Cum [84] omnes beatissimi apostoli parem gratiam apud Dominum sanctitatis obtineant, nescio quo tamen pacto Petrus et Paulus videntur prae ceteris peculiari quadam in Salvatore fidei virtute praecellere. Quod quidem ex ipsius Domini iudicio possumus approbare. Nam Petro sicut bono dispensatori clavem regni caelestis dedit, Paulo tamquam idoneo doctori magisterium ecclesiasticae institutionis [85] iniunxit, scilicet ut quos iste erudierit ad salutem, ille suscipiat ad quietem, ut quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna caelorum. Clavem enim quodammodo a Christo scientiae et Paulus accepit. Clavis enim dicenda est, qua ad fidem peccatorum dura corda reserantur, mentium secreta panduntur, et quidquid intrinsecus clausum tenetur, in palam rationabili manifestatione producitur. Clavis, inquam, quae et conscientiam ad confessionem peccati aperit, et gratiam ad aeternitatem mysterii

[78]) Hom. I. de eodem festo.

[79]) Ibidem.

[80]) Ibidem.

[81]) Ex his geminisque patrum loquutionibus obortam esse doctrinam merito proscriptam de Petro ac Paulo, duplici ecclesiae capite, norunt eruditi. Prolixum eorum catalogum qui eiusmodi doctrinam refutarunt, exhibet Thomas Ittigius diss. IV. app. tract. de Haeresiarchis.

[82]) Hom. III.

[83]) Hom. IV.

[84]) Hom. V.

[85]) Eadem mente in vetustissimo Leoniano Sacramentario scriptum legimus: „Qui ut hanc sedem (romanam) regimen ecclesiae totius efficeres, et quod haec praedicasset, ostenderes ubique servandum; simul in ea *et apostolicae principem* (Petrum) *dignitatis*, et *magistrum* (Paulum) *gentium collocasti*."

salutaris includit. Ambo igitur claves a Domino perceperunt, *scientiae* iste, ille *potentiae*. Divitias immortalitatis ille dispensat, scientiae thesauros iste largitur."

Commune est igitur Petro ac Paulo, ut *ecclesiarum principes* dicantur; sed *propria* est *ratio*, qua principis nomen ac dignitas utrique tribuitur. Est Petrus princeps, sed *potestate ac gradu*, quo ipsum [86] *superat* Paulum: est Paulus princeps, sed *charismate scientiae* [87] *et ὑπεροχῇ praedicationis*; est princeps Petrus, sed principatu *regiminis*, *potiorisque auctoritatis*: est princeps Paulus, sed principatu *laborum*, *doctrinae*, *splendorisque*, quo illius ministerium ac praedicatio refulsit. Egregie [88] Venantius Fortunatus:

Caelorum portae lati duo lumina mundi;
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter apostolicas radianti luce coronas
Doctior hic *monitis*, *celsior* ille *gradu*.

Et [89] rursum:

Princeps clave Petrus, primus quoque dogmate Paulus.

Sed horum nihil est, quod sua evangelici textus interpretatione *de primatu praedicationis* protestantes non turbent, nihil quod non commoveant; quum et Petro detrahant quae illi negari non possunt, ac ea vicissim adscribant quae *Pauli propria* esse omnium consensione firmatur.

94. Cuius consensionis quum gravissima ex sese sit auctoritas, multo tamen evadit illustrior, si divina in Petrum et Paulum oeconomia sacris consignata litteris attendatur. E regione textus describam quibus [90] illa continetur, ut et iniri comparatio facilius possit, et quid cum ea sit nexum, facilius evidentiusque deduci.

I. Ὅτι σὺ εἶ Πέτρος,	I. Ὅτι σκεῦος ἐκλογῆς μοί ἐστιν οὗτος,
II. καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.	II. τοῦ βαστάσαι τὸ ὄνομά μου ἐνώπιον ἐθνῶν, καὶ βασιλέων, υἱῶν τε Ἰσραήλ.

Perspicuum est ita sibi in utroque textu incisa respondere, ut quod brevius

[86]) Confer quae retulimus Pelagii secundi verba, quibus adde canonem XLIV. ex nicaenis arabicis summo orientalium ecclesiarum consensu probatis: „Quemadmodum patriarcha potestatem habet super subditos suos, ita quoque potestatem habet romanus pontifex super universos patriarchas, quemadmodum habebat *Petrus super universos christianitatis principes*." Hinc Arator lib. II. Hist. Apostolicae:

Gloria rerum
Contulit, ut Petro Paulum gerat ordo secundum,
Qui fundamentis manet architectus in istis.

[87]) Huc faciunt Cyrilli hierosolymitani verba e Catech. VI. n. 15, ubi quum initio Petrum atque Paulum ecclesiae προστάτας dixisset, explicationis gratia mox subdit: „Petrus namque erat is, qui *claves caeli* circumferebat; .... Paulus vero is, qui *in tertium caelum atque in paradisum raptus erat, audieratque arcana verba*, quae non licet homini loqui." Quibus charisma scientiae exprimitur, de quo rursum loquitur Catech. XIV. n. 26.

[88]) Lib. III. carm. VII.

[89]) Lib. IX. carm. II.

[90]) Matth. XVI. 18. coll. Act. IX. 15.

in prioribus effertur, latius in posterioribus declaretur. De Simone dicitur, *quod tu es Petrus;* de Paulo, *quod iste vas mihi* (Christo) *est electionis.* Sequitur explanatio, ac eorum quidem quae ad Simonem pertinent, his concepta verbis: *et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam;* eorum vero quae ad Paulum referuntur, talis est: *ad ferendum nomen meum coram gentibus et regibus ac filiis Israel.*

Sed aut in re non difficili totus fallor, aut protestantes suo *de primatu praedicationis* commentario discrimen subvertunt illius oeconomiae, quam in Petri, Paulique electione sibi Christus proposuit, nobisque disertissimis verbis manifestavit. Quorsum enim pertinent quae de Paulo dicuntur? quo ista spectant, *hic mihi vas* [91] *est* instrumentumque [92] *electum, ut nomen meum,* meamque fidem *tam gentilibus quam iudaeis publice* solemniterque [93] *evulget?* nihil evidentius quam his *proprium* Pauli *decus* significari, quo inter evangelii praecones unus omnibus antecelluerit. Praesertim quum eiusdem gesta descripta in Actis [94] atque in epistolis [95] relata ad hanc interpretationem confirmandam facta unice esse videantur.

Primatus igitur praedicationis dos est ac Pauli ornamentum, neque deferri Petro potest, quin I. *nulla* habeatur *ratio divinae oeconomiae,* qua Christus sua dona utrique erogavit: et quin II. *eadem* censeatur *potestas* quum verborum quibus Pauli destinatio ostenditur, tum eorum quibus Petri munus exprimitur. Sed et summa haberi ratio debet divinae oeconomiae, et significationis discrimen inter ea quae ad Petrum quaeque ad Paulum pertinent, est omnino splendidissimum; quum aliud plane sit quod dicitur, *ὅτι σὺ εἶ Πέτρος,* et, *ὅτι σκεῦος ἐκλογῆς μοί ἐστιν οὗτος:* itemque aliud, diversissimumque, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν,* et, *τοῦ βαστάσαι τὸ ὄνομά μου ἐνώπιον ἐθνῶν, καὶ βασιλέων, υἱῶν τε Ἰσραήλ.* Formula igitur, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, ad primatum praedicationis* non pertinet, sinceramque illius significationem potestatemque corrumpunt, qui non alium ex ea primatum quam praedicationis erui posse contendunt.

95. Quare multo mihi prudentius communi protestantium caussae ii consuluisse videntur, qui controversiae caput ac summam non *ad significationem,* sed *ad subiectum* verborum, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν*

[91]) Heic non aliter *σκεῦος* accipitur, quam Rom. IX. 22. dicatur *σκεύη ὀργῆς,* et v. 23. *σκεύη ἐλέους.* Porro *σκεῦος,* cui respondet hebraicum כְּלִי, ita *vas* exprimit, ut quodvis pariter instrumentum designet.

[92]) Substantivum *ἐκλογῆς* constructum cum nomine *σκεῦος* ideo *electum* verto, quod frequentissime in hoc syntaxeos genere modo prius, modo posterius substantivum vim potestatemque *adiectivi* induat. Luc. XVI. 8—9, Rom. VII. 24, Philipp. III. 21, Ephes. IV. 24.

[93]) Vox *ἐνώπιον,* elliptice pro *κατ' ἐνώπιον,* proprie denotat *in conspectu, coram,* atque hinc *publice, mediaque in luce.*

[94]) Act. XIII. seqq.

[95]) I. Cor. XV. 10, II. Cor. XI. 28, I. Tim. II. 7.

ἐκκλησίαν, revocandam esse existimarunt. Providebant enim viri docti, subactique ingenii coniungi simul *utramque opinionem* non posse, et quod ea verba ad Petrum spectent, et quod iis Petro eximiae cuiusdam auctoritatis primatus non deferatur. Hanc enim eximiam supremamque auctoritatem verba ipsa praeseferunt, eaque perspicuitate praeseferunt, quae obscurari nullatenus posse videatur. Studiis igitur quibus potuerunt maximis persuadere lectoribus conati sunt, non ad Petrum sed ad Christum ipsum evangelica verba pertinere. At vero alii omnino plurimi, ac *recentiores* plerique omnes partim a catholicis edocti, ac partim rei evidentia compulsi defensionem *ab antiquioribus* susceptam dimiserunt, et catholicis ultra concedentes unum eumdemque esse qui *πέτρος* quique *πέτρα* nuncupatur, *ad significationem* phraseos quaestionem totam eo consilio revocarunt, ut ex ea *nonnisi praedicationis primatum* erui posse conficerent. Quod utrum ex animi voto illis successerit, ea abunde luculenterque demonstrant quae hactenus disseruimus.

Ex his porro omnibus liquet: I. in hac de primatu Petri decidenda lite *dissidere ab invicem* protestantes, ac *antiquioribus recentiores* contradicere: neque II. quovis pugnae genere contradicere, sed gravissimo et ad *ipsum quaestionis cardinem* pertinente. Hic enim duplici e capite pendet, *e subiecto* primum de quo partes orationis accipi debent, ac *e significatione* deinde quae illis subiicienda est. Atqui tam *de subiecto* orationis, quam *de potestate* verborum digladiantur protestantes, et quod *vetustiores de illo* negant, *recentiores* affirmant, *quam* autem *hi significationem* praeferunt, *illi* absonam confictamque pronunciant. Nihil vero III. hac pugna aut protestantibus *infensius*, aut catholicis *opportunius*. Nihil illis infensius, quum indicium ea sit non admodum obscurum erroris in quo ipsimet versantur. Nihil vicissim catholicis opportunius, quorum caussa *iis ipsis argumentis*, quibus se protestantes impetunt, validissime stabilitur. Sicut enim unum eumdemque esse *Petrum* et *petram* iis ostenditur, quae recentiores contra antiquiores usurpant; ita phrasi, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, *supremam* exprimi *auctoritatem* iis comprobatur, quibus antiquiores protestantes recentiorum corruptelam in antecessum profligarunt.

Est igitur IV. cur heic repetamus quae in simillima caussa scripsit [96] Hilarius: „Magna enim *vis* est *veritatis*, quae cum *per sese* [97] intelligi possit, *per ea tamen ipsa quae ei adversantur* elucet: ut in natura sua immobilis manens, firmitatem naturae suae quotidie dum attentatur acquirat. Hoc enim *ecclesiae proprium* [98] est, ut tunc vincat cum laeditur, tunc intelligatur cum arguitur, tunc obtineat cum deseritur. Omnes quidem illa secum atque intra se vellet

[96]) De Trinit. lib. VII. n. 4.

[97]) Lumine insito quo splendet, nativisque argumentis quibus stabilitur.

[98]) Praeclare Hilarius eodem pacto *de veritate*, *deque ecclesia* columna et firmamento veritatis loquitur, et quas illi dotes tribuit, huic pariter adscribit, ac de utraque affirmat, *non solum suis, sed adversantium quoque intelligendam esse doctrinis*.

manere, nec ex tranquillissimis sinibus suis alios aut abiicere aut perdere, dum indigni fiunt tantae matris habitaculo: sed discedentibus ex ea haereticis vel abiectis, quantum amittit occasionis largiendae ex se salutis, tantum adsequitur ad fidem expetendae de se beatitudinis. Cognosci enim hoc ex ipsis haereticorum studiis promtissimum est. Namque cum ecclesia a Domino instituta, et ab apostolis confirmata, una omnium sit, ex qua se diversarum impietatum furens error absciderit; nec negari possit *ex vitio malae intelligentiae* fidei extitisse dissidium, dum quod *legitur*, *sensui potius coaptatur, quam lectioni sensus obtemperat:* tamen dum *sibi per partes singulae adversantur, non solum suis, sed adversantium est etiam intelligenda doctrinis;* ut dum adversum *unam* eam *omnes* sunt, impiissimum tamen errorem *omnium* per id quod *sola* est atque *una* confutet. Haeretici igitur *omnes* contra ecclesiam veniunt: *sed dum haeretici omnes se invicem vincunt, nihil tamen sibi vincunt. Victoria enim eorum, ecclesiae triumphus ex omnibus est, dum eo haeresis contra alteram pugnat, quod in haeresi altera ecclesiae fides damnat:* nihil enim est quod haereticis commune est: *et inter haec fidem nostram, dum sibi adversantur, affirmant.*"

96. Ceterum tanta est adhibitae a Christo formulae, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, evidentia, ut planiore commentario vix illustrari posse videatur. Constat illa quidem vocabulis *metaphoricis* [99], sed *tritis* [100] *vulgatisque*, quaeque *claris distinctisque notitiis* ab omnibus praecipiuntur. Clara namque est distinctaque *fundamenti* notio: clara distinctaque notio *aedificii fundamento impositi:* et clara distinctaque notio *σχέσεως* qua *fundamentum ad aedificium*, et *aedificium* vicissim *ad fundamentum* refertur. Quum enim fundamenti aedificiique *nomina efferimus*, deque mutuo eorum habitu respectuque *cogitamus*, illico menti notiones succurrunt I. *partis omnium nobilissimae*, qualis est *fundamentum*, ac alterius quae illi *obnoxia* est, cuiusmodi aedificium censetur: II. partis *quae* firmitatem constantiamque *impertit*, *quaeque* firmitatem constantiamque *recipit:* III. partis *e qua* totius unitas *oritur*, *quaeque* ad unitatem *redigitur:* et IV. partis *cum qua* cohaerere altera *debet*, et *a qua* seiungi sine pernicie non potest. Hac totidem sunt ideae notionesque

[99]) Advertit id Turrettinus ac mox adiecit Theolog. Elenct. Loco XVIII. q. XVII. §. XIV: „Locus Matth. XVI. 18. non favet primatui Petri. Primo quia locus est allegoricus et metaphoricus, qui varias patitur interpretationes; ac proinde non potest fundare primatum oecumenicum, qui loco aliquo expresse probari deberet."

Quasi vero I. sensus metaphoricus non esset litteralis et expressus; aut quasi II. metaphoricae loquutiones in eo quo adhibentur orationis contextu certam definitamque significationem referre non possint. Sunt haec *σφάλματα* graviora, quam ut facile condonentur.

[100]) In Enchiridio ubi regulas explicat, quibus tropi explorantur, haec inter cetera scribit Jahn, §. 37: „In legibus, simplicibus rerum gestarum narrationibus, atque in adcuratiore doctrinae expositione non solent usurpari tropi *insoliti* et *audaciores*, sed solum tales qui *communi usu* satis triti sunt."

metaphoricis Christi verbis *insitae*, quaeque ex iis obvia pronaque *analysi* [101] *educuntur*.

Quae si ad ecclesiam *aedificii* nomine expressam, et ad Petrum *fundamenti* appellatione significatum traducantur; haec existent certissima consectaria: I. Petrum esse *nobiliorem potioremque* ecclesiae [102] *partem*: II. *ex eo* ecclesiam universam *pendere*: III. eum esse *principium proximamque originem* [103] tum *firmitatis* qua ecclesia invicta est, quum *unitatis* qua singulae eius partes cohaerent, unumque aedificium constituunt: et IV. constare sibi ecclesiam non posse *a Petro divisam*, neque *alibi* reperiri quam *ubi* Petrus invenitur.

Quid porro his *consectariis* aut validius ad Petri *primatum statuendum*, aut ad illius *vim rationemque explicandam* insignius? statuitur primatus Petri, utpote qui non aliter quam ut *potior nobiliorque ecclesiae pars* repraesentetur. Eiusdem vis ratioque colligitur, quum Petrus exhibeatur *efficientis instar principii e quo unitatem firmitatemque* ecclesia mutuatur, et *cum quo* iuncta sociataque manere debet ne dilabatur et concidat.

Jure ergo Origenes [104] ac Eusebius [105] monuere, *numquam resolvi domum illam*, idest ecclesiam, *quod fundata sit supra petram*. Jure de romana Petri ecclesia Irenaeus [106] pronunciavit: *ad hanc ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam*, *hoc est eos qui sunt undique fideles*. Jure Cyprianus [107] Petri cathedram *radicem matricemque* nuncupavit, romanamque Petri ecclesiam dixit *ecclesiam principalem*, *unde unitas sacerdotalis exorta est*, et *in qua unitatis originem ab uno incipientem sua* Christus *auctoritate disposuit*. Jure Pacianus [108] ad unum Petrum evangelica verba referri docuit, *ut unitas ex uno formata* intelligeretur. Jure Optatus [109] ex appellatione *petrae* Petro indita conclusit, *unitatem cathedrae esse primam de dotibus* ecclesiae, et *in una Petri cathedra unitatem ab omnibus esse servandam*, ita ut *schismatici et peccatores essent*, *qui contra singularem cathedram alteram collocarent*. Jure Ambrosius [110] hanc legem tulit, *ubi ergo Petrus*, *ibi ecclesia*. A qua ne minimum quidem discrepant Hieronymi [111] verba,

[101]) Quae autem ita educuntur, eadem ἀμέσως dicta revelataque censeri debent.

[102]) At ecclesia, Paulo interprete I. Cor. XII. 28, Ephes. IV. 11, fidelibus ita componitur, ut *apostolos* inprimis complectatur. Exhibetur igitur Petrus ut qui apostolis omnibus potior sit, illisque praecellat.

[103]) Atque adeo insignem esse non primatu tantum *archetypo*, quo ecclesiae unitas *praemonstretur*, sed primatu maxime ἐνεργητικῷ, quo eadem unitas *efficiatur*.

[104]) In Genes. hom. XIV. n. 2.

[105]) In Jes. XXXIII. 20, et Praep. Evang. lib. I. capp. III—IV.

[106]) Con. Haeres. lib. III. cap. III.

[107]) Epistt. XLV—LV, et in lib. de Unitate Ecclesiae.

[108]) Ad Sympron. epist. III.

[109]) Con. Parmen. lib. II. cap. II; cui Cyprianus praeluserat epist. XL. affirmans: *unam esse cathedram super Petrum Domini voce fundatam*.

[110]) In Ps. L. n. 30.

[111]) Epist. LVII. al. XV.

super illam petram aedificatam ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Tum haec quae Cypriano [112] tribuuntur: *qui cathedram Petri, supra quam fundata est ecclesia, deserit, in ecclesia se esse confidit?* Jure Leo cognomento magnus [113], *nimis a compage huius aedificationis alienus est, qui beati Petri confessionem non capit.* Jure Avitus viennensis antistes in litteris ad Faustum et Symmachum Urbis senatores suam omniumque Galliae episcoporum fidem his verbis expressit: „In conspectu vestro non sit ecclesiae *minor* quam reipublicae status; quodque vobis Deus posse praestitit, prosit et nobis: nec *minus* diligatis in ecclesia vestra *sedem Petri*, quam in civitate *apicem mundi.* Si profundo illo tractatus vestri consilio rem videtis, non ea tantummodo quae *Romae* geritur caussa, cogitanda est. In *sacerdotibus ceteris* potest, si quid forte nutaverit, *reformari*; at si *papa Urbis* vocetur in dubium, *episcopatus iam videbitur* [114] *non episcopus vacillare.*“

Unde venerabilis Beda [115] de necessitate servandae unitatis cum Petro aiebat: „A cuius societate confessionis quisquis deviaverit, quamvis sibi magnus videatur, ad aedificium ecclesiae non pertinet.“ A quibus vix ea differunt quae ad Hincmarum rhemensem antistitem Nicolaus I. [116] scribebat, inquiens: „Tu autem, frater carissime, omnem inobedientiam depone . . . . , ad apostolicam Petri sedem quantocius dirigere studeas, si tuam caritatem in integritate *firmissimae petrae* desideras collocare, *ubi Christus domum suam fundavit.*“ Ut enim litteris datis ad universos Angliae episcopos [117] sanctissimus martyr Thomas cantuariensis perorabat: „Quis romanam ecclesiam *caput* omnium ecclesiarum et *fontem catholicae doctrinae* [118] ambigat esse? nonne in fide et doctrina Petri

[112]) In libello de Unit. Ecclesiae.

[113]) Epist. XXXIII. al. XXIX. ad Synodum Ephesinam, n. 1.

[114]) Praemiserat Galliae episcopos *de caussa romanae ecclesiae anxios nimis ac trepidos fuisse*, utpote qui *nutare statum suum lacessito vertice sentirent*, providerentque *omnes una criminatione obruendos, si status principis* commoveretur.

[115]) In Serm. de Feria III. palmar.

[116]) Epist. XXXVII.

[117]) Epistt. lib. I. epist. XCVII.

[118]) Hac ipsa *fontis* allegoria praestantiam dignitatemque *cathedrae Petri* ante Thomam adumbraverant Innocentius I. in litteris, quibus synodorum milevitanae et carthaginiensis *consultationibus* in pelagiana controversia respondit; tum Aurelius, Alypius, Augustinus, Evodius et Possidius in *relatione* ad eumdem Innocentium; itemque praesules, qui epistola e tribus Africae conciliis ad Theodorum Pontificem missa, et in lateranensi synodo sub Martino I. Act. II. lecta inquiebant: „Magnum et indeficientem omnibus christianis fluenta redundantem *apud apostolicam sedem consistere fontem*, nullus ambigere potest, *de quo rivuli prodeunt* affluenter, universim largissime irrigantem orbem christianorum, cui etiam in honorem beatissimi Petri patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quae omnino et sollicite debent, *maxime* vero *iusteque* ab *ipso praesulum* examinari *vertice apostolico*, cuius vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut *quid-*

totius ecclesiae structura consurgit? quicumque sit qui rigat aut plantat, Deus *nulli* dat incrementum, nisi illi qui plantavit in fide Petri, et doctrinae ipsius adquiescit."

97. Quibus uberiori luce perfundendis non leviter conducere posse opinor, si *fundamenti aedificiique imagini* altera eaque in divinis litteris usurpata ἀναλόγως substituatur. Haec autem est *humani corporis* imago, qua Paulus semel ac rursum [119] ecclesiam repraesentat. Si enim ecclesia tam *aedificio* quam *humano corpori* respondet, eiusque conditio ac structura non minus belle cum humano corpore quam cum aedificio comparatur; quisque cernit eum qui *ecclesiae dicatur fundamentum, illius quoque caput iisdem verbis nuncupari.* Quae enim est *fundamenti ad aedificium* σχέσις, idem pariter est *capitis ad corpus* habitus ac respectus. Sed Christi verbis dignitas fundamentique ratio Petro adscribitur. Eidem igitur necesse est capitis item vis ac praestantia [120] tributa existimetur.

Apposite [121] Hieronymus: „Propterea inter duodecim unus (Petrus) eligitur, ut *capite* constituto, schismatis tollatur [122] occasio." Neque secus [123] Optatus: „Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum *caput* Petrus ...., in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur." Quare ephesini patres [124] plausere Philippo romanae sedis legato confirmanti: „Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum esse, quod sanctus beatissimusque Petrus ὁ ἔξαρχος καὶ κεφαλὴ τῶν

quid quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almae sedis vestrae fuisset deductam, *ut huius auctoritate* iusta quae fuisset pronunciatio, *firmaretur*; indeque sumerent ceterae ecclesiae *velut de natali suo fonte* praedicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptae *manarent* fidei sacramenta salutis."

Cuius imaginis, expressaeque ea imagine traditionis, quae saeculis V. et VI. in utraque ecclesia romana et africana tantopere celebrata est, primas veluti lineas duxisse Cyprianus videtur in libello *de unitate ecclesiae* scribens: *rivorum enim unitas servatur in origine*, quam originem in Petro positam constitutamque docebat. Cf. Petri Coustantii Admonit. in epist. XXVI. Innocentii, n. 3.

[119]) Rom. XII. 4—5, I. Cor. X. 17, XII. 12—27, Ephes. IV. 4—12—16—30, Coloss. I. 18, II. 17, III. 15.

[120]) Quare appellatio *capitis* facta Petro talis est, quae in Scripturis ἐμμέσως contenta merito existimatur.

[121]) Con. Jovin. lib. I. n. 26.

[122]) Porro ut capitis institutione occasio schismatis *revera* tollatur, necesse est caput ipsum *summo quodam iure* potiri. Verissimum namque est quod idem ait in dialogo con. Lucifer. n. 9: „Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet, *cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens tribuatur potestas*, tot in ecclesia orientur schismata quot sacerdotes."

[123]) Con. Parmen. lib. II. cap. II.

[124]) Act. III. Similia habentur in relatione patrum chalcedonensium ad Leonem, et in epist. XIV. al. XII. Leonis ad Anastasium thessalonicensem.

ἀποστόλων princeps et *caput* apostolorum, fidei columna, *θεμέλιος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας* ecclesiae *catholicae* fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis ac Redemtore claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet."

Jamvero imagine ipsa *capitisque* notione I. *aequalitas* tollitur, Petrique *ὑπεροχὴ* et *primatus* ostenditur. Neque II. primatus quivis ostenditur, sed qui prae obnoxiis membris capiti inest atque competit. Competit autem capiti ut *singula membra* dirigat, *totumque corpus* in unitate contineat ac moderetur. Habemus igitur III. typum, e quo de insita primatus ratione iudicemus, illumque institutum propterea credamus, ut caussa sit efficiensque principium illius unitatis, qua ecclesia catholica una est, unitatisque charactere distinguitur.

CAPUT VII.

Expenditur consequens incisum, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς: — de subiecto ad quod pronomen αὐτῆς referri debet: — duplex secernitur, proximum alterum significatumque, quod est ἐκκλησία, mediatum alterum et adsignificatum, quod est πέτρα: — testimonia veterum quae huc spectant, et quibus primatus ratio insigniter declaratur: — de potestate vocum πύλαι ᾅδου: — opinionum divortia: — quid statuendum esse videatur: — de significatione verbi κατισχύσουσιν: — deque μειώσεως tropo, quo Christus utitur: — expolitur, quaeque integrae phrasi sententia subsit, ostenditur.

98. Immotam firmitatem quam Petro promisit, quam *petrae* vocabulo significavit, quaeque ex *architecti sapientia, aedificiique superstruendi praestantia* colligenda erat; explanare pergit[1] Christus, inquiens: *καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς, et portae inferi non praevalebunt adversus eam;* vel ut poetarum more liberius reddit[2] Juvencus:

Inferni domus haec non exsuperabile portis
Claustrum perpetuo munitum robore habebit.

Ubi hoc inprimis quaerendum definiendumque videtur, qui sit *terminus*, quodve *subiectum*, quo cum pronomen *αὐτῆς* iungi copularique debet. Ac Wetestenius[3] quidem opinatur, referri illud ad *πέτραν:* atque adeo *πέτραν*, vel quod

[1]) Matth. XVI. 18, ubi *petrae ecclesiaeque* firmitatem *absolute* antea, *simpliciterque* promissam *insigni* denuo *comparatione* Jesus illustrat.

[2]) Hist. Evang. lib. III.

[3]) In not. ad h. l.

in idem recidit, *Πέτρον* esse, ad quem Salvatoris verba, *καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν*, *proxime* diriguntur. Sed interpretes plerique omnes, quod Bloomfield[4] animadvertit, secus existimant, et pronomen *αὐτῆς* ad *ἐκκλησίαν* referunt, *tum quia* eiusmodi *σχέσις* structura ipsa verborum suadetur, *tum quia* canon est minime dubius, *demonstrativa pronomina*, nisi quid refragetur, ad subiectum spectare *ἀμέσως* antecedens, quod heic est non *πέτρα* sed *ἐκκλησία*.

Quam ego dissensionem componendam esse arbitror, quum neutrum falsum sit, immo utrumque, diversa licet de caussa, affirmari possit ac debeat. Duplex namque relationis terminus distinguendus est, *grammaticus* alter ipsisque verbis *significatus*, ac alter *realis*, *logicus*, et nonnisi verbis *adsignificatus*. Porro grammaticum relationis terminum, illumque significatum esse *ἐκκλησίαν*, monendum non est; sed neque monitore opus est ut intelligatur, realem, logicum, adsignificatumque terminum nomine *πέτρας* efferri. Haec enim realis, logici ac pronomine *αὐτῆς* adsignificati proxime termini *vis* et *ratio* convenire alteri nequit quam *subiecto*, quod *fons* est, *origo*, *efficiensque* illius stabilitatis *principium*, ob quam *ecclesia* invicto robore constat. Invictum autem ecclesiae robur *e petra* dimanat cui incumbit, petraque ipsa *quum in sese* immota est, *tum* constantiam firmitatemque ecclesiae *impertit* quam sustentat. Vis igitur ratioque termini, ad quem *logice*, *realiterque* pronomen *αὐτῆς proxime* spectat, quique pronomine *αὐτῆς proxime* adsignificatur, *subiecto* inest, quod *Petri*, *petraeque* nominibus exprimitur.

99. Quibus confirmandis illustrandisque plura eaque opportunissima apud vetustos ecclesiae scriptores occurrunt, e quorum numero Origenes[5], adductis verbis, *non praevalebunt adversus eam*, e vestigio subdit: „*Τίνος δέ, αὐτῆς; ἄρα γὰρ τῆς πέτρας, ἐφ' ἣν Χριστὸς οἰκοδομεῖ τὴν ἐκκλησίαν; ἢ τῆς ἐκκλησίας; ἀμφίβολος γὰρ ἡ φράσις. ἢ ὡς ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ τῆς πέτρας καὶ τῆς ἐκκλησίας; τοῦτο δ' οἶμαι ἀληθὲς τυγχάνειν, οὔτε γὰρ τῆς πέτρας, ἐφ' ἧς ὁ Χριστὸς οἰκοδομεῖ τὴν ἐκκλησίαν, οὔτε τῆς ἐκκλησίας πύλαι ᾅδου κατισχύσουσιν.* Quam autem, *eam?* an *petram*, super quam Christus aedificat ecclesiam? an *ecclesiam?* ambigua quippe loquutio est. An instar unius eiusdemque rei habet *petram* et *ecclesiam?* hoc ego verum esse existimo; nec enim *adversus petram*, super quam Christus ecclesiam aedificat, nec *adversus ecclesiam* portae inferi praevalebunt.“

Neque aliter Chrysostomus, qui[6] ex iisdem verbis hoc infert consectarium: „*Εἰ δὲ ἐκείνης οὐ*[7] *κατισχύσουσι, πολλῷ μᾶλλον ἐμοῦ.* Si vero adversus eam (ecclesiam) non praevalebunt, *multo magis* adversum me non praevalebunt.“ Pronomen igitur *αὐτῆς logice*, *realiterque* ad eum *maxime* pertinet qui *petra* est, diciturque ecclesiae. Petra autem ecclesiae *κατ' ἐξοχὴν* est, diciturque Christus, ac alter a Christo Petrus, de quo Chrysostomus[8] subdit: „*Ἃ γὰρ*

4) In not. ad h. l.

5) In Matth. Tom. XII. n. 11.

6) In Matth. hom. LIV. al. LV. n. 2.

7) Al. *οὐκ ἀντισχύσουσιν*.

8) Brevius, sed eodem sensu Prosper, vel quisquis auctor est librorum *de voca-*

ϑεοῦ μόνου ἐστὶν ἴδια, τό τε ἁμαρτήματα λῦσαι, καὶ τὸ ἀπερίτρεπτον τὴν ἐκκλησίαν ποιῆσαι ἐν τοσαύτῃ κυμάτων ἐμβολῇ, καὶ ἄνθρωπον ἁλιέα πέτρας πάσης ἀποφῆναι στεῤῥότερον, τῆς οἰκουμένης πολεμούσης ἁπάσης, ταῦτα αὐτῷ ἐπαγγέλλεται δώσειν· καθάπερ ὁ πατὴρ πρὸς τὸν Ἱερεμίαν διαλεγόμενος ἔλεγεν· ὡς στῦλον χαλκοῦν, καὶ ὡςεὶ τεῖχος τίθησιν αὐτόν· ἀλλ' ἐκεῖνον μὲν ἑνὶ ἔθνει, τοῦτον δὲ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης. Nam quae uni Deo sunt propria, nempe peccata solvere, *ecclesiam* in tanto fluctuum concursu *immotam* reddere, hominemque piscatorem toto impugnante orbe *petra firmiorem* reddere, haec se *illi* (Petro) daturum pollicetur: eo ferme pacto quo Pater Jeremiam [9] alloquens dicebat, *se posuisse illum sicut columnam aeream et sicut murum.* Sed *illum uni genti, hunc* autem *in universo terrarum orbe.*"

Eodem spectant verba Simplicii romani praesulis [10] ad Zenonem Augustum: „Perstat in successoribus suis haec eadem apostolicae norma doctrinae, *cui* Dominus *totius* curam *ovilis* iniunxit, *cui* se usque ad finem saeculi minime defuturum, *cui* (quinam hic? eadem persona, ad quam cetera relativa referuntur. Ea autem est Petrus.) portas inferi numquam praevalituras esse promisit, *cuius* sententia quae ligarentur in terris, solvi testatus est non posse nec in caelo."

Consonat Leo in litteris ad episcopos provinciae viennensis datis de Petro [11] scribens: „Hunc in consortium individuae unitatis adsumtum, id quod ipse erat voluit nominari dicendo, *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam;* ut aeterni aedificatio templi munere gratiae Dei *in Petri soliditate consisteret: hac ecclesiam suam firmitate corroborans*, ut illam nec humana temeritas posset appetere, *nec portae contra eam inferi praevalerent.* Verum *hanc petrae istius sacratissimam firmitatem* Deo, ut diximus, aedificante constructam, nimis impia vult praesumptione violare, quisquis eius (Petri) potestatem tentat infringere."

Hinc Sergius Cypri metropolita his omnino verbis Theodorum Pontificem [12] compellabat: „Firmamentum a Deo fixum et immobile, *καὶ στηλογραφίαν διαφανῆ τῆς πίστεως*, vestram apostolicam sedem constituit, o sacer vertex, Christus Deus noster. Tu es enim, sicut divinum veraciter pronunciat Verbum, Petrus, *et super fundamentum tuum* [13] *ecclesiae columnae* [14] confirmatae sunt."

tione omnium gentium, lib. II. cap. XXVIII. inquiens: „Quis ergo ambigat, quis ignoret, hanc fortissimam petram, quae ab illa *principali* petra communionem *et virtutis* sumsit *et nominis,* hoc desiderium semper habuisse, ut ei moriendi pro Christo constantia donaretur?"

[9]) Jerem. I. 18.

[10]) Epist. IV.

[11]) Epist. LXXXIX. cap. I.

[12]) In epist. ad eum missa, lectaque in Secretario II. concilii lateranensis, Martino I. Pontifice celebrati.

[13]) Hac eadem imbutus fide Possessor africanus episcopus in consultatione de Fausti reiensis libris ad Hormisdam Pontificem directa, aiebat: „A quo magis est nutantis fidei stabilitas exspectanda, quam ab eius sedis praeside, cuius primus a Christo rector audivit, *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam?*"

[14]) Appellatio *τοῦ στύλου, columnae*

100. Quaenam vero intelligi debet ecclesiae stabilitas, cuius *propinqua origo, efficiensque principium* sit Petrus? duplex potissimum, *fidei altera*, qua acceptum semel evangelicum verbum sanctissime ecclesia retinet, et ne angelo quidem [15] secus annuncianti adquiescit; *altera consensionis atque obedientiae*, qua fit ut ecclesiae membra ἁρμονικῶς conspirent, unitatem [16] corporis tueantur, illique ordini [17] morem gerant, quem Christus diversorum munerum, graduumque institutione praefinivit. Ex utroque enim capite *ecclesiae constantia* pendet, quae manere incolumis nequit, si *alterutrum* periclitetur. Eo enim periclitante, quod *primum* recensuimus, fieri nullatenus posset, quin *haeresi* victa profligataque ecclesia succumberet. Quae *schismati* succumberet, si *alterum* hierarchica subordinatione, partiumque concordia comprehensum violaretur. Firmitatem igitur suam, qua neque *haeresi* expugnari potest neque *schismate*, a Petro, promissaque eidem *petrae* constantia *ecclesia mutuatur*.

Quis vero ex hoc habitu, respectuque non colligat, aut quae *vis* sit, aut quae credi debeat *primatus ratio*, quem Petro Christus detulit? inde enimvero deducitur I. eo *suapte institutione* pertinere primatum, ut *efficiens principium* sit illius stabilitatis constantiaeque, qua *adversus haeresim atque schisma* invicta est ecclesia. Est autem contra haeresim atque schisma invicta ecclesia quum *orthodoxae fidei professione*, tum *membrorum concentu*, *obedientiaque* quae constitutis divinitus praepositis exhibeatur. Eo igitur suapte institutione primatus spectat, ut efficiens principium sit *tam orthodoxae professionis*, *quam concentus conspirationisque membrorum*, *obedientiaeque* qua hierarchica subordinatio continetur. Atqui ne cogitatione quidem *eiusmodi primatus* concipitur, quin instructus praeditusque intelligatur *supremo iure*, quo *et unius eiusdemque fidei orthodoxa professio indici*, *et hierarchica obedientia praecipi pro auctoritate possit*. Duplici igitur maxime iure praescribendae fidei, imperandaeque obedientiae vis ac primatus ὑπεροχὴ comprehenditur.

Succedit alterum ex eodem fonte *deductum*, atque in eo situm II. *neminem* esse *fidelium*, qui *gravissimo officio* servandae tuendaeque cum Petro unitatis *non obstringatur*. Quisquis enim eam custodire unitatem coniunctionem-

de apostolis, supremisque ecclesiae praesidibus adhibita *metaphorice* legitur in N. T. ad Gal. II. 9, ubi Petrus, Jacobus et Johannes dicuntur οἱ δοκοῦντες στύλοι εἶναι viri principes et auctoritate prae ceteris insignes. Eodem sensu illam apud Patres recurrere, plurimis omnino exemplis Suicerus confirmat in Thesauro Ecclesiastico ad vocem στύλος, §. II. Immo ipse etiam Maimonides, *More Nevochim*, Par. II.. cap. XXIII, *prophetas* vocat *columina generis humani*.

Quod ergo dicitur, *ipsas* quoque *ecclesiae columnas super Petri fundamentum confirmari*, hunc fundit sensum: neminem in ecclesia esse tantae dignitatis, tantaeque praestantiae qui inniti Petro non debeat, suamque e coniunctione cum Petro firmitatem repetere.

[15]) Galat. I. 8.

[16]) Ephes. IV. 3. seqq.

[17]) I. Cor. XII. 28.

que debet, *per quam solum* contra haeresim atque schisma polliceri sibi victoriam potest. Talis porro est unitas et coniunctio cum Petro, quam Christus *ceu necessariam referendae victoriae conditionem legemque* praestituit.

Deducitur III. in summo eos omnes errore versari, qui sibi constantiam in fide, praescriptaque divinitus mystici corporis unitate *seiuncti avulsique a Petro* pollicentur. Utrumque enim supernum donum est, neque ab alio exspectandum quam ab eo, a quo superna quaecumque dona permanant. Is autem est Deus, qui *primatus institutione* manifestavit velle se, ut coniunctione cum Petro quem totius aedificii *petram* posuit, *utrumque donum* fideles consequerentur.

Deducitur IV. verba Salvatoris, *καὶ πύλαι ᾄδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς*, ad eum *solum* referri christianum coetum, qui cum Petro coniunctus, *ab eo* et *per eum* constantiam, stabilitatemque nanciscitur. Sed V. verba Salvatoris *ad unam veramque ecclesiam* spectant, cuius invictum robur ex arctissima eiusdem cum Petro societate demonstrant. Unica igitur veraque ecclesia neque est, neque alia esse ab ea potest, *quae cum Petro cohaeret*, *suaque cum Petro coniunctione* invicta perstat. Quare VI. illud praeclare confirmatur [18] quod ab Ambrosio [19] dictum novimus, *ubi ergo Petrus, ibi ecclesia:* tum illud quod ab Irenaeo [20] statutum repetimus, *ad hanc* (Petri) *ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam*, *hoc est*, *eos qui sunt undique fideles:* ac illud rursum quod de ecclesia Petri Augustinus [21] depraedicat, *ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.*

101. De quibus inferorum portis non immerito quaeritur, *quid* eae signi-

[18]) Agit hac de re insigniter, eruditeque D. David in opere inscripto, *Des Jugemens Canoniques des Evesques*, chap. II; quod opus sane nobilissimum dolendum est vix *paucorum manibus* teri, quum tamen *in omnium manibus* versentur opera utriusque Justelli, De Marca et Baluzii, quae ille accuratissimo examini subiecit.

[19]) In Ps. L. n. 30. Nuspiam vero est ecclesia nisi cum insita sibi dote cohaerens, qua est, crediturque *catholica.* Propositio igitur Ambrosii huic alteri aequipollet: *ubi Petrus*, *ibi ecclesia catholica.* Sed hac propositionum ἰσοδυναμίᾳ concessa, nihil evidentius quam quod idem docet in Serm. de obitu Satyri fratris, lib. I. n. 47, quodque ante ipsum Cyprianus epist. LII. ad Antonianum docuerat, idem prorsus esse *cum episcopis catholicis*, *ecclesiaque catholica*, *et cum romana Petri sede*, *ecclesiaque communicando convenire.*

Unde sequitur I. praerogativa primatus fieri, ut Petrus *centrum* sit atque *origo* catholicae unitatis et communionis: tum II. sequitur, communionem societatemque cum Petro *κριτήριον* esse, quo ecclesia vere catholica ab ementitis christianis coetibus sine ulla dubitatione secernatur. Quod Johannes constantinopolitanus in litteris ad Hormisdam datis expressit promittens, *se in sequenti tempore sequestratos a communione ecclesiae catholicae eos omnes habiturum, qui in omnibus non consentirent sedi apostolicae.*

[20]) Con. Haeres. lib. III. cap. III.

[21]) In Ps. con. partem Donati.

ficent, *quamque* iis Christus *notionem* expressam declaratamque voluerit. Neque enim *metaphorica eiusmodi loquutio aut* suapte natura perspicua sic est, ut certum definitumque sensum continuo referat; *aut* interpretes in ea enarranda exponendaque unanimes conspirant.

Varios multiplicesque illorum commentarios proponunt[22] Wolfius, Koecherus[23] et Ernestus Ewaldus[24], qui sic habet: „Varia sunt in explicanda hac phrasi interpretum divortia..... Vatablus praesidia et propugnacula infernalis potestatis, Clarius vero mala plurima huius vitae et persequutiones, Tirinus magistratus et milites in portis sedentes vel excubantes, Drusius iurisdictionem et satellites satanae, imo peccata ipsa quae ecclesiae arma inferunt, intelligunt. Magnus Grotius, Camero, nec non Henricus Morus ex phrasi V. T. שַׁעֲרֵי שְׁאוֹל Jes. XXXVIII. 10. et שַׁעֲרֵי מָוֶת Job. XXXVIII. 17. desumpta haec verba, πύλαι ᾅδου, contendunt, et nonnisi *vim*[25] *mortis temporalis* intelligi censent, quae non dominatura esset in ecclesiam, quia illa adversus cruentas persequutiones tuenda et per spem futurae resurrectionis erigenda erat. Ex parte consentit Wolf, dum ecclesiae heic promitti contendit securitatem ab omni interitu."

Paullo aliter Glassius[26] qui scribit: „Portae mortis et sepulcri ipsam eius potentiam vel extrema pericula[27] notant. *Portae inferorum* Matth. XVI. 18. denotant consilia, machinationes ac potestatem diaboli et omnium eius ministrorum, haereticorum videlicet et tyrannorum: *ratione similitudinis* inde ducta, quod in portis olim iudicia et consultationes exercebantur, et quod portae ac muri urbibus munimentum praestant." Ita quidem, subdit[28] Augustinus Dathius, „multi interpretes, sed rectius haec phrasis explicatur ex usu eius in V. T. obvio. Nempe Es. XXXVIII. 10. etiam dicuntur שַׁעֲרֵי שְׁאוֹל, et simili modo Ps. CVII. 18. שַׁעֲרֵי מָוֶת, quibus in locis nihil aliud quam *mors* intelligitur, contra *de morte*, quamquam omnium hostium terribilissimo, insigniter triumpharet.

Cui expositioni quum alia obsunt, tum ista nominatim, quod a) relatio pronominis αὐτῆς ad *remotius* subiectum probari nequeat: quod b) nomen ᾅδης *nonnisi de sepulcro* accipi posse contendat: et quod c) nullam contexti sermonis, totiusque imaginis habere rationem videatur.

[22]) In Curis philolog. ad Matth. XVI. 18.

[23]) In Analect. ad h. l.

[24]) In opere cui titulus est, *Emblemata Sacra*, lib. IV. exercit. III. §. I.

[25]) Wetstenius in notis ad h. l. principio statuit, pronomen αὐτῆς ad verba, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, referri oportere: tum addit, phrasi, πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς, praedici futurum, ut in vitae quidem discrimen Petrus veniret, et ad ipsas ferme sepulcri portas accederet, neque tamen ita metu percelleretur, ut susceptam Magistri doctrinam desereret, sed

[26]) Rhetorica Sacr. lib. II. tract. I. cap. XII.

[27]) Job. XXXVIII. 17, Ps. IX. 14, CVII. 18, Es. XXXVIII. 10.

[28]) Loc. cit. Rhetor. Sacrae.

de qua poetae sacri saepe tamquam de regno sive civitate quadam loquuntur, cui mors quasi praesit. Mortem vero Christus hoc loco dixit pro omni eo[29] quod interitum ecclesiae intentare posset, quemadmodum mors extremum est vitae humanae."

Plenius Theophilus Kuinoel[30], qui verba, *καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς*, latine reddit, *nec portae orci eam superabunt*, interpretationemque suam ita asserere atque expolire pergit: „*Ἅιδης*, hebraice שְׁאוֹל, locus subterraneus, in quem manes, seiunctae a corpore animae coguntur et congregantur; hanc de orco notionem hebraeorum poetae sibi finxerant, et hebraei habebant[31] cum graecis atque romanis communem. Jam *πύλαι ᾅδου portae orci*[32], atque[33] hebraeorum שַׁעֲרֵי שְׁאוֹל, saepius pro orco ipso commemorantur, atque orcus omnino est imago roboris summi, firmitatis et[34] potentiae maximae. Itaque sensus verborum Christi est: *nulla hostium vis, ne potentissima quidem et maxima evertere, destruere ecclesiam meam poterit.*"

102. Quam sane interpretationem non improbo, sed confirmandam esse accuratius ac *religiosius* prope dixerim illustrandam arbitror. Itaque I. nomen *ᾅδης*, quo alexandrini vertunt[35] hebraicum שְׁאוֹל, quodque *ex sua origine* idem notat ac *ἀειδές, ἀόρατον, quod videri nequit*, cuiusmodi sunt[36] *loci obscuri ac tenebris obsiti*, vulgatissimo loquendi usu adhibetur *de loco sub terra posito, in quem seiunctae a corporibus animae congregantur*. Testes quum *sacros*, tum *profanos* qui hunc loquendi usum confirmant, accurate recensent[37] Paulus Slevogtius et[38] Wetestenius: *ecclesiasticos* vero magno numero[39] Suicerus adducit.

Hanc porro significationem II. altera excipit neque usitata minus, neque minori auctoritatis pondere comprobata, qua *ᾅδης de impiorum sedibus καὶ*

[29]) Similia tradit Bloomfield in notis ad h. l.

[30]) Comm. ad h. l.

[31]) Quod, ipso auctore, erudite prae ceteris demonstrarunt Lowth de s. Poesi Hebraeorum, Prael. VII, Michaelis in adiectis ad eam notis, Meyer in Comment. de notione Orci apud Hebraeos, et Pott ad Epistt. Cathol. Vol. II. Exc. III. *de descensu Jesu Christi ad Inferos.*

[32]) Hae a graecis, latinisque poetis tamquam firmissimae describuntur, quod nemo per eas redit, quod redituris numquam reserantur, ut apud Homerum Il. θ', 15—367, Odyss. λ', 276, Virgilium Aeneid. VI. 552, Propertium IV. 11, 4.

[33]) Jes. XXXVIII. 10, Ps. IX. 14, Job. XXVIII. 22, Sap. XVI. 13.

[34]) Cant. VIII. 6; unde Petronius Sat. 62: *ecce autem miles fortis, tamquam orcus.*

[35]) Num. XVI. 33, Is. XIV. 15, Oseae XIII. 14, Pss. XVI. 10, CXXXVIII. 8.

[36]) Etym. M. *ᾅδης· χωρίον ἀφεγγὲς, σκότους αἰωνίου καὶ ζόφου πεπληρωμένον, παρὰ τὸ εἴδω, τὸ βλέπω. εἴδης καὶ μετὰ τοῦ στερητικοῦ ἀ ἀειδής· ἐν ᾧ οὐδὲν βλέπομεν.*

[37]) In Disput. Hellenistic. apud Thomam Crenium in Analectis Philolog. Critic. Historic.

[38]) In notis ad Luc. XVI. 23.

[39]) In Thesauro Eccles. ad v. ᾅδης.

τόπῳ βασάνων usurpatur. Atque huic sane acceptioni luculenter patrocinantur quum [40] diserta bibliorum testimonia, scriptorumque ecclesiasticorum [41] effata, tum chaldaei paraphrastae qui hebraicum שאול plus semel [42] גהנם vertunt, itemque doctissimi iudaeorum magistri [43] in suis quos edidere Scripturarum commentariis. Unde in potestatem *τοῦ ᾅδου* inquirens [44] Schleusnerus, eam tertio loco memorat qua exprimit *infernum*, *impia tartara*, *locum subterraneum poenarum*, *impiis post mortem*, *daemonum inter consortia*, *tolerandarum.*

Jamvero III. non aliam heic deligi interpretationem posse, duo sunt quae maxime suadent. Ac principio quidem *τοῦ οὐρανοῦ mentio*, quae continuo [45] subditur, quaeque postulat ut *ᾅδης* de *inferno* intelligatur. Eodem ferme modo, quo oppositionis ratio exigit, ut *ᾅδης* in his Christi verbis [46] accipiatur: *καὶ σύ, Καπερναούμ, ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ.* Accedit *subiecta materies*, quae cum diversa interpretatione vix aut ne vix quidem componi posse videtur. In eo namque est Christus, ut summam ecclesiae quam aedificaturus erat, constantiam firmitatemque inde [47] patefaciat atque declaret, quod ea *acerbissimis* licet tentata *hostibus*, vinci tamen superarique nullatenus possit. Sed quinam videri debent acerbiores ecclesiae hostes, atque *mystico Christi corpori* infensiores? non alios ab illis opinor, quos ipsemet Christus *eiusdem caput* atrocissimos expertus est, quique in Scripturis [48] *ἡ ἐξουσία τοῦ σκότους* et [49] *ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου* nominantur. Est igitur *ᾅδης* idem ac *ἡ ἐξουσία τοῦ σκότους*, tartarique potestas.

Hinc [50] Schleusner vestigiis insistens [51] Georgii Altmanni scribit, videri

[40]) Collegit ista accurate Julius Pott in Excursu III. ad priorem Petri epistolam, subiecitque: „Voce שאול nusquam, quod sciam, significatur *sepulcrum*, sed semper *infernus*, graece *ᾅδης*, idest locus in quo umbrae seu animae corpore solutae versari putabantur; quamquam non multum repugnaverim, si *nexu suadente* magis accommodate ad nostri idiomatis indolem, *interdum* per *sepulcrum* reddere malueris.“ Cf. Fr. Xav. Patritium, De Interpret. Scriptt. Sacrarum, lib. II. qu. X. nn. 47. seqq.

[41]) Haec dabunt praeter Suicerum l. c., Dietelmaierus in Hist. dogmatis de descensu J. C. ad Inferos, et Ungerus in dissert. eiusdem tituli.

[42]) Ita vertunt ad Ps. XLVIII. 11—16.

[43]) R. Levi ad Job. XXVI, R. Salomon ad Ps. XLIX, et David Kimchi atque Abenezra ad Ps. CXXXVIII.

[44]) In Lexic. N. T. ad v. *ᾅδης*.

[45]) Matth. XVI. 19.

[46]) Ibid. XI. 23.

[47]) Quam enim antea *absolute* significaverat, inquiens, *et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam:* quum videri invictum necessario debeat aedificium, quod firmissimae *petrae* innititur; eamdem *comparate* illustrare pergit, subdens, *et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Propemodum diceret, invictam revera fore ecclesiam, utpote quae ne maximis quidem gravissimisque inferni molitionibus commoveretur.

[48]) Luc. XXII. 53.

[49]) Joh. XII. 31.

[50]) In Lexic. N. T. ad v. *ᾅδης*.

[51]) In diss. philolog. critic. de *πύλαις ᾅδου* ad Matth. XVI. 18. Consentit Bengelius in Gnom. ad h. l. scribens: „*Τῷ*

sibi nihil aptius *per πύλας ᾅδου intelligi posse, quam vim potentiamque diaboli, impiorumque omnium Christi adversariorum, quam frustraneam et inanem fore in oppugnanda ecclesia promiserit Christus, quemadmodum etiam Chrysostomus* [52] *adnotavit, qui integram sententiam de periculis gravissimis coetui christianorum imminentibus interpretatus est.*

103. Cuius interpretationis veritas multo apparebit liquidior, si ad nomen πύλαι, quo cum ᾅδης construitur, animus advertatur. Quamquam enim I. πύλη καὶ θύρα promiscue identidem accipiantur; constat tamen *illius* potestatem latiorem esse augustioremque. Unde Thucydidis [53] scholiastes, Thomas Magister [54] et Eustathius [55] monent, θύραι· αἱ τοῦ οἴκου. πύλαι· αἱ τοῦ τείχους. Quare in libris etiam [56] N. T. et apud [57] alexandrinos interpretes πύλη *de porta proprie* adhibetur, quae per moenia in urbem ducit. Phrasis igitur πύλαι ᾅδου proprie accepta orcum *repraesentat civitatis instar* moeniis portisque instructae, idemque *valet* ac *portas civitatis infernae.*

Et sane II. frequentissime ᾅδης uti *civitas* depingitur, eidemque *portae* munitissimae adscribuntur. Civitatis regnique imago adhibetur in bibliis, quoties [58] ᾅδης cum Sodoma, Aegypto, Babele, Tyroque confertur: quoties satanas [59] rex tenebrarumque princeps nuncupatur: et quum [60] eiusdem ectypus ἡ πόλις ἡ μεγάλη dicitur. Usum vero eiusdem imaginis apud profanos scriptores frequentissimum praeclara ostendunt Homeri [61], Euripidis [62], Propertii [63], Ovidiique [64] testimonia, quorum postremus [65] inquit:

> Stygiam quod ducit ad *urbem.*
> Mille capax aditus et apertas undique portas
> *Urbs* habet.

Quibus verbis alterum quoque demonstratur, receptum usu fuisse ut orco portae adscriberentur. Et adscribuntur plane non ab Homero [66] solum, He-

ᾅδῃ *inferno* mox opponitur *caelum*, uti cap. XI. 23. *Portae inferni*, ut alibi *portae mortis*, nominantur etiam Es. XXXVIII. 10, Sap. XVI. 13. Infernus ᾅδης valentissimum quiddam, Cant. VIII. 6, quanto magis eius *portae?* Metaphora *portae* a re architectonica, ut in *aedificabo* et *claves*. Ecclesia Christi videtur quasi urbs sine moenibus; et tamen portae inferni, quae illam impetunt, non praevalebunt."

[52]) In Matth. hom. LIV. al. LV. n. 2.

[53]) Ad Thucyd. II. 4.

[54]) Pag. 766.

[55]) Ad Homeri Iliad. X. 50.

[56]) Luc. VII. 12, Act. IX. 24, XII. 10, II. Cor. XI. 32.

[57]) Gen. XXXIV. 20—24, II. Paral. XIV. 7.

[58]) Ezech. XXXVII, Apoc. IX. 8, XVIII. 2—10—16—19—28.

[59]) II. Tim. II. 26, Apoc. II. 13, Matth. XII. 29, Luc. XI. 21.

[60]) Apoc. XVIII. 19.

[61]) Iliad. V. IX. XIII.

[62]) In Alcest.

[63]) Lib. III. eleg. XI.

[64]) Metamorph. IV, Heroid. epist. II.

[65]) Metamorph. IV.

[66]) Iliad. ε', v. 646.

siodo [67], Aeschylo [68], Euripide [69], Theognide [70], Lucretio [71], Virgilio [72], aliisque [73] passim; verum etiam in [74] Alcorano, librisque [75] iudaeorum. Atque ita in [76] Pirke Aboth legimus: שבע פתחים יש לגיהנם *septem portas habet gehenna.*

Neminem porro latet III, vulgatissimam esse *metaphoricam* [77] *portarum significationem*, qua regni civitatisque *robur potentiamque* designant. Quum enim usu invaluerit, ut portae ceu *emblema roboris*, *symbolumque potentiae* spectarentur; pronum fuit ut ad robur ipsum, potentiamque exprimendam traducerentur. Igitur IV. *πύλαι ᾅδου* infernae civitatis portas *proxime* referunt, *ἐμμέσως* vero noxiam hostilemque virtutem quum satanae, tum eorum omnium quorum satanas princeps est, quique ab eo veluti parente [78] in lucem editi perhibentur.

Hinc V. symbolicae loquutionis a Christo adhibitae commentarius omnium accommodatissimus is est, quem Paulus [79] his verbis complectitur: *Οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχάς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις.* Idest, Theophylacto [80] post Chrysostomum et

[67]) Theogon. v. 773.

[68]) Agamemn. v. 1300.

[69]) Alcest. v. 124.

[70]) In sentent. v. 427.

[71]) Lib. III. v. 67.

[72]) Aeneid. VI. v. 127.

[73]) De quibus confer Windet *de vita funct. statu*, et Hoderi dissertationem inscriptam, *πύλαι ᾅδου* Matth. XVI. 18. illustratae.

[74]) Surat. XV. 44.

[75]) Cf. Wagenseil in Sotah pag. 220.

[76]) Pag. 149.

[77]) Cf. Ernesti Ewaldi Emblemata sacra, Lib. IV. Exercit. III.

[78]) Joh. VIII. 44.

[79]) Ephes. VI. 12.

[80]) Comm. ad h. l. Epiphanius in Ancorato, §. IX. de portis inferni scribit: *πύλαι δὲ ᾅδου αἱ αἱρέσεις καὶ οἱ αἱρεσιάρχαι.* Damascenus vero orat. in s. Barbaram putat, portis inferni significari *τὰς παντοίας τῶν κολάσεων ἰδέας εἰς ᾅδην καὶ θάνατον ὠθούσας καὶ καταγούσας*, *tormenta et cruciatus omnis generis in inferos ac mortem trudentes ac deducentes.*

Verum, subdit Possinus in Spicilegio Evangelico, §. LVIII. non de solis tyrannis victoriam ecclesiae pollicentur verba Christi; sed ex sensu cunctorum patrum atque interpretum, etiam contra haereses, quas non minus verisimiliter plerique verbo *portarum inferni* designatas putant, quod per eas ad inferos eatur. Ceterum, concludit, existimo nomine *portarum inferi* exprimi „universalius principium omnium impugnationum, quas ecclesia patitur, sive per tyrannos idololatras, aut quomodocumque infideles, sive per haereticos schismaticosque, uti et per corruptelas morum et irritamenta vitiorum. Omnibus quippe his et singulis quasi orci exercitibus et castris, veluti imperatores ac duces praesident daemones, qui quam apte *portae inferi* dici possint, breviter exponam, decerpens e scriptis a me alias in Exercitatione Theologica ad Scripturae loca de Angelis agentia."

„Ibi considerans Jobi locum XXXVIII. 17, ubi fit mentio *portarum mortis*, observabam *mortis* nomine significatum videri, quod Johannes in Apoc. XX. 14. vocat *mortem secundam*, quam esse ait *stagnum ignis*, hoc est infernum; ut portae mortis et portae inferi synonymae sint. Jam quia et arcium et carcerum portae

Theodoritum interprete, *non adversum vulgares hostes nobis lucta est, neque adversum homines iisdem nobiscum affectibus imbutos, eiusdemque nobiscum potentiae;* sed contra valentissimos nequissimosque spiritus, deque re omnium maxima, cuiusmodi verbis, *ἐν τοῖς ἐπουρανίοις* effertur, ubi *τὸ ἐν, ἀντὶ τοῦ ὑπέρ ἐστι, καὶ τοῦ διά· ὡςεὶ ἔλεγε, διὰ τὰ ἐπουράνια πολεμοῦμεν, καὶ διὰ τοῦτο νήφειν χρῆ*, *praepositio* in *est pro* super *vel* propter, *ac si diceret, propter caelestia belligeramus, ideoque vigilare oportet.*

E quibus VI. liquet, bonos malosque a Christo ita dispesci, ut illi ad *civitatem* spectent *ecclesiae* nomine insignem, aedificandam super Petrum, et cuius Petrus sit rector; hi vero membra sint civitatis cui appellatio est *τοῦ ᾅδου*, quaeque satana principe gubernatur. Eodem autem pacto utramque civitatem [81] se ad invicem habere, quo se mutuo habent, sibique opponuntur [82] *Christus* et *Belial*, *Dei* [83] *templum, idolorumque fanum, arma* [84] *iustitiae luciaque*, et *arma iniustitiae ac tenebrarum*, *deus* [85] tandem *huius saeculi*, et *Christus* supremus Dominus qui illum eiecit, profligatumque debellavit.

104. E quo *capitis* triumpho quum peti non immerito coniectura possit de futuro *duelli* exitu, quo utraque civitas decertat, membraque satanae adversus mysticum ecclesiae corpus confligunt; ea tamen opus non est, quum iis verbis utatur Christus, quae dubitationem omnem funditus praecidunt. Memoratis enim *inferni portis*, continuo de illarum in ecclesiam conatibus [86] subdit: *οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.* Sed quonam pacto *non praevalebunt? neutra* ne *significatione*, adeo ut formula, *οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς*, idem notet ac *οὐ δυνήσονται ὑποστῆναι αὐτήν:* an *significatione* potius *activa*, adeo ut Christi verba hisce respondeant, *οὐ δυνήσονται κατακρατῆσαι αὐτῆς?*

Si verba in se spectentur, eorumque nativa significandi virtus teneatur, compertum esse debet, *activam acceptionem* deligi oportere. Numquam enim *κατισχύω* cum *obiecti casu* constructum notione *neutra* adhibetur, sed *activam* constanter praefert, quemadmodum et hebraica verba חזק et יכל, quibuscum

obtineri ac servari solent excubiis armatorum; ipsum praesidium custodientium militum *portarum* nomine intelligi, synecdoche continentis pro contento, vulgaris usus facile patitur. Ex quo dicamus licet, portas inferi daemones dici inferorum custodiae praefectos: qui quoniam permittuntur usque ad diem ultimi iudicii erumpere inde ...., varieque vexare et tentare homines, quo eos ad peccatum, indeque ad poenarum suarum consortium pertrahant ....; recte *portae inferi*, hoc est daemones, dicuntur oppugnare ecclesiam, adversus quam praevaliturі ad extremum non sint."

[81]) Schemate *civitatis* ipsam quoque repraesentari *ecclesiam* oportere, eo ostenditur oppositionis habitu, quo illi satanae civitas respondet. Huic repraesentationi debetur titulus operis ab Augustino inscripti, *De civitate Dei*, quae est ecclesia.

[82]) II. Cor. VI. 15.

[83]) Ibid. v. 16.

[84]) Rom. XIII. 12.

[85]) II. Cor. IV. 4—5.

[86]) Matth. XVI. 18.

significandi potestate apud alexandrinos consentit. Activam certe notionem praefert ubi [87] legimus, וַיֶּחֱזַק דָּוִד מִן־הַפְּלִשְׁתִּי *et praevaluit David de Philistaeo:* activam ubi [88] scribitur, *ne dicat inimicus meus*, יְכָלְתִּיו ἴσχυσα πρὸς αὐτόν, *praevalui adversus eum:* activam penes Jeremiam [89], *seducetur*, וְנוּכְלָה לוֹ καὶ δυνησόμεθα αὐτῷ, additur enim, καὶ ληψόμεθα τὴν ἐκδίκησιν ἡμῶν ἐξ αὐτοῦ: activam penes Danielem [90], *vidi cornu illud facere bellum contra sanctos*, וַיָּכְלָה לְהֹן καὶ ἴσχυσε πρὸς αὐτούς: et activam penes Lucam [91], ubi energumenus in Schevae filios insiliens dicitur κατακυριεύσας αὐτῶν, ἴσχυσε κατ' αὐτῶν, ita ut male mulctati vix effugerint.

Immo *activa notione* tum etiam κατισχύω usurpatur, quum *obiecti casus* omittitur. Exempli loco ista sint: [92] *pugnasti cum Deo et cum hominibus*, וַתּוּכָל *et praevaluisti:* [93] καὶ ἐνισχύσει ὁ βασιλεὺς τοῦ Νότου וְיֶחֱזַק מֶלֶךְ־הַנֶּגֶב: [94] *exaltabitur cor eius*, *et cadere faciet multos*, וְלֹא יָעוֹז καὶ οὐ κατισχύσει: denique [95], καὶ κατίσχυον αἱ φωναὶ αὐτῶν, *et vicerunt* (αὐτόν, eum, Pilatum) *clamores eorum.* Igitur si propriae insistimus τοῦ κατισχύειν significationi, necesse est verba Christi, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς, ita reddamus: *et inferorum portae* [96], hostesque ecclesiae *viribus non praepollebunt contra eam*, neque eam victam expugnabunt.

105. Nulla autem *figura* est quum in ceteris libris, tum in Scripturis ea usitatior, quam rhetores [97] μείωσιν dicunt, et qua phrases loquutionesque adhibentur, quae ἀμέσως sensum fundunt tenuiorem quam qui intelligi revera [98] debet. Ad hanc dicendi figuram spectant formulae, *noli timere*, idest, *confide: non stabit*, id est, *corruet: non vincet*, idest, *superabitur: non est utile* deserere legem, idest, *vehementissime nocet:* nolite declinare post idola *quae non proderunt vobis*, idest, *quae vobis summopere oberunt:* aliaeque [99] sexcentae.

[87]) I. Samuel. XVII. 50.

[88]) Ps. XIII. al. XII. 5.

[89]) Jerem. XX. 10.

[90]) Daniel. VII. 21.

[91]) Act. XIX. 16.

[92]) Gen. XXXII. 28.

[93]) Daniel. XI. 5.

[94]) Ibid. v. 12.

[95]) Luc. XXIII. 23.

[96]) Prae ceteris Meuduit in dissertatione XVI. subbexa evangeliorum concordiae percontatur, qui fieri possit, ut κατισχύω significatione activa adhibeatur de portis, quarum non est adgredi ac moliri sed reniti atque obsistere. Cui respondendum esse arbitror, πύλας intelligi συμβολικῶς, ac prout signa eae sunt hostilis potentiae, cui profecto competit, ut oppugnet, vimque exserat.

[97]) Cf. Glassii Rhetor. Sacr. lib. II. tract. I. cap. XIX. pag. 1291. edit. Lipsiae 1776.

[98]) Huc pertinet canon XX. a Glassio propositus in Grammatic. Sacr. lib. I. tract. III. atque his conceptus verbis: „Vocabula negantia pro contrariis affirmantibus per quamdam μείωσιν saepius ponuntur.“

[99]) Tales sunt quae habentur Ps. XLIII. 1, Hos. XIII. 13, Prov. XVIII. 5,

Abs re igitur non fuerit expendere, utrum simili loquendi modo Christus dixerit, *καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς*. Sed nemo de hoc ambigat, qui rem paullo intimius considerarit, qui *ad analogiam fidei* attenderit, qua talem esse ecclesiam credimus, quae non solum non expugnetur, verum etiam hostes suos vincat atque superet: qui *ad architecti virtutem potentiamque* respexerit, quae tanta est ut exstructa ab eo civitas non *invicta* modo, sed *victrix* etiam existimari debeat: qui animo secum *eam σχέσιν*, *illudque vinculum* reputarit, quo ex ecclesia *tamquam corpore*, et Christo *veluti capite* unum prodit, unumque ita exstat, ut Christus *in ecclesia* et *per ecclesiam* semet manifestare pergat, susceptumque opus salvandi hominis, debellandi satanae, regnique divini amplificandi absolvat atque consummet. Ecquis enim non cernit *imaginem* esse a dignitate corporis, quod *unum* cum Christo sit, *alienissimam*, ut non vincatur illud quidem, neque tamen suos vicissim hostes superet, palmamque de iis referat?

Ubi animadvertisse iuverit, intensiorem hanc plenioremque significandi potestatem verbo *κατισχύειν* toties subesse, quoties Deus est qui iuvat, opemque suggerit. „Dabo te, sic Deus [100] ad Jeremiam, populo huic in murum aeneum, fortem, et bellabunt adversum te, וְלֹא־יוּכְלוּ לָךְ et non praevalebunt contra te, כִּי־אִתְּךָ אֲנִי quia ego tecum.“ Sed quomodo *non praevalebunt?* explicatur praecedenti commate his [101] verbis: *convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos.* Sunt vero haec promissioni Christi plane cognata. Quod igitur de inferni portis, deque ecclesiae hostibus dicitur, *οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς*, *non praevalebunt adversus eam*, idem notat ac [102] *succumbent ac fundentur.*

Quae significatio et adumbrata *in typo* fuit, ac *in prototypo* luculentius expressa. De ecclesia namque Israelis, quae *typus* fuit [103] ecclesiae Christi, loquens psalmographus [104], canit: „Multum pugnaverunt contra me a iuventute mea, verumtamen לֹא־יָכְלוּ לִי non praevaluerunt in me.“ Idcirco autem non praevaluerunt, *quia confundentur et repellentur retrorsum omnes qui oderunt Sion: erunt sicut gramen in tectis, quod antea arescit quam metatur.* De caelesti autem Jerusalem, *archetypo* [105] *militantis ecclesiae*, legimus:

Apoc. XVIII. 7, et Matth. II. 6: *οὐδαμῶς ἐλαχίστη*, idest, *μεγίστη εἶ.*

[100]) Jerem. I. 19. coll. XV. 20.

[101]) Ibid. XV. 19.

[102]) Cf. Hermae Pastorem, lib. I. vis. I. §. III, Origenem in Matth. Tom. XII. nn. 12—13, et Theophylactum ad Matth. XVI. 18.

[103]) I. Cor. X. 6.

[104]) Ps. CXXIX. 2.

[105]) De hoc habitu inter triumphantem et militantem ecclesiam plura habent vetusti ecclesiae scriptores Clemens alexandrinus Stromat. VI. n. 13, VII. n. 17, Pseudo-Dionysius in duobus libris *de Hierarchia caelesti et ecclesiastica*, ac Bernardus, cuius referam verba ex lib. III. de Considerat. cap. IV. n. 18: „Viderat hoc qui (Johannes Apoc. XXI. 2.) dicebat, *vidi civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de caelo, a Deo paratam.* Ego enim propter similitudinem dictam

„Michael[106] et angeli eius pugnabant contra draconem, et draco pugnabat et angeli eius, καὶ οὐκ ἴσχυσεν." Cur enimvero? ideo ne *tantum*, quod illorum conatus in irritum cesserint? immo sensu multo pleniore, uti mox effertur: *οὐδὲ τόπος εὑρέθη αὐτῷ*[107] *ἔτι ἐν τῷ οὐρανῷ*, *neque locus eius inventus est amplius in caelo.*

Quare si, uti decet, significatio *mediata* ab *immediata*, et *a grammatica realis* secernatur, perspicuum erit, formulae, *καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς*, hanc inesse potestatem, *καὶ πύλαι ᾅδου οὐ δυνήσονται ὑποστῆναι αὐτήν:* eaque ecclesiam exhiberi super Petrum tam valide aedificatam, illiusque robore communitam, ut non solum timere sibi ab hostibus non debeat, sed possit contra ac etiam debeat victoriam sibi, splendidumque de iis triumphum polliceri. Quod Alexander alexandrinus[108] in epistola ad *ὁμώνυμον* Alexandrum constantinopolitanum expressit his verbis: *Μίαν καὶ μόνην καθολικήν, τὴν ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν* (ὁμολογοῦμεν), *ἀκαθαίρετον μὲν ἀεί, κἂν πᾶς ὁ κόσμος αὐτῇ πολεμεῖν βουλεύηται, νικηφόρον δὲ πάσης τῆς τῶν ἑτεροδόξων ἀσεβεστάτης ἐπαναστάσεως.* Unam et solam catholicam apostolicam ecclesiam (confitemur), *inexpugnabilem* semper, etsi totus eam mundus oppugnare instituat, *victricemque omnis* impiae diversa sentientium *rebellionis.*"

reor, quod sicut *illic* seraphim et cherubim et ceteri quique usque ad angelos et archangelos *ordinantur sub uno capite Deo;* ita *heic* quoque *sub uno summo pontifice* primates vel patriarchae, archiepiscopi, episcopi, presbyteri vel abbates, et reliqui in hunc modum ordinantur. Non est parvipendendum quod et Deum habet auctorem, et de caelo ducit originem."

[106]) Apoc. XII. 7—8.

[107]) Al. *αὐτῶν*, quam lectionem Griesbachius recepit.

[108]) Apud Theodoritum, H. E. lib. I. cap. IV. al. III.

CAPUT VIII.

Quo nexu mutuo cohaereant verba Salvatoris Matth. XVI. 18—19: — is est arctissimus, neque tamen impedit quominus diverso schemate tam Christus quam Petrus utroque in commate repraesententur: — cuiusmodi sit hoc schema: — declaratur: — tum de subiecto quaeritur, ad quod verba, καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, referri debent: — protestantium opinio, quod ad omnes ex aequo apostolos spectent: — ea aliis ex eodem numero improbatur: — ac merito sane, quod argumentis efficitur, ostenditurque uni Petro dici, καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν: — quid hac metaphorica loquutione eidem promittatur: — explicatur primum universim: — pressius deinde stabilitur: — ac Petrus eximia prae omnibus potestate auctus demonstratur: — eiusdem cum Christo supremo clavium domino comparatio: — qua potior illius auctoritas denuo illustratur.

106. De verbis, *καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς*, quibus ecclesiae invictam *per Petrum* constantiam stabilitatemque Christus promisit, scribit[1] Daniel Heinsius: „Nollem subtiliter *περὶ ᾅδου* disseruissent eruditi, ac si *pro inferis* accipi sit nefas. Quasi non ita saepe utantur hellenistae: quasi non ita Patres loquantur: quasi non inferi et *ᾅδης* etiam in symbolo apostolico[2] locum habeant: quasi aliter Chrysostomus aliique intellexerint: quasi non plena ac perspicax sit hyperbole, ut efficacius loquatur, cum ad hostes ecclesiae id referatur: quasi non in Sacris ex interpretatione hellenistarum, quos novi foederis auctores expresserunt, *ᾅδου πύλαι* legantur, qui τὸ שערי שאול[3] reddunt: quasi denique non notus sit, ad quem respexisse potuit, Jobi[4] locus, *ἀνοίγονται δέ σοι φόβῳ πύλαι θανάτου, πύλαι δὲ ᾅδου ἰδοῦσαί σε ἔπτηξαν*, ita enim in hebraeo, pro quo *πυλωροὶ* hellenistae.“ Huic autem promissioni, qua ecclesiam *de victoria referenda* certam reddidit, alteram Salvator[5] adiecit, subdens: *Καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς.* Idest Juvenco[6] interprete:

[1]) Exercitt. Sacr. ad Matth. XVI. 18.

[2]) Qua de re vide praeclarissime disserentem Kingium in Hist. Symb. Apostolici, cap. IV. §§. 1. seqq.

[3]) Exemplo sit Esaias XXXVIII. 10.

[4]) Job. XXXVIII. 17.

[5]) Matth. XVI. 19.

[6]) Hist. Evangelic. lib. III.

Caelestisque tibi claves committere regni
Est animus. Terrisque tuo quae nexa relinques
Arbitrio, caelis pariter nodata manebunt:
Solverit et rursus tua quae sententia terris,
Haud aliter venient caeli sub sede soluta.

107. Quae cum prioribus arctissime cohaerere, ex aequo ostendunt I. particula *καί* [7], qua mutuo devinciuntur: II. *ταυτότης* quum loquentis qui est *Christus*, tum eius ad quem sermo dirigitur, qui est *Petrus:* ac id III. quod Petro committitur, quodque prius *ἐκκλησίας* nomine, ac mox appellatione *τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν* exprimitur. Qua appellatione non minus ecclesiae *origo*, quam eiusdem *destinatio* atque *σκοπός* aperiuntur: origo inprimis, qua [8] *ἡ ἄνω Ἱερουσαλήμ*, *Jerusalem* [9] *caelestis*, *Jerusalem descendens* [10] *ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἀπὸ τοῦ θεοῦ*, ac *regnum* [11] *quod non est ἐκ τοῦ κόσμου τούτου, καὶ ἐντεῦθεν* nuncupatur: *σκοπός* deinde ac destinatio eo pertinens, ut instituta in terris ecclesia suam in caelis perfectionem [12], absolutionemque adipiscatur.

Sed quamquam tam intimo nexu orationis partes devinciantur, haud tamen affirmare licet *eadem imagine* utroque in commate Christum ac Petrum repraesentari. Immo perspicuum est, aliud esse schema, quo commate decimo-octavo, ac aliud, quo commate decimo-nono uterque exhibetur. Sicut enim priori commate Christus *architecti* de exstruenda civitate solliciti, ac Petrus *fundamenti* partes obit; ita commate altero Christus *personam* induit *supremi domini*, Petrus vero *personam* refert *praepositi*, qui a supremo domino claves accipit civitatis, ipsique civitati praeficitur.

Haec *imaginum* varietas e verbis ipsis apparet, et quod insequenti commate adhibetur schema *iis* concinne respondet *quae antecedunt*. Ac initio confessioni respondet a Petro editae, qui de Christo [13] affirmans, *σὺ εἶ ὁ Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος*, eum esse *regem regum* ac *dominum dominantium* appellatione ipsa *τοῦ Χριστοῦ* [14] testatus est. Respondet verbis Salvatoris [15], *οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, quibus supremam in ecclesia potestatem *auctoris, institutorisque nomine* non obscure sibi vindicavit. Cum quo illud aptum nexum-

[7]) Quominus enim genuina habeatur, impedire non debent aliquot codices, nonnullaeque versiones, a quibus abest.

[8]) Gal. IV. 26.

[9]) Hebr. XII. 22.

[10]) Apoc. XXI. 2—10.

[11]) Joh. XVIII. 36.

[12]) Eodem plane modo, quo I. Cor. XIII. 9—13. *πίστις, γνῶσις ἐκ μέρους καὶ δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι* ad *ἐπίγνωσιν* et visionem *πρόσωπον πρὸς πρόσωπον* adspirant.

[13]) Matth. XVI. 16.

[14]) Apposite Gregorius nyssenus in sexto adversus Eunomium libro, *ἡ τοῦ Χριστοῦ προσηγορία τὴν βασιλείαν ἐνδείκνυται, Christi appellatio regnum denotat*; et in libro de perfecta christiani forma, *τῇ τοῦ Χριστοῦ προσηγορίᾳ κυρίως καὶ πρώτως τὸ βασιλικὸν διασημαίνεται κράτος, Christi nomine proprie ac primario regium significatur imperium.*

[15]) Matth. XVI. 18.

que est, unum eumdemque Dei Filium et summo iure *rerum universitati* praeesse, quia [16] *πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο*, eodemque iure *ecclesiam* sibi obnoxiam habere, tum quia [17] illam acquisivit *διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος*, tum quia illam collegit, collectamque ad formam unius regni, uniusque civitatis revocavit. Denique [18] schema clavium *typo* respondet *civitatis*, quo ecclesiam Christus adumbraverat, et cuius Petrum futurum *petram* spoponderat. Vulgatissima namque est *σχέσις* inter *civitatem* et *claves*, nihilque pronius quam e *metaphora fundamenti* [19] ad *metaphoram clavium* quibus civitas clauditur aperiturque dicendo progredi.

Partes igitur sermonis, licet arctissime cohaerentes, comparatae tamen ita sunt, ut eximia quadam imaginum varietate consilium voluntatemque Christi de regimine aedificandae ab eo ecclesiae patefaciant.

108. De posteriori autem imagine definiri in antecessum debet, quodnam sit illius *subiectum*, quemque verba, *δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*, *proprie* respiciant. Ac protestantium quidem [20] plurimi in ea opinione versantur, ad omnes *ex aequo* apostolos Christi sermonem pertinere. Horum sententiam refert, probatque [21] Bengelius, inquiens: „Christus exaltatus *claves* accepit [22] oeconomice. Dedit, quas hic promisit, deinceps claves Dominus *non soli Petro* [23], sed *primo*, ratione temporis: quatenus Petrus *primus* fuit [24], qui post resurrectionem Christi gessit apostolatum. Si Petro et episcopis post eum romanis, ac non ceteris apostolis [25] datae sunt claves; etiam post mortem Petri episcopus romanus [26] ceteros apostolos pascere debuit." Probat quo-

[16]) Joh. I. 3.

[17]) Act. XX. 28.

[18]) Kuinoel in comm. ad Matth. XVI. 19. rationem transitus his verbis explanat: „Portas orci clausas sibi fingebant hebraei, adeoque ad eas reserandas clavibus opus erat; hinc cum Christus v. 18. commemorasset *πύλας ᾅδου*, ac praeterea comparasset cum domo ecclesiam suam: eo facilior transitus erat ad imaginem quae sequitur, *καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*."

[19]) Cf. Lucam brugensem in comm. ad h. l.

[20]) Horum nomina dabunt Wolfius in Curis ad h. l., et Koecherus in Analectis ad h. l.

[21]) In Gnomone ad h. l.

[22]) Apoc. I. 18.

[23]) Luc. V. 10.

[24]) Act. I. 15., II. 14. Hanc autem *primatus* interpretationem certis argumentis superius confutavimus, neque ipsi Bengelio satis omnino fecisse ostendimus.

[25]) Erat cur Bengelius adverteret, unam eamdemque *γενικῶς* spectatam auctoritatem promitti posse atque conferri *diversimode*: *ἁπλῶς* primum atque absolute: quadamtenus deinde et non citra aliquot conditiones. Inde enim consequitur ad *quodvis* inter apostolos *iuris discrimen* excludendum satis haud esse, illos eiusdem *καθόλου* potestatis consortes ostendere; sed omnino postulari ut eadem potestas singulis atque omnibus *eodem* promissa collataque *modo*, *graduque* demonstretur.

[26]) Quamquam ad praesentem locum *ἀμέσως* non spectet controversia de romano episcopo; nihilominus adnotabo I. consectarium, quod uti praeposterum Bengelius infert, a catholicis ultra admitti, dummodo verbum *pascere* de iure intelligatur quo

que [27] Turrettinus, cuius ista sunt verba: „Patet Petri *primatum* frustra heic quaeri; licet enim promittatur heic aliquid Petro *peculiariter*; nihil tamen heic promittitur illi [28] *peculiare*. Promissio quidem ipsa, seu *actus* promittendi fuit ipsi *peculiaris*, quatenus ipsum nominatim alloquitur; sed *res ipsa* quae promittitur, *communis* fuit, quae *ad alios* etiam pertinuit, *quorum nomine* [29] Petrus loquebatur, ut patet [30] ex Matth. XVIII. et Joh. XX. 23, ubi eadem potestas, quae heic per ligationem et solutionem designatur, per retentionem et remissionem peccatorum describitur, et ex aequo omnibus apostolis tribuitur.“ Ne vero singulos commemorando recenseam, eamdem prae reliquis expositionem adoptant [31] Rosenmuellerus, Bloomfield [32] et Kuinoel [33], qui sic habet: „Clavis symbolum [34] erat curae et administrationis, etiam summae rerum potestatis. Itaque verba nostra hoc sibi volunt: committam tibi curam civitatis meae, summam rerum in ecclesia mea. Accipiebat autem *non modo* Petrus potestatem moderandae et regendae ecclesiae, sed accipiebant [35] eam quoque *una cum eo* apostoli reliqui.“

Haec tamen protestantium conspiratio non impediit quominus ex ipsorum numero non pauci aliter sentirent, ac porro sentiendum esse adductis argumentis confirmarent. Quod inter ceteros exequuti diligenter sunt Camero et Henricus Hammondus, quorum ille [36] ait: „Ex his quae hactenus dicta sunt, liquet quidem aliquid *singulare* a Christo Petro fuisse his verbis collatum, quod non fuit illi cum reliquis apostolis *commune*. Sed quia id novum et insolens multis [37] videri possit, probandum iam et confirmandum nobis est: deinde vero aperte definiendum, quidnam sit illud *singulare* et *praecipuum*. Et ad prius quidem illud quod attinet, *multa* sunt quae evincunt in Petrum *aliquid eximium supra reliquos apostolos* a Christo fuisse collatum; ac primum quidem ipsa totius orationis *emphasis*.“ Ac interiectis non paucis, subdit: „Haec arguunt, Christum his verbis Petrum singulariter et seorsim compellare, proindeque et *singulare quidpiam*

Petri successores unitatem, societatemque ab ipsis apostolis exigerent. Huius autem iuris II. specimen aliquod in ea consultatione refulget, quam corinthiaca ecclesia ad romanam misit, et cui Clemens datis litteris respondit. Quamquam enim in vivis adhuc Johannes esset, atque in Asia degeret, tributum tamen fuit Petro, qui in suis successoribus *vivit et praesidet*, quod eius ὑπεροχὴ flagitabat, ut caput centrumque catholicae unitatis haberetur.

[27]) Instit. Theologiae Elencticae, Loco XVIII. q. XVII. §. XIX.

[28]) Fucum sibi, lectoribusque creat evanida distinctione Turrettinus, quemadmodum orationis series evincet.

[29]) Quam fallax sit haec hypothesis, latere eos non potest qui teneant quae superius disseruimus.

[30]) Pateat nec ne, mox intelligetur: heic solum monebo, ne ipsum quidem Rosenmüllerum temperare sibi potuisse, quin adverteret, *verbis Salvatoris* Joh. XX. 23. *longe alium subesse sensum*.

[31]) In scholiis ad Matth. XVI. 19.

[32]) In notis ad Matth. XVI. 19.

[33]) In comm. ad Matth. XVI. 19.

[34]) Jes. XXII. 22, Apoc. I. 18, III. 7.

[35]) Matth. XVIII. 18. Joh. XX. 21.

[36]) In comm. ad Matth. XVI. 18—19.

[37]) Non utique catholicis, sed protestantium factioni addictis.

illi tribuere. Quorsum enim pertinet ista Christi oratio, quae illius mens, quis scopus, si *communiter*, si *aeque reliqui discipuli ac Petrus* compellantur? numquid *Petri* nomen omnibus apostolis commune fuit? tum vero illud *Simon Bar-Jona*, quum ad reliquos apostolos minime pertineat, ... quae ratio effecerit, ut quae eodem tenore cum istis coniuncta et continuata sequuntur, alio trahantur? deinde etiam illa, *tibi dico*, *tibi dabo*, *tu es Petrus* haud dubie magnam habent emphasim, et clare, aperteque significant, haec tam dicta *singulariter*, Petro *singulariter et peculiari quadam ratione* convenire." Hammondus[39] vero etsi brevius, non minori tamen perspicuitate scribit: „Petro dicit heic Christus, eum fore lapidem *κατ' ἐξοχήν*, qui post lapidem angularem primus in aedificio ecclesiae Christi dici possit; qui quum semel structus foret, numquam erat diruendus; eumque potestatem regendae ecclesiae, quam denotant *claves*, habiturum." Ac mox: „Claves regni caelorum significant potestatem administrandae ecclesiae .... Haec est potestas, quam Christus promittit se Petro, *singulari* nempe *homini* daturum, ut quidquid solveret vel ligaret, id esset solutum aut ligatum in caelo."

109. In hoc porro opinionum, interpretationumque dissidio, quo tam secum ipsis quam cum catholicis protestantes confligunt, haud puto anceps videri posse, quaenam praeferri debeat, quaeque reiici ac damnari. Qui enim ad omnes *ex aequo* apostolos verba Christi pertinere contendunt, iis utuntur rationibus quibus nemo prudens adquiescat, ac iis vicissim refelluntur argumentis quae merito suo ab omnibus assensionem obtineant. Et re sane vera inde illi arguendo colligunt *nihil proprii* Petro promitti, *nihil non commune* apostolis reliquis, quod I. *omnium nomine* Petrus Christo responderit, *omniumque* adeo *personam* gesserit, quum illi Christus vicem rependit; et quod II. loci plane gemini apud Matthaeum[39] ac Johannem[40] ostendant, quidquid Petro promittitur, *idipsum eodemque gradu* aliis item apostolis fuisse collatum.

Sed quod primum assumunt, nullis *e contexta oratione* ductis argumentis adstruitur, immo certissime profligatur. Quod diligenter explanarem, nisi satis huic operi superius fecissem. Prior igitur hypothesis e qua interpretatio pendet quam illi statuunt, quamque nos reiectam volumus, defendi *ab errore* non potest. Neque illud verius quod *subdunt*, quodque *de locis geminis* affirmant. Ut enim rem brevissime[41] expediam, I. neutrum quod adducitur[42] testimonium, *parallelum* est *ῥητῶς* et *κατὰ λέξιν*: neque II. *parallelum* est *ὄντως* et *κατὰ πρᾶγμα*, quum *in tribus locis* et adiuncta sermonis, et subiecta illi materies *diversissima* sint. Abusus igitur *textuum similium* nequit esse manifestior; ac manifestior propterea esse nequit *corruptela* interpretationis, cui eiusmodi artibus fides conciliatur.

Quam quidem corruptelam ipsi quoque protestantes pervidissent, nisi e re

[39]) In annot. ad Matth. XVI. 18—19. Consonat cum Hammondo Clericus, qui illius in N. T. commentarios novis expolitos curis edidit.

[39]) Matth. XVIII. 18.

[40]) Joh. XX. 21.

[41]) Ratum enim mihi est paullo latius hunc abusum deinceps insectari.

[42]) Matth. XVIII. 18. Joh. XX. 21.

sua fore existimassent mentis oculos a verbis Salvatoris penitus avertere. Etenim I. *orationis subiectum* neque funditus reticetur, neque *ἐλλειπτικῶς* dumtaxat innuitur, sed diserte effertur [43] pronomine *σοί*, quo *persona* designatur quae confessionem edidit, quamque Christus *beatam* nuncupavit. Confessionem porro *unus* edidit Petrus, et ad *unum* Petrum spectant verba, *μακάριος εἶ Σίμων βὰρ Ἰωνᾶ.* Unus ergo Petrus *subiectum* est cui dicitur, *καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν.* Eidem namque II. promittuntur *claves*, quem Christus *ecclesiae petram ἀμέσως* designaverat. Non alium vero designaverat quam Petrum, ac omnino, ut aiunt, *exclusive:* tum quia *unius Petri* Dominus meminit: tum quia *commune* censeri nequit praemium, quod *proprio singularique unius merito* rependitur: tum quia *ratio fundamenti*, quo *ecclesiae civitas ad conspicuam unitatem* revocari debet, *pluralitatem* neque admittit neque patitur. Promissio igitur clavium ad *unum* Petrum refertur.

110. Quod III. intellexit, significavitque [44] Tertullianus inquiens: „Latuit aliquid Petrum aedificandae ecclesiae petram dictum, *claves regni caelorum* consequutum, et solvendi et alligandi in caelis et in terris potestatem?“ Et [45] rursum: „Super te, inquit, aedificabo ecclesiam meam, et *tibi* dabo claves, non ecclesiae, et quaecumque solveris vel alligaveris, non quae solverint vel alligaverint.“ Alibi [46] vero: „Si adhuc clausum putas caelum, memento claves eius hic Dominum *Petro*, et *per eum* ecclesiae reliquisse.“

Sed Origenes [47] praeclarissime, dum collatis mutuo [48] promissionibus Petro ac omnibus deinde apostolis factis, e vestigio notat, *ἰδίᾳ privatim illud Petro attributum esse, δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, priusquam* illud, *καὶ ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ τὰ ἑξῆς*, omnibus *ἀδιαφόρως* diceretur. Etenim pergit: „Si ad evangelica scripta animum *ἐπιμελῶς* diligenter appellamus, *καὶ ἐν τούτοις εὕροιμεν ἂν καὶ κατὰ ταῦτα τὰ δοκοῦντα εἶναι κοινὰ πρὸς τὸν Πέτρον, καὶ τοὺς τρὶς νουθετήσαντας τοὺς ἀδελφούς, πολλὴν διαφορὰν καὶ ὑπεροχὴν ἐκ τῶν πρὸς τὸν Πέτρον εἰρημένων παρὰ τοὺς δευτέρους*, ibi *magnum* inveniemus *discrimen*, et *excellentiam* eorum quae Petro, *prae iis* quae aliis dicta sunt, *etiam in iis rebus* quae Petrum inter eosque qui ter fratres [49] obiurgaverunt, *communes* esse videntur. *Οὐ γὰρ ὀλίγη διαφορὰ τὸν Πέτρον εἰληφέναι τὰς κλεῖδας, οὐχ ἑνὸς οὐρανοῦ, ἀλλὰ πλειόνων, καὶ ἵνα ὅσα ἐὰν δήσῃ ἐπὶ τῆς γῆς, ᾖ δεδεμένα οὐκ ἐν ἑνὶ οὐρανῷ, ἀλλ' ἐν πᾶσιν αὐτοῖς, πρὸς τοὺς πολλοὺς δέοντας ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ λύοντας ἐπὶ τῆς γῆς, ὥςτε ταῦτα δεδέσθαι καὶ λελῦσθαι οὐκ ἐν οὐρανοῖς, ὡς ἐπὶ Πέτρου, ἀλλ'*

[43]) Matth. XVI. 19.

[44]) De Praescriptt. cap. XXII.

[45]) De Pudicit. cap. XXI.

[46]) Scorpiac. cap. X.

[47]) In Matth. Tom. XIII. n. 31.

[48]) Matth. XVI. 19. coll. XVIII. 18.

[49]) Adscribam Huetii adnotationem: „Augustinus de Verbis Domini, hom. XV, Anastasius nicaenus q. LXI, et alii Origenem sequuti, ligandi et solvendi potestatem Christi discipulis tributam ad eos omnes pertinere volunt (profecto nonnisi quadamtenus et similitudine aliqua), quicumque fraterna peccata reprehendunt.“

ἐν οὐρανῷ ἑνί· οὐ γὰρ διαβαίνουσι τῇ δυνάμει, ὡς Πέτρος, ἵνα δήσωσιν ἢ λύσωσιν ἐν πᾶσιν οὐρανοῖς. ὅσῳ οὖν βελτίων ὁ δεσμεύων, τοσοῦτον μακαριώτερος ὁ λελυμένος, ὡς καὶ πανταχοῦ τῶν οὐρανῶν εἶναι αὐτοῦ τὸ λελῦσθαι. Nec enim exigua [50] differentia est claves non unius caeli Petrum, sed plurimorum accepisse; et quaecumque super terram alligaverit, non in uno caelo sed in omnibus ligata esse, prae pluribus aliis qui super terram et alligant et solvunt, ita ut haec alligata et soluta sint non in caelis, sicut Petro concessum est; sed in uno caelo: nec enim eo penetrandi facultate pollent, quemadmodum Petrus, ut alligent vel solvant in omnibus caelis. Quo praestantior ergo fuerit qui alligat, eo felicior qui fuerit solutus, quum in omnibus plane caelis solutus sit."

Quo quidem commentario docemur, 1°. fas non esse propter quamdam vocabulorum similitudinem quae *propria* sunt Petri, eadem *communia* reliquis existimare: 2°. multo praestantius, multoque nobilius convenire *Petro* quae *aliis* item promissa, tributaque reperiuntur: illius propterea 3°. *ὑπεροχὴν* in tuto esse, atque ex eo insigniter enitescere, quod quum aliorum omnium [51] potestas obnoxia sit atque circumscripta, ea contra quae *clavium* symbolo illi promittitur, *infinite* pateat, nullique hominum iuri subiiciatur.

Eodem pertinent quae nobilissimi fratres, Basilius et Gregorius nyssenus docent; ille quidem [52] quum ait: „*Ὁ μακάριος Πέτρος, ὁ πάντων μὲν μαθητῶν ἀποκριθείς, μόνος δὲ πλεῖον τῶν ἄλλων μαρτυρηθεὶς καὶ μακαρισθείς, ὁ τὰς κλεῖς τῶν οὐρανῶν πιστευθείς.* Beatus Petrus ex omnibus discipulis *selectus*, ac *unus prae aliis* maiora testimonia nactus, et encomio beatitudinis donatus, *claves caelorum* consequutus est." Nyssenus vero [53] dum scribit: „*Διὰ Πέτρου ἔδωκε τὴν κλεῖδα τῶν ἐπουρανίων τιμῶν· γίνωσκε ὅτι λυθεὶς λέλυσαι καὶ δεθεὶς τοῖς ἀοράτοις δεσμοῖς κατασφίγγῃ. Per Petrum* contulit (Christus) clavem supernorum honorum: tecum reputa quod solutus eris solutus, et ligatus invisibilibus compedibus obstrictus eris."

Neque aliam sententiam produnt Epiphanius [54], Serapion [55], Caesarius [56],

[50]) „Ludit quoque, scribit Huetius, in eadem distinctione homil. I. in Ezech. I. 1: *aperti sunt caeli: non sufficit unum caelum aperiri; aperiuntur plurimi, ut descendant non ab uno, sed a plurimis caelis angeli ad eos qui salvandi sunt.* Minime vero distinctionem hanc patitur syriaca lingua, qua Christus utebatur. Inde tamen dicere licet, *maxima prae ceteris Petrum auctoritate fuisse praeditum ac dignitate.*"

[51]) Puto enim subtili et alexandrina prorsus distinctione inter *caelum* et *caelos* significari ab Origene discrimen, quo adstricta obnoxiaque potestas ab universali et catholica secernitur.

[52]) Prooem. de Judicio Dei, n. 7.

[53]) De Castigat. pag. 314. T. III. opp. edit. Morellii.

[54]) Ancorati §. IX.

[55]) Con. Manichaeos, cap. XXIII.

[56]) Dialog. IV. n. 194.

Chrysostomus [57], Anastasius sinaita [58] et Eulogius alexandrinus [59], e quo ista refert [60] Photius: „*Ὅτι διὰ τοῦτο οὔτε πρὸς Ἰωάννην, οὔτε πρὸς ἕτερόν τινα τῶν μαθητῶν ἔφη ὁ Σωτὴρ τό· δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, καὶ τὰ ἑξῆς· ἀλλ' ἢ πρὸς Πέτρον.* Ideo nec Johanni nec alteri cuipiam e discipulis Salvator dixit: tibi dabo claves regni caelorum: sed Petro."

Consentiunt [61] Hilarius et [62] Ambrosius, quorum iste occasione facinoris quod in evangeliis [63] de Petro narratur, inquit: „Tollit ergo Petrus aurem. Quare Petrus? quia ipse est, qui accepit *claves regni caelorum*; ille enim condemnat qui et absolvit, quoniam idem et ligandi et solvendi adeptus est potestatem. Tollit autem aurem male audientis, tollit autem gladio *spirituali* aurem interiorem male intelligentis." Et in novatianos [64] invectus: „Quod ergo, ait, isti possunt *consortium* tecum habere qui *claves regni* non suscipiunt, negantes quod dimittere peccata debeant? quod quidem *recte* de se fatentur, non habent enim *Petri hereditatem*, qui Petri sedem (al. fidem) non habent, quam impia divisione discerpunt."

[57]) In Matth. hom. LIV. n. 2.

[58]) In Ps. VI. pag. 349. Auctarii apud Combefisium.

[59]) Con. Novatianos lib. II. apud Photium, Cod. CCLXXX.

[60]) Loc. cit. ubi mox subdit: „*Τοῦτο μὲν φησιν ὁ Εὐλόγιος, πιθανώτερον μᾶλλον ἢ ἀληθέστερον λέγων.* Hoc quidem Eulogius dicit, sed ad *verisimilitudinem* magis quam *ad veritatem* loquitur. Etsi enim Petro dictum est, *ἀλλ' οὖν ἐν προςώπῳ τοῦ κορυφαίου καὶ τοῖς λοιποῖς τῶν μαθητῶν ἡ τοιαύτη ἐξουσία ἐδίδοτο*, verumtamen in persona *coryphaei* etiam ceteris discipulis talis potestas data est: quandoquidem etiam illis, qui per successionem ab iis sacerdotalem dignitatem acceperunt, *τὴν αὐτὴν προςεῖναι τοῦ δεσμεῖν καὶ λύειν ἐξουσίαν πιστεύομεν*, eamdem solvendi ligandique potestatem adesse credimus."

His relatis, pergit Suicerus in Thesauro ad v. *κλεὶς*, §. II. n. 2: „Optime. Nam ut Ambrosius in Ps. XXXVIII, *quod Petro dicitur, apostolis dicitur.* Petrus enim non suo tantum, sed et collegarum nomine confessionem illam ediderat, *Tu es Christus, Filius ille Dei viventis.* .... Unde quod Petro heic promittit, id apostolis postea omnibus promisisse legitur Matth. XVIII. 18, et post resurrectionem reapse contulisse Joh. XX. 21—23, ut agnoscit Theophylactus in cap. XVI. Matthaei."

At I. quod Suicerus de Petro affirmat *omnium nomine* respondente, falsissimum esse comprobavimus: neque minus II. a veritate abludere ostendimus quae *de locorum parallelismo* comminiscitur. Praeterea III. aliud est *infinite* quaerere, utrum promissa heic Petro *ἐξουσία*, aliis item apostolis eorumque successoribus collata *quadamtenus* fuerit; ac aliud *nominatim* percontari, utrum nihil Petrus *proprii* acceperit, nihil quo apostolis ceteris praeferretur. Illud ecclesiastici scriptores plus semel docent, hoc quin doceant, apertis sententiis inficiantur. Quod et illorum quae adduximus testimonia probant, et multo etiam reddent evidentius quae subiicimus.

[61]) De Trinit. lib. VI. n. 37, et in Matth. cap. XVI. n. 7.

[62]) In Luc. lib. X. n. 67.

[63]) Matth. XXVI. 19.

[64]) De Poenit. lib. I. cap. VII. nn. 32—33.

Praeclare omnino potestas clavium *hereditas Petri* nuncupatur, *quod* illius *plenitudo* promissa Petro collataque fuerit, *quodque* ad eos *tantum* defluat, qui cum Petro *unitatem*, *societatemque* custodiunt. *Ipse est enim*, uti Chrysologus[65] ait, *custos fidei*, *petra ecclesiae*, *ianitor caelorum*; ac *ita huius muneris sacramentum*, teste[66] Leone, *ad omnium apostolorum officium pertinere* Christus *voluit*, *ut in beatissimo Petro apostolorum omnium summo principaliter collocarit*, *ut ab ipso quodam capite dona sua velut in omne corpus diffunderet*, *ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini*, *qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere.*

Quibus similia inculcant Maximus[67], Cassianus[68], Ennodius[69] ac venerabilis Beda[70], qui inter cetera scribit: „Omni electorum ecclesiae iuxta modum culparum vel poenitentiae, ligandi ac solvendi datur auctoritas, sed ideo beatus Petrus[71] *specialiter* claves regni caelorum et *principatum* iudiciariae potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab unitate fidei vel societate illius quolibet modo *semetipsos segregant*, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec ianuam possint[72] regni caelestis ingredi.“ Bedae verba repetit[73] Hincmarus, pleniusque exornat[74] Bernardus Eugenium Petri successorem ita compellans: „Tu princeps episcoporum, tu es cui *claves* traditae, cui oves commissae sunt. Sunt quidem et alii caeli ianitores et gregum pastores; sed tu *tanto gloriosius*, *quanto* et *differentius* utrumque prae ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi adsignatos greges, *singuli singulos*; tibi *universi*[75] crediti, *uni*[76] *unus*. Nec modo ovium, *sed et pastorum tu unus omnium pastor.*“

Quae eo facienda sunt pluris, quo unanimi Patrum doctrinae perfectius respondent, ac ad eorum expressa typum videntur, quae ante octo propemodum

[65]) Serm. CXVII.

[66]) Epist. X. cap. I.

[67]) In Natal. Apostol. Serm. V.

[68]) De Incarnat. lib. III. cap. XII.

[69]) In libello apolog. pro Synodo.

[70]) Homil. in die ss. Petri et Pauli.

[71]) Huius *adverbii* potestas quum ex contexto sermone, aliorumque Patrum effatis, tum ex iis liquet quae hom. in vigilia apostolorum Petri et Pauli idem habet: „Quod Petro dictum est, *pasce oves meas*, omnibus utique dictum est. Hoc namque erant *ceteri apostoli* quod *Petrus*, sed *primatus* Petro datur (atque adeo illi *specialiter* dicitur, *pasce*), ut *unitas ecclesiae* commendetur. Pastores sunt omnes, sed *grex unus* ostenditur (unitate Petri inter reliquos pastores primatu insignis), qui et ab apostolis omnibus tunc unanimi consensione pascebatur, et deinceps a successoribus communi cura pascitur.“

[72]) Quibus origo aperitur supremae illius necessitatis, qua opus est ut unitas cum Petro custodiatur.

[73]) Opusc. XIII.

[74]) De Considerat. lib. III. cap. VIII.

[75]) Universitate igitur auctoritatis praerogativa Petri continetur.

[76]) Consilium igitur unitatis per Petrum statuendae ac in Petro repraesentandae effecit, ut illi uni Christus specialiter diceret: *tibi dabo claves regni caelorum.*

saecula in diuturna cum donatistis contentione Optatus [77] defendit, quum non modo beatum Petrum semel ac iterum *apostolorum caput* nuncupavit, sed praeterea quum necessitatem vitandi schismatis, servandaeque unitatis non aliter confirmari validius posse censuit, quam exposita Christi in Petrum providentia, inquiens: „Si de recipiendis vobis Catholica dubitaret, nonne vos debuistis *unitatis* adsequi *formam*? sed exempla in evangelio lecta proponere noluistis, ut est lectio de persona beatissimi Petri, ex qua *forma unitatis retinendae vel faciendae* descripta recitatur. Equidem malum est contra interdictum (cuiusmodi illud est quo Scripturarum proditio vetatur, quodque a catholicis neglectum donatistae calumniabantur) aliquid facere; sed peius est *unitatem* non habere quum possis. Quam unitatem ipsum Christum videmus praeposuisse vindictae suae, qui *magis* omnes discipulos suos voluit *in uno* esse, quam quod offensus fuerat vindicare: dum nollet se negari, promisit [78] se apud Patrem negaturum esse, qui se negaret apud homines. Et tamen non se promisit puniturum scripturam aliquam qui tradidisset. Gravius est enim negare eum qui loquutus sit, quam tradidisse verba quae loquutus sit. Et cum haec ita scripta sunt, tamen *bono unitatis* beatus Petrus, cui satis erat si post quod negavit, solam veniam consequeretur, et *praeferri* apostolis omnibus meruit, et *claves regni caelorum* communicandas ceteris *solus* accepit.“ Tum amplificata pluribus gravitate criminis, quod negato Christo Petrus contraxit, subdit: „Et tamen *bono unitatis* de numero apostolorum separari non meruit. Unde intelligitur, omnia ordinata esse providentia Salvatoris, *ut ipse* acciperet claves. Interclusa est malitiae via, ne apostoli animo licentiam iudicandi conciperent et severe contemnerent eum, qui negaverat Christum. Stant toti innocentes, et *peccator accipit claves, ut unitatis negotium formaretur.*“

Sententiis igitur *absolutis*, *exclusivis*, *comparatis*, *reique ipsius caussam continentibus* declarant Patres, Christi verba, *καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*, ad Petrum *proprie* atque *inprimis* [79] referri, iisque ornamentum significari quod Petro *specialiter*, *principaliter*, ac uti *principio*, *efficientique unitatis caussae* promittatur.

111. Ex his autem IV. sumi *ratio* debet, qua factum est ut Prudentius [80] dignitate ac munere clavium Petrum a Paulo secerneret, canens:

Hic nempe iam regnant duo
Apostolorum principes.
Alter vocatur gentium,
Alter *cathedram* possidens

[77]) De schismat. donatist. lib. VII.

[78]) Promisit pro *minatus est*, ut apud Luciferum calaritanum pro s. Athanasio lib. I, *sicut promittit spernentibus se Dominus*; et paucis intersertis, *si haec Heli sunt promissa propter delictum filiorum.*

[79]) Non minimum conducet legisse quae hac de re suo more, idest optime, Petavius disserit lib. III. de Ecclesiast. Hierarchia, cap. XVI. §§. IV. seqq.

[80]) *Περὶ Στεφ.* Hym. II. in s. Laurentium.

Primam, *recludit creditas*
Aeternitatis *ianuas*.

Cum quibus Prudentii versiculis communem fidem exhibentibus conferri debent quae Damasus [81] scribit:

Non haec humanis opibus, non arte magistra,
Sed praestante Petro, cui tradita ianua caeli est,
Antistes Christi composuit Damasus.
Una Petri sedes, unum verumque lavacrum,
Vincula nulla tenent, Acanthius votum solvit.

Neque secus [82] Arator:

Primus apostolico parva de puppe vocatus
Agmine Petrus erat, cuius quae gesserat hamum
Ad clavim translata manus, cui tradidit agnus
Quas passus salvavit oves, totumque per orbem
Hoc auget pastore gregem, quo munere summus
Surgit.

Et [83] Venantius Fortunatus:

Princeps clave Petrus, primus quoque dogmate Paulus.

Ex eodem fonte V. repeti tituli debent apud Patres vulgatissimi, et quibus Petrus veluti *propriis* distinctus *notis* [84] dicitur: *princeps clave*, *ligandorum solvendorumque arbiter*, *solus claves obtinens ceteris communicandas*, *caeli ianitor*, *eaque instructus potestate qua in terris positus caelum reserat.*

Inde quoque VI. suam mutuantur originem praestantissimae appellationes, quibus Petrus a Cyrillo hierosolymitano vocatur [85] modo *ὁ τὰς κλεῖς τῶν οὐρανῶν περιφέρων* et [86] modo *ὁ προστάτης τῶν ἀποστόλων, καὶ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν κλειδοῦχος*: ab Ephraemo [87] autem *ὁ τῶν κλειδούχων πρωτότοκος*, ubi ait: „Salve, o Petre, peccatorum porta, ... discipulorum lingua, praedicantium vox, *τῶν ἀποστόλων ἡ ὄψις, τῶν οὐρανῶν ὁ φύλαξ, ὁ τῶν κλειδούχων πρωτότοκος*, apostolorum oculus, caelorum custos, *primogenitus* [88] *clavigerorum*."

Hinc VII. pronum est intelligere, quae caussa maioribus nostris adfuerit, propter quam in monimentis pictis, sculptis, musivis unum Petrum *symbolo clavium* ornarint, ornatumque distinxerint. Quod videlicet crederent, promissionem clavium in evangelio narratam ad Petrum maxime pertinere. Hoc quod suapte natura perspicuum est, et cum facto ipso intime cohaerens, diligenter explanant Ba-

[81]) Carm. XXXVII.

[82]) Hist. Apostolic. lib. I.

[83]) Lib. IX. carm. II.

[84]) Apud Leonem, Ambrosium, Hilarium, referente Mamachio, Antiquitt. T. V. pag. 540.

[85]) Catech. VI. n. 15.

[86]) Catech. XVII. n. 27.

[87]) In ss. Apostolos, Tom. III. opp. pag. 464.

[88]) Eadem significatione, qua בְּכוֹר, *πρωτότοκος* in Scripturis crebro adhibetur, ut id efferatur, quod *in suo genere excellit ac summum est.*

ronius [89], Ciampinius [90], Bottarius [91], Alemannus [92], Johannes Michael Heineccius [93], Rasponus [94], Fogginius [95] et [96] Mamachius, qui numerum eiusmodi monimentorum non minimum exhibent, notantque nihil occurrere frequentius Petro, qui *unam, duas, tresve claves* manu praeferat.

112. Definito orationis subiecto, verbisque promissionis Petro vindicatis, inquiri altero loco debet, quid illa sibi velint, quove Christus spectaverit, inquiens: *δώσω σοὶ τάς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν.* Nemini autem dubium esse posse arbitror, eam significandi vim potestatemque metaphoricis huiusmodi verbis subiici oportere, quam veteres ecclesiae doctores uno ore proposuerint, cui vulgaris iuxta ac sacer loquendi usus patrocinetur, quamque sermonis ductus, susceptaque a Christo persona unice admittunt. His enim philologicis, historicisque adiunctis quaevis legitima sinceraque interpretatio dirigatur necesse est. Atqui ne unum quidem horum est, e quo non pateat, *promissione clavium potestatem* adumbrari, quam Petro in caelorum regno, suaque ecclesia Christus pollicebatur.

Ac de patribus quidem, scriptoribusque christianis res est ex iis luculentissima quae nuper [97] retulimus, quaeque Stephanus dorensis antistes in libello testatus est, quem Martino I. obtulit, quique in lateranensi synodo lectus, probatusque fuit. In eo namque suam, communemque fidem his omnino verbis [98] aperuit: „Citra dubitationem claves regni caelorum creditae sunt Petro, ac ipse *unus* magnus secundum veritatem et *princeps apostolorum* ad aperiendum claudendumque illas promeruit.“ Quibus suffragatus Martinus [99] subiecit: „Solum ac *prae omnibus* Petrum accipere meruisse a rege regum Christo Deo claves regni caelorum ad aperiendum recte credentibus in eumdem Dominum nostrum, et claudendum infidelibus [100] haereticis.“ Ut enim Gregorius [101] monuit: „Cunctis evangelium scientibus *liquet*, quod voce dominica [102] sancto et *omnium aposto-*

[89]) In Annalibus ad an. CDLXI. n. XI.

[90]) Veterum Monum. T. I. pag. 271, T. II. tab. III. pag. 6; cui adde Aringhium, Roma Subterr. T. I. lib. II. cap. X.

[91]) Osservazioni sopra alcuni frammenti di vetro ..., pag. 95. Similia dabit Mabillonius in Annalibus, lib. XVI. §. XCI.

[92]) De Parietinis Lateranensibus, capp. IX—X.

[93]) Antiquit. Goslariens. tab. I. lib. I. fig. VII. et VIII.

[94]) Basilic Lateran. lib. IV. cap. XI.

[95]) De Rom. Petri itinere, Exercit. XX.

[96]) Antiquitt. Christ. T. V. pagg. 518. seqq.

[97]) nn. 110—111.

[98]) Leguntur haec in Secret. II. lateranensis concilii.

[99]) In eodem Secretario secundo.

[100]) Quibus duo maxime significantur, ac I. supremum fidei magisterium Petro committi, eiusque fidem *normam* esse *orthodoxiae:* tum II. christianos omnino omnes hoc officio teneri, ut unam eamdemque cum eo fidem profiteantur.

[101]) Epistt. lib. IV. epist. XXXII. ad Mauricium Augustum. His autem ea iuverit addidisse plane simillima quae in litteris ad Petrum Illustrem s. Maximus docet.

[102]) Matth. XVI. 18—19.

lorum principi Petro apostolo *totius ecclesiae*[103] cura commissa est. Ipsi quippe dicitur, *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni caelorum.* Ecce claves regni caelestis accipit, potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur, *cura* ei *totius ecclesiae et principatus* committitur."

Potestas igitur verborum, *δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*, interpretatione *christiana*, usuque loquendi *ecclesiastico* definita sic est ac circumscripta, ut si qui *ab his* discedere *regulis* nefas sibi esse arbitrentur, affirmare iidem debeant, promissam *uni Petro* in regno caelorum, Christique ecclesia auctoritatem illis exprimi.

113. Quod multo etiam affirmabunt constantius, si secum animo reputaverint, profanis iuxta sacrisque auctoribus vulgatissimum esse, ut ducta e *clavibus* metaphora ius potestatemque designent. Plurima sunt quae e profanis auctoribus referri exempla possent, quaeque Wetestenius[104], Ursinus[105], Wesselingius[106], Wollius[107] et[108] Eichhornius sollerter congessere. Huc enim pertinent quum alia bene multa, tum quae apud Euripidem[109], Aeschylum[110], Callimachum[111] leguntur, quaeque Schwarzius in dissertatione[112] *de diis clavigeris* non sine industriae laude producit. Prae his vero non minus videri perspicua debent quae in divinis litteris[113] occurrunt, sive quum de Eliakimo[114] dicitur, *δώσω αὐτῷ κλεῖδα οἴκου Δαβίδ*, sive quum maxima Christi auctoritas his formulis[115], *ἔχω τὰς κλεῖς τοῦ ᾅδου καὶ τοῦ θανάτου*, et *ὁ ἔχων τὴν κλεῖδα τοῦ Δαβίδ*, effertur. Certa est igitur vis phraseos in evangelio adhibitae, eaque potestatem Petro factam significari, *loquendi usu ecclesiastico*, *profano*, *sacroque* demonstratur.

Cui argumento gravissimo plane ac decretorio non minimum e partium

[103]) Constat autem ecclesia non *ovibus* solum, sed et *pastoribus*, non *discipulis* tantum sed et *magistris*, non *obnoxiis* modo *subditisque* sed et *praepositis*. Igitur si verbis, *tibi dabo claves regni caelorum*, totius ecclesiae cura Petro creditur, ac *principatus in totam ecclesiam* eidem tribuitur; nihil manifestius quam I. omnes qui a Christo christiani audiunt, Petro subiici: illum II. oecumenicum universalemque pastorem, magistrum, praepositumque designari: atque adeo III. caussam originemque constitui, qua conspicua ecclesiae, regnique caelorum unitas efficiatur.

[104]) In notis ad Apoc. I. 18.

[105]) Analect. Sacr. lib. V. cap. XXXIV.

[106]) Observatt. lib. I. cap. III.

[107]) In notis ad Blackwalli Critic. Sacram, pag. 167.

[108]) In comm. ad Apoc. III. 7.

[109]) Troad. 251—252, Iphig. 1355—1356.

[110]) Eum. 752—754, Supplic. 267—268.

[111]) Hymn. in Cerer. 44.

[112]) Quam edidit ad illustranda verba Apoc. I. 18.

[113]) Cf. Jahn, Archaeolog. Biblic. §. 37.

[114]) Is. XXII. 22.

[115]) Apoc. I. 18, III. 7. Ad hunc loquendi usum respiciens Schleusner, verba Salvatoris Matth. XVI. 19. reddit, *tibi concedam potestatem et imperium in ecclesiam christianam.*

nexu, orationisque consequutione perspicuitatis pondus accedit. Quod enim Christus Petro spoponderat [116], inquiens: *et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam;* idipsum alia imagine, alioque symbolo inculcare [117] pergit, subdens: *et tibi dabo claves regni caelorum.* Post ea vero quae [118] praemisimus, latere neminem potest, prioribus verbis singularem eximiamque auctoritatem fuisse illi promissam. Hoc igitur est reliquum, ut posterioribus quoque verbis singularis eximiaeque auctoritatis promissio Petro facta intelligatur.

Praesertim quum *persona*, quam Christus induit, hanc sua sponte interpretationem suggerat. Personam namque referens *supremi domini* alloquitur Petrum, illique uti *supremus dominus* claves caelestis regni, suaeque ecclesiae pollicetur. Quamnam vero huic imagini a *supremo domino* adhibitae interpretationem subiicias, quae loquentem *deceat*, quaeque ad *decori* legem iure expressa videatur? non aliam utique quam *potestatis* interpretationem, quae una *personae domini* convenit, *decorique* legi respondet. Fixum igitur manere debet singulari *clavium* promissione singularem *potestatis* promissionem contineri.

114. Sed *varii* sunt *diversique potestatis gradus*, quaeque homini fit potestas quum *infima* aut *media*, tum *maxima* atque *inter homines summa* esse potest. Cuiusmodi igitur eam censebimus auctoritatem, quam Petro clavium symbolo Christus spopondit? infimam ne mediamve, aut summam potius ac ipsos inter apostolos principem? sententia veteris ecclesiae perspicua est, quaeque [119] attulimus ad eam aperiendam explanandamque testimonia evidenter ostendunt, hanc maioribus nostris insedisse mentem, non *mediam* aliquam *communemve* auctoritatem, sed omnino *summam*, *eximiam*, *singularemque* Petro promitti.

Ac merito sane, verba namque I. *καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*, *infinite* patent, nullisque adstricta finibus ad unum Petrum *specialiter*, *principaliterque* referuntur. Ipsa porro sunt verba, e quibus *de ratione*, *deque gradu* promissae institutaeque auctoritatis ferri iudicium debet. Singularis igitur, infinita ac inter apostolos summa habenda est auctoritas, quam Petro Christus pollicetur.

Quod II. nescio an non etiam liquidius *e termino* pateat, qui promissis Petro clavibus obnoxius subiectusque declaratur. Is enim effertur verbis, *ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.* Formula autem *ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν* idem valet ac *ἡ ἐκκλησία*, universalisque christianorum coetus, quo pastores ac oves, praepositi ac subditi, doctores ac discipuli comprehenduntur. Ecclesia igitur qua latissime extenditur, eaque spectata, uti scholae loquuntur, tam *distributive* quam *collective* Petri clavibus fore *obnoxia* perhibetur. Sed nequit non esse *maxima*, *consortiique expers* auctoritas, quae universum ecclesiae corpus, singulaque eius membra complectitur. Maxima igitur est, consortiique expers auctoritas, cuius a Christo promissionem Petrus accipit.

[116]) Matth. XVI. 18.
[117]) Ibid. v. 19.
[118]) nn. 96. seqq.
[119]) nn. 110—111—112.

Atque huic veritati III. non minus praeclare *consequentia* suffragantur. Nemo enim sibi integrum esse existimet inficiari, *summam*, *singularemque* credi auctoritatem oportere, cui *caussae omnes* tam *regni universi*, quam *omnium singulorumque civium* subiiciuntur. Nulla autem est caussa ad regnum caelorum, eiusque cives pertinens, quae [120] verbis, *καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς*, non significetur Petri clavibus atque auctoritati obnoxia.

Praeterea IV. *quo nomine*, *quove titulo* Christus ait, *καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν?* nomine ac titulo *principis* ecclesiae *auctoris*, quique quum sibi *supremum in ecclesiam ius* ipsa ecclesiae institutione ac veluti *creatione* comparaverit, *illius vices* symbolo clavium *specialiter*, *principaliterque* Petro pollicetur. Fieri vero nullatenus potest, ut is *summa singularique* auctoritate destituatur, cui vices Christi, *supremi domini*, specialiter principaliterque in ecclesia obeundae promittuntur. Promissio igitur clavium facta Petro a promissione summae singularisque auctoritatis non distat.

Quod V. tenendum esse, *ipsum* etiam *cum antecedentibus vinculum*, *propriusque Petri habitus* persuadent. Ex utroque enim constat, 1°. formulam, *καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*, ad eum referri, qui *praesignatus* iam erat *ecclesiae fundamentum*, eiusque unitatis *efficiens principium*, qua ecclesiasticum *aedificium* ornari debet: tum 2°. alio schemate, aliaque imagine *idipsum* significari verbis, *καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*, quod fuerat praecedentibus, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, expressum. Atqui *summa* sit ac *singularis* oportet auctoritas, quae *rei* significatae verbis, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, respondere debet, quaeque *specialiter*, *principaliterque* illi promittitur, e quo conspicua ecclesiae unitas, Christo institutore, exspectanda est. Confecimus igitur *summam* esse ac prorsus *exsortem* eam auctoritatem, qua Christus promissis clavibus honestandum Petrum esse solemnissime declaravit.

115. Huius autem auctoritatis *vis*, *insitaque ratio* longe etiam exstabit insignius, si ad *σχέσιν* attendatur, qua sibi Christus eiusmodi promissione Petrum *arctius* devinxit, consortemque futurum *eius ornamenti* testatus est, quo ipsemet *tamquam supremus dominus* primum ac potissimum decoratur. Hac enim cum Christo societate dotes omnes tributae hominibus [121] continentur, et quo illa intimior est uberiorque, eo istae potiores nobilioresque censentur. Jamvero de Emmanuele, qua appellatione [122] significatur, *μεθ' ἡμῶν ὁ θεός*, legimus [123]: *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis*, וַתְּהִי הַמִּשְׂרָה עַל־שִׁכְמוֹ, *οὗ ἡ ἀρχ*

[120]) Matth. XVI. 19. De his autem verbis insequenti capite accuratius disputabimus.

[121]) Ephes. IV. 8.

[122]) Matth. I. 23. coll. Is. VII. 14.

[123]) Is. IX. 5. al. 6.

ἐγενήθη ἐπὶ τοῦ ὤμου αὐτοῦ, *et factus est principatus super humerum eius.* De qua postrema formula nullatenus ambigi posse [124] videtur, *signum* in ea *pro re signata* μετωνυμικῶς usurpari, atque adeo הַמִּשְׂרָה, ἀρχήν, *principatum* pro *tessera* ac principatus *indicio* adhiberi. Sed quam intelligemus principatus tesseram humero Emmanuelis impositam? loquendi ratio quum sacra penes eumdem prophetam [125] cuius verba explanamus, tum profana cuius inter ceteros testis est [126] Callimachus de Cassandra scribens, κατωμαδίαν δ' ἔχε κλᾷδα, quod ex humero pendentem [127] gereret clavem; palam faciunt, claves illud esse signum, ad quod vates respexit, et quo divinum Emmanuelis principatum adumbravit. Neque mirum, quum non alio signo ipsemet Emmanuel suum principatum expresserit, [128] inquiens: Ἐγώ εἰμι ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, καὶ ὁ ζῶν· καὶ ἐγενόμην νεκρός, καὶ ἰδοὺ ζῶν εἰμι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν. καὶ ἔχω τὰς κλεῖς τοῦ θανάτου καὶ τοῦ ᾅδου.

Formulae igitur, καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ad unum Petrum directae huc sensus redit: efficiam ut tu prae ceteris unus consors mecum sis ac illius supremae auctoritatis particeps, qua meam ecclesiam tempero atque administro: ut tu prae ceteris unus meas in caelesti ecclesiae regno vices expleas: ut tu quum [129] reliquorum omnium, tum ipsorum etiam apostolorum sis ἀρχηγός, atque in te [130] *apostolatus principatus cuilibet episcopatui praeferendus* emicet, *primatusque apostolorum excellenti gratia praeemineat.*

[124]) Occasione huius formulae scribit Glassius, Philolog. Sacr. lib. II. tract. I. cap. XII: „Quae significatio phraseos sit, *principatum Salvatoris super humerum eius esse*, inter interpretes quaeritur. Chaldaeus legis divinae impletionem intelligit, ita transferens: *et accepit legem super se ad custodiendum illam.* Multi inter Patres de cruce Christi intelligunt, conferuntque Es. XXII. 22. Inepte. Sensus est: factus et constitutus est princeps quum in regno gratiae tum potentiae, Matth. XI. 27, Joh. V. 22. Phrasis illustranda est ex eo, quod veteres censebant imperium veluti humeris impositum, quia *signum imperii pallium* ab humeris pendebat."

Schulz in Lexico Hebraico ad v. שְׁכֶם, verba Isaiae reddit: *et venit principatus in humerum eius. Principatus et regni cura in ipsum devoluta est.* Sub radice vero שׂוּר ad v. מִשְׂרָה, hac paraphrasi utitur: *Ipse suscepit omne regnum, et principatus ac potestates exuit vel a se deposuit.*

Quae sane omnia longe mihi minus se probant veritatis specie, quam quae in sermonis contextu praehabuimus.

[125]) Is. XXII. 22.

[126]) Hymn. in Cer. 44; ad quem locum vide quae Spanhemius advertit.

[127]) Hac metaphorica loquendi ratione legatis Ferdinandi I. respondit Solymanus turcarum imperator, *claves Hungariae suspendam ex humero meo.*

[128]) Apoc. I. 18. coll. IX. 1, XX. 1.

[129]) Sunt haec Epiphanii verba, Haeres. LI. n. 17.

[130]) Ita penes Augustinum in Ps. CVIII. n. 1, et de Baptis. con. Donat. lib. II. cap. I. n. 2.

Quae quum ita sint, non puto praesens caput absolvi commodius posse, quam si Christi ad Petrum verba cum iis, quibus de semetipso Christus utitur, dextere componantur. Ita vero[131] ea se habent:

Καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς.	*Τάδε λέγει ὁ ἅγιος, ὁ ἀληθινός, ὁ ἔχων τὴν κλεῖν τοῦ Δαυΐδ· ὁ ἀνοίγων, καὶ οὐδεὶς κλείσει αὐτήν, εἰ μὴ ὁ ἀνοίγων· καὶ οὐδεὶς ἀνοίξει.*

Atqui inspici ista non possunt, quin *omnia*, *unum* si exceperis, *similia* prorsus videantur. Similia sunt *τὰς κλεῖς*, et *τὴν κλεῖν*. Similia sunt, *τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*, et *τοῦ Δαυΐδ*, id est, suppleta ellipsi, *domus David*, quae inter ecclesiae symbola, partique a Christo regni in Scripturis excellit. Similes sunt formulae, *καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς κ. τ. λ.* et *ὁ ἀνοίγων κ. τ. λ.* Sunt vero dissimilia, *καὶ δώσω* et *ὁ ἔχων*, neque ideo *tantum* quod prius verbum est *promissionis*, alterum *possessionis;* sed ideo *potissimum* quod quum *ὁ ἔχων* ostendat, Christum *ex sese*, *nativaque praestantia* clavibus potiri, *καὶ δώσω* contra significat, *non aliter* Petro competere claves quam *μετοχῇ* atque benevola Christi largitoris voluntate. Quo sane discrimine efficitur quidem, ut haberi Petrus *ὑπονόμος* debeat, si cum Christo, cui subest, comparetur; nullatenus vero ne princeps sit *ἡγούμενος*, si ad *βασιλείαν τῶν οὐρανῶν* cuius accepit claves, referatur. Quod Martinus I. expressit, quum[132] idcirco Petrum *apostolorum coryphaeum* nominavit, *quod consequi prae omnibus meruerit a rege regum Christo Deo claves regni caelorum.* Unde Leo II. in litteris ad Ervigium Hispaniae regem[133] datis affirmare non dubitavit, *hoc etiam et in sanctis suis discipulis Salvator mundi Dei Filius esse constituit, qui beatum Petrum, sui vice, discipulorum suorum instituit principem*, idest, *τῶν Χριστοῦ μαθητῶν τὸν προστάτην*, ut illum Basilius seleuciensis[134] appellat.

[131]) Matth. XVI. 19. coll. Apoc. III. 7.

[132]) In synod. lateran. Secret. II. apud Harduinum Tom. III. Concil. pag. 649.

[133]) Ibid. pag. 1734.

[134]) Orat. XVII. in Davidem, pag. 97. edit. Paris. an. 1611.

CAPUT IX.

Eorum opinio qui Salvatoris verba Matth. XVI. 19. ac Joh. XX. 23. sibi ἐκ παραλλήλου respondere arbitrantur: — expenditur atque compendio refutatur: — de potestate formulae, καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς: — sunt qui censeant, ea ius auctoritatemque significari, qua quod honestum aut turpe est, atque idcirco liberum solutumque, vel prohibitum ligatumque edicitur: — quibus suam hanc interpretationem argumentis stabiliant: — quid ex ea sit consequens, quamque apte cum doctrina de Petri ὑπεροχῇ componatur: — an haberi certa debeat: — id nobis non videtur, quod neque aliis bene multis visum est: — princeps, cui innititur argumentum, examinatur: — illius vis infringitur: — ac alia christianae antiquitati recepta expositio proponitur: — idoneis rationum momentis communitur: — ratioque promissae Petro auctoritatis denuo illustratur.

116. Innumera propemodum sunt in historia quaestionum theologicarum exempla, quibus testatissimum redditur, nihil iis qui mutuo decertant atque in partes eunt, usuvenire frequentius, quam ut alii *negent* in bibliis uspiam reperiri aut esse similia, quae in iisdem apertissime legi aut sibi prorsus ἐκ παραλλήλου respondere alii *contendunt*. Cuius dissidii quamquam probe noverim plures esse adducique caussas posse, omnibus tamen illam antecellere arbitror, quae *praeposteris opinionibus* semel animo imbutis continetur. Incredibile enim dictu est, quae quantaque illarum sit virtus, et quantopere eaedem conferant ut illustria obscurentur, fixa moveantur, seiuncta copulentur, quaeque diversissima sunt aut tenui solum affinitatis gradu cohaerentia, similium ac parallelorum loco habeantur.

In quod vitium, nisi totus fallor, ii omnes offenderunt interpretes, qui Christi ad Petrum verba [1] enarraturi, ad ea se continuo recipiunt quae idem ad universos apostolos [2] direxit, ac illorum sententiam ex horum potestate definiendam, circumscribendamque praecipiunt. Plures omnino sunt [3] qui in hac opinione versantur, atque ex his Salomon Glassius, Augustino Dathio [4] suffragante, scribit: „Claves regni caelorum Matth. XVI. 19. officium sive ministerium notant remittendi et retinendi peccata, ut ibidem (consequentibus verbis, *et quodcumque solveris super terram* ......), et Joh. XX. 23. docetur.“

[1]) Matth. XVI. 19.

[2]) Joh. XX. 23.

[3]) Commemorantur a Wolfio in Curis ad Matth. XVI. 19, et a Rosenmüllero in Scholiis ad eumdem locum.

[4]) Philolog. Sacr. lib. II. tract. I. cap. XII.

Ita ne vero? ut de hac *collatione*, deque eruta ex ea doctrina judicare facilius lectores possint, textus primum e regione describam[5], tum quid statui debeat, aliquot iisque perspicuis argumentis confirmabo. Textus igitur hi sunt:

Καὶ[6] *ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς.*

Ἄν τινων[7] *ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται*[8] *αὐτοῖς· ἄν τινων*[9] *κρατῆτε, κεκράτηνται.*

117. Quid iamvero in his occurrit *geminum* aut *simile*, immo quod non sit plane *diversum?* diversa sunt *vocabula*, quibus utrumque testimonium effertur, quod vel una oculorum inspectio persuadet. Diversum *tempus*, quum relata a Matthaeo *ante* resurrectionem, quae autem Johannes narrat *post* resurrectionem contigerint. Diversa *occasio*, quum apud Matthaeum Christus *singulari praemio propter singularem propriamque fidei confessionem* Petrum afficiat, penes Johannem vero omnes *ex aequo* apostolos *communibus donis* honestet. Diversum *consilium*, quum priore in loco *conspicuae unitati ecclesiae* Christus prospiciat, futuramque illius *οἰκονομίαν*, administrationisque rationem delineet, in altero autem *peculiarem* peccata retinendi remittendique *potestatem* impertiat. Hinc diversus est in utroque textu *enunciationum ambitus*, qui in illo est *universalis*, *καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς*, in hoc *adstrictus* et *singularis*[10], *ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἄν τινων κρατῆτε.* Diversa sunt *quae antecedunt*, quum aliud omnino sit, *καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν,*

[5]) Matth. XVI. 19. coll. Joh. XX. 23.

[6]) De lectione, *et quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in caelis: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelis*, expeditum est iudicium, irrepsisse illam in textum Matth. XVI. 19. ex loco simili Matth. XVIII. 18. Unde miror uni propemodum Colbertino Ms. tantum detulisse Sabatierum, ut eiusmodi lectionem illam ipsam esse existimaverit, quae in antiqua ac itala versione haberetur.

[7]) Pro *τινων* in graecis aliquot latinisque codicibus et scriptoribus legitur *τινος*.

[8]) Al. *ἀφέωνται*.

[9]) Al. *τινος*.

[10]) Qui ergo e verbis apud Johannem de *extensione* textus apud Matthaeum statuunt, videntur mihi non aliter se gerere ac si qui eamdem esse *totius* ac *partis* magnitudinem contenderent.

Ceterum adversus eiusmodi collationem non male pugnat Kuinoel in commentario ad h. l. scribens: „Non deesse, qui cum *λύειν* in versione alexandrina, Jes. XL. 2. *λέλυται αὐτῆς ἡ ἁμαρτία*, eo sensu legatur, ut sit *remittere peccata:* atque hoc ipso sensu (vid. Kypkius ad Matth. XVIII. 18, et Joh. XX. 23.) *λύειν ἁμαρτίας* apud scriptores quoque exteros occurrat; sensum verborum nostrorum constituunt hunc in modum: *quibuscumque peccatorum veniam vel concesseritis vel denegaveritis* (lege, vel concesseris vel denegaveris), *id quoque ratum erit apud Deum.*“ Verum continuo subdit: „Hoc loco non fuit in antecedentibus sermo de peccatis atque delictis, nec legitur hoc loco vocabulum peccata indicans, et perquam dure cum Kypkio ad *ὅσα* Matth. XVIII. 18. subintelligitur *ἁμαρτήματα:* nec Joh. XX. 23. occurrunt verba *δεῖν* et *λύειν.*“

atque aliud, λάβετε πνεῦμα ἅγιον. Diversa postremo est *totius sermonis facies* et *consequutio*, ita ut si qui eiusmodi textus *geminos* habere pergant, nullum iis suppetere κριτήριον videatur, quo *a similibus diversa*, *a singularibus universalia*, et *a communibus propria* secernant.

Ad haec, si Christus apud Matthaeum de potestate remittendi peccata εἰδικῶς cogitasset, illamque *unice* significare voluisset, verbo λύειν, pro recepto loquendi[11] usu, ἁμαρτίας vel ἁμαρτήματα subiecisset. At vero ne apicem quidem de peccatis habet. Sciscitor tandem, an formula δέειν ἁμαρτίας, *ligare peccata*, trita sit vulgataque? omnes fateantur oportet, eam esse insolentem, ac in bibliis ne semel quidem usurpari. Igitur I. neque Christus apud Matthaeum εἰδικῶς καὶ μόνως de potestate loquitur remittendi retinendique peccata: neque II. de eiusdem verbis fas est ex iis statuere quae ab Johanne referuntur.

118. Hisce complanatis salebris, tenebrisque depulsis, ad germanam propius accedo enarrationem, de qua Christophorus Wolfius[12] ait: „Inter interpretes non satis convenit, quid per δῆσαι et λῦσαι hic intelligendum veniat." Tum e vestigio addit: „Sunt qui phrasim utramque ex more loquendi *talmudico* explicandam censent, ita ut τὸ δῆσαι inferat *prohibere* illicita, τὸ λῦσαι autem *praecipere*, adeoque alterum respondeat τῷ אסר, alterum τῷ התיר talmudicorum, qui in argumento *docendi* aut *vetandi* versantes utraque ista voce utantur. Sensus itaque foret, *apostolos*[13] potestatem nactos esse tum *iniungendi* coetui sacro quae praestanda sunt, tum *prohibendi* quae vel illicita sunt, vel saltem non necessaria, v. c. in legibus et ritibus caeremonialibus." Ad auctores deinde huius commentarii progressus, scribit: „Hanc interpretationem *angli* inprimis suam fecerunt, nominatim Jo. Seldenus[14] et[15] Jo. Lightfootus, quibus novissime accessit Dan. Whitby[16] et[17] Beniamin Hoadley episcopus bangoriensis. Iidem approbatores nacti sunt ex *gallis pontificiis* Jo. Morinum[18] et[19] Rich. Simonium; ex *reformatis* Jo. Dallaeum[20], Jacobum Basnage[21], Carolum le Cene[22], et novissime[23] Jo. Barbeyracum; ex *belgis reformatis* Campegium Vitringam[24],

[11]) Cuius testes sunt graeci interpretes Is. XL. 2, Job. XLII. 9, Sirac. XXVIII. 2, itemque Aristophanes in Ran. v. 703: λῦσαι τὰς πρότερον ἁμαρτίας.

[12]) In Curis Philolog. ad Matth. XVI. 19.

[13]) Servit hypothesi Wolfius, ac ne quid Petro nominatim promissum videatur, illius loco omnes universim apostolos substituit.

[14]) De Synedriis, lib. II. cap. VII.

[15]) In Horis Hebraic. ad h. l.

[16]) In comm. ad h. l.

[17]) In respons. ad Concionem Francisci Harii.

[18]) In Comm. Historic. de Sacram. Poenit. lib. I. cap. VIII, et lib. IV. cap. XXIII.

[19]) In notis ad Vers. Gallic. h. l.

[20]) De Confessione Auriculari lib. I. cap. V.

[21]) Hist. Judaic. Tom. VI. cap. V.

[22]) In Proiet. pagg. 284. seqq.

[23]) In Orat. de Magistratu non traducendo, pag. 25.

[24]) De Veter. Synag. lib. III. pag. 754.

Franc. Burmannum[25], Sam. Maresium[26] et[27] Salom. van Til; ex *helvetiis* Buxtorfium[28] et[29] Hottingerum; ex *arminianis* Limborchium[30] et ex parte Jo. Clericum[31], qui contra Barrowium anglum communi sententiae inhaerentem disputat. Nec defuerunt ex *nostratibus* (lutheranos intellige), quibus calcanda haec via videretur. Inter primos fuit auctor[32] *Harmoniae Evangelicae;* sequutus postea est Jo. Bened. Carpzovius[33]; inter recentissimos vero[34] Joachimus Langius."

His a Wolfio laudatis propositae enarrationis assertoribus alios adiecit[35] Pfaffius, quibus recentiori, nostraque aetate suffragati nominatim sunt Wetestenius[36], Michaelis[37], Rosenmüllerus[38], Schleusner[39], Fischerus[40], Bloomfield[41] et[42] Kuinoel. Huius atque Fischeri verba reddam, ut quae illorum sit sententia, plenius innotescat. Fischerus itaque ait: „Verba λύειν *solvere*, et δέειν *vincire*, λύεσθαι *solvi*, et δεῖσθαι *vinciri*, Matth. XVI. 19, XVIII. 18. ita leguntur, ut hoc quidem sit *interdicere* et *vetare*, *vetari* et *interdici*, illud *permittere* et *iubere*, *iuberi* et *permitti*. Hae vero istorum verborum notiones in orationem Matthaei graecam traductae esse videntur e linguis hebraeorum, et chaldaeorum, et syrorum, in quibus verba מֵיסַר et אִתְאַסְרָא, שְׁרָאָה et אִשְׁתְּרָאָה, vel הַתִּיר et הוּתַּר utroque modo[43] usurpata inveniuntur." Concinit Kuinoel, qui improbatis aliorum commentariis, pergit: „Scilicet δεῖν respondet verbo אסר *vetare*, *interdicere*, quo sensu non tantum[44] in scriptis rabbinorum, sed etiam apud Danielem VI. 8—9—14—16 legitur; verbum autem λύειν, ut hebraeorum[45] הַתִּיר et שָׁרָה notat *licitum pronuntiare*, *concedere*, *praecipere*, *iubere*, ut adeo sententia sit: quidquid licitum declaraveris et constitueris in ecclesia, ratum erit apud[46] Deum."

[25]) In Exercitt. Academic. Part. II. diss. VI.

[26]) System. Theolog. Loc. XVI.

[27]) In comm. ad h. l.

[28]) In Lexic. Talmud. pagg. 1419. et 2524.

[29]) In dissert. de usu Scriptt. Hebraeorum in N. T. §. III.

[30]) Theolog. Christ. lib. VII. cap. XVIII.

[31]) In notis ad Version. Gallic. h. l.

[32]) Harmon. Evang. pag. 357.

[33]) In comm. ad h. l.

[34]) In Anti-Barbaro, T. II. Sect. II. cap. II.

[35]) In Originibus Ecclesiast. pagg. 19. seqq.

[36]) In notis ad h. l.

[37]) Introductio in N. T. Part. I. §. XIV. pag. 86. edit. Gottingae 1788.

[38]) In Scholiis ad h. l.

[39]) In Lexico N. T. ad vv. δέω καὶ λύω.

[40]) De Hebraismis N. T. cap. II. sect. II. §. I. n. 37.

[41]) In notis ad h. l.

[42]) In comm. ad h. l.

[43]) Cf. Buxtorfii Lex. Chald. ad hh. vv.

[44]) Vid. Wetestenius et Lightfootus ad h. l.

[45]) Vid. Lightfoot ad h. l., Buxtorfii Lex. Talmud. pagg. 1410—2524, et Hottingeri Diss. de usu Scriptor. Hebr. in N. T. pag. 400.

[46]) Adhibetur οὐρανοῖς per enallagen pro ἐν τῷ οὐρανῷ, ut legitur Matth.

Iis absolvo quae Jahn in Enchiridio[47] docet, „sensum verborum *ligare* et *solvere* Matth. XVI. 19. ex usu loquendi thalmudicorum certum esse, qui verbis אסר et שרא frequentissime utuntur de prohibitione et praecepto." Quod illorum testimoniis e Wetestenii adnotationibus desumptis confirmat, ac mox pergit: „His addo حَلّ *solvit*, med. I., esse *licitum fuit*, et in II. *licitum fecit.* Hebr. אָסַר *ligare*, *sibi aliquid prohibere*, et אֱסָר *vinculum*, et de votis, quibus se quibusdam rebus interdicebant Num. XXX. 3 — 15, ac אסר Ps. CV. 22, ubi parallelismus synonymus notionem hanc determinat."

119. Cum hoc autem commentario, siquidem ille probetur, *duo consequutionum genera* conserta sunt, quorum alterum *ad evangelici textus rationem, structuramque* spectat, alterum *ad eam* refertur *doctrinam*, quam de praerogativis Petri explanandam vindicandamque suscepimus.

Et ad primum quidem genus, quod *hermeneuticum* nuncupabimus, ista ex ordine pertinent: I. verbis, *καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς*, aliam exprimi *ideam* quam quae verbis, *καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*, effertur, aliamque iis proponi *imaginem* quam quae his repraesentatur. Etenim II. *ambitus* phraseos, *καὶ δώσω* ..., eo latior prorsus est qui formulae, *καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς*, convenit, ac tantum inter utrumque distat, quantum *universalis auctoritas* prioribus significata verbis ab *auctoritate* differt *certa definitaque*, quae posterioribus designatur. Quare III. duo illa orationis membra eodem cohaerent nexu, quo *singulare cum universali*, *et cum toto pars quaeque* vincitur. Ex eiusmodi autem coniunctionis modo sua sponte fluit IV, non intendi augerique sententiam, sed contrahi potius atque circumscribi; mediaque particula *καὶ eum* demonstrari *transitum* qui tum obtinet, quum *universali singulare*, ac *toti pars eiusdem aliqua* subiicitur. Luculenta ista sunt, et cum ea qua de loquimur enarratione verborum, *καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς*, tam intime iuncta, ut neque negari possint, neque prudenter in dubitationem adduci.

120. Quid porro ex his quoad alterum, idque *dogmaticum* consequutionum genus, doctrinamque de Petri praerogativis dimanat? *nihil prorsus* quod ab ea dissideat, *omnino nihil* quod ad eam illustrandam promovendamque non conferat. Fac enim certum exploratumque esse, hanc verbis Christi inesse potestatem: *et quidquid honestum, liberum, solutumque in terra edixeris, idipsum honestum, liberum, solutumque erit in caelis edictum; quidquid vero turpe, vetitum, ligatumque in terra sanciveris, idipsum turpe, vetitum, ligatumque in caelis pronunciabitur.* Quid, quaeso, potest ac vero etiam inferri *ἀμέσως* debet?

Scilicet I. *supremum* Petro promitti *magisterium*, cuius munera partesque sint *latis iudiciis, promulgatisque legibus* edicere, quid fieri tenerive oporteat, quidve

XVIII. 18: οὐρανὸς vero idem est ac θεός, ut Matth. XXI. 25.

[47]) Enchirid. §. 22.

contra omitti ac longissime amandari. Hanc autem II. supremi magisterii dignitatem Petro promitti ***non inermem***, sed summa praeditam auctoritate, utpote quae ***caelum ipsum, ipsumque Deum*** assertorem, comprobatoremque nanciscatur. Dignitatem propterea esse III. *αὐθεντικήν*, illique simillimam, cuius de Christo loquens Matthaeus[48] meminit his verbis: *Ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς*[49] *αὐτῶν καὶ οἱ φαρισαῖοι*. ***docebat vero eos*** (filios Israel) ***ut qui***[50] ***auctoritate potiretur, non instar scribarum et pharisaeorum.*** Immo dignitatem praeterea esse IV. ***erroris, lapsusque nesciam***, quum non potuerit Christus ***infinite*** atque ***universim*** iudiciarios, legiferósque Petri actus in se recipere, quin illi suo numine ita adesse decreverit, ut numquam a regula honesti, veritatisque canone aberraret. Ad Petrum idcirco V. *κατ' ἐξοχὴν* pertinere quod omnibus cum ipso iunctis, copulatisque apostolis spopondit Dominus[51], inquiens: *Πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, ... διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα, ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν. καὶ ἰδού, ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος.* ***eunles igitur meo magisterio, meaeque institutioni gentes omnes adiungite, ... docentes eas custodire quaecumque omnia vobis praecepi. Et ecce, ego***[52] ***vobiscum sum omnibus diebus ad consummationem usque saeculi.*** Petrum denique VI. inter[53] institutos a Christo *διδασκάλους* ita eminere, ut[54] ***retineat ecclesiae***

[48]) Matth. VII. 29.

[49]) Pronomen *αὐτῶν* in pluribus codicibus, versionibusque desideratur.

[50]) Wolfius, Locsnerus, Paulus, alii, verba, *ὡς ἐξουσίαν ἔχων*, ita reddunt: ***tamquam Dominus, tamquam Messias, cui non solum interpretatio, sed etiam legum latio esset permissa.*** At Fritzschius censet sic potius interpretanda: ***docebat, tamquam cui docendi data esset copia.*** Huic Meyerus et Kuinoel subscribunt, quorum alter ait: ***ego vero ea interpretari mallem de orationis vi et efficacia ad persuadendum et commovendum.***

Omnino 1°. contra verborum proprietatem, 2°. contra ductum seriemque orationis, 3°. contra analogiam evangelicae historiae, quae Jesum exhibet ritu legislatoris inculcantem, ***ego dico vobis;*** et 4°. contra edita vaticinia, quibus Jesus uti novus legislator ac Moisi similis praenunciabatur.

Ad rem Theophylactus e graecorum interpretum sententia: *Ἐθαύμαζον δὲ οὐχὶ τὴν φράσιν τῶν ῥημάτων, ἀλλὰ τὴν παῤῥησίαν, καὶ ὑπὲρ τοὺς προφήτας γὰρ ἐδείκνυεν ἐξουσίαν. ἐκεῖνοι γάρ, τάδε λέγει Κύριος, ἔλεγον· Χριστὸς δὲ ὡς Θεός, ἐγὼ λέγω ὑμῖν.* ***Mirabantur non facundiam verborum, sed libertatem; maiorem enim quam prophetae praeseferebat auctoritatem. Illi enim dicebant, haec dicit Dominus: Christus autem ut Deus, ego dico vobis.***

[51]) Matth. XXVIII. 19—20.

[52]) De potestate formulae, *ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος*, praeclare disserit cl. Wiseman, Collat. IV. de Ecclesiae auctoritate.

[53]) Ephes. IV. 11. coll. I. Cor. XII. 28.

[54]) Arator Hist. Apost. lib. I. de Petro ait: ***Ecclesiaeque suae faciens retinere cacumen.***

cacumen, *pater*[55] sit, *doctor ac magister mundi totius*, unoque verbo is[56] *a quo omnium fortitudo muniatur*.

121. Quae quum ita sint, haud puto esse cur moneam, nullam mihi ex iis rationibus, quas *dogmaticas* nominant, suppetere ut a commentario discedam, qui *cum doctrina de praerogativis Petri* tam apte insigniterque componitur. Quare si illum deserendum arbitror ac alteri posthabendum, nonnisi *argumentis hermeneuticis* moveor, iisque prorsus simillimis quibus factum est, ut quamplurimi etiam e protestantium coetibus, Hammondus[57], Hare[58], Marckius[59], Schmidius[60], Abrahamus Calovius[61], Fechtius[62], Heineccius[63], Wernsdorfius[64], Edzardus[65], Goetze[66], Botsaccus[67], Müllerus[68], Olearius[69], Buddaeus[70] et[71] Wolfius, eo neglecto improbatoque, alterum vulgatioremque complecterentur.

Ut vero de hisce argumentis iudicari rite, delectusque interpretationis haberi sapienter possit; quo licebit brevius examinabo: *primo*, utrum commentarius qui post Lightfooti curas potissimum invaluit, iis adprobetur rationum momentis, quae illum *necessarium* esse demonstrent: ac *secundo*, utrum, sin minus *necessarius*, talis nihilominus sit, qui *reliquis probabilior* existimari debeat. Postquam vero neutrum defendi posse confecero, de interpretatione *tertio* disseram, quae veterum consensione firmata, a potestate verborum non dissidet, cum serie vero ductuque orationis ita cohaeret, ut certa prorsus exploratаque videatur.

122. Ac ut illud expediam primum, e quo non minimum reliqua pendent, quodque priore loco expendendum, definiendumque proposui; ea ne est formulae, *καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς*, nativa insitaque potestas, ut de munere declarandi liciti atque illiciti, deque iure praecipiendi vetandique accipi

[55]) Stephanus larissensis his alloquitur verbis Bonifacium romanum praesulem, apud Harduin. T. II. Concil. pag. 1111: *Quantum vos apud Deum omnes praecellitis, tanto vos necesse est cogitare, quia haec probatio Deum amantium, ut post Deum Petrus pater et doctor sanctae ecclesiae vestrae, et totius mundi testatur.*

[56]) Sunt haec magni Leonis verba e Serm. III. de Assumt. ad Pontificatum.

[57]) In Tract. singulari de potestate clavium.

[58]) In libro de vindicata ecclesiae auctoritate.

[59]) In sylloge dissertt. Exercit. V.

[60]) In Fascicul. disputt. theolog. pag. 676.

[61]) In syst. Theologiae, T. X. art. IV.

[62]) In dissert. de clave solvente et ligante.

[63]) In dissert. de absolutione Tympanicorum in Ecclesia Graeca.

[64]) In dissert. de absolutione Ministri Ecclesiae non mere declarativa.

[65]) In defensione christianae doctrinae de clave solvente.

[66]) In sylloge thesium con. Lightfootum, §. VI.

[67]) In thesibus de clavibus Petri, Hafniae 1707.

[68]) In triade dissertt. theolog. de clavibus regni caelorum.

[69]) In Observatt. ad Matth. XVI. 19.

[70]) Institutt. Theolog. Dogmat. pag. 1729.

[71]) In Curis Philolog. ad Matth. XVI. 19.

debeat? Hac solum conditione id merito affirmaretur, si talem graecis loquendi consuetudinem fuisse innotesceret, quae aliam diversamque illius phraseos significationem non pateretur. Etenim si graeci et eam formulam adhibuerint, et alia diversaque significatione usurpaverint; nulla *e verbis ipsis* ducta ratio afferri poterit, propter quam de honesti turpisque declaratione *necessario* eadem intelligatur.

Atqui Raphelius[72], Schwarzius[73], Bengelius[74], Munthe[75], Deylingius[76], Stockius[77], alii[78] idonea exemplorum copia comprobarunt: 1°. coniugatum usum verborum *δέειν καὶ λύειν* graecis haud esse insolitum: utroque autem 2°. illos uti, ut priore significent non solum *interdicere*, verum etiam *reum declarare, culpa devinctum iudicare, poenae obnoxium pronunciare;* posteriore vero non tantum *permittere*, sed etiam *veniam delicti facere, poenam remittere*, atque *a crimine liberum solutumque pronunciare.* Quo sane amplissimo sensu formula occurrit apud Diodorum siculum, dum his verbis[79] interpretationem refert inscriptionis qua Isidis tumulus ornabatur: *ego sum Isis, regina huius regionis, a Mercurio erudita, ὅσα γὰρ ἐγὼ δήσω, οὐδεὶς δύναται λῦσαι, quaecumque enim ego ligavero, nemo solvere potest.* Ubi metaphorica phrasis *δέειν καὶ λύειν id* complectitur *omne*, quod *regia auctoritate* continetur. Abest igitur ea conditio quae apprime postularetur, ut interpretatio formulae *δέειν καὶ λύειν de iure interdicendi permittendique*, ostendi *necessaria* posset.

Immo anceps haereo, an e graecis petita auctoribus exempla suppetant, quibus eiusmodi acceptio demonstretur. Ac rarissima enimvero sint oportet, quum summa illorum caritas apud eos quoque auctores[80] reperiatur, qui nullis pepercisse curis videntur, ut talem acceptionem graecorum loquendi more stabilirent. Josephus profecto, cuius in enarrandis N. T. libris suffragium maximo in pretio esse debet, multo eam formulam adhibet latius, eique significationem longe augustiorem subnectit. De regno namque Alexandrae[81] verba faciens, deque potentia quam sibi pharisaei comparaverant, scribit: „*Παράφυνται δὲ*

[72]) In annotatt. ex Herodoto collectis, pag. 69.

[73]) In comment. linguae graecae, pag. 320.

[74]) In Gnom. ad Matth. XVI. 19.

[75]) In Observatt. pag. 69.

[76]) Institutt. prudentiae pastoral. Part. III. cap. IV. §. 5.

[77]) In Observatt. ad N. T.

[78]) Cf. Koecheri Analecta ad h. l.

[79]) Lib. I. §. 27.

[80]) Ex horum numero Bloomfield veluti exemplum omnium commodissimum citat quae in Sophoclis Antig. habentur vv. 39—40:

Τί δ', ὦ ταλαίφρων, εἰ τάδ' ἐν τούτοις, ἐγὼ
λύουσ' ἂν ἢ 'φάπτουσα προςθείμην πλέον;

additque scholiastis et Brunckio visum esse, verba *λύουσ' ἂν ἢ 'φάπτουσα*, apte reddi *λύουσα τὸν νόμον, ἢ ἐπιβεβαιοῦσα.* Sed 1°. nuspiam heic formula *δεῖν καὶ λύειν* comparet: 2°. nulla clavium mentio antecedit: 3°. supplendum esse *τὸν νόμον*, non e verbis ipsis, sed e fabulae serie colligitur: et 4°. quae adhibentur phrases eae sunt in omnibus linguis receptissimae.

[81]) De Bello Judaic. lib. I. cap. V. n. 2.

αὐτῇ (Ἀλεξάνδρᾳ) εἰς τὴν ἐξουσίαν φαρισαῖοι, σύνταγμά τι Ἰουδαίων, δοκοῦν εὐσεβέστερον εἶναι τῶν ἄλλων, καὶ τοὺς νόμους ἀκριβέστερον ἀφηγεῖσθαι. Τούτοις περισσὸν δή τι προςεῖχεν ἡ Ἀλεξάνδρα, σεβομένη περὶ τὸ θεῖον. Οἱ δὲ τὴν ἁπλότητα τῆς ἀνθρώπου κατὰ μικρὸν ὑπιόντες, ἤδη καὶ διοικηταὶ τῶν ὅλων ἐγίνοντο, διώκειν τε καὶ κατάγειν οὓς ἐθέλοιεν, λύειν τε καὶ δεῖν. Alexandrae autem sese in *potestatis societatem* adiungunt pharisaei, secta quaedam iudaeorum [82] qui praeter alios pietatem colere putarentur, ac leges peritius interpretari. Ob eam caussam eo magis eis auscultabat Alexandra, utpote erga Deum religiosa. Illi autem in feminae simplicis consuetudinem paulatim se insinuantes, *statim res omnes gubernant et moderantur, ita ut quosvis pro voluntate in exsilium pellant, ab eoque revocent, solvant ligentque.*" Itaque δεῖν καὶ λύειν idem Josepho valet ac in consortium τῆς ἐξουσίας venire, διοικητὰς τῶν ὅλων rerum omnium administratores moderatoresque fieri, pro nutu alios quidem e civibus διώκειν exsilio plectere, alios vero κατάγειν ab exsilio revocare, poenaque solvere, ac in summa, omnibus regni ornamentis, commodisque potiri. Subdit enim: „Καθόλου δ' αἱ μὲν ἀπολαύσεις τῆς βασιλείας ἐκείνων ἦσαν, τὰ δὲ ἀναλώματα καὶ αἱ δυςχέρειαι τῆς Ἀλεξάνδρας. In universum illi quidem *regni commodis* fruebantur, expensas vero difficultatesque Alexandra perferebat." Seiunctum igitur a vero quam maxime est, formula δεῖν καὶ λύειν, *ex usu loquendi*, nonnisi certam definitamque interdicendi permittendique auctoritatem significari.

123. Quam adstrictam circumscriptamque significationem ne in *mischnicis* quidem, *talmudicis, rabbinicisque monimentis* constanter refert. Insolens enim haud est, ut in his quoque sensum fundat ampliorem, quique ad nudam vetiti permissique declarationem coerceri nequeat. Demonstravit hoc prae ceteris Johannes Morinus, cuius ego sententiam paucis exhibebo. Quaestionem, quam explanandam adgreditur, his verbis [83] concipit: *quid significent apud antiquissimos recentioresque rabbinos*, אסור ומותר, אסר והתר *ligare et solvere, ligatum et solutum, multis exemplis demonstratur.* Tum pergit: „Forsan alicui proderunt ...., quae heic intertexere nobis proponimus de significatione verborum *ligandi et solvendi* apud antiquos recentioresque iudaeos usitatissima. Antiquissimi enim illorum rabbini, Hilel, Sameas, Gamaliel, Eliezer, Akiba, Jose, aliique qui ante Christum, vivente Christo, atque eo in caelos recepto praedicantibus apostolis floruerunt, eorumque traditiones composuerunt, et velut a Deo Mosi in monte Sinai traditas populo venditarunt, cum *praecipiendi, prohibendi, permittendi, leges condendi aut eas moderandi, immutandi, abrogandi auctoritatem* significare voluerunt, *ligare* et *solvere* fere semper dixerunt, ita ut ista significatione, cum de his rebus quaestio est, nihil sit apud eos frequentius. Hunc loquendi morem non minus frequenter eorum discipuli in hunc usque

[82]) Eodem charactere pharisaeos distinguit Antiquitt. lib. XVII. cap. II. n. 6, et in Vita sua, n. 38.

[83]) De administrat. Sacramenti Poenit. lib. I. cap. VIII.

diem usurparunt. Exempla ubique apud eos sunt obvia.“ Quod[84] adductis e mischnah, utroque talmude, commentariisque rabbinorum testimoniis praeclare confirmat. Tum ad ea progressus quae in evangelio[85] legimus, subdit:[86] „Christus Dominus noster ex usu familiari istarum vocum *apud iudaeorum sui temporis doctores* dixisse videtur, *quaecumque alligaveritis*, hoc est, quaecumque prohibueritis vel permiseritis, aut verbis universalioribus, quaecumque decreveritis, statueritis, definieritis in terra, erunt in caelo decreta, statuta et definita; sive quidquid in terra statueritis, ratum Deus habebit in caelo. Nihil excipitur, sive Scripturae interpretationem spectet, sive traditionum iudicia, sive sententiarum a sanctis Patribus hinc inde pronuntiatarum electionem et confirmationem, sive decretorum novorum pro tempore, loco et personis institutionem, et antiquorum moderationem aut etiam abrogationem. Haec omnia et alia multa quae his forsan non continentur, ligat aut solvit ecclesia, rataque Deus habet.“ Hinc[87] monet; „syrum interpretem τῷ אסר, quae syris non secus ac hebraeis vox est usitatissima, opposuisse Matth. XVI. 19, et XVIII. 18, שרא, quae[88] excommunicationis solutionem significat.“

Denique praetermissum nolim, quod Jahn[89] scite animadvertit, tam syris et chaldaeis, quam talmudicis rabbinicisque scriptoribus verbum שרא, graece λύειν, non solum esse *honestum*, *permissumque* edicere, verum etiam[90] *abrogare*, *abolere*, nec non[91] *dissidium componere*, *negotium verbo solvere*, ac *unitati concordiaeque prospicere*. Nullo igitur nomine tueri licet, eam esse adhibitam a Salvatore formulam, καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς, quae *ex usu loquendi* de potestate dumtaxat *declarandi* quod honestum, quodve turpe est, atque adeo solutum permissumque, vel ligatum ac prohibitum, accipi *necessario* oporteat.

124. Qua de re in nostram, ut opinor, sententiam facile omnes concedent, dabuntque huius *necessitatem* commentarii recepto fixoque *loquendi usu* comprobari non posse. Neque propterea deerunt, qui illum sin minus *necessarium*, ceteris saltem *probabiliorem*, vel *unice* prae omnibus *probabilem* affirmare pergant. Quibus cur ego assensum non adiungam meum, aliquot in medium prolatis rationibus patefaciam.

Quas inter I. ea me postremo loco non movet, quod nesciam, possit ne quis facile sibi persuadere, ut eum commentarium sive *comparate probabiliorem*, sive *simpliciter unice* habeat *probabilem*, cuius ne tenue quidem vesti-

[84]) Ibid. §§. I—V.

[85]) Matth. XVI. 19, et XVIII. 18.

[86]) Ibid. §. V.

[87]) Ibid. §. X.

[88]) De qua significatione uberrime Morinus disputat lib. IV. capp. XXIII. seqq.

[89]) Enchiridii §. 22.

[90]) Ut in Bar Hebraei Chron. Syr. pagg. 47—70—168—486. Quo sensu λύειν accipitur Joh. X. 35: καὶ οὐ δύναται λυθῆναι ἡ γραφή, *et non potest aboleri, abrogarique Scriptura.*

[91]) Apud Bar Hebraeum op. cit. pag. 404, et in Michaelis Syr. Chrestom. pag. 87.

gium, umbraque levis in priscis scriptoribus, christianisque patribus compareat. Non abnuo insequentium curis fieri potuisse, ut *nova* [92], eaque *penitiora*, *veri-oraque* in enarrandis explanandisque Scripturis invenirentur. Illud mihi nulla se veritatis specie commendat, ali foverique eiusmodi spem posse, quum *de textibus* agitur *vulgatissimis*, *ad institutionem Christi pertinentibus*, *quosque confertim latini*, *graecique doctores in Europa*, *Asia*, *Africa*, *pluribus continenter saeculis*, *expenderint*, *suisque interpretationibus illustrarint*. Ex duobus enim alterutrum deligendum foret, vel hosce textus *cymmeriis* esse offusos *tenebris*, proindeque tales de quorum germana potestate assequenda *prudens quisque desperet;* vel *satis* quidem eos esse *expeditos*, nihilominus *pluribus saeculis plurimos interpretes pietate*, *eruditione*, *studioque spectatissimos sinceram illorum vim latuisse*, quod humanam propemodum superat fidem.

Horum porro textuum numero is continetur quem Matthaeus refert, et prae quo nullum facile assignes *aut repetitum a pluribus*, *aut maiori inspectum studio*, *diligentiusque examinatum*. Cuius quidem facti tot adsunt testes, quot adhuc suppetunt vel [93] romanorum praesulum epistolae, vel [94] patrum opuscula, vel [95] veterum commentarii, vel [96] liturgica monimenta, in quibus omnibus Christi ad Petrum verba et repetuntur saepissime, et commentariis amplioribus, angustioribusve explanantur. Neque tamen in tanta enarrationum, interpretationumque copia *quidpiam* occurrit *illi simile*, quod recentioribus bene multis unice placet, quodque Camero [97] his verbis exponit: „Quum iam adesset tempus, quo lex Mosis partim enervanda, partim continuanda esset, Petro heic Matth. XVI. 19, reliquisque apostolis Matth. XVIII. 18. potestatem Christus concedit, ut enervarent aut confirmarent, prout sibi visum foret Spiritu sancto ad hoc edoctis. Quasi diceret: *quodcumque in lege mosaica vos prohibueritis*, *prohibitum erit*, *sanciente auctoritate divina; et quodcumque permiseritis*, *erit licitum et permissum*. Hinc prohibuerunt circumcisionem, aliaque, Act. XV, et permiserunt purificationem Paulo, Actt. XXI — XXIV.“ Quae sane interpretatio, nonnisi neglecto spretoque totius christianae antiquitatis suffragio, *probabilis* censeri potest.

125. Audio II. quid reponant, videri mirum non debere, si ea consensio, antiquitatisque patrocinium non magnopere aestimetur. De ea namque enarranda

[92]) Cf. Pallavicinii Hist. Concil. trident. lib. VI. cap. XVII — XVIII.

[93]) In quorum sylloge apud Petrum Coustantium frequentissima est huius textus commemoratio.

[94]) Cf. Mamachii Origg. et Antiquitt. Christ. lib. IV. pagg. 133. seqq.

[95]) Hilarii, Hieronymi, Chrysostomi, aliorumque.

[96]) Cf. Blanchinii Proleg. ad T. IV. Anastasii, pag. XXX, librum diurnum Romm. Pontificum a Garnerio editum, pagg. 59—69—71—133—139, Muratorium T. I. Liturg. Rom. lib. II. pagg. 653. seqq., Mabillonium Musaei Italici T. II. pag. 273, Goarii Euchologium pag. 689, Assemani Cod. Liturg. Eccles. Univ. lib. IV. part. IV. pag. 75, et Renaudotii Collect. Orient. Liturg. T. II. pagg. 145. seqq.

[97]) In Poli Synopsi ad Matth. XVI. 19.

formula quaestionem esse, cuius propriam vim, genuinamque significationem assequi nemo posset, qui *frequentes* in N. T. *hebraismos* compertos non haberet, *receptamque iudaeis loquendi rationem* plus quam mediocriter non calleret. In christiana autem antiquitate neminem fuisse, qui in hoc eruditionis genere non penitus hospitaretur. Sed, ut parcissime dicam, credo non penitus in eo fuisse hospites Origenem, Epiphanium, Hieronymum: neque haberi novos [98] in eodem posse quum alios plures, tum Morinum, Wolfium, Deylingium, Koecherum. Atqui horum nemo est, cui non videatur, et potestatem longe ampliorem, augustioremque Christi verbis subesse, illique receptum apud hebraeos loquendi morem nullatenus refragari. Suam igitur vim argumentum retinet, quod a consensione, suffragioque antiquitatis deprompsimus.

126. Et quando huc III. pervenimus, operae pretium duco sciscitari: *1°. probabile ne sit, Christum suis verbis ad usitatum hebraeis loquendi morem respexisse: et siquidem 2°. ad eum respexerit, probabile ne sit, usum eisdem esse, ut nudam prohibendi permittendique auctoritatem significaret.*

Ne vero quod primum commemoravi, παράδοξον esse videatur, cuiusmodi videri omnino deberet, si ita acciperetur, ac si eo in dubitationem *universim* adducerem, *utrum Christus ad vulgatam popularemque rationem sua verba temperarit;* duplicem continuo loquendi usum secerno, *tritum* unum, *communem ac in foro receptum*, *privatum* alterum, *technicum et academiae*, *scholaeque proprium.* Tum moneo *nefas* quidem *esse* ambigere, utrum Christus vocabula, vocabulorumque complexiones eo sensu acceperit, qui *vulgo* dominaretur; nullatenus vero *fas non esse* dubitare, utrum dicendi formam delegerit, quae *privata* esset, *technica*, et *in academiis dumtaxat scholisque* celebrata. Eius namque [99] *munus*, *character* [100], *quaeque ab eo dicta in evangeliis referuntur*, affirmandum esse demonstrant, non alias illi phrases, formulasque fuisse usitatas, quam quae *vulgares* forent, ac plebi, populoque notissimae.

Jamvero *talis* ne existimari potest significatio, qua verba אסר et שרא, δεῖν καὶ λύειν, *de iure officioque declarandi quod licet*, *quodve prohibitum est*, accipiantur? existimari ne potest *trita*, *popularis*, *communis;* an iis contra acceptionibus connumeranda est, *quae in iudaicis dumtaxat scholis* obtinerent? Testimonia quae Lightfootus et Wetestenius pleniori manu collegerunt, luculenter evincunt: *a)* non aliunde ea sumi quam e monimentis [101] scholarum, academiarumque propriis: iis propterea *b)* loquendi rationem exhiberi non vulgarem

[98]) n. 121.

[99]) Quod his verbis Matth. XI. 5. describitur: καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται, idest, καὶ πτωχοῖς εὐαγγελίζεται.

[100]) A quovis supercilio et affectata scribarum, doctorumque sapientia alienissimus.

[101]) Insigniora enim petuntur ex Mischnah, tract. Orlah. cap. II, tract. Schebiit cap. V, tract. Herubim cap. IX, tract. Therumoth cap. V, et tract. talmudico Berachoth fol. 36.

communemque, sed reconditam privatamque: illam videlicet *c)* quae in scholis primum *schammaeana* et *hilleliana* invaluit, quamque consequuti deinde scholarum magistri imitati sunt. Nullatenus igitur dubium esse videtur, *correptam angustamque significationem* declarandi quod liceat, quodque vetitum sit, *subiectam formulae δεῖν καὶ λύειν*, comprobari quidem more usuque loquendi, sed *privato*, *technico atque intra scholarum angulos circumscripto.* Quisque porro cernit quantopere a veritate dissideat, Christum dum Petrum alloqueretur, illumque his verbis, *καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς*, erigeret, *ad usum* intendisse *technicum* ac *privatum*, verborumque suorum potestatem significationemque *ex hoc usu* aestimandam, definiendamque voluisse.

Enimvero si qui sint quibus haec non improbetur opinio, hi merito suo cum iis componi interpretibus debent, qui tum sibi *evangelicas formulas* peritissime enarrasse videntur, quum quid illac apud *platonicos*, *peripateticos*, *stoicos* identidem exprimant, magno exemplorum numero comprobarint. Quo quidem interpretationis genere quemadmodum nullum est ad fucum faciendum, irretiendosque imperitos accommodatius; ita nullum vicissim est quod viri docti[102], subactique ingenii acerbius exagitarint.

Concludendum igitur superest, *acceptionem* evangelici textus, *καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς*, *de iure permittendi*, *prohibendique*, eo loquendi usu stabiliri, *quem neque ob oculos Christus habuerit*, *neque Petrus*, *ceterique apostoli cognoverint.* Quod sane miror non fuisse frequentius animadversum, quum id Olearius iampridem adnotaverit, ac Wolfio referente[103] ostenderit: „Phrasim illam, quam urget Lightfootus ut rabbinicam, scholae hillelianae et schammaeanae *propriam* fuisse, *neque in communi plebis usu positam*, vix itaque Christo receptam, qui magistrorum istorum institutione non profecisset, maxime apud apostolos suos loquenti, homines simplices, quibus vix probabile sit intellectum *stylum iuridicum* istorum legis doctorum fuisse.“

127. Ceterum IV. dum nego de significatione verborum Christi *ex usu* statuendum esse qui *in iudaicis dumtaxat scholis* obtinuerit; haud mihi mens est vel loquendi usum *penitus* seponere, vel ea *aliter* accipienda esse contendere, quam trita vulgataque ratio postularet. Scio de hac trita vulgataque ratione ex iis *nihil* decerni posse, quae in libris V. T. leguntur, quum in his *evangelica formula* nuspiam occurrat: scio ex ipsis quoque libris N. T. *non plura* suppetere, quum illa *semel tantum ac rursum apud Matthaeum adhibeatur;* nihilominus dum mecum reputo hinc quidem 1°. formam, faciemque sermonum Christi *popularem vulgaremque*, inde vero 2°. eius loquutionis usum

[102]) Cf. quae habet Clericus, Artis Critic. Vol. I. Part. I. Sect. I. Cap. XV, itemque Moshemius, qui in suis cogitationibus de eo quod iustum est circa sacrarum litterarum ex profanis scriptoribus interpretationem, hunc statuit canonem: *Temerarium est, ad loquendi modos et vocabula sacrarum litterarum, easdem loquutiones vocesque in humanis auctoribus obvias, sine magna circumspectione adcommodare.*

[103]) In Curis Critic. ad Matth. XVI. 19.

apud Josephum, ac multo omnino frequentiorem in posterioribus iudaeorum scriptis, fateri cogor, eam dicendi formam aetate Christi neque populo fuisse ignotam, neque a communi tritaque consuetudine alienam.

Verum *quo* ea *sensu* usurpabatur? eo certissime, quem 1°. verba suapte sponte fundunt, quem 2°. Josephus sequitur, qui 3°. in ipsis iudaeorum scriptis non est infrequens, quique 4°. cum adiunctis orationis unice consentit. Atqui verba *δεῖν καὶ λύειν per se* patent amplissime, amplissima significatione ab Josepho adhibentur, neque angustius ab iudaicis scriptoribus crebro usurpantur, et amplissima significatio ea est quam contextus patitur ac postulat. Apposite[104] Olearius: „Non *ex qualicumque usu* vocum sensus alicuius textus statim determinandus est, sed simul ex circumstantiis. Porro legis mosaicae[105] ne minima quidem mentio fit in verbis Christi, eiusque vel enervandae vel conservandae; sed suspicio potius est, Christum ista proferentem de lege prorsus non cogitasse. Urgetur quidem *de rebus* non *de personis* a Christo sermonem institui, dicente non ὅν vel οὕς, sed ὅ ἐὰν δήσῃς: sed probe tenendum heic est, quod ex linguae genio, ubi generalis sermo est, *subiectum universale* per neutrum indicari soleat, quemadmodum Filius hominis dicitur[106] venisse, ut salvum faciat τὸ ἀπολωλός, *id quod perditum est.*"

128. Sane V. qui amplissimae universalique significationi technicam angustioremque anteponunt, hi mihi non uti par foret considerasse videntur: 1°. quid ἀμέσως praecedat, 2°. qua de re loquatur Christus, quidve 3°. loci paralleli, vicinique exigant.

Potestas namque declarandi quid liceat, quidve censeri interdictum debeat, non *infinite* symbolo τῶν κλειδῶν, ac multo minus symbolo τῶν κλειδῶν τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, sed *definite* per κλεῖδα τῆς γνώσεως, repraesentari consuevit; unde illud[107] Christi ad legisperitos: *Οὐαὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς! ὅτι ἤρατε τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως· αὐτοὶ οὐκ εἰςήλθετε, καὶ τοὺς εἰςερχομένους ἐκωλύσατε.* At vero in nostro contextu quid praecedit? quidve Petro Christus promittit? non illi κλεῖδά τινα, non κλεῖδα τῆς γνώσεως, sed absolute, simpliciterque τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν pollicetur. Pugnat ergo *cum antecedentibus*, ut quae e vestigio consequuntur, καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς, ad potestatem permittendi prohibendique circumscribantur.

129. Neque minus *cum materia* pugnat, ad quam Christi verba refe-

[104]) In Observatt. ad Matth. XVI. 19.

[105]) His commentarius refellitur Cameronis, quem n. 124. adduximus, quique eo etiam nomine refelli debet, quod de amplitudine promissae Petro auctoritatis ex uno solum alterove facto, non *e factorum summa*, quemadmodum par foret, in eo iudicetur.

[106]) Matth. XVIII. 11: *ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου σῶσαι τὸ ἀπολωλός,* quod idem notat ac v. 12. *τὸ πλανώμενον.* Cf. Glassii Philolog. Sacr. lib. I. tract. I. de nomine, can. XXI.

[107]) Luc. XI. 52; quem locum prae ceteris illustrant Vitringa, Observatt. Sacr. lib. I. diss. II. cap. I. n. 7, et Ursinus in Analectt. Sacr. lib. V. cap. XXXIV.

runtur. Velim namque mihi respondeatur, utrum Christo sermo sit sive *de schola, academiaque instituenda*, sive *de scholae, academiaeque doctore, magistroque creando*. Immo sermo illi est *de ecclesia sua*, quam τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν appellat, *deque eo* sermo illi est, *quem ecclesiae suae, suoque regno erat praefecturus*. Quid porro a quavis specie, umbraque veritatis remotius, quam *a)* formulam δεῖν καὶ λύειν eisdem coercere significationis limitibus, quum de iudaica schola, eiusque doctoribus, quumque de caelesti ecclesiae regno, praeponendoque eidem capite adhibetur? quam *b)* vim rationemque ecclesiae ad modum conditionemque iudaicae academiae revocare? quam *c)* auctoritatem supremi in ecclesia praepositi ex ea dimetiri, qua iudaeorum [108] νομικοί, νομοδιδάσκαλοι, γραμματεῖς, סוֹפְרִים potirentur? His tamen ne levissime quidem commoventur, qui evangelica Christi verba, καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς, de nudo prohibendi, permittendique munere e mischnicis, talmudicis, rabbinicisque monimentis interpretantur.

A quibus ego libenter quaererem, quid de interprete iudicarent, qui memoratos a graecis auctoribus [109] γραμματεῖς, et [110] Esrae סָפְרָא, *de legis peritis, traditionisque doctoribus* ea de caussa acciperet, quod talis sit eorum nominum in iudaicis libris vulgatissima significatio. Hominem, credo, perstringerent, quod non animadverterit, eadem etiam vocabula de diversis usurpata rebus diversas, dissitasque induere significationes, ac propterea uno eodemque γραμματέως vocabulo in libris quidem iudaicis magistrum legisque doctorem exprimi, in graecis autem auctoribus et apud Esram, regionis, civitatisque praesidem, summumque magistratum denotari. Esset vero cur idem de formula δεῖν καὶ λύειν repeterent, quaeque de diversa τοῦ γραμματέως significatione verissime docent, ad diversam phraseos δεῖν καὶ λύειν potestatem eadem veritate traducerent.

130. Quod a semetipsis multo impetrabunt facilius, si praesentem textum cum iis componant, qui vel illi *adamussim* respondent, vel cum illo *non obscura affinitate* coniunguntur.

Ac *prioris* quidem generis nonnisi unicum suppetit, illudque penes eumdem evangelistam eo in sermone quo Christus apostolis simul omnibus [111] dixit: Ἀμὴν λέγω ὑμῖν· ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τῷ οὐρανῷ· καὶ ὅσα ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ. Quam vero hisce verbis promissam illis potestatem censebimus? adstrictam ne ac prohibendi permittendique munere definitam; an satius *universalem*, quaeque *iura omnia*

[108]) Matth. XXII. 35, Marc. XII. 28, Luc. VII. 30, X. 25, XI. 45, et XIV. 3. Ceterum de νομικοῖς, iuris utriusque apud hebraeos doctoribus privatis, vide commentationem Theod. Christ. Lilienthalii.

[109]) Cf. Schwarzii dissert. de γραμματεῦσι, magistratu civitatum Asiae proconsularis. Hac magistratus significatione γραμματεὺς item accipitur Act. XIX. 35.

[110]) Esr. IV. 8.

[111]) Matth. XVIII. 18.

regendae administrandaeque ecclesiae *necessaria opportunaque* complectatur? Si candide agimus, fateamur oportet, nihil esse quod *circumscriptionem* innuat, nihil quod *universalitatem* non referat.

Etenim *a)* universalitatem *ipsa* referunt *verba*, quae *infinite* patent, quaeque citra illud vitium, quod *principii petitionem* nominant, haberi adstricta nequeunt. Universalitatem refert *b) subiectum*, de quo usurpantur; ad *apostolos* namque spectant, quos constat plenissima fuisse auctoritate ditatos. Universalitatem refert *c) orationis contextus;* interiecta siquidem affirmatio ἀμὴν non solum commata iungit, sed eo insuper pertinet, ut consequentibus verbis *aperiri originem* intelligamus supremae illius praestantiae auctoritatisque, quam Christus *ecclesiae* [112] adscripserat, inquiens: Ἐὰν δὲ παρακούσῃ αὐτῶν, εἰπὲ τῇ [113] ἐκκλησίᾳ· ἐὰν δὲ καὶ τῆς ἐκκλησίας παρακούσῃ, ἔστω σοι ὥςπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ [114] τελώνης.

Et universalitatem quidem significationis *d)* hoc ex fonte dimanantem ipse quoque Kuinoel vidit, illamque, etsi turbatis identidem aquis, comprobavit [115], scribens: „Sensum verborum omnino hunc esse: *quidquid constitueritis in ecclesia, ratum erit apud Deum; quidquid interdixeritis, itidem ratum erit apud Deum.* Quae quidem sententia hoc loco relate ad peccatorem pertinacem coetu christianorum excludendum speciatim hanc vim habet: *Si hominem eiusmodi* [116] *iudicaveritis non amplius esse christianis annumerandum* (quibus verbis notio vetandi inest): *nec a Deo iudicabitur amplius esse christianus; si vero eiusmodi hominem* (quoniam ad meliorem frugem rediit) *iudicaveritis in coetum recipiendum, denuo christianis annumerandum* (inest ergo his verbis notio iubendi, praecipiendi): *etiam a Deo christianis posthac annumerabitur.*" En duplicem secernit verborum significationem, *absolutam* alteram, eamdemque *infinitam*, illisque *ex sese inhaerentem;* ac alteram *comparatam, finitam* [117], quamque illa propter σχέσιν ad antecedentia induunt. Haec autem cuiusmodi est? rerum series postulat, ut formula δεῖν καὶ λύειν ea auctoritas expressa credatur, qua fratrum dissidia dirimuntur, unitas violata sarcitur, pax conciliatur, ac in rebelles contumacesque poenarum severitate animadvertitur. Locus igitur [118]

[112]) Matth. XVIII. 17.

[113]) Ubi τῆς ἐκκλησίας nomine intelligendos esse τοὺς τῆς ἐκκλησίας προέδρους, graeci interpretes uno ore confirmant.

[114]) Al. καὶ ὡς.

[115]) In comm. ad Matth. XVIII. 18.

[116]) Atqui in Scripturis est, ὅσα ἐὰν δήσητε, καὶ ὅσα ἐὰν λύσητε, quae formula multo patet latius, ostenditque Christum *occasione e fratrum correctione acceptа* infinitam, universalemque propositionem, qua futura apostolorum auctoritas exprimeretur, subiecisse.

[117]) Scilicet verbis, ὅσα ἐὰν δήσητε, καὶ ὅσα ἐὰν λύσητε, *infinita* apostolorum in ecclesia *potestas* significatur, *definita* vero ac *peculiaris excommunicandi auctoritas* nonnisi propter contextum *distincte adsignificatur.*

[118]) Quum textum Matth. XVI. 18. huic loco *parallelum* dicimus, *parallelismum* intelligimus *inadaequatum* non *adaequatum*, *verbalem* non *realem*. Quod

parallelus universalitatem significationis demonstrat, ostenditque verba *δεῖν καὶ λύειν* a Christo adhibita ad *nudam prohibendi permittendique auctoritatem* coerceri non posse.

131. Quod non minori perspicuitate *textus plus minusve similes cognatique* persuadent. Hos inter priori loco is venit, quo Deus de Eliakimo[119] dicit: *Καὶ δώσω τὴν κλεῖδα οἴκου Δαυΐδ ἐπὶ τοῦ ὤμου αὐτοῦ· καὶ ἀνοίξει* (וּפָתַח), *καὶ οὐκ ἔσται ὁ ἀποκλείσων* (וְאֵין סֹגֵר), *καὶ κλείσει, καὶ οὐκ ἔσται ὁ ἀνοίγων* (וְסָגַר וְאֵין פֹּתֵחַ). *καὶ στήσω αὐτὸν ἄρχοντα ἐν τόπῳ πιστῷ, καὶ ἔσται εἰς θρόνον δόξης τοῦ οἴκου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ.* Consonant quae de Christo Johannes[120] refert: *Τάδε λέγει ὁ ἅγιος, ὁ ἀληθινός, ὁ ἔχων τὴν κλεῖν τοῦ Δαυΐδ· ὁ ἀνοίγων, καὶ οὐδεὶς κλείσει αὐτήν, εἰ μὴ ὁ ἀνοίγων· καὶ οὐδεὶς ἀνοίξει.*

Sequuntur quae de Cyro[121] pronunciat Deus: *Οὕτως λέγει κύριος ὁ θεὸς τῷ χριστῷ μου Κύρῳ, οὗ ἐκράτησα τῆς δεξιᾶς, ἐπακοῦσαι ἔμπροσθεν αὐτοῦ ἔθνη, καὶ ἰσχὺν βασιλέων διαῤῥήξω* (*et lumbos regum solvam,* וּמָתְנֵי מְלָכִים אֲפַתֵּחַ), *ἀνοίξω ἔμπροσθεν αὐτοῦ θύρας, καὶ πόλεις οὐ συγκλεισθήσονται* (*ad aperiendum coram illo ianuas, ut portae non claudantur,* לִפְתֹּחַ לְפָנָיו דְּלָתַיִם וּשְׁעָרִים לֹא יִסָּגֵרוּ).

Quibus ista respondent quae de Deo ipso[122] perhibentur: *Ἐὰν καταβάλῃ, τίς οἰκοδομήσει; ἐὰν δὲ καὶ ἀποκλείσῃ κατὰ ἀνθρώπου* (יִסְגֹּר עַל־אִישׁ), *τίς ἀνοίξει;* (וְלֹא יִפָּתֵחַ). Neque prorsus dissimilia sunt quum haec[123], *dimitte iniuriam proximo tuo, καὶ τότε δεηθέντος σου αἱ ἁμαρτίαι σου λυθήσονται, et tum, te deprecante, peccata tua solventur;* tum[124] ista, צוֹר תְּעוּדָה חֲתוֹם תּוֹרָה בְּלִמֻּדָי *liga testimonium, obsigna legem pro erudiendis meis.*

A quibus seiungi non debent quae apud Danielem[125] legimus, וְאַתָּה דָנִיֵּאל סְתֹם הַדְּבָרִים וַחֲתֹם הַסֵּפֶר עַד־עֵת קֵץ *καὶ σὺ Δανιὴλ ἔμφραξον τοὺς λόγους, καὶ σφράγισον τὸ βιβλίον ἕως καιροῦ συντελείας, tu Daniel*

Kuinoel non advertit ac propterea scripsit: „Usus autem est Jesus de industria verbis iisdem (sed *diversa extensione*, quum Matth. XVI. 18. ipsos quoque complectantur apostolos, heic non item), quibus usus erat, cum Petro ecclesiae regendae (atque adeo ipsos regendi apostolos, qui *ecclesiae et regni caelorum* nominibus Matth. XVI. 18. comprehenduntur) curam et potestatem committeret: quo ostenderet parem atque eamdem esse (utique inspectis dumtaxat verbis Matth. XVIII. 18.) apostolorum dignitatem ac potestatem."

[119]) Is. XXII. 22.

[120]) Apoc. III. 7.

[121]) Is. XLV. 1.

[122]) Job. XII. 14.

[123]) Eccli. XXVIII. 2.

[124]) Is. VIII. 16.

[125]) Dan. XII. 4.

claude sermones, et signa librum usque ad tempus definitum. Ac[126] rursum, וַיֹּאמֶר לֵךְ דָּנִיֵּאל כִּי־סְתֻמִים וַחֲתֻמִים הַדְּבָרִים עַד־עֵת קֵץ *καὶ εἶπε· δεῦρο Δανιήλ, ὅτι ἐμπεφραγμένοι καὶ ἐσφραγισμένοι οἱ λόγοι, ἕως καιροῦ πέρας*, *et dixit, abi Daniel, quoniam clausi sunt et signati sermones usque ad tempus definitum.* Unde[127] Johannes, *vidi librum κατεσφραγισμένον σφραγῖσιν ἕπτα signatum sigillis septem, et vidi angelum fortem praedicantem voce magna: τίς ἄξιος ἀνοῖξαι τὸ βιβλίον, καὶ λῦσαι τὰς σφραγῖδας αὐτοῦ; quis est dignus aperire librum, et solvere signacula eius?*

132. Ex his porro liquet, *a)* crebrum esse in Scripturis usum verborum פתח, סגר, צור, סתם, חתם, *ἀνοίγω, κλείω, διαῤῥήγνυμι, συγκλείω, λύω, ἐμφράσσω, σφραγίζω*, quae verbis אסר, שרא, *δέω καὶ λύω*, ***significationis similitudine*** cohaerent: crebrum *b)* pariter esse usum formularum, quae ab ea non admodum distant, quam Christus usurpavit, inquiens, *καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς*: neque tamen *c)* similia verba, similesque phrases ita *vel semel* accipi, ut iis *prohibendi permittendique auctoritas* nominatim designetur: verum *d)* nunc quidem amplissime adhiberi, iisque *regiam* ac *divinam* ipsam potestatem exprimi, nunc autem de munere intelligenda esse, quo vincitur peccator et peccata solvuntur, quo mysteria, caelestiaque arcana vel reserata patefiunt, vel occultata teguntur. Ex usu igitur *e)* loquendi inferri oportere, formulae *δεῖν καὶ λύειν* infinitam subesse potestatem, verbaque Salvatoris aptissime a Bengelio[128] reddi, quum scribit: „Claves denotant *totum* munus Petri, quare *ligandi et solvendi* verbis comprehenduntur *omnia ea*, quae Petrus .... apostolica[129] auctoritate gessit; *docendo, convincendo, hortando, permittendo, consolando, remittendo*, .. *puniendo.*"

133. Atque huic sane commentario pleraque ex iis omnia suffragantur quae praemisimus; luculentissime vero nexus patrocinatur quo incisa cohaerent. Quemadmodum enim priore inciso, *καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*, ***subiectum*** ostenditur, circa quod promissae Petro claves, eiusque suprema auctoritas symbolo clavium adumbrata versarentur; ita posteriore, *καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς*[130] *ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃ ἐὰν*

[126]) Ibid. v. 9.

[127]) Apoc. V. 1—2.

[128]) In Gnom. ad Matth. XVI. 19.

[129]) Memorat Bengelius quae Petro cum apostolis reliquis *communia* erant, idque tacitus praeterit, quod illi *unice* competebat. Sed aliter se expedire non poterat qui augustanam confessionem profitebatur.

[130]) Ne cui post memoratas *claves* metaphora *solvendi ligandique* durior videatur, operae pretium arbitror animadvertere, 1°. *ἀμέσως* praecessisse mentionem *regni caelorum*, cum qua multo aptius *ligandi, solvendique*, quam *claudendi aperiendique* metaphora consentiebat: item 2°. praecessisse infinitum pronomen *ὅ*, cuius amplissimae significationi *ligandi* potius ac *solvendi*, quam *claudendi aperiendique* metaphora respondebat: denique 3°. *ligandi solvendique* imaginem a symbolo clavium non abhorrere, quum neminem lateat, adstrictis laxatisque vinculis claudi ianuas atque aperiri antiquitus consuevisse, atque eo spectasse claves, ut

λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *obiectum* innuitur eiusdem auctoritatis ambitu comprehensum: sicut illud *extensionem* auctoritatis Petro promissam, ita hoc eiusdem *intensionem* demonstrat: sicut illo *universitas civium caelestis regni*, cui Petrus erat praeficiendus, significatur; ita hoc *caussarum universitas* ad eosdem cives pertinentium, Petrique clavibus subiicienda exprimitur: postremo quemadmodum priore inciso edicitur, *cui*, *quantoque regno* Petrus esset praefuturus; ita posteriore declaratur, *quae*, *quotve illius regni caussae* eiusdem auctoritati crederentur.

Quare nulla videtur afferri paraphrasis posse, quae ista melius aut verbis respondeat, aut Christi mentem sententiamque repraesentet: *et tibi dabo claves regni caelorum*, idest, te supremum ducem, rectoremque regni mei, meaeque ecclesiae constituam; *et quodcumque solveris super terram*, *erit solutum in caelis; et quodcumque ligaveris super terram*, *erit ligatum in caelis*, idest, et omnia huius regni negotia, caussasque omnes tuo iuri, tuaeque potestati, cuius gesta rata in caelis erunt, subiiciam. Quibus tum Petri *primatus*, quum *illius vis*, *propriaque ratio* insigniter continetur. Continetur 1° Petri primatus, quum inter omnes *necessario sit princeps*, qui Christi regno, universae ecclesiae, membrisque eiusdem omnibus praeponitur. Continetur 2° eius vis, propriaque ratio, quum *ad potiorem auctoritatem*, *iusque supremum ea ὑπεροχὴ necessario pertineat*, quae promissis clavibus regni caelestis exprimitur, et cui negotia ecclesiae omnia, omnesque caussae committuntur. Neutrum porro fugit maiores nostros, priscosque fideles, quibus solemne idcirco fuit in publicis liturgiae [131] precibus confiteri, eam promissionum Christi fuisse virtutem, propter quam *beatissimus Petrus apostolus*, immo πρωτοκορυφαῖος [132] *τῶν ἀποστόλων*, *omne ius gentium*, *iudaeorumque sortitus sit*, *principalia munera acceperit*, *ac alterum post Christum ipsum ecclesiae caput extiterit.*

illarum ope vincula adstringerentur aut laxarentur.

131) Habentur haec pag. 297. Sacramentarii Gallicani, quod Mabillonius edidit T. I. Musaei Italici.

132) Quo nomine insignitur in Euchologio pag. 557.

CAPUT X.

Catholicorum, protestantiumque commentarii de Christi apud Matthaeum XVI. 18 — 19. promissione conferuntur: — qui potissimum defectus commentarium inficiant a protestantibus excogitatum: — ex ordine numerantur: — ac primum defectus grammatici: — deinde rhetorici: — tum philologici: — quos logici, historici ac praeposterae dogmaticae hypotheses consequuntur: — ex his simul omnibus concludimus, protestantium παράφρασιν corruptelam esse, non Scripturae commentarium: — contra vero catholicorum ἐξήγησιν tum comparate quum absolute censeri verissimam oportere: — quae cum eo nexa sint consectaria: — octodecim proponuntur: — quibus et institutio primatus, et eius ratio, insitaeque dotes comprobantur.

134. Hoc distat ab *analysi synthesis*, quod illa *partes seorsum*, haec *totum* oculis *simul* subiicit: illa *per gradus* animum movet, haec *uno veluti ictu* percellit ac superat: illa tenebras *sensim* depellit, haec lucem *continuo* affundit: illa *pugnae*, haec autem *bello* est quam simillima. Decet igitur utrumque tractationis modum *coniungere*, utroque uti, ne dum ἀναλύσεως emolumenta sequimur, iis quae συνθέσεως propria sunt, fraudemur. Porro usi hactenus analysi sumus, et singula quaeque ad Christi promissionem spectantia κατὰ μέρος explanavimus atque defendimus. Restat itaque ut partes in summam, membraque in unum corpus colligamus. Quod *maxima* fiet *utilitate*, si quae protestantibus rata sunt, cum iis contulerimus, quae unanimi catholicorum suffragio comprobantur. Oppositorum enim ea vis est, ut e regione locata, mutua se luce perfundant ac splendidius enitescant. Rem igitur sic exequar, ut medium locum Christi verbis assignem, hinc vero atque inde utramque παράφρασιν catholicorum et protestantium propriis *C* et *P* distinctam notis exhibeam.

C. Et ego vero, ut tibi vicem rependam, meamque in te benevolentiam imitatus Patrem demonstrem, *dico tibi*, quodque dico, ut omnipotens Patris Verbum, mea virtute praesto, *quod tu es Petrus*, atque adeo illius mecum ornamenti particeps, quo ego princeps sum petra ac fundamentum, *et*

Matth. XVI. 18:

Κἀγὼ δέ σοὶ λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν

P. Et ego tibi dico, quod tu es Petrus, appellatione ac nomine, non autem illius dotis consortio, qua ego petra sum et fundamentum, *et*, non significatione continuationis, sed adversativa, *super hanc petram*, non qualis tu es, sed qualis ego sum, *aedificabo ecclesiam meam*, quae mihi proinde, non tibi incumbet,

super hanc petram, cuiusmodi te esse dixi, ***aedificabo ecclesiam meam***, quae proinde, me summo supremoque architecto, tibi incumbet, tecum cohaerebit, suamque a te conspicuam unitatem mutuabitur; ***et portae inferi***, virtutesque omnes hostiles ***non praevalebunt adversus eam***, neque illam super te meo numine stabilitam expugnabunt, sed ipsae contra victae profligataeque succumbent.

ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.

atque a me unice suam firmitatem, unitatemque consequetur. — Vel, ***et ego tibi dico, quod tu es Petrus***, quum nomine, tum re quae nomine significatur, ***et super hanc petram***, qualis tu es, et cuius tu proprietatem refers, ***aedificabo ecclesiam meam***, idest efficiam, ut tu in ecclesia mea fundanda egregiam colloces operam, tu opus novae religiosae societatis auspiceris, ac tu omnium primus iudaeos iuxta ac gentiles meo nomini, meaeque ecclesiae adiungas; ***et portae inferi non praevalebunt adversus eam***, neque illam funditus subvertent, penitusque profligabunt.

Et tibi, quem petram ac fundamentum meae ecclesiae iure supremi architecti designavi, iure regis ac domini ***dabo claves regni caelorum***, summamque in meam ecclesiam auctoritatem, teque mecum consortem reddam illius dignitatis, qua caeli terraeque clavibus potior; ***et quodcumque*** ea auctoritate praeditus, atque in consortium meae dignitatis adscitus, ***ligaveris super terram, erit ligatum in caelis***, nullaque erit caussa ad meam ecclesiam, regnumque caelorum pertinens quae tuae non subsit legiferae ac iudiciariae potestati, cuius vis ad ipsos quoque caelos se porriget; vis namque est potestatis h u m a n o - d i v i n a e: humanae, quia tibi homini concessae, ac per te qui homo es, administrandae, divinae, quia participatio illius iuris quo ego sum in caelis atque in terra princeps legislator ac iudex; ***et quodcumque solveris super terram, erit solutum in caelis.***

Matth. XVI. 19:

Καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

Et tibi, omnibusque tecum apostolis, ***dabo claves regni caelorum; et quodcumque*** hac cum apostolis communi clavium potestate ***ligaveris super terram*** retinendo peccata, ***erit ligatum in caelis***, in quibus peccata itidem retinebuntur; ***et quodcumque solveris super terram*** remittendo peccata, ***erit solutum in caelis***, in quibus pariter peccata remittentur. — Vel, ***et tibi***, non seorsum, sed una cum reliquis apostolis, ***dabo claves regni caelorum; et quodcumque*** hisce instructus clavibus ***ligaveris super terram***, prohibendo ac illicitum vetitumque declarando, ***erit ligatum in caelis***, atque apud Deum prohibitum interdictumque censebitur; ***et quodcumque solveris super terram***, permittendo ac licitum liberumque declarando, ***erit solutum in caelis***, atque ab ipsomet Deo licitum liberumque pronunciabitur.

135. Jamvero dum utramque *παράφρασιν* considero, nihil in ea quae protestantium est animadverto, quod *veritatem*, nihil quod *sinceram* ἐξήγησιν referat; immo nihil quod cum *errore*, et *praepostera interpolatione* non iunctum copulatumque videatur. Sicut enim veritatis κριτήριον est, ut simplex ea sit, sibique constet; ita accuratae sinceraeque ἐξηγήσεως, ut verbis adamussim respondeat, legentium audientiumque animos non penitus oscitantes continuo occupet, cum historicis vero sermonis adiunctis amice conspiret. Quaenam porro ex hisce dotibus in protestantium enarratione refulget? an simplex ea est ac uniusmodi? contra varia est, multiplex[1] et secum ipsa repugnans. An verborum proprietati inhaeret, eumque exhibet sensum quem facile lectores praesentiant, quemque historica sermonis adiuncta persuadeant? contra omnia sunt in ea salebrosa, impedita, a propria verborum significatione remota, longissime repetita, ad praesentiendum[2] difficillima, et ab historicis adiunctis personae loquentis, eius ad quem sermo dirigitur, caussae propter quam sermo habetur, ac materiae qua de agitur vehementissime abhorrentia.

Scio quid reponi possit, sin minus *primo* veluti *adspectu*, *secundis* certe *curis*, eisdemque sapientioribus illam unice commendari. Atqui secundae curae eo revera pertinent, ut illi fidem derogent manifestius, depravationisque fontes liquidius aperiant. Sane nemo non improbet, et alienissimum a qualibet veritatis specie eum commentarium non iudicet, cui et grammaticae canones, et rhetoricae leges, et philologiae scita, et logicae praecepta, et historiae adiuncta, et theologiae decreta iunctim confertimque refragantur. Talem vero esse protestantium quem retulimus commentarium, secundae acrioresque curae ad evidentiam usque patefaciunt.

136. Profecto *grammaticae leges* non sinunt, I. ut particulae καὶ — δέ, interiecto vocabulo, quemadmodum in Christi sermone pronomen ἐγὼ interseritur, sua potestate[3] priventur, ac aliter reddantur quam, *et — etiam*, *et — ad haec*, *praeterea*, ac si formula οὐ μόνον praecederet, cui illae responderent: II. ut coniunctio καὶ significatione continuationis exuatur, sensuque adversativo, quem plane contextus[4] non exigat, usurpetur: III. ut pronomen demonstrativum τοῦτο a proximo subiecto pro voluntate seiunctum, ad remotius, illudque adsignificatum referatur: IV. ut idem pronomen particulae καὶ iunctum ea privetur ἐμφάσει, quam saepissime[5] refert, quaque fit ut incisum, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, latine aptius reddi nequeat quam, *et super hanc quidem petram:* ac ut V. insuper habito temporum discrimine, ea praeferatur interpretatio, quae non futurum οἰκοδομήσω, sed praesens οἰκοδομῶ postularet.

Atqui ne unus quidem ex his defectibus est, quo protestantium[6] com-

[1]) Quod est ex iis manifestum, quae saepe retulimus.

[2]) Ut non pauci ex ipsis protestantibus fatentur.

[3]) Cf. Augusti Matthiae Grammat. §. 616.

[4]) Cf. Glassii Philolog. lib. I. tract. VII. can. I. seqq.

[5]) Cf. Matthiae Grammatic. §. 467.

[6]) Juverit illum memoria repetasse.

mentarius non depravetur. Ipsi namque I. vim negligunt propriam particularum *καὶ — δέ*, quum interiecto nomine adhibentur; ideo autem negligunt ne fateri cogantur, eo spectare Christum, ut ad Patris [7] exemplar novis Petrum ornamentis amplissime cumulet: II. praeter et contra orationis contextum particulam *καὶ* in altero membro a significatione continuationis ad significationem adversativam detorquent: III. pro arbitrio, sepositisque grammaticae canonibus pronomen *τοῦτο* cum remotiore subiecto, eodemque adsignificato coniungunt: IV. nihili *ἔμφασιν* ducunt, quam pronomen *τοῦτο* cum *καὶ* constructum praesefert; ac nihili propterea ducunt, ut *πέτραν* a Petro commodius seiungant, difficultatemque inde catholicis creent, quod [8] non *ἐπὶ σοί*, sed *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ* Christus dixerit: tandem V. quum verba, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, ad Christum exclusive referenda esse contendunt, interpretationem deligunt, quam facile quidem cum praesenti *οἰκοδομῶ*, at nonnisi aegerrime cum futuro *οἰκοδομήσω* concilient. Vix igitur quidpiam est sani in protestantium commentario, si de illo e custoditis grammaticae legibus iudicetur.

137. Neque multo videri felicior potest, si ad *rhetoricos canones* exigatur. Hi enim vetant I. ne imagines et schemata praepostere confundantur: II. ne statuantur transitus qui orationem dilacerant, atque hiulcam et aenigmati similem reddunt: III. ne rariores insolentesque figurae nisi certis exploratisque de caussis admittantur: et IV. ne ea tradatur interpretatio, quae glossematis longius repetitis suppleri debeat.

Quid iamvero protestantes? scilicet I. praepostere [9] *τοῦ οἰκοδόμου καὶ τῆς πέτρας* imagines commiscent, et ne Petro vim asserant *τῆς πέτρας*, Christo, qui semet veluti *οἰκοδόμον* repraesentat, munus rationemque fundamenti adscribunt: II. eodem consilio inter verba, *κἀγὼ δὲ σοὶ λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος*, et quae *ἀμέσως* succedunt, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*, transitum comminiscuntur, posteriora haec parenthesi concludunt, efficiuntque ut oratio turpiter discissa nullum commodum sensum exhibeat: et quasi III. satis ista non forent, ut *πέτραν* de alio quam de Petro confidentius interpretentur, ad [10] *ἀντανάκλασιν*, quam Pedianus [11] *dialogiam* vocat, se recipiunt, nulloque argumento idem *τῆς πέτρας* nomen diversa significatione usurpari defendunt: singula autem verba IV. ita accipiunt, ut extundi ex iis sententia nequeat, nisi glossematis, additionibusque longissime adscitis suppleatur. Eiusmodi est glossema, quod verbis, *et super hanc petram*, subiiciunt, idest, *sed super hanc petram:* eiusmodi quo eadem verba onerant, quum subdunt, *sed* super hanc petram, *qualis ego sum*,

[7]) Vix enim alias quam eiusmodi *dogmaticas* rationes protestantes adducunt.

[8]) Quae loquendi forma non minimum metaphorae pulchritudini, elegantiaeque imaginis offecisset.

[9]) Ut ii faciunt omnes, qui Petri praerogativam voce *πέτρας* expressam in eo collocant, quod primus omnium praedicarit, et Christo asseclas, discipulosque adiunxerit.

[10]) Ita Georgius Pasor et Christianus Schoettgenius in Lexico N. T.

[11]) Apud Vossium lib. V. Institutt. Orat. cap. II.

quamque tu confessus es: eiusmodi quo verba, *aedificabo ecclesiam meam*, ita supplent, *te primum, principemque aedificatorem constituam:* eiusmodi quo verbis, *et tibi dabo claves*, addunt, *et tibi*, *ceterisque tecum apostolis dabo claves:* ac eiusmodi quo insequens membrum, *et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum in caelis*, ita complent, *et quodcumque potestate tibi ceterisque apostolis communi ligaveris super terram, erit ligatum in caelis.* Eum igitur commentarium protestantes tuentur, cui non minus grammaticae leges, quam rhetorici canones perspicue refragantur.

138. Ad *philologica* vero *scita* quod pertinet, nemo est eruditorum, qui ea violari diffiteatur, I. si ubi eadem adhibentur vocabula, ibi diversa usurpata fuisse affirmetur: si II. ibi fingatur discrimen generis, ubi idem custoditur: si III. ubi regnat *ταυτότης*, ibi *παρονομασία*, eaque negans statuatur: si IV. generis, terminationisque discrimen ad significationis diversitatem traducatur: et si V. metaphoricae loquutioni is adnectatur sensus, quem comparationis terminus, loquendique usus ex aequo repudiant.

Jamvero I. quum Christus utroque inciso idem כיפא nomen certissime repetierit: quumque idem nomen orientales versiones, dialectoque Christi vicinae repraesentent; protestantes nihilominus omnia sus deque moverunt, ut alterum in priore, atque alterum in posteriore membro usurpatum ostenderent. Ad haec II. ne concesso eiusdem nominis usu, concedere pariter deberent, verba, *et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*, nonnisi ad Petrum posse referri; adnotarunt, idem utique nomen, sed alio genere, atque de alio idcirco subiecto, in primo alterove membro adhiberi. Sed quaenam illis praesto fuerunt argumenta, quibus hanc generis diversitatem comprobarent? quod syrus interpres in priore membro cum pronomine masculino הו, in posteriore autem cum pronomine feminino הדא nomen כיפא construxerit. Atqui falsa haec esse, et oscitantiae imperitiaeve tribuenda, suo loco [12] demonstravimus. Rursum III. si quam fidem protestantibus adiungimus, membra, *ὅτι σὺ εἶ Πέτρος*, et, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*, ita se mutuo habent, ut non alia cohaereant *σχέσει* quam *παρονομασίας*, agnominationisque negantis atque excludentis. Verum peritia licet mediocris [13] orientalium dialectorum abunde sufficit, ut ea non *παρονομασίᾳ*, sed *ταυτότητι* iuncta copulataque intelligantur.

Praeterea IV. qui graecitatem non penitus incompertam habent, hi probe norunt, *πέτρον καὶ πέτραν* non significatione, sed terminatione solum ac genere distare: itemque norunt graeco Matthaei interpreti caussam fuisse e linguae ingenio desumptam, propter quam in posteriore inciso genus, terminationemque immutaret. Quid ad haec protestantes? horum videntur [14] obliti; unde discrimen significationis urgent *πέτρον* inter et *πέτραν*, atque serio a nobis contentioseque percontantur, ut caussam, si possumus, afferamus aliquam, qua contigerit, ut

[12]) n. 71.

[13]) Unum enim idemque vocabulum utroque inciso repetitur.

[14]) Quum omnes propemodum *πέτρον καὶ πέτρας* discrimen inculcent.

graecus Matthaei interpres, siquidem utroque in membro unum idemque subiectum significatum voluit, primum *πέτρον*, ac *πέτραν* deinde illud nuncupaverit.

Denique V. tam usu loquendi quam spectato comparationis termino liquet, formula, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, suapte natura id exprimi quo aedificium sustentatur ac regitur, nullatenus vero id cuius studio curisque aedificationis opus suscipitur. Verum quum fixum protestantibus esset a Petro munus dignitatemque fundamenti abiudicare, nihil non [15] tentarunt, ut contra loquendi usum, insitamque metaphoricae loquutionis potestatem, formulam *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, ad aedificatoris opus, primasque in aedificio exstruendo partes detorquerent. Igitur non aptius philologicis regulis, quam grammaticis rhetoricisque canonibus in suo edendo commentario protestantes obtemperarunt.

139. De *logicis* autem *praeceptis* ab iisdem violatis, res est adeo perspicua ut solum innui ac paucis adumbrari debeat. Enimvero disciplina logica praecipit, I. ne *ἁρμονία* qua se excipiunt orationis partes, fallaci interpretatione conturbetur: II. ne propria tamquam communia habeantur: III. ne similia pro iisdem, ac dissimilia pro similibus usurpentur: IV. ne brevissimo orationis ambitu omnes propemodum anomaliae sermonis adhibitae existimentur: ac ne V. de vi atque amplitudine divinae promissionis ex aliquot solum factis, iisque pro voluntate delectis, sententia iudiciumque feratur. Atqui horum praeceptorum nullum est quod protestantes non violent.

Etenim I. verba, *κἀγὼ δέ σοὶ λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, ita enarrant [16] ut funditus *ἁρμονίαν* conturbent, qua cum antecedente Petri responsione devinciuntur. Ad haec II. quae [17] Petri sunt propria, quaeque verbis, *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*, illi uni promittuntur, sic accipiunt ut apostolis omnibus communia fuisse tueantur. Rursum III. in locis, quos parallelos vocant [18] deligendis ita versantur, ut plus semel similia pro iisdem, ac multo saepius dissimilia pro similibus usurpent. Praeterea IV. quum sermo Christi paucissimis contineatur verbis, duorumque commatum ambitu absolvatur; vix non singula eiusdem vocabula *ἀνωμαλῶς* intelligenda esse contendunt: *ἀνωμαλῶς* intelligunt particulam *καί*: *ἀνωμαλῶς* pronomen *ταύτῃ*: *ἀνωμαλῶς* formulam, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*: *ἀνωμαλῶς* ipsum [19] *τῆς ἐκκλησίας* nomen: et *ἀνωμαλῶς* phrasim, *καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς*, quam ad munus retinendi remittendique peccata, vel prohibendi permittendive circumscribunt. Fieri igitur non potest, ut cum logicis praeceptis commentarius protestantium concilietur.

140. Qui cum *historiae adiunctis* neque aptius neque felicius componitur.

[15]) Horum conatuum specimen sat amplum in Poli Synopsi exhibetur.

[16]) n. 68.

[17]) n. 51.

[18]) Tantus est locorum parallelorum abusus, ut notari quam meretur, acerbius non possit.

[19]) n. 82.

Ea namque postulant, ut quoad eius fieri potest, ratio diligentissime habeatur I. occasionis qua sermo editus perhibetur: II. materiae sermone ipso comprehensae: III. characteris tum eius qui loquitur, quum eorum qui audiunt: IV. scopi, quo sermonis auctor spectavit: ac eorum postremo V. quae sermonem consequuta sunt. Arbitror autem me nihil quod ab explorata veritate abhorreat dicturum, si affirmavero, nullam eiusmodi adiunctorum in protestantium commentario haberi rationem.

Ac interpretatio sane quae illis, quaeque promissioni respondeat tum factae, quum I. Christus editam ab uno Petro confessionem remuneraretur: quum II. discipulorum carissimum alloqueretur: quum III. de sua ecclesia, deque eiusdem structura sermonem primum institueret: quum IV. suscepta persona supremi architecti, domini atque legislatoris iura officiaque definiret, quae Petrus esset obiturus: quumque V. futuram sui in terris regni, suaeque ecclesiae administrationem revelaret; talis sit oportet, quae nihil praeferat *commune*, nihil *non proprium* unius Petri, nihil *non apertum* atque *conspicuum*, ac tandem nihil quod non pertineat ad formam suae ecclesiae, suique regni administrationem. Praesertim quum quae promissionem consequuta sunt, quaeque a Petro *gesta* legimus in Actis atque in Epistolis eo spectent, ut illum omnibus praepositum, ac principis oeconomi munere functum demonstrent.

Quaenam vero ex hisce dotibus in eo deprehenditur commentario quem protestantes adducunt? omnino nulla, quum nihil in eo occurrat I. Petri proprium, ceterisque apostolis non commune: nihil II. non salebrosum et obscurum, quodque [20] sine exquisita eruditione intelligi posset: ac nihil III. quo forma ecclesiae [21], eiusque regendae gubernandaeque ratio declaretur. Abludit igitur protestantium commentarius ab historicis adiunctis, neque probari ille potest quin ista seponantur.

141. Reliquae sunt *dogmaticae hypotheses*, quibus veluti regulis [22] protestantes utuntur, et ad quarum *ἀναλογίαν* suam ipsi paraphrasim exprimunt. Illarum vero summa huc redit: I. nullum inter apostolos extitisse iuris potestatisque discrimen: proindeque II. decrevisse Christum ut instituta a se ecclesia aequalium collegio ac *πολυαρχίᾳ* [23] regeretur: tantam porro esse III. excellentiam sive *fundamenti* quo ecclesia sustentatur, sive *clavigeri* quo summo iure dirigitur, ut uni Christo convenire possit. Praeclare intelligo quod si haec non vera minus forent quam confidentissime praesumuntur, protestantium caussa esset in tuto, illorumque commentarius indubitatus. At simul intelligo falsa prorsus esse, eoque infecta vitio quod *principii petitionem*, scholarum phrasi,

[20]) Hoc autem commentariorum genus insitam praefert corruptelae notam.

[21]) Quum tamen singula propemodum verba extituram ecclesiae formam praemonstrent.

[22]) His nihil periculosius, quum non ex ipsis hauriuntur Scripturis, sed iam praestitutae ad Scripturas enarrandas adhibentur.

[23]) Nulli vehementius quam episcopales hanc hypothesim defendunt.

nuncupamus; ideoque et a catholicis negari constanter, iisque refelli argumentis, quae *decretoria* ipsis videntur.

Qui praeterea nominatim contendunt, I. eam esse quaestionem de omnimoda apostolorum aequalitate, quae quum ex accurata pendeat verborum Christi interpretatione, non uti explorata hypothesis assumi debeat, sed uti problema examinari. Contendunt II. hisce plane gemina repeti oportere, quum de forma regendae ecclesiae a Christo praefinita disseritur. Ac III. contendunt, nullatenus esse consequens, ut praerogativa fundamenti atque clavigeri ne quadamtenus quidem cum Petro communicata existimetur, quod sublimissima ea sit planeque divina. Ita namque rationes subducunt: ea etiam quae sublimia sunt ac divina, divinitus posse neque raro solere cum hominibus communicari: non omnia esse uniusmodi, sed ex his[24] alia dici, credique *ἀκοινώνητα*, alia *κοινώνητα:* ad horum vero genus clavigeri, fundamentique *ὑπεροχὴν* et *ἐξουσίαν*[25] pertinere.

142. Quibus hoc pacto constitutis, proclive erit quum litem dirimere, tum aequum de protestantium, catholicorumque paraphrasi iudicium pronunciare. Neque enim puto futurum aliquem, qui eam paraphrasim defendi posse arbitretur, quae ab omnibus rite institutae interpretationis legibus discedat, et qua non minus canones omnes grammatici, rhetorici, philologici, logici, historici violentur, quam theologicae hypotheses praeposterae ac fallaces instar certae exploratacque normae praesumantur. His porro eius commentarii descriptio continetur, quem protestantes sequuntur, quem catholicis opponunt, et quo suam caussam, suamque ab romana ecclesia divisionem tuentur. Haberi igitur fallax debet, a veritate alienissimus, indignus qui adprobetur, quique ad praesidium defensionemque adhibeatur. Cui propterea non possis illum *comparate* non anteferre, quo catholici utuntur, quemque nos cura aliqua expolitum dedimus.

Immo *absolute* etiam *simpliciterque* anteponas oportet, ac verissimum esse concedas. Est enim ad omnes exactus legitimae interpretationis regulas, atque cum iis intime iunctus, quae ad assequendam loquentis mentem sententiamque certissimė perducunt. Accedit et illud, quod suffragio christianae antiquitatis[26] comprobatur, nihilque complectitur quod veteres ecclesiae patres, christianique scriptores aut non viderint, aut Christi verbis expressum non summa consensione significaverint. Iis ergo indiciis omnibus, notisque praefulget, quae veritatem comitantur, quae assensionem pariunt, et cogitandi credendique normam[27] stabiliunt. E qua si quae erui rite possunt, non subdole neque artificiose, sed candide sincereque deduxerimus; vix quidpiam, uti opinor, suppetet, quod ad asserendam Petri *ὑπεροχήν*, eiusque inter apostolos *ἐξουσίαν*

[24]) De hac partitione consuli potest Pauli Jacobi Andreae commentatio edita in Annalibus Academiae Lugduno-Batavae, an. 1825.

[25]) Cf. quae lib. I. capite VIII. praemisimus.

[26]) Testimonia, quibus hoc suffragium continetur, plurima, eaque luculentissima non uno in loco retulimus.

[27]) Eam intelligo credendi normam, quam *remotam* dicunt, *conditionibus* accensent, et *motiva credibilitatis* appellant.

vindicandam, rationemque ecclesiasticae administrationis a Christo institutae definiendam merito desideretur. Ista namque sunt quae cum ea cohaerent *πορίσματα:* haec consectaria quae e Christi ad Petrum verbis catholicorum, uti par erat, commentario explanatis sua sponte dimanant.

COROLLARIUM I.

143. Christi apud Matthaeum verba *ad unum Petrum* referuntur. Sunt igitur *propria*, et quod iis significatur, unius Petri *proprium* est. Ita vero ad unum Petrum referuntur, ut *excellentiam praestantiamque* designent *in ecclesiastico ministerio.* Altera igitur ex iis dotibus gaudent, quae cum priore coniuncta *necessaria* est ac *sufficit*, ut testimonium ad enodandam *de primatu* controversiam rite selectum, opportuneque adhibitum videatur.

COROLLARIUM II.

144. Si plurium diversa sit dignitas ac excellentia, hi non *aequales*, sed *inaequales simpliciter* habendi sunt. Eminuit vero inter apostolos Petrus, nobilioremque a Christo institutore excellentiam dignitatemque in ecclesiastico ministerio consequutus est. Igitur et apostolorum collegium *simpliciter inaequale* censeri debet, et apostoli omnes *comparate ad Petrum simpliciter inaequales* dicendi sunt.

COROLLARIUM III.

145. Quum multiplex esse inter plures inaequalitas possit, *aetatis*, *vocationis*, *honoris*, *ordinis*, *iuris* ac *potestatis;* quae quantaque ea sit, repeti *ex dote* debet, quae uni prae ceteris competit, et qua *inaequalitatis ratio gradusque* determinatur. Quae igitur quantaque extiterit Petrum inter ceterosque apostolos inaequalitas, *ex iis dotibus* statuendum est, quas *uni* promissas *Petro* Scripturarum auctoritate edocemur.

COROLLARIUM IV.

146. Singulares dotes uni Petro promissae *eo* continentur *Christi sermone*, quem evangelicis litteris Matthaeus consignavit. Ex harum igitur *natura*, *insitisque proprietatibus* iudicari debet, *quae quantaque*, auctore Christo, Petrum inter ceterosque apostolos *inaequalitas* extiterit.

COROLLARIUM V.

147. Singulares dotes uni Petro promissae, atque Christi verbis apud Matthaeum expressae ad hanc summam revocantur: I. Petrum eam esse petram, super quam, *Christo principe architecto*, aedificanda erat ecclesia: II. invictam, victricemque firmitatem contra inferni portas, qua ecclesia futura erat insignis, e coniunctione cum Petro, tamquam praestructo divinitus fundamento, pendere: III. Petrum destinari alterum *a Christo*, *qui rex regum* est *ac dominus domi-*

nantium, in caelesti ecclesiae regno clavigerum: illique propterea IV. omnimodam ligandi solvendique auctoritatem *uni Christo supremo legislatori ac iudici* obnoxiam promitti. Natura igitur praerogativarum, quae quatuor hisce formulis efferuntur, *normae instar* nobis esse debet, ad quam iudicium exigamus *quum* de ratione graduque inaequalitatis apostolos inter ac Petrum, *tum* de vi et conditione primatus, quem Petro Christus spopondit.

COROLLARIUM VI.

148. Descriptae formulae, quibus *ratio* praerogativarum Petri continetur, *auctoritatem* designant, et *ad ius potestatemque* manifesto referuntur. Inaequalitas igitur Petrum inter ac apostolos eisdem expressa *ad iuris auctoritatisque inaequalitatem* pertinet; ac Petri idcirco *πρωτοστασία* iuris est atque auctoritatis.

COROLLARIUM VII.

149. Ne cui vero anceps videatur, formulis, quibus Petri praerogativae continentur, *ius auctoritatemque* designari; dabimus operam ut illarum vim brevissima explicatione declaremus. *Prima* igitur his concepta verbis, *σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, e re architectonica deprompta sic est, ut liquido constet, *talem* Petrum inter et ecclesiam, ipsosque apostolos Petri nomine comprehensos, *σχέσιν* habitumque significari, *qualis* inter fundamentum ac superstructum aedificium interesse debet. Haec autem *σχέσις* est *dependentiae*, quum *φυσικῶς* necessarium [28] sit, ut aedificium fundamento incumbat, et cum eo iunctum copulatumque perseveret. Priori igitur formula *σχέσις* effertur *dependentiae*, qua opus est ut apostoli cum Petro [29] cohaereant, individuamque cum eo societatem tueantur. Atqui haec dependentiae *σχέσις*, qua ad Petrum, utpote universi aedificii fundamentum, apostoli referuntur, intelligi seiuncta nequit a potiore Petri iure: sunt enim ista *correlata*, seque intimo necessarioque vinculo excipiunt. Praerogativae igitur Petri priori expressae formula ad *ius* pertinent, ac *genere celsioris auctoritatis* continentur. Quod ut christiani veteres [30] significarent, aiebant: *neminem praeferendum esse Petro, cui principaliter dictum est, super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.*

Hisce autem confirmandis egregie conducit formula, quam *altero loco* commemoravimus. Perspicuum namque est *officium*, ac indubitata *moralis* obligatio illi adhaerendi, a quo si seiunctus, avulsusque discesseris, frustra tibi stabilitatem, frustra, auctore Christo, victoriam de inferni portis, deque salutis

[28]) Eximia imaginum varietate usus est Christus, ut necessitatem coniunctionis cum Petro depingeret. Inter eas vero non ultimum occupat locum *imago physica*, qua Petrus *cum fundamento*, reliqui omnes *cum superstructo aedificio* componuntur.

[29]) Hinc obsequii, obedientiaeque officium, quo Petri maiestatem apostoli vererentur.

[30]) Cf. quae habet Augustinus lib. II. con. Donatist. cap. I.

hostibus pollicearis. Atqui huc spectat formula, *καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς*, qua luculentissime edicitur, nemini a Christo constantiam, nemini triumphum promitti, qui cum Petro iunctus sociatusque non manserit. Perspicue igitur *de officio* constat, quo christiani omnes, ipsique apostoli et custodire cum Petro unitatem debeant, et separationem ab eo non secus ac maximam supremamque perniciem devitare. Obligatio autem officiumque tam universae ecclesiae, quam apostolis impositum servandae tuendaeque cum Petro societatis, *facultatem* includit, *auctoritatemque* complectitur, qua Petrus indiscriminatim omnibus custodiam unitatis praecipiat, ac divisionis, schismatisque flagitium ab universo corpore longissime arceat. Posteriore igitur formula praerogativa exprimitur, quae *ad sublimius Petri ius, potioremque auctoritatem* revocatur.

Ad *tertiam* accedo, quae praecedentibus illustrior non iniuria videatur. Verbis namque, *καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*, futurum praenunciatur, ut Petrus *comparate ad regnum caelorum*, omnesque adeo christianos sive discipulos subditosque, sive magistros ac praepositos, ea munera, easque obeat partes, quae *clavium symbolo, clavigerique* appellatione demonstrantur. Ab hoc autem clavium symbolo, atque ab hac clavigeri appellatione divelli significatio nequit *iuris et potestatis*. Tertia igitur formula singularis eximiaque Petri auctoritas in regnum caelorum, omnesque eius regni cives, sive maximos, sive medios, sive infimos splendidissime ostenditur.

Quid porro *quarta* ac postrema? quove spectant verba, *καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς?* nullum est negotium ad caeleste regnum, aedificandamque ecclesiam pertinens, quod Petri auctoritati hac promissione non subiiciatur. Quod enim illi obnoxium fore praedicitur, effertur verbis, *καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς*. Sunt autem haec intra suum genus *infinita*, nullis adstricta limitibus, quaeque *plenam* ferendi leges, iudicandique *potestatem* complectuntur.

Conspirant[31] igitur formulae, neque minus singulae divisim, quam omnes coniunctim ostendunt: I. eas Petro praerogativas promitti, quibus ipsemet auctus ad eximium quoddam cum Christo ecclesiae capite, supremoque principe consortium proveheretur: provectus autem II. inter apostolos primatu excelleret, potiorique auctoritate in universum Christi regnum potiretur.

COROLLARIUM VIII.

150. Immo et illud non dissimili perspicuitate demonstrant, collatis Petro praerogativis, institutoque primatu eo Christum spectasse, ut *conspicuae* sui regni, suaeque ecclesiae *unitati* consuleretur. Ac principio quidem consuleretur

[31]) Qua consensione nihil ad eam commendandam interpretationem, quam exhibuimus, accommodatius; ac nihil rursum profligandis protestantium expositionibus opportunius, quum recipi illae probarique nequeant, quin commentarii concentus, partiumque harmonia funditus labefactentur.

παραδειγματικῶς, *quatenus* in Petro, *unico fundamento*, *clavigero*, *supremoque* in ecclesia caelorumque regno *legislatore* atque *iudice* unitas ipsius ecclesiae *praefiguraretur*. Consuleretur deinde *αἰτίως*, *ἀρχικῶς καὶ ἐνεργητικῶς*, *quatenus* Petrus *pro sua* fundamenti, clavigeri, supremique iudicis ac legislatoris *ratione et dignitate* visibilem ecclesiae unitatem formaret, contineret, suisque perfunctionibus tueretur. Quemadmodum enim aedificii unitas e fundamento oboritur, ac virtute fundamenti omnes simul partes colligentis servatur; ita unitas regni, administrationisque concordia quum formatur, tum formata custoditur unitate clavigeri, supremique iudicis ac legislatoris.

COROLLARIUM IX.

151. Porro quum spectari primatus Petri *tripliciter* possit, *ὄντως* atque *in se*, *ποιητικῶς* atque *efficienter*, *τελικῶς* ac *finaliter*; nemini dubium videri debet: I. *ὄντως* ac in se primatum esse potioris iuris, auctoritatisque: II. *ποιητικῶς* ac efficienter a Christo dimanare, qui uni Petro dixit, *κἀγὼ δὲ σοὶ λέγω κ. τ. λ.*: et III. *τελικῶς* ac finaliter ad conspicuam ecclesiae unitatem praemonstrandam, formandam, vindicandamque referri.

COROLLARIUM X.

152. At vero aliud est unitatem ecclesiae *praemonstrare*, ac aliud unitatem ecclesiae *formare*, *protegere* ac *tueri:* illud enim ad *ἀρχέτυπον*, *exemplaremque caussam*, hoc ad *originem*, *principium*, *caussamque effectricem* pertinet. Cavendum itaque est I. ne *distinctae rationes* praemonstrandae ac formandae asserendaeque unitatis ecclesiae praepostere conturbentur: tum II. ne altera ratio ita Petro adscribatur, ut altera eidem denegetur.

COROLLARIUM XI.

153. Hoc autem periculum perquam aptissime removebimus, si quae distincta esse intelligimus, eadem distinctis quoque vocibus, formulisque exprimamus. E quibus, quum plures occurrant, hae omnium commodissimae videntur, ut prior ratio, quae Petro inest, praemonstrandae unitatis, *primatus archetypus* dicatur; posterior vero eiusdem formandae continendaeque, *primatus iurisdictionis ac unitatis efficiens* nuncupetur.

COROLLARIUM XII.

154. Utraque porro ratio Petro inest, neque minus illi convenit ut ecclesiae unitatem *praemonstret*, quam ut eam *formet*, formatamque *defendat*. Petrus igitur *utroque* insignis *primatu* credi debet, tam eo quem *archetypum* diximus, quam altero quem primatum *iurisdictionis*, *efficientemque unitatis* appellavimus.

COROLLARIUM XIII.

155. His vero illustrandis confirmandisque non minimum confert, quod vetustissimi patres similia, immo plane eadem ac iisdem propemodum verbis

iampridem litteris consignarint. *Petri cathedra*, verba sunt Cypriani[32], *atque ecclesia principalis, unde unitas sacerdotalis exorta est. Una est ecclesia,* inquit[33] idem, *a Christo Domino super Petrum origine unitatis et ratione fundata.* Ac[34] rursum: *Petrus, super quem Dominus aedificavit ecclesiam, et unde unitatis originem instituit.* Et alibi[35] plenius: *Quamvis apostolis post resurrectionem suam parem potestatem*[36] *tribuat...., tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, ut ecclesia Christi una monstretur.* Duo igitur Cyprianus repetitis sententiis distinguit, hinc quidem *demonstrationem unitatis in Petro*, inde vero *unitatis exordium, originem atque rationem a Petro.* At ex his duobus alterutrum ne solum, an satius utrumque Petro adscribit et vindicat? adscribit prorsus utrumque, ac *demonstrationem* primum *unitatis*, quam ille in se, qui *unus* est, veluti archetypus praefigurat: *exordium* deinde atque *unitatis principium*, quam ille utpote *eiusdem origo*, ac totius aedificii *princeps fundamentum* constituit atque conservat. Duplicem itaque Petri primatum, eumque auctoritate Christi iunctum atque consertum Cyprianus affirmat: *primatum archetypum*, quo ecclesiae unitatem in seipso Petrus praemonstrat: ac *primatum originis, caussae* atque *principii*, quo eamdem unitatem format ac sustentat.

Ad quem primatum ista pariter referuntur, quae saeculo IV. ad Sympronianum[37] novatianorum sectae addictum Pacianus scripsit: *Ipso referente Matthaeo paulo superius ad Petrum loquutus est Dominus, ad unum ideo ut unitatem formaret ex uno, mox idipsum*[38] *in commune praecipiens.* At si reliquis apostolis mox *idipsum* Christus concessit, quod uni Petro antea promiserat; quo redit eximium eiusdem praemium, quo singularis ὑπεροχή? neque illud in discrimen venit, neque haec periclitatur. Etenim mox quidem *idipsum* apostolis reliquis Christus contulit, sed *in commune*, idest, in societate cum Petro, atque indivisa ab eodem unitate: contulit *idipsum* apostolis reliquis, sed ea lege, ut ecclesiae unitas *ex uno Petro*, veluti supremo quodam principio *formaretur.* Quare incolumis manet eiusdem ὑπεροχή, qua est, crediturque unitatis caussa atque principium: eius vero singulare praemium, eximiaque dignitas inde

[32]) Epist. LV.

[33]) Epist. LXX.

[34]) Epist. LXXIII.

[35]) De unit. Ecclesiae.

[36]) Unde istud colligit Cyprianus? e verbis Christi Joh. XX. 23—25. Quod igitur scribit, *quamvis apostolis omnibus parem potestatem tribuat,* non ἁπλῶς sed comparate intelligi debet, ac si diceretur: *quamvis apostolorum omnium una eademque sit potestas, si eorum dumtaxat habeatur ratio, quae Joh. XX. 23—25. leguntur.* At quid si praeterea spectentur quae occurrunt Matth. XVI. 18—19, Luc. XXII. 31—33, et Joh. XXI. 15—18? respondet Cyprianus, his *ecclesiasticae unitatis originem ab uno Petro incipientem sua Christum auctoritate disposuisse.*

[37]) Epist. III. ad Sympronianum.

[38]) Matth. XVIII. 18.

maxime splendent, quod reliqui cum ipso apostoli consentire, atque arctissimo unitatis vinculo conspirare deberent.

Quod Hieronymus [39] tritis omnium ore verbis declaravit, inquiens: *Propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto* [40], *schismatis tollatur occasio.* His ἀξίωμα Petri, his eiusdem προστασία luculentissime significatur. Eminet super apostolos Petrus non secus ac *super membra caput*, ac eiusdem primatus *praerogativa* est *capitis*, in cuius unitate unitas corporis *cernitur*, eoque ceu principio et caussa, corporis unitas *efficitur*, ac divisio membrorumque dissidia prohibentur. Quae quum secum reputaret Optatus [41], monuit: *Bono unitatis beatum Petrum .... praeferri apostolis omnibus meruisse.* Ac in Parmenianum disputans non censuit, eum ad incitas redigi validius posse quam his omnino verbis [42]: *Videndum est quis, et ubi prior cathedram sederit. Si ignoras, disce; si nosti, erubesce; ignorantia tibi adscribi non potest, restat ergo ut noveris .... Igitur negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus ...., in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur; ne ceteri apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram, alteram collocaret.*

Inest itaque Petro *praerogativa capitis*, a quo nemini, quamvis apostolo, quamvis prophetae, quamvis evangelistae, quamvis pastori ac doctori citra crimen schismatis, notamque peccatoris dissidere fas est. Hac praerogativa, atque hoc singulari iure formandae, exigendaeque unitatis primatus eiusdem continetur: hoc iure fit ut ipse omnium ore unitatis origo, centrumque praedicetur: hoc fit ne singuli pastores sibi quique greges defendant: hoc fit ut ecclesia licet catholica atque ubivis diffusa, una tamen sit, unitatemque corporis praeseferat: repeti ex hoc debet, ut [43] *episcopatus unus* existat, *cuius a singulis in solidum*, idest, non divisim, neque separatim, sed coniunctim, *pars tenetur.* Quamquam enim [44] *de fonte uno rivi plurimi defluant, ac numerositas diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine.* Quae origo est Petrus, cuius propterea ecclesia ab Ignatio [45] dicitur προκαθημένη τῆς ἀγάπης, *praeposita caritati*, eiusque effectrix concordiae, qua fideles omnes in unicum Christi mysticum corpus coalescunt. *Ad hanc enim ecclesiam*, Irenaeo [46] teste, *propter potiorem principalitatem necesse est*

[39]) Con. Jovinian. lib. I. n. 26.

[40]) Quo *capitis* ellogio quum alibi frequenter in vetustis monimentis, tum praeclarissime in epistola chalcedonensis synodi ad Leonem Petrus ornatur.

[41]) Con. Parmen. lib. VII. cap. III.

[42]) Lib. II. cap. II.

[43]) Sunt haec Cypriani verba in libro de unitate ecclesiae.

[44]) Ex eodem Cypriano, eodemque libro ista quoque desumpta sunt.

[45]) In exordio epistolae ad Romanos.

[46]) Adv. Haeres. lib. III. cap. III. Quot vero, quamque mirifica ad vim huius testimonii infringendam protestantes excogi-

omnem convenire ecclesiam, *hoc est eos*, *qui sunt undique fideles*, *in qua semper ab his*, *qui sunt undique*, *conservata est ea*, *quae est ab apostolis traditio*. Unde Gregorius nazianzenus de utraque Roma, tam vetere quam nova verba faciens, illius fidem hoc ornat ellogio [47]:

Ἡ μὲν ἦν ἐκ πλείονος
Καὶ νῦν ἔτ' ἐστὶν εὔδρομος, τὴν ἑσπέραν
Πᾶσαν δέουσα τῷ σωτηρίῳ λόγῳ,
Καθὼς δίκαιον τὴν πρόεδρον τῶν ὅλων
Ὅλην σέβουσαν τὴν θεοῦ συμφωνίαν.

Vetus quidem iamdudum
Atque etiam nunc recte currit, Occidentem
Totum [48] *devinciens salutari doctrina,*
Quemadmodum par est, ut quae universis [49] *praesidet,*
Totam colat Dei [50] *concordiam.*

COROLLARIUM XIV.

156. Ceterum hoc doctrinae caput, quo nullum esse arbitror illustrius, ac nullum ad explicandam primatus Petro collati vim rationemque accommodatius, iis praeclare confirmari intelligo quae ab antiquis patribus, ac mediae supremaeque aetatis scriptoribus consignata litteris saepissime animadverto: *esse Petrum originem ac principium omnis quae in ecclesia est* [51] *potestatis; ac per eum, in quo plenitudo* [52] *residet potestatis, partem illius aliquam in praepositos reliquos dimanare.* Non referam quaecumque omnia ad rem facerent, sed delectu habito iis solum utar quae ad manus sunt, quaeque mihi reliquis insigniora videntur.

E quibus ista primum succurrunt [53] Tertulliani: „Si adhuc clausum putas caelum, memento claves eius heic Dominum Petro, et *per eum* ecclesiae reliquisse.“ Consonat Cyprianus [54] inquiens: „Petro *primum* Dominus, super quem aedificavit ecclesiam, et unde unitatis originem instituit et [55] ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in caelis, quod ille solvisset in terris. Et post

tarint; omnium diligentissime Griesbachius et ipse protestans ostendit in brevi commentatione edita Jenae an. 1779. *De potentiore ecclesiae romanae principalitate.*

[47]) Carm. de vita sua vv. 571. seqq.

[48]) Pleraeque enim Orientis ecclesiae ab orthodoxa fide desciverant.

[49]) Non Occidentis solum, verum etiam Orientis ecclesiis.

[50]) Trinitatem, puto, significat consubstantialem.

[51]) Cf. Cardinalem Orsi, *De irreformabili romani pontificis in definiendis fidei controversiis iudicio*, T. I. P. II. Lib. II. cap. XII. artt. I—II.

[52]) Cf. Cardinalis Gerdilii opusculum IV. ad hierarchicam ecclesiae constitutionem pertinens, inscriptumque: *De consectariis nonnullis insignibus apostolici principatus in romana sede vigentis.*

[53]) Scorpiac. cap. X.

[54]) De unit. ecclesiae, et epist. LXXIII.

[55]) Simul enim et *principium* et *paradigma* unitatis Petrum constituit.

resurrectionem quoque ad apostolos loquitur dicens, ***sicut misit me Pater*, *et ego mitto vos*.**" Tertius accedit eiusdem africanae ecclesiae testis nobilissimus Optatus [56] his verbis: „Bono unitatis beatus Petrus .... et praeferri apostolis omnibus meruit, et claves regni caelorum ***communicandas ceteris*** solus accepit." Mirum ergo videri non debet quod Augustinus [57] non aliunde quam e Petri cathedra ***culmen auctoritatis*** in ecclesiam catholicam derivaverit, scribens: „Et dubitabimus nos eius ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ***ab apostolica*** [58] ***sede*** per successiones episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus ...., ***culmen auctoritatis obtinuit?***"

Sequitur nyssenus Gregorius, cuius ista sunt [59] disertissima verba: „***Per Petrum*** episcopis Christus dedit claves caelestium honorum." Neque aliter Siricius ac Innocentius, quorum ille [60] ait: „Cum in unum plurimi fratres convenissemus ad sancti Petri apostoli reliquias, ***per quem*** et apostolatus et episcopatus in Christo coepit exordium." Innocentius vero [61] scribit: „Incipiamus igitur adiuvante sancto apostolo Petro, ***per quem*** et apostolatus et episcopatus in Christo coepit exordium." Quibus sunt ista simillima ad episcopos carthaginiensis concilii, quum eos inde laudat quod sua ad ipsum decreta referentes et ***antiquae traditionis exempla servaverint***, et [62] sibi compertum esse ostenderint, „quid Petri sedi debeatur, ***a quo*** ipse episcopatus et tota auctoritas nominis huius emersit." Unde arelatensis Caesarius ita Symmachum [63] alloquutus est: „Sicut ***a persona*** beati Petri apostoli episcopatus initium, ita necesse est ut disciplinis competentibus Sanctitas Vestra singulis ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat."

Ab his vero ne levissime quidem dissident sive ista [64] Bonifacii: „Institutio universalis nascentis ecclesiae ***de beati Petri*** sumpsit ***honore*** principium, in quo regimen eius et summa consistit; ***ex eius*** enim ecclesiastica disciplina ***per omnes ecclesias***, religionis iam crescente cultura, ***fonte*** manavit." Sive ista [65] magni Leonis: „Si quid divina dignatio cum eo (Petro) commune [66] ceteris voluit esse principibus, numquam ***nisi per ipsum*** dedit quidquid aliis non negavit." Et de charismate praedicandae veritatis subdit [67]: Huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit, ut

[56]) Con. Parmen. lib. VII. cap. III.

[57]) De utilit. credendi, cap. XVII. n. 35.

[58]) Quae propterea non ideo solum *apostolica* dicitur, quod fuerit ab apostolis instituta, verum etiam quod *plenitudine apostolicae auctoritatis* excellat.

[59]) Orat. adv. eos qui reprehensiones aegre ferunt.

[60]) Epist. ad episcopos Africae.

[61]) Epist. II. ad Victricium rothomagensem. n. 2.

[62]) Cf. Petri Coustantii admonitionem in epist. XXVI. Innocentii.

[63]) Apud Labbé, T. V. pag. 424.

[64]) Epist. XIV.

[65]) Serm. IV. in anniv. Assumpt. suae, cap. II.

[66]) Praemiserat enim: *Quum multa solus Petrus acceperit, nihil in quemquam nisi ipsius participatione transivit.*

[67]) Epist. X. ad episcopos Prov. Vienn. cap. I.

in beatissimo Petro apostolorum summo[68] *principaliter* collocarit, et *ab ipso*, quasi quodam capite, dona sua velit in corpus omne manare."

Ad quam Christi dispositionem certissime Felix III. spectavit, quum[69] de omnibus generatim[70] praesulibus scripsit: „Qui in sacerdotii perhibentur provecti officium, optant *inde* (e cathedra nimirum Petri) *fulciri*, unde Christo cupiente, *profluit cunctorum gratia plena pontificum.*" Sane, uti auctor est[71] Gelasius: „*Per primam* beatissimi Petri *sedem* omnium sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata." Hinc „maiores nostri, reverendi illi ecclesiarum magistri, ad sedem quam princeps apostolorum sederat Petrus, sui sacerdotii sumpta principia, repleti Christi caritate mittebant, suae *inde* soliditatis gravissima firmitatis roboramenta poscentes. Ut per hanc gratiam omnibus appareat, vere *unam* esse per omnia et indissolubilem Christi ecclesiam ....: ut *una* monstraretur compago corporis Christi, quae *ad unum caput* gloriosissima dilectionis societate concurreret."

Mitto reliqua, ac nominatim mitto Gregorii IV.[72] et Stephani V.[73] testimonia, diserta synodorum pistensis[74] ac rhemensis[75] decreta, praeclarissimasque Gaudentii[76], Stephani larissensis[77], Johannis ravennatensis[78], Isidori hispalensis[79], Alcuini[80], Thomae[81], Gersonis[82] ac Petri alliacensis[83] sententias, iisque modum citandis testibus pono, quae Cardinalis Petrus Bertrandus[84] de ratione ecclesiasticae potestatis affirmavit, inquiens: „Origo huius potestatis fuit a Deo immediate, videlicet a Christo tradente eam certae personae, scilicet Petro, pro se et suis successoribus, *a quibus derivatur in alios.*"

157. Verum quae his omnibus subest germana significatio, quidve sibi volunt christiani doctores Tertullianus, Optatus, Nyssenus, Siricius, Innocentius, Bonifacius, Leo, Caesarius aut cum Isidoro[85] tradentes *in novo testamento post Christum sacerdotalem ordinem a Petro apostolo coepisse*, *quum ipsi primus*

[68]) Totidem verbis ista repetit, suoque suffragio confirmat Alcuinus, vel alius quicumque sit auctor libri de divinis officiis, cap. XIX.

[69]) Epist. XII. ad Zenonem imperatorem.

[70]) Paullo ante laudaverat constantinopolitanum antistitem, quod *ad beati Petri apostoli sedem suae referret dignitatis exordium.*

[71]) Epist. XIV. apud Labbé, T. IV. pag. 1215.

[72]) Epist. I. ad universos episcopos, apud Labbé, Tom. VII. pag. 1571.

[73]) Epist. ad Basilium imperatorem, apud Labbé, T. IX. pag. 366.

[74]) Apud Labbé, T. VIII. pag. 1536.

[75]) Ibid. T. IX. pag. 481.

[76]) Serm. in prima die Ordinat. suae.

[77]) In libello ad Bonifacium II. apud Labbé, T. IV. pag. 1692.

[78]) Inter epistt. s. Gregorii, epist. LVII. lib. III.

[79]) Epist. ad Eugenium episcop. toletan.

[80]) De div. officiis, cap. XIX.

[81]) Con. Gent. lib. IV. cap. LXXVI.

[82]) De statibus Ecclesiae, Considerat. I, et de Auferibilitate Papae, Consid. VIII.

[83]) De auctorit. Eccles. Part. I. cap. I.

[84]) De origine et usu iurisdictionum.

[85]) De officiis ecclesiast. lib. II. cap. V.

datus sit pontificatus in ecclesia Christi; aut cum Johanne ravennatensi [86] affirmantes *e sede Petri universali ecclesiae iura sua transmitti?* Dubio procul hoc sibi volunt quod verba exprimunt, quod ipsa quoque evangelii [87] demonstrat historia, *Petro omnium primo* supremam ecclesiae auctoritatem et promissam a Christo fuisse et tributam. E quo illius prodit ὑπεροχή, qua est, ac episcoporum pastorumque omnium *tempore primus* nominatur.

Neque huc tamen vel totam vel potiorem Petri excellentiam redire, quum Scripturae persuadent, quarum certam exploratamque sententiam hactenus vindicavimus, tum ea ostendunt quae cum priore illa dignitate ecclesiastici scriptores nexa copulataque docent. Et re sane vera quid est quod ex ea primum colligendo deducunt? deducit [88] Augustinus, propterea in Petro *culmen auctoritatis* resedisse, eumque esse *Petri principatum qui cuilibet episcopatui longe praeferri debeat:* deducit [89] Bonifacius, *regimen ecclesiae, eiusque summam* ad Petrum maxime pertinere: deducit [90] Leo, gubernandi auctoritatem Petro *principaliter* fuisse collatam, atque opus ideo esse, *ut ad unam Petri sedem universalis ecclesiae cura per institutos in singulis provinciis episcopos confluat, et nihil usquam a suo capite dissideat:* deducit [91] Bernardus, *plenitudinem potestatis super universas orbis ecclesias singulari praerogativa apostolicae sedi donatam esse, nec posse quemquam huic potestati resistere, quin Dei ordinationi resistat:* deducit tandem [92] Theodorus studita, orthodoxorum neminem aliquando negasse, Petri sedem et consulendam esse prae ceteris et audiendam.

158. Quam summam, plenamque Petri auctoritatem iis exornare pergunt imaginibus, ut nullum de illius praerogativis ambigendi locum fecisse reliquum videantur. Ac solemnis enimvero apud eos est imago *capitis*, qua quum Optatus, Leo, aliique plures quos identidem commemoravimus, tum Chrysostomus [93], atque Isidorus [94] utuntur. Quid autem ea significent, quamve Petri dotem expressam velint, Isidorus [95] inprimis declarat monens: „Petrum ita praeeminere ceteris, ut qui debitam ei non exhibeat reverenter obedientiam, *a capite* seiunctus acephalorum schismati se reddat obnoxium." Declarant deinde Felix III. ac Gelasius, et cum iis Julius [96], Leo [97], Socrates [98], Sozomenus [99], Epiphanius

[86]) l. c.

[87]) Perspicuum hoc est collatis mutuo locis, quibus Christus vel promisit vel apostolis auctoritatem tribuit.

[88]) Epist. XLIII. n. 7.

[89]) Epist. XIV.

[90]) l. c.

[91]) Epist. CXXXI. ad Mediolanenses, et epist. CXCVIII. ad Innocentium II.

[92]) Epist. ad Leonem Sacellarium.

[93]) In Matth. hom. LV.

[94]) Epist. ad Eugenium toletanum ac in altera rursum ad Claudium Ducem.

[95]) l. c.

[96]) Epist. ad Orientales in caussa Athanasii, n. 22.

[97]) Epist. ad episcopos per provinciam viennensem constitutos.

[98]) H. E. lib. II. capp. VIII — XIII — XVII.

[99]) H. E. lib. III. capp. III—X.

diaconus [100], Macedonius constantinopolitanus [101], auctor [102] vitae sancti Pauli constantinopolitani, Stephanus byzantinus [103] in vita sancti Stephani iunioris, Nicephorus [104] patriarcha constantinopolitanus, patres chalcedonenses [105] et qui [106] ad septimam synodum convenere, quorum una vox est ac sententia unanimis: ***Quidquid in ecclesia ratum fixumque est, id robur suum, supremamque firmitatem e Petri auctoritate, suffragioque mutuari: nefas propterea esse quidquam in ecclesia statuere Petro non annuente, utpote qui sortitus a Christo sit κατὰ τὴν ἱερωσύνην ἐξάρχειν.*** Quare Innocentius [107] occasionem laudandi Felicis nuceriani antistitis inde sumit, „quod institutis maiorum adhaeserit, ***omniaque*** quae possent aliquam recipere dubitationem, ad ipsum, quasi ***ad caput*** atque ***ad apicem*** [108] ***episcopatus*** retulerit, ut consulta videlicet sedes apostolica ex ipsis rebus dubiis ***certum aliquid*** faciendum pronunciet.“

Eadem perspicuitate quo spectet ***capitis*** dignitas propria Petri, ii declarant antistites sive quos Theodoricus in romanam synodum collegit, ut excitatas propter Symmachum turbas sedarent, sive quos in caussa non absimili Leonis III. Carolus magnus convocavit. Illis enim nihil antiquius fuit, quam [109] apertis disertisque verbis Theodorico edicere: „Eum ipsum Pontificem, qui dicebatur impetitus, ***debuisse*** synodum convocare, scientes quia eius sedi primum Petri apostoli ***meritum*** vel ***principatus***, deinde sequuta iussionem Domini [110] conciliorum venerandorum auctoritas ei ***singularem in ecclesiis tradidit potestatem***; nec antedictae sedis antistitem ***minorum subiacuisse iudicio***, in propositione simili, facile forma aliqua testaretur.“ Archiepiscopi vero, episcopi et abbates, quibus excutiendam Leonis caussam Carolus proposuerat, unanimes [111] exclamarunt: „Nos sedem apostolicam, ***quae est caput omnium Dei ecclesiarum, iudicare non audemus.*** Nam ab ipsa ***nos omnes***, et vicario suo iudicamur. ***Ipsa autem a nemine iudicatur***, quemadmodum et ***antiquitus*** mos fuit.“

Cuius antiqui et apostolici plane moris testis est gravissimus Gelasius, qui [112] obtrectatoribus nescio quibus omnem conviciandi facultatem praeripuit scribens: „Nobis opponunt canones, dum nesciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt, quod ***primae sedi*** sana rectaque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui ***appellationes totius ecclesiae ad huius sedis examen***

[100]) Hist. Tripart. lib. IV. cap. IX.

[101]) Apud Theodorum Lectorem, lib. II.

[102]) Apud Allatium con. Hottingerum, pag. 459.

[103]) Similia habentur in eiusdem martyris vita apud Metaphrasten.

[104]) Antirrhetic. I. adversus Iconoclastas, cap. XXV.

[105]) Epist. ad Leonem.

[106]) Cf. Lequienii Panopliam con. schisma Graecorum, cap. III. §§. I. seqq.

[107]) Epist. IV.

[108]) Sicut enim episcopatus *apex* dicitur *sacerdotii*, ita primatus Petri *apex* vocatur *episcopatus*.

[109]) Apud Labbé, T. V. pag. 458.

[110]) Non igitur ecclesiasticae ordinationis, sed plane divinae ea est suprema auctoritas, qua Petri successores potiuntur.

[111]) Apud Labbé, T. IX. pag. 226.

[112]) Epist. IV. ad Faustum, quae *Commonitorii* quoque titulum praefert.

voluere deferri. Ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debére sanxerunt: ac per hoc illam de tota ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cuius potius decreta sequenda mandarunt. .... Quapropter non veremur, ne apostolica sententia resolvatur, quam *et vox Christi, et maiorum traditio, et canonum* fulcit *auctoritas*. Sed cogitent magis, si quis in eis est religionis sensus, ne pravitatem suam nullatenus deponentes, apud Deum hominesque sedis apostolicae perpetua constitutione damnentur." Ut enim gallicanorum patrum nomine, atque e recepta apud omnes fide Avitus viennensis [113] ad Urbis senatores scripsit: „Sentire se in lacessito *vertice* (qua metaphora Symmachum Petri successorem designabant) statum suum nutare: nulla lege, nulla ratione intelligi *ab inferioribus eminentiorem* iudicari: in sacerdotibus ceteris posse quidem, si quid forte nutaverit, reformari: at si papa Urbis vocetur in dubium, *episcopatum* iam videri, *non episcopum* vacillare: redditurum suae dispensationis rationem, *qui ovili dominico praeest;* ceterum *gregis non esse pastorem proprium terrere*, sed iudicis."

Puto autem ad vim potestatemque declarandam *dignitati capitis* insitam non minus splendide conducere quae Maximus [114] egregius monothelitarum debellator de partibus scribit, quas Pyrrhus constantinopolitanus antistes explere deberet, inquiens: „Festinet *prae omnibus* sedi romanae satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter ubique omnes [115] pium hunc et orthodoxum praedicabunt. Si enim alios quidem satisfaciendos ducit, et beatissimum romanum papam nequaquam implorat, simile quiddam agit ei, qui forte homicidii vel alterius cuiusdam criminis redarguatur, et insontem se non ei, qui secundum leges iudicandi iura sortitus est, exhibere festinat; sed tantum inutiliter et sine lucro aliis, privatisque hominibus munditiam monstrare sui satagit actus, qui nullam habent ipsum solvendi a crimine potestatem." Hanc vero se purgandi normam ideo Maximus Pyrrho praefinit: „Quod apostolica sedes ab ipso incarnato Dei Verbo, sed et omnibus sanctis synodis, secundum sacros canones, universarum, quae in toto terrarum orbe sunt, ecclesiarum *in omnibus et per omnia percepit et habet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi atque solvendi*."

159. Imaginibus *capitis, apicis, verticis*, quibus summam cumulatamque auctoritatis plenitudinem Petro tributam christiani doctores expresserunt, alteram subiiciunt, qua illum insignem *principatu episcopatus, clavoque dominicae navis praefectum* [116] repraesentant. Ac prior quidem in epistola occurrit Valentiniani Augusti ad Theodosium, in qua pro communi ac ubivis vulgata orthodoxorum persuasione scribit: „Quam fidem nos a nostris maioribus traditam debemus

[113]) Digna foret haec epistola, quae tota describeretur.

[114]) Epist. ad Petrum Illustrem.

[115]) Quia, ut Irenaeus loquitur, omnes qui sunt undique, ad hanc conveniant oportet, atque unam cum hac fidem profiteantur.

[116]) Non desunt vetustissima christiana monimenta, in quibus haec ipsa imago picta, sculptave occurrit.

cum omni competenti devotione defendere, *et dignitatem propriae venerationis* beato Petro apostolo intemeratam, et in nostris etiam temporibus conservare: *quatenus* beatissimus romanae civitatis episcopus (utpote Petri in auctoritate successor), cui *principatum sacerdotii super omnes* antiquitas contulit, locum habeat et facultatem *de fide* et *sacerdotibus* iudicare."

Posterioris vero auctor est Damasus, qui orientales episcopos in litteris ad eos datis, ita [117] primum affatur: „Quod debitam apostolicae sedi reverentiam exhibet caritas vestra, in eo vobis ipsis plurimum praestatis, *filii* carissimi." Tum non sine laude modestiae subdit: „Etsi enim in sancta ecclesia, in qua sanctus apostolus sedens docuit, decet nos *praecipue quodammodo clavum tenere*, quem regendum suscepimus, tamen hoc honore inferiores nos esse profitemur." Puto autem neminem adeo perversum futurum interpretem qui inficias ire ausit, vel plenam hisce Petri auctoritatem ostendi, vel eam ut consortii expertem, ac nulli praeterea concessam describi.

160. Quod quidem ut vehementius inculcent, et quoad eius fieri potest, evidentius explanent, alia patres similia cumulant, ac modo Petri cathedram cum Cypriano [118] vocant *radicem* atque *matricem*, et modo cum Innocentio [119], Bonifacio [120], Felice III [121], gallicanis episcopis [122], africanisque conciliis [123] illam titulo *fontisque* appellatione cohonestant. Egregia sunt quae habentur [124] in epistola trium conciliorum, Numidiae, Byzacenae et Mauritaniae lecta in lateranensi synodo sub Martino I, quamque patres his verbis auspicantur: „Domino beatissimo, apostolico *culmine* sublimato, sancto *patri patrum* Theodoro papae, et *summo* omnium praesulum pontifici." Hoc enim praestituto exordio, subdunt: „Antiquis regulis sancitum est, ut *quidquid* quamvis in remotis vel longinquis positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almae sedis vestrae fuisset deductum, *ut huius auctoritate* iusta quae fuisset pronunciatio *firmaretur*, indeque sumerent *ceterae ecclesiae velut de natali suo fonte* praedicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptae maneant fidei sacramenta salutis."

161. Ut vero hanc *fontis* allegoriam expoliant, subiectamque eidem significationem enucleatius patres edisserant, initio animadvertunt: *Petri cathedram esse catholicae requiem communionis, ac eiusdem tutissimum portum.* His namque verbis de Athanasio Caelestinus [125] scribit: „Fugatus illinc, in nostris

[117]) Praetermitti non debet, orientales episcopos a Damaso *filiorum* nomine compellari.

[118]) Quae huc faciunt testimonia, non semel protulimus.

[119]) Epist. ad milevitanos patres.

[120]) Epist. XIV.

[121]) Epist. XII.

[122]) Epist. synodica ad Leonem I.

[123]) Cf. datas ad Innocentium I. litteras, itemque eas, quas e Sardiniae exsilio ad Johannem et Venerium scripsere.

[124]) Epistola nomen praefert Theodori Pontificis, sed eo vita functo, ad Martinum successorem devenit.

[125]) Epist. ad Clerum et Populum constantinop. n. 7.

partibus recreatus est. Denique hic ei redintegratus est status, et *in hac sede requiem communionis* invenit, in qua semper *catholicis* subvenitur.“ Ante Caelestinum vero de eodem Athanasio, deque eius successore Petro Hieronymus [126] scripserat: „Alexandrini sacerdotes, papa Athanasius, et postea Petrus persequutionem arianae haereseos declinantes, *quasi ad tutissimum communionis suae portum* Romam confugerunt.“

Animadvertunt deinde, tanti propterea faciendam esse cum Petri cathedra societatem, quod I. aliunde iura catholicae communionis exspectari non debeant: quodque II. eiusdem consequutione ipsa catholicae communionis consequutio certissime comprehendatur. Illud totidem verbis tradit [127] Ambrosius, quum de romana ecclesia, quam *totius orbis romani caput* appellat, inquit: *inde enim in omnes venerandae communionis iura dimanant.* Tradit Hieronymus [128] ad Damasum scribens: „Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, idest cathedrae Petri, *communione* consocior. Super illam petram aedificatam ecclesiam scio. Quicumque *extra* hanc domum agnum comederit, *profanus* est.“ Et mox de tribus pro antiochena sede contendentibus addit: „Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque *tecum* non colligit, *spargit.*“ Tradit alexandrinus Cyrillus, qui de communione cum Nestorio vel exscindenda radicitus vel adhuc retinenda, ita Caelestinum alloquitur [129]: „Non *prius* autem illius communionem palam aperteque deserimus, *quam* haec ipsa pietati tuae indicaremus. Digneris proinde quid sentias *praescribere* [130], quo liquido nobis constet *communicare* ne nos cum illo *oporteat*, an vero libere eidem denuntiare, *neminem cum eo communicare.*“ Tradit Hormisdas, qui in formula [131] ab iis subscribenda, qui ad unitatem catholicam ex acaciano schismate redirent, iniungebat ut quisque profiteretur: „Sequestratos a communione ecclesiae catholicae, *idest* non consentientes sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria.“

Posterius vero caput luculenter docet Augustinus [132], quum de Caeciliano, cui universa donatistarum factio adversabatur, affirmat: „Potuisse illum non curare multitudinem conspirantium contra se antistitum, quum se videret *romanae ecclesiae*, in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus . . . , *per communicatorias litteras esse coniunctum.*“ Docet Maximus dum [133] Pyrrhum adhortatur: „Ut festinet prae omnibus sedi romanae satisfacere. Hac enim satisfacta futurum ut eum ubique omnes pium, orthodoxumque praedicarent.“ Docet

[126]) Epist. ad Principiam.

[127]) Epist. ad Gratianum imperatorem, n. 4.

[128]) Epist. XV. n. 2.

[129]) Apud Labbé, T. III. pag. 890.

[130]) Quod profecto nonnisi eius est, qui auctoritate polleat. Unde patres ephesini testantur, se ad damnandum Nestorium accessisse Caelestini litteris *necessario impulsos.*

[131]) Cf. eiusdem epistolam ad omnes Hispaniae episcopos.

[132]) Epist. XLIII. n. 7.

[133]) Epist. ad Petrum Illustrem.

Hieronymus, dum[134] hac Rufinum interrogatione percellit: „Fidem suam quam vocat? eamne qua *romana* pollet *ecclesia*, an illa quae in Origenis voluminibus continetur? si *romanam* responderit, *ergo catholici* sumus." Docet amplissima disputatione[135] Optatus, qui commemoratis quinque ecclesiae dotibus, ac unitate cathedrae priore loco recensita, infert: „Ergo cathedra *unica*[136], quae est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus..., Damaso Siricius hodie, qui noster est socius, *cum quo* nobis *totus orbis* commercio formatarum *in una communionis societate concordat*." Ne quam vero elabendi rimam donatistis apertam relinquat, illorumque coetum non minus cathedrae unitate, quam dotibus reliquis carere ostendat; monet „has ita sibi connexas et individuas esse, ut intelligatur una ab altera separari non posse. Etenim numerantur in nomine, sed uno intellectu suo iunguntur in corpore: ut in manu digiti, quos intervallis singulos videmus esse distinctos. Unde qui tenet unum, totos teneat necesse est, cum unusquisque a paribus separari non possit. Adde quod non unam solum, sed omnes proprie possidemus. Igitur de dotibus supra dictis cathedra est prima, *quam probavimus per Petrum nostram* esse," quaeque ceteras includit atque complectitur. Post quae oratione ad donatistas conversa: „Intelligite, clamat, vel sero, vos esse filios impios, vos esse ramos fractos ab arbore, vos esse abscissos palmites a vite, vos esse rivum concisum a fonte. Non enim potest esse origo rivus, quia parvus est et non de se nascitur: aut arbor a ramo concidi, quum arbor fundata suis radicibus gaudeat, et ramus si fuerit exsectus, arescat. Jamne vides, frater Parmeniane, iamne sentis, iamne intelligis, te argumentis tuis contra te militasse? cum probatum est, nos esse in ecclesia sancta catholica, apud quos et symbolum Trinitatis[137] est: et *per cathedram Petri*, quae nostra est, et *per ipsam ceteras dotes*[138] apud nos esse."

162. Neque fieri sane potuit, ut de primatu Petri, deque insitis eiusdem iuribus aliter arbitrarentur, quibus certum exploratumque erat, idcirco *inter duodecim unum Petrum fuisse delectum*, *ut capite constituto*, quemadmodum

[134]) Con. Rufin. lib. I. n. 4.

[135]) Con. Parmen. lib. II. pag. 34. edit. Paris. 1679.

[136]) Quemadmodum *unica ecclesia*, atque *unicus episcopatus*, unitate nimirum principii, originis atque centri.

[137]) Dubium esse potest, an *symbolum* vocet heic mysterium, ut aliquando symbolica et mystica confunduntur; an potius synecdochice aut κατ' ἐξοχὴν ita vocet apostolorum symbolum, quia Trinitatis mysterium praecipuum est eiusdem argumentum. Malim tamen, inquit Casaubonus, simpliciter accipere pro fide ac professione, ut *symbolum Trinitatis* nihil aliud sit, quam quod Victor uticensis lib. II. *fidem integram Trinitatis* appellat. Neque ratio est impedita, quum symbolum, fideique summa sibi respondeant. Unde non semel ut synonyma coniunguntur. *De fide et symbolo* se disputasse scribit Augustinus Retract. lib. I. cap. XVII, nec aliter alii loquuntur.

[138]) Ubi enim cathedra est Petri, ibi ecclesia est super Petrum aedificata; nimirum vera est ecclesia, quae non potest a suis dotibus seiungi.

Hieronymus loquitur, *schismatis tolleretur occasio*: ut *ad unam Petri sedem*, quae sunt verba Leonis, *universalis ecclesiae cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret*: ut, Cypriano auctore, non minus *unus* esset *episcopatus*, quam *una ecclesia*, ac utriusque *unitas ex uno Petro institueretur*: ut, Paciano atque Gelasio testibus, *ecclesiae unitas ex uno formaretur*, atque *in uno ostenderetur*: ut *unica* esset *cathedra*, sicuti Optatus docet, ac *iam schismatici et peccatores* haberentur, *qui contra singularem cathedram alteram collocarent*: ut denique *unicum* foret *conspicuum conspicui ecclesiastici corporis caput*, *contra quod*, monente Isidoro, *quisquis procaciter veniret*, *tamquam haereticus a consortio fidelium omnino decerneretur alienus*. *Illius* namque *principatus*, ut in litteris ad Hilarum Pontificem [139] datis tarraconenses patres testati sunt, *sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus et amandus*.

COROLLARIUM XV.

163. Quae quum ita se habeant, obscurum videri non potest, *aut quae sit ratio praerogativarum Petri, aut quae de omnimoda apostolorum aequalitate ferri sententia debeat.*

Ut enim ab ea incipiam enodanda quaestione quam primam posui, manifestum est his veluti caussis Petri praerogativas contineri: I. quod is omnium primus regendae administrandaeque ecclesiae, Christo auctore, potestatem obtinuerit: ac II. potestatem non quamcumque, sed plenam cumulatamque: adeo ut III. et caput, et apex, et vertex, et origo, et radix, et fons catholicae communionis, auctoritatisque ecclesiasticae extiterit: cuius propterea virtute IV. quidquid ad ecclesiae regimen pertinet, stabiliretur: cui V. nemo obniti, nemo refragari posset: de quo VI. nemini fas esset iudicare: et cum quo VII. omnes sive pastores sive greges unitatem societatemque custodirent: qua unitate, societatisque commercio fieret VIII, ut *in Petro* una ecclesia, unus episcopatus *ostenderetur*; ac *per Petrum* tam ecclesiae quam episcopatus unitas *formaretur*.

At vero profectae ex hisce caussis praerogativae eam Petri ὑπεροχήν, eamque dignitatem constituunt, cuius ratio hisce maxime notis distinguitur: I. nota *temporis*, siquidem Petrus omnium primus ecclesiastici regiminis auctoritatem acceperit: II. nota *plenae cumulataeque* auctoritatis: III. nota auctoritatis *independentis*, et e qua reliquorum omnium iura *penderent*; neutrum enim denegari illi potest, e quo omnes robur, firmitatemque mutuantur, e quo in omnes venerandae communionis iura dimanant, quemque Christus omnibus ut caput, verticem, apicem, fontemque praefecit: IV. nota *primatus archetypi*, siquidem consilium Christi fuerit ut *in uno Petro ecclesiae unitas monstraretur*: ac nota demum V. *primatus iurisdictionis*, siquidem voluerit Christus ut *per unum Petrum ecclesiae unitas efficeretur*, *schismatis tolleretur occasio*, ac nemo sui mystici corporis particeps censeretur, qui illius auctoritati resisteret.

[139]) Extat inter Hilari epistolas apud Coustant.

Testificor coram Deo et hominibus, scribebat[140] de iconomachis Theodorus studita, *ἑαυτοὺς ἀπέῤῥηξαν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, τοῦ κορυφαϊκοῦ θρόνου, ἐν ᾧ ὁ Χριστὸς ἔθετο τὰς κλεῖς τῆς πίστεως, ᾗς οὐ κατίσχυσαν ἀπ' αἰῶνος, οὐδ' ἂν κατισχύσωσι μέχρι συντελείας πύλαι ᾅδου*, *seipsos abstraxere a corpore Christi, a throno principe, in quo Christus fidei claves posuit, adversus quam nec umquam praevaluerunt, nec ad finem usque mundi portae inferi praevalebunt. Datis* namque[141] Petro *clavibus, illi subinde* Christus *concessit ποιμνιαρχίας ἀξίωμα pastoralis principatus dignitatem, ac ut esset ἀρχιποιμήν, κεφαλὴ τῶν ὅλων κεφαλῶν, pastor supremus, capitum omnium caput.* Quare nobis esse cordi vehementissime debet[142], *ἑνωθῆναι τῇ κορυφῇ τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ θεοῦ Ῥώμῃ, καὶ δι' αὐτῆς τοῖς τρισὶ πατριάρχαις, ut Romae ecclesiarum vertici uniamur, ac per eam tribus patriarchis.*

164. Haec autem abunde sufficiunt, ut alterum quaestionis caput *de omnimoda apostolorum aequalitate* diremtum videatur. Neque enim admitti eiusmodi aequalitas potest, quin Petri *ἀξίωμα*, eiusque *ὑπεροχὴ* qua omnes obnoxios habuerit, denegetur. Utrumque vero Scripturae, et Scripturarum interpretes orthodoxi patres evidentibus illi sententiis adscribunt. Omnimoda igitur apostolorum aequalitas iis accenseri erroribus debet, qui Scripturarum suffragio, orthodoxique nominis consensione refelluntur.

Et sane qui illam defenderunt olim, aut etiamnum defendere pergunt, ne satis quidem ad ea animum advertisse videntur, quae evangelica historia luculentissime tradit. Ut enim[143] duos supra septuaginta discipulos tacitus praeteream, consignatum in evangeliis legimus: I. ex eorum[144] numero qui illum sequebantur, Christum *duodecim* secrevisse, illisque *apostoli nomen, dignitatem, auctoritatemque*[145] contulisse: tum vero II. inter ipsos[146] duodecim *unum* elegisse *Petrum*, illumque *petrae titulo, fundamenti dignitate*, et *proprio claviger iure* exornasse.

Quorsum porro haec? aut quo Christus hac duplici secretione spectavit? si facta, uti par est, accipere ac interpretari velimus, profecto intelligemus: I. non minus *apostolorum delectu* eo spectasse Christum, ut fidelium coetum *inaequalem* redderet; quam *Petri delectu*, ut *novam ipsos inter apostolos inaequalitatem* induceret: neque minus II. apostolorum delectu eo spectasse, *ut auctoritas regendae ecclesiae ad duodecim revocaretur*, quam delectu Petri, *ut eiusdem summa, apex et plenitudo ad unum rediret.*

140) Epist. ad Naucratium.

141) Epist. ad Paschalem Pontificem.

142) Epist. ad Michaelem Traulum imperatorem.

143) Luc. X. 1.

144) Luc. VI. 13—17. coll. Marc. III. 13—19, Matth. X. 1—4.

145) Quoties enim de potestate aut promissa aut collata in evangeliis sermo est, non alii quam apostoli memorantur.

146) Matth. XVI. 18—19, Luc. XXII. 31—33, Joh. XXI. 15—18.

COROLLARIUM XVI.

165. Ex his autem pronum est statuere, an eam regendae ecclesiae *formam* Christus instituerit, quam [147] *ἀριστοκρατικὴν* nuncupant. Ac plurimos omnino esse, illosque e protestantium [148] numero qui id et doceant et contendant, probari argumentis non debet, quum certissimis constet testimoniis. Quibus tamen ne fidamus, brevi eaque decretoria ratione perficitur. Natura enim ac propemodum *οὐσία* aristocraticae formae sita in eo est, ut qui praesunt optimates, remque publicam moderantur, *aequali iure* praesint, nulloque auctoritatis, potestatisque discrimine secernantur. Quamquam enim aristocratica forma non quodvis excludat discrimen, et cum *honoris*, *ordinisque gradibus* non aegre componatur; componi tamen cum discrimine *iurisdictionis* non potest, eoque inducto, periclitatur et interit. Induxit vero Christus *iurisdictionis discrimen*, neque *honore* solum atque *ordine*, sed *iure* etiam ac *potestate* apostolis reliquis Petrum anteposuit. Ea igitur est regendae ecclesiae forma a Christo praefinita, quae censeri aristocratica nequit.

COROLLARIUM XVII.

166. Immo quae dici *monarchica* debet, si sepositis verborum contentionibus de ipsa re serio, prudenterque disputetur. Neque enim ea mihi est *monarchica forma*, qua qui rei communi praeest, *vel nullis obnoxius est legibus*, *vel pro arbitrio* [149] *iubet ac prohibet*, *vel omnia solus administrat*, *vel alios in administratione socios non habet*, *quam quos ipse sponte delegerit*, *et quibus partem aliquam suae auctoritatis delegaverit;* sed ea mihi est monarchica forma, qua reipublicae praefectus I. auctoritatis plenitudine gaudet: II. magistratus reliquos habet obnoxios: III. iudicare ipse omnes potest, a nemine contra iudicari: et cum quo IV. si qui non consentiant, illico rebelles, ipsoque iure laesae maiestatis rei, et a corpore societatis avulsi existimentur. Fac enim ista simul conspirent, atque in unum eumdemque hominem concurrant: nihil profecto eorum desiderabis, quibus *μοναρχίαν* contineri quum veteres [150], tum recentiores [151] rerum publicarum tractatores affirmant et probant.

Atqui effecit revera Christus, ut haec omnia atque singula in unum Petrum

[147]) Cf. Petavium, De Ecclesiast. Hierarch. lib. III. cap. XV.

[148]) Hos recensent Franciscus Buddaeus in Diss. de orig. et potest. episcoporum, itemque in Isagoge historico-theologica, lib. II. cap. IV, et Salomon Deilingius, Miscellan. Sacror. Part. IV. Exercit. VI.

[149]) Neque enim nulli sunt, qui ista confingant. At nobis verissima sunt quae Claudianus scribit in II. Consulat. Stilicon. vv. 113. seqq.:

„Fallitur, egregio quisquis sub principe credit
„Servitium. Numquam libertas gratior extat,
„Quam sub rege pio."

[150]) Cf. Aristot. Politic. lib. III. capp. VI—XI.

[151]) Cf. Grotium, De iure belli et pacis, lib. I. cap. III.

concurrerent, *quem plenitudine auctoritatis instruxit, cui pastores omnes, gregesque subiecit, quem supremum iudicem ordinarit, ac principium fontemque reddidit catholicae unitatis.* Ecclesia igitur, Christo auctore, *μοναρχικῶς* regi, administrarique debet. Unde Johannes Gerso, cuius nimium pro Petri dignitate studium nemo accuset, quemque ipsemet Philippus Melanchthon[152] inter eos numero sane paucissimos recensuit, qui saeculo XV. *pleni essent christiani spiritus*, affirmare[153] non dubitavit: „Statum papalem institutum esse a Christo supernaturaliter et immediate, tamquam *primatum* habentem *monarchicum et regalem* in ecclesiastica hierarchia, secundum quem statum *unicum et supremum* ecclesia militans dicitur *una* sub Christo: quem primatum quisquis impugnare vel diminuere, vel alicui statui ecclesiastico particulari coaequare praesumit, si hoc pertinaciter faciat, *haereticus* est, *schismaticus*, *impius atque sacrilegus:* cadit enim in haeresim toties expresse damnatam a principio nascentis ecclesiae usque hodie, tam *per institutionem* Christi *de principatu Petri super alios apostolos*, quam per traditionem totius ecclesiae in sacris eloquiis suis et generalibus conciliis."

COROLLARIUM XVIII.

167. Quae dum mecum animo reputo, videor mihi videre eam a Christo inter apostolos *σχέσιν* fuisse praestitutam, quae ab illa non admodum discederet, qua hypostases divinae trinitatis ad invicem referuntur. Quemadmodum enim divinae hypostases *distinguuntur* illae quidem, neque tamen *separantur;* ita apostoli quamquam *distincti*, nullatenus tamen *seiunguntur*. Quemadmodum *plenitudo divinitatis* in Patre *primum*, ac in Filio *deinde* sanctoque Spiritu intelligitur; ita *plenitudo potestatis* Petro *primum* promissa atque collata, ad apostolos *deinde* reliquos cum eo cohaerentes propagatur. Quemadmodum in Patre *οἰκονομία* divinarum personarum *ἀνακεφαλαιοῦται*, et ad *μοναρχίαν* revocatur; ita in Petro *summa* contrahitur ecclesiasticae potestatis, quae propter coniunctionem cum ipso *una* est in omnibus, sicut *una* est ecclesia ac *unus* episcopatus. Quemadmodum denique *ἀξίωμα* est Patris, ut *παράδειγμα* sit, *ἀρχή, πηγὴ καὶ ῥίζα unitatis in trinitate;* ita *ἀξίωμα* est Petri, ut *archetypus* sit, *principium, fons* ac *radix unitatis in regno Dei*, quod est ecclesia.

168. Ac ne cui audentius quam par foret, eiusmodi comparatio instituta videatur; operae pretium fore arbitror verba referre, quibus suam ad Patrem orationem pro apostolis primum, ac pro fidelibus mox universis Christus concepit. Pro apostolis igitur his omnino verbis Patrem[154] exoravit: *Πάτερ ἅγιε, τήρησον αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου, ᾧ*[155] *δέδωκάς μοι, ἵνα ὦσιν ἓν καθὼς*

[152]) In apologia pro Luthero adversus furiosum parisiensium theologastrorum decretum. Sic ille, urbane profecto ac modeste.

[153]) De Stat. Eccles. Consid. I.

[154]) Joh. XVII. 11.

[155]) Vulgatus, *quos*, *οὕς*.

ἡμεῖς. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quo mihi dedisti, ut sint unum sicuti*[156] *nos.* Pro fidelibus vero omnibus subiecit[157]: *Οὐ περὶ τούτων δὲ ἐρωτῶ μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν*[158] *πιστευόντων διὰ τοῦ λόγου αὐτῶν εἰς ἐμέ· ἵνα πάντες ἓν ὦσι· καθὼς σύ, πάτερ, ἐν ἐμοί, κἀγὼ ἐν σοί, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν ἓν ὦσιν· ἵνα ὁ κόσμος πιστεύσῃ, ὅτι σύ με ἀπέστειλας. Καὶ ἐγὼ τὴν δόξαν ἣν δέδωκάς μοι, δέδωκα αὐτοῖς· ἵνα ὦσιν ἕν, καθὼς ἡμεῖς ἕν ἐσμεν· ἐγὼ ἐν αὐτοῖς, καὶ σὺ ἐν ἐμοί· ἵνα ὦσι τετελειωμένοι εἰς ἕν, καὶ ἵνα γινώσκῃ ὁ κόσμος, ὅτι σύ με ἀπέστειλας, καὶ ἠγάπησας αὐτούς, καθὼς ἐμὲ ἠγάπησας. Non solum autem pro eis rogo, verum pro illis etiam qui credunt per verbum eorum*, eorumque ministerium *in me; ut omnes unum sint; quemadmodum tu Pater in me et ego in te, ipsi quoque*[159] *unum sint in nobis, ut mundus* hoc signo edoctus *credat, quia tu me misisti. Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, quemadmodum nos unum sumus; ego in eis et tu in me; ut sint consummati in unum*, et perfecta unitate coniuncti, *ac ut cognoscat mundus, quod tu me miseris, eosque dilexeris, sicut me dilexisti.*

Postulavit igitur tam pro apostolis, quam pro ecclesia illorum studiis colligenda unitatem concordiamque: illius vim rationemque declaravit: ac exemplar proposuit quod ea referret. Et *vim* quidem *rationemque* declaravit dupliciter, tum I. verbis, *ἵνα πάντες ἓν ὦσιν*, et, *ἵνα ὦσι τετελειωμένοι εἰς ἕν*, quibus eam fore *arctissimam* ostendit; quum II. verbis, *ἵνα ὁ κόσμος πιστεύσῃ, ὅτι σύ με ἀπέστειλας*, et, *ἵνα γινώσκῃ ὁ κόσμος, ὅτι σύ με ἀπέστειλας, καὶ ἠγάπησας αὐτούς*, quibus eam fore *conspicuam*, utpote *signum argumentumque* quo mundus ad fidem cognitionemque adduceretur, patefecit. *Exemplar* vero, cuius arctissima eademque conspicua apostolorum, fideliumque unitas *ἔκτυπος* foret, semel ac iterum exhibuit, inquiens: *καθὼς σύ, πάτερ, ἐν ἐμοί, κἀγὼ ἐν σοί:* et, *καθὼς ἡμεῖς ἕν ἐσμεν.* Videlicet paradigma unitatis, quae in apostolis primum, et credentibus deinde omnibus refulgeret, ex unitate deprompsit, qua divinae trinitatis hypostases cohaerent.

Nemo igitur vitio vertere nobis potest, quod eamdem illustraturi unitatem *praemonstratam in Petro*, veluti *in archetypo*, ac *ex Petro* tamquam *e propinquo, conspicuoque fonte institutam*, ad exemplar nos Trinitatis receperimus, atque adumbrationem ex eo aliquam illius mutui habitus deduxerimus, quo propter *ἀξίωμα* primatus cum apostolis et ecclesia Petrus, ac apostoli vicissim et ecclesia cum Petro devinciuntur.

[156]) De multiplici adverbiorum comparandi potestate, cuiusmodi sunt ὡς, ὥςπερ, καθώς, οὕτως, videsis Glassium, Lib. I. Tract. V. can. XLVII.

[157]) Joh. XVII. 20—24.

[158]) Vulgatus, *qui credituri sunt*, *πιστευσόντων*.

[159]) Scite Bengelius in Gnomone ad h. l.: *Ἵνα καί, ut etiam. ἵνα, ut*, quasi post parenthesim heic repetitur ex initio versus.

169. Eo vel magis quod non ea sit haec illustrandi ratio, quae aut primum nobis in mentem venerit, aut patres, scriptoresque ecclesiasticos penitus latuerit. Ne enim auctores paullo recentiores, eosque numero plures[160] commemorem, Cyprianus[161] quum totus in id incumbit, ut ecclesiae unitatem explanet, ait: „Dicit Dominus, *ego et Pater unum sumus.* Et iterum de Patre et Filio et Spiritu sancto scriptum est[162], *et hi tres unum sunt;* et quisquam credit hanc unitatem *de divina firmitate* venientem, *sacramentis caelestibus* cohaerentem, scindi in ecclesia posse, et voluntatum collidentium divortio separari? hanc unitatem (ad exemplar divinae trinitatis expressam) qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, et veritatem non tenet ad salutem." Et in epistola ad Magnum[163] de eadem disputans unitate, scribit: „Idcirco Dominus insinuans nobis unitatem de divina auctoritate venientem ponit et dicit, *ego et Pater unum sumus; ad quam unitatem redigens* ecclesiam suam, denuo dicit[164], *et erit unus grex et unus pastor.*" Quibus ista plane concinunt Symmachi romani praesulis[165]: „Ad Trinitatis instar, cuius una est atque individua[166] potestas, unum est per diversos antistites sacerdotium."

[160]) Cf. Bolgenii opusculum inscriptum, *Difesa dell' Episcopato.*

[161]) De unit. ecclesiae.

[162]) I. Joh. V. 7. cf. Joh. X. 30.

[163]) Epist. LXXVI.

[164]) Joh. X. 16.

[165]) In priore apud Labbeum epistola T. IV. pag. 1291.

[166]) Cuius tamen individuae potestatis origo atque principium in Patre est.

CAPUT XI.

Conferuntur ad invicem sermo Christi apud Johannem capp. XIII—XVIII, eiusque ad Petrum verba Luc. XXII. 31—33: — quadruplex unitas, quam Christus pro apostolis, proque credentibus universis deprecatus est: — ea est unitas qua postulavit, ut unum omnes essent unitate internae caritatis, unitate eiusdem fidei, unitate cum eodem invisibili capite, ac unitate conspicua societatis et corporis: — quadruplex principium, quo respondentes unitatis modi, Christo auctore, effici debent: — de principio efficiente conspicuae unitatis: — ostenditur Petrum esse: — cuius idcirco primatus adstruitur: — ac e nexu rursum confirmatur, quo verba descripta Luc. XXII. 23—31. cum iis cohaerent, quae sequuntur vv. 31—33: — hoc enim nexu constat Petrum esse, qui μείζων καὶ ἡγούμενος prae ipsis apostolis constituitur.

170. Opus non est argumentis quibus comprobetur, egregie interpretationem iuvari, si dissitae avulsaeque sermonis partes in unam veluti summam coniungantur, coniunctaeque expendantur atque enarrentur. Hac enim consociatione fit, ut quo universa spectet oratio, evidentius percipiatur, quid sit primum, quid medium, quid ultimum, quid antecedens, quid consequens plenius innotescat, luculentiusque intelligatur quae suppleri debeant, quae premi, quae potissimum animadverti. Evangeliorum porro collatione liquet, ad unum eumdemque Christi sermonem referri tum quae pluribus continenter capitibus Johannes [1] narrat, quum quae brevius perstringit Lucas, unoque [2] capite comprehendit. Studium igitur sincerae accurataeque interpretationis, qua solum Christi consilia, voluntatesque probe dignosci possunt, omnino praecipit, ut narrata ab utroque evangelista simul conferantur, quidve ex iis, ceu unius corporis membris sit consequens, determinetur.

171. Jamvero quum plura sint quae Johannes recitat, omniaque dignissima Filio Dei, supremoque tempore quo illa proloquutus est; extant tamen ac prae ceteris eminent quae ad commendandum *unitatis sacramentum* referuntur. Etenim Christus non unitatem modo saepissime inculcat, illamque sibi vehementer cordi esse prolixe declarat; sed et pro ea Patrem deprecatur, *multiplicem illius modum rationemque secernit, principia aperit quibus effici debet, dignitatemque illi adscribit tesserae atque indicii, quo suimetipsius divina missio, supernaque christianismi origo demonstretur.*

[1]) Joh. capp. XIII—XVIII. [2]) Luc. cap. XXII.

Ac *principio* quidem *unitatem* memorat *caritatis*, illius necessitatem docet, praestantiamque ostendit [3], inquiens: Ἐντολὴν καινὴν δίδωμι ὑμῖν, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους· καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀγαπᾶτε ἀλλήλους. ἐν τούτῳ γνώσονται πάντες, ὅτι ἐμοὶ μαθηταί ἐστε, ἐὰν ἀγάπην ἔχητε ἐν ἀλλήλοις. Et [4] rursum: Αὕτη ἐστὶν ἡ ἐντολὴ ἡ ἐμή, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους, καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς. μείζονα ταύτης ἀγάπην οὐδεὶς ἔχει, ἵνα τις τὴν ψυχὴν αὐτοῦ θῇ ὑπὲρ τῶν φίλων αὐτοῦ. Ac [5] mox: Ταῦτα ἐντέλλομαι ὑμῖν, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους. Unitas igitur, quae *e fonte caritatis* dimanat, et qua membra ecclesiae cohaerere debent, a Christo dicitur ἡ ἐντολὴ ἡ ἐμή, ἐντολὴ καινή, *praeceptum meum*, *praeceptum novum* atque [6] *eximium*. Praeceptum *meum* et *novum*, utpote iudaeis inauditum, qui a consortio cum gentibus ceteris abhorrebant: praeceptum *meum* et *novum*, utpote a gentilium moribus alienissimum, qui non minus varietate cultus ac numinum, quam animorum oppositione dissidebant; praeceptum vero *eximium*, tum quia ad exemplar illius caritatis [7] expressum, quo Christus vitam suam profudit: tum quia veluti γνώρισμα propositum, quo discipuli eius *qui* [8] *caritas est*, certissime cognoscerentur.

172. Cum ea unitate, quae *dilectione* conciliatur, quaeque suapte natura *interior* sic est, ut *externis* quoque *signis* se manifestet ac prodat; *alteram* iungi sociarique Christus voluit, quae *ex unius eiusdemque divini Spiritus directione* proficiscitur. Ad hanc enim significandam unitatem ista [9] pertinent: Καὶ ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα, καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα· τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ ὁ κόσμος οὐ δύναται λαβεῖν, ὅτι οὐ θεωρεῖ αὐτό, οὐδὲ γινώσκει αὐτό· ὑμεῖς δὲ γινώσκετε αὐτό, ὅτι παρ' ὑμῖν μένει, καὶ ἐν ὑμῖν ἔσται. Pertinent quae infra [10] subdit: Ὁ δὲ παράκλητος, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου, ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα, καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα ἃ εἶπον [11] ὑμῖν. Tum [12] haec: Ἐὰν γὰρ ἐγὼ μὴ ἀπέλθω, ὁ παράκλητος οὐκ ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς· ἐὰν δὲ πορευθῶ, πέμψω αὐτὸν πρὸς ὑμᾶς. Atque ista [13] postremo: Ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει, καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν. ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ [14] λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν. Neque enim fieri potest, ut qui uno eodemque aguntur Spiritu, hi non conspirent, sed dissideant, ac in diversa et secumipsis pugnantia rapiantur.

[3]) Joh. XIII. 34—36.

[4]) Joh. XV. 12.

[5]) Ibid. v. 17.

[6]) Utramque enim significationem τὸ καινὸν complectitur.

[7]) Joh. X. 15.

[8]) Praeclarissima Dei descriptio haec est I. Joh. IV. 8: Ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστίν.

[9]) Joh. XIV. 16—18.

[10]) Ibid. v. 26.

[11]) Al. λέγω, Vulgatus, *dixero*.

[12]) Joh. XVI. 7.

[13]) Ibid. vv. 13—15.

[14]) Griesbachius praefert, λαμβάνει.

Verum *cuiusmodi proprie* censeri unitas debet ex unitate communicati, dirigentisque Spiritus profecta, ac *unde* ea ἀμέσως dependet? e *dotibus officiisque*, quae Spiritui, eidemque Paracleto tribuuntur, de unitate statuendum est, quae illius ope, praesidioque conficitur. Bis autem ac tertio mittendus Spiritus dicitur τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ac eidem veluti *proprium* tribuitur, quod *suggerat*, quod *annunciet*, quod *doceat*, et quod εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν *perducat*. Unitas igitur missione atque Spiritus directione efficienda *divisioni* opposita est, quam *perniciosa ignorantia*, *errorque* pariunt. Haec autem unitas est *fidei*, *religionis*, *professionisque christianae*. Promisit igitur futurum Christus, ut *ad unitatem caritatis unitas fidei* accederet, *cuius suprema caussa atque princeps origo* communicatione, influxu ac numine Paracleti Spiritus contineretur.

173. Quod autem est in *naturae ordine* perspicuum, ut *principes caussae per interiectas caussas secundas* effectus suos perficiant; idipsum decrevit Christus ut *in supernaturali quoque charismatum ordine* obtineret. Quoties enim veritatis Spiritum pollicetur, illum toties pollicetur [15] *apostolis*, quibus spem facit certissimam fore ut cum eis, eorumque in apostolico munere successoribus iugiter maneat: ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν [16] αἰῶνα: παρ' ὑμῖν μένει, καὶ ἐν ὑμῖν ἔσται: ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα, καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν: ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρός: πέμψω αὐτὸν πρὸς ὑμᾶς: ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν: τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν. Unitas itaque fidei *a suprema caussa*, cuiusmodi est Paracletus Spiritus, exspectari sic debet, ut per apostolos, illorumque legitimos successores [17], *veluti per interiecta media*, *proxime* conficiatur. Quare *duplex* secernatur, probeturque oportet *unitatis fidei efficiens*, *subordinatumque principium*: alterum *summum*, *per se efficax* ac *validum*, quale est Spiritus Paracletus: et alterum *medium*, ac *nonnisi participatione validum*, quales sunt apostoli, quique illis in officio annunciandi, docendique ad finem usque saeculi succedent.

E quibus quisque facile intelligit, quid arbitrari de iis [18] deceat, qui *hac principiorum subordinatione insuper habita*, non aliam unitatis fidei caussam admittunt quam *invisibilem* et *supremam*, neque ad aliam normam, quam *ad interni Spiritus afflatum*, *directionemque*, fidem suam moderantur. Existimari nimirum debet, reos illos esse *violati ordinis* quem Christus praefinivit, ac *spe* illudi, quae Christi promissionibus adversatur. Utique neque *fides*, qua ad salutem credimus, neque *fidei unitas*, quae eiusdem nos praeceptoris discipulos ostendit, aliunde quam *a divino Spiritu* dimanant; sed neutra a divino Spiritu est nisi *per apostolos*, *perque eos* qui cum apostolis *praeordinatam doctorum seriem* constituunt. Quapropter divinae Christi institutioni refragantur, ac in

[15]) Qui igitur reiecto apostolico ministerio, Spiritum iactitant, hi sibi vindicant quod numquam illis Christus promisit.

[16]) Sunt istis parallela quae habentur Matth. XXVIII. 20.

[17]) Unde maxima videri debet necessitas ministerii, quod ab apostolis inchoatum legitima ordinatione iugiter perseveret.

[18]) Hi autem sunt plerique omnes a catholica unitate seiuncti.

manifesto naufragandi circa fidem periculo versantur, qui *invisibili Spiritus actioni* eo se usque committunt, ut doctorum quos Christus praeordinavit, magisterium directionemque aspernentur.

174. Ceterum praeter *utramque unitatem dilectionis* et *fidei*, quarum illa *effectus* est *caritatis diffusae in cordibus nostris*, haec vero *Spiritus* qui *una cum authentico externoque magisterio* nos illustrat ac regit, *tertiam* commemorat Christus, atque his verbis [19] designat: *Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ γνώσεσθε ὑμεῖς, ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρί μου, καὶ ὑμεῖς ἐν ἐμοί, κἀγὼ ἐν ὑμῖν. In illa die*, quae post meam resurrectionem vobis elucescet, *cognoscetis* multo quam nunc plenius, *quod ego* sum *in Patre meo* qui vita [20] est, et Pater in me, *et vos in me, et ego in vobis*, atque adeo vos in Patre, et Pater in vobis. Quibus unitas *ἀμέσως* exprimitur, quae *effectus* est coniunctionis, ac ferme *ἐνυπάρξεως*, qua Christus in fidelibus, et fideles in Christo sunt atque existunt. Significat enim eam, absoluta oeconomia, futuram secumipso fidelium *ἕνωσιν*, quae par sit adumbrandae *mutuae inexistentiae*, qua ipse in Patre, ac in ipso vicissim Pater existit.

Cuius *ἑνώσεως* vim praestantiamque ut apostoli ac fideles plenius evidentiusque perciperent, similitudine usus est omnium accommodatissima [21] inquiens: *Ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή, καὶ ὁ πατήρ μου ὁ γεωργός ἐστι. πᾶν κλῆμα ἐν ἐμοὶ μὴ φέρον καρπόν, αἴρει αὐτό· καὶ πᾶν τὸ καρπὸν φέρον, καθαίρει* [22] *αὐτό, ἵνα πλείονα καρπὸν φέρῃ. Ego sum vitis vera, et pater meus agricola est. Omnem palmitem in me*, mihique insitum, *non ferentem fructum*, Pater *illum tollet* resecabitque; *at omnem eum palmitem qui fructum affert*, Pater *mundabit illum*, *ut* mundatus purgatusque *uberiorem fructum ferat*. Paucis vero interiectis allegoriam explanans [23], subdit: *Ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος, ὑμεῖς τὰ κλήματα· ὁ μένων ἐν ἐμοί, κἀγὼ ἐν αὐτῷ, οὗτος φέρει καρπὸν πολύν· ὅτι χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν. Ἐὰν μή τις μείνῃ ἐν ἐμοί, ἐβλήθη ἔξω ὡς τὸ κλῆμα, καὶ ἐξηράνθη· καὶ συνάγουσιν αὐτά, καὶ εἰς τὸ πῦρ βάλλουσι, καὶ καίεται. Ἐὰν μείνητε ἐν ἐμοί, καὶ τὰ ῥήματά μου ἐν ὑμῖν μείνῃ, ὃ ἐὰν θέλητε αἰτήσεσθε, καὶ γενήσεται ὑμῖν. Ego sum vitis* illa vera, *vos palmites: qui manet in me, et ego in ipso, hic* tandem *fructum fert uberem: quia sine me nihil potestis facere*, nullumque fructum ferre. *Si quis in me non manserit*, iam *foras* ac extra vineam *proiectus* [24] *est*, *ceu palmes inutilis*, *et aruit: et colligunt eos*, resectos videlicet abiectosque palmites, *et in ignem coniiciunt, et ardent. Si manseritis in me, et verba mea* quae [25] mun-

[19]) Joh. XIV. 20.

[20]) Ibid. VI. 57.

[21]) Ibid. XV. 1—3.

[22]) De *καθαίρω* notat Eustathius, *λέξις θεία καὶ σεμνή*. Munda, fecundaque quaerit Pater caelestis, et idcirco illa mundat, ut fecunda sint.

[23]) Joh. XV. 5—8.

[24]) Qua loquendi forma, cui hanc Vulgatus substituit, *mittetur foras* ...., *et arescet*, non certitudo solum eventus, sed ipsemet eventus oculis obiicitur.

[25]) Joh. XV. 3.

ditiem afferunt, *in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis*, vestraque vota, utpote a voluntate munda profecta, implebuntur.

Quibus efficitur talem futuram cum Christo fidelium coniunctionem, atque ex coniunctione obortam unitatem, qualis coniunctio palmitum cum vite, et inde profecta unitas censetur. Ne vero palmites arescant, ac influxu vitis, fructuumque ubertate priventur, necesse est ut intime cum ipsa vite coniuncti *non plura, diversaque corpora*, *sed unum illudque continuum corpus* constituant. Consilium igitur Christi postulat, ut ea sit fidelium cum ipso coniunctio, e qua *unum* existat *continuum corpus*, quod ex illis *ceu palmitibus ac membris*, atque e Christo ipso *ceu vite et capite* omnia interius vegetante componatur. Cuius quidem coniunctionis atque unitatis *duplex* est *caussa: antecedens* altera ac *princeps*, quaeque ab influxu Christi, qui vitis est, non distinguitur: ac altera *comitans*, *subsequens* et *secunda*, quae *συνεργείᾳ* continetur, qua fideles, utpote *vivificati rationalesque palmites* [26], influxum Christi recipientes, cumque eo cooperantes, illius [27] *verba retinent*, *in eius dilectione manent*, statutaque ab eo *praecepta sanctissime custodiunt.*

175. *Quartum* succedit, idemque postremum unitatis genus, quo Christus ecclesiam suam insignem voluit, iisque expressit verbis quae praecedenti capite [28] adduximus, et quorum huc [29] summa redit: *Καὶ οὐκέτι εἰμὶ ἐν τῷ κόσμῳ· καὶ οὗτοι ἐν τῷ κόσμῳ εἰσί, καὶ ἐγὼ πρὸς σὲ ἔρχομαι. πάτερ ἅγιε, τήρησον αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου, ᾧ δέδωκάς μοι, ἵνα ὦσιν ἓν καθὼς ἡμεῖς.* *Et non amplius sum in mundo, hi autem in mundo sunt*, et periclitari pergunt, *et ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quo dedisti mihi*, ut tui porro maneant, ac a te mihi dati cognoscantur, *ut sint unum sicut nos*. Quae sane probant, destinatum fuisse Christo, ut *πιστεύοντες* non inter se minus atque ad invicem *externa conspicuaque coniunctione unum essent*, quam ut unum essent *interiori vinculo caritatis*, unum *propter ductum unius Spiritus*, ac unum *propter influxum* eiusdem vitis, *necessitudinemque cum uno eodemque capite intus membra alente atque animante.*

In quaestionem porro venit, consuluerit nec ne Christus *caussae*, *principioque* quo *exterior eademque mutua fidelium unitas formaretur*. Ac illi plane Christum consuluisse, neminem negaturum arbitror qui secum reputet *vel divinam eiusdem sapientiam*, qua media ad finem assequendum idonea numquam non deligit, *vel bibliorum analogiam* qua docemur, et *per diffusam caritatem* providisse unitati interiori, et *per missionem Spiritus*, *doctorumque magisterium* unitati fidei, et *per influxum alentis interius vitis* unitati, qua ipsemet corpus suum fovet, sibique devincit. Dissidium ergo, quod sane videbimus esse gravissimum, non in eo situm est, utrum Christus *caussam*, *principiumque* instituerit, quo exterior fidelium unitas efficeretur: hoc enim omnes

[26]) Ibid. v. 5.

[27]) Ibid. v. 7.

[28]) Cf. cap. X. n. 168.

[29]) Joh. XVII. 11.

profitentur; sed *cuiusmodi* sit hoc principium, quaeque illius sit *indoles*, *natura* ac *ratio*.

176. Una namque est protestantium vox, atque sententia concors, *non aliunde*[30] *quam a Christo capite desumi caussam principiumque oportere, quo conspicua exteriorque fidelium unitas efficiatur*. Quod sane quum illi docent, *neque ad Scripturas*, uti par foret, *advertere*, *neque id quod cum rebus aptum nexumque est considerare* videntur. Unitas enim exterior, unitas corporis, conspicuaeque societatis ex eo dimanare nequit, quod non oculos modo, sed sensus omnino omnes praetergreditur. Necesse namque est, ut caussae suis respondeant effectibus, atque necesse idcirco est, ut caussa unitatis conspicuae atque externae externa sit atque conspicua. Jamvero *pro eo statu*, ad quem ista verba referuntur, *καὶ οὐκέτι εἰμὶ ἐν τῷ κόσμῳ*, non oculos tantum, sed omnes plane sensus Christus excedit. Contra igitur ac rerum natura exigat, *conspicuae externaeque unitatis principium* a Christo iam mortis victore atque in caelis glorioso repetendum esse contenditur.

Quod quidem etsi vim praeferat ad persuadendum non mediocrem, sinam tamen ut nullo in loco a protestantibus habeatur, illisque ultro permittam ut *unius Scripturae suffragio* contentio omnis determinetur.

177. Ac determinatur sane luculenter, dummodo *duplex unitatis modus*, quem Christus *manifesta orationis progressione*, *phraseon*, *formularumque diversitate*, *apertisque verbis* distinxit, praepostere non confundatur. Quamdiu enim haec distinctio incolumis manserit, ac memorata tertio loco[31] unitas ab ea secernatur quae quarto postremoque loco praecipitur ac signi instar proponitur; tamdiu opus erit, ne unum idemque, sed aliud ac diversum *efficiens utriusque principium* videatur. Efficiens autem principium unitatis tertio loco institutae, quae unitas est *invisibilis* ac *interna*, ipsemet perhibetur Christus, qui fideles *ceu palmites* secum tamquam *cum vite* coniungit, coniunctosque influxu suo fovet atque nutrit. Necesse igitur est, ut quartae postremaeque unitatis, quae unitas est *conspicua*, *exterior*, *et qua fideles ceu mystica membra in unum visibile corpus conspirant*, aliud a Christo *invisibili capite* efficiens principium existimetur.

Quod qui negant, hi sibi copiam omnem, facultatemque praeripiunt, qua Christi verba secumipsis componant, apteque interpretentur. Iis enim si fidem adhibemus, *utriusque unitatis* quum *invisibilis atque internae*, tum *externae atque conspicuae* unicum est principium, ac unicum *invisibile caput* Christus. Qui igitur, amabo, fit ut quum *invisibilem unitatem simpliciter*[32] *Christus affirmet*, *visibilem* contra[33] *fusis ad Patrem precibus imploret?* qui fit ut quum *invisibilem unitatem sibi simpliciter asserat*, *ac illius se fore caussam de-*

[30]) Hinc illorum adversus dignitatem conspicui capitis Petro factam non minus crebrae, quam vehementissimae declamationes.

[31]) n. 174.

[32]) Joh. XIV. 20.

[33]) Ibid. XVII. 9. seqq.

claret, visibilem contra Patri commendet, ac illius benevolentiae tutelaeque[34] committat? Haec omnia tenebrae sunt iis, qui *utramque unitatem* commiscent, ac *utriusque unitatis* unum Christum efficiens principium ac invisibile esse caput defendunt.

Neque multo iis luculentiora sunt ista, quibus Patrem[35] Christus deprecatur: Ὅτε ἤμην μετ' αὐτῶν ἐν τῷ κόσμῳ, ἐγὼ ἐτήρουν αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου.... Νῦν δὲ πρὸς σὲ ἔρχομαι. Horum enim huc sententia redit: *quamdiu in mundo cum ipsis visibilis fui, invisibiliter namque cum illis semper ero, illosque instar vitis mea vita vivificabo, tamdiu egomet ipse illis prospexi, atque in tuo nomine qui me misisti, iunctos unitosque servavi. Sed ad te iam redeo, mundum relinquo, ac ab iis explendis partibus cesso quae conspicui capitis sunt propriae. Reliquum est igitur, ut tu, alio instituto*[36] *conspicuo capite, meas illi vices committas, per eum conspicuae omnium unitati provideas, omnesque secum, nobisque iunctos tuearis.* Quae sane a protestantium opinionibus ita dissident, ut illas penitus refellant, catholicorum vero doctrinam de Petro conspicuo ecclesiae capite, ac efficiente conspicuae unitatis principio egregie confirment.

178. De qua confirmatione eo minus fas erit ambigere, quo Christi apud Johannem verba cum eiusdem apud Lucam effatis diligentius conferantur. Inter cetera enim testatur[37] Lucas, non prius ex ore Christi apostolos audivisse, καὶ ὁ μὲν υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου πορεύεται κατὰ τὸ ὡρισμένον, quam non sine contentione percontari incoeperint, τίς αὐτῶν δοκεῖ εἶναι μείζων, *quis ex ipsis maior futurus esset.* Sed quae huius litis excogitari occasio potest? non est cur de ea simus solliciti, quando illam aperte Lucas[38] ac multo etiam apertius Johannes[39] expresserit. Audiverant enim apostoli Christum ab illis *visibiliter* recessurum, eumque audierant a Patre enixe postulantem, ut vellet illorum *conspicuae unitati* prospectum. Abunde igitur sibi visi sunt intellexisse: I. Christum ab iis explendis partibus desiturum, quas adhuc mortalis obierat, et quibus *visibilis unitas* continetur: imminere propterea tempus II. quo alter illius vices acciperet, ac munere *visibilis capitis* fungeretur. Hanc conceptam animo cogitationem ut efferrent, sciscitabantur, τίς αὐτῶν δοκεῖ εἶναι μείζων. Sensus igitur quem Christi verbis apostoli subiecerunt, quum ab eo longissime discrepet quem protestantes sequuntur, cum eo vicissim praeclare consonat quem catholici probant, et e quo consequens esse arbitrantur, *Christo iam in caelos recepto, demandatas alteri fuisse partes, quibus conspicua unitas efficeretur.*

179. Non me latet reponi posse, a mente consilioque Christi aberrasse apostolos, eiusque verba aliter ac deceret accepisse. At enimvero I. oratio

[34]) Ibid. v. 11.

[35]) Ibid. vv. 12—14.

[36]) Quod cum eis visibiliter versetur, quemadmodum ego cum illis fui.

[37]) Luc. XXII. 22—24.

[38]) l. c.

[39]) Joh. XVII. 12.

Salvatoris eum suapte sponte[40] sensum fundit, qui apostolorum animos occupavit. Praeterea II. ne interposita quidem syllaba in apostolorum errorem Jesus animadvertit. Immo III. aperte significavit, nihil sentire apostolos, quod vel a rei veritate, vel a consilio quod ipsemet susceperat, abhorreret. Significavit enim, quod fuit a nobis superius[41] demonstratum, ratum sibi esse, ut ex apostolis unus dignitate *τοῦ μείζονος καὶ τοῦ ἡγουμένου* cohonestatus, suas in formanda, tuendaque visibili unitate partes vicesque susciperet. Quum vero unum alloquens[42] Petrum adiecit: *στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου*, pressius evidentiusque declaravit, eum esse quem in suimetipsius locum suffecerat, quemque apostolis, universaeque ecclesiae, tamquam *μείζονα καὶ ἡγούμενον*, efficientemque unitatis caussam praeposuerat.

Ad haec IV. in eodem apud Johannem[43] sermone praemiserat: *Οὐκέτι ὑμᾶς λέγω δούλους, ὅτι ὁ δοῦλος οὐκ οἶδε τί ποιεῖ αὐτοῦ ὁ κύριος· ὑμᾶς δὲ εἴρηκα φίλους, ὅτι πάντα ἃ ἤκουσα παρὰ τοῦ πατρός μου, ἐγνώρισα ὑμῖν. Non amplius vos servos appello, quod servus non novit quid eius dominus faciat; sed vos dixi*[44] *amicos, quod quaecumque omnia audivi a Patre meo*, atque a me facienda in mandatis accepi, *vobis manifestavi.* Nuspiam vero gravissimum doctrinae caput *de principio externae conspicuaeque unitatis* apostolis suis, suisque amicis aperuisset, nisi tum illud patefecisse existimetur, quum et inter apostolos unum reliquis futurum *μείζονα*, omniumque *ἡγούμενον* edixit, et ad Petrum conversus, illi uni praecepit, *στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.* Superest igitur ut Petrus institutus a Christo *μείζων καὶ ἡγούμενος* putetur, eique tributa dignitas credatur, qua iure officioque stabiliendi roborandique fratres instructus, dissensionibus obviam iret, praeclarissimoque unitatis bono consuleret.

180. Quam quidem veritatem hi probabunt omnes, sibique tenendam esse iudicabunt, qui *habitum* animadverterint, quo *sermonis illius partes cohaerent*, quem Christus habuit, quemque Lucas[45] narravit. Ac illae sane cohaerent, quamquam avulsae seiunctaeque *prima fronte* videantur. Aliud namque prorsus est *orationem abrumpi*, ac aliud *eam ita temperari inflectique*, ut *sensum subinde* fundat *ampliorem*, vel *strictiorem* contra *angustioremque*. Exordium porro quod Lucas[46] interserit, scribens: *εἶπε δὲ ὁ κύριος*, indicium utique *per se* est inflexae nonnihil orationis, sed illam penitus abrumpi minime ostendit. Quae autem[47] consequuntur, *Σίμων, Σίμων, ἰδού*, innuunt quidem orationem corripi, remque gravissimam proponi; sed *per se* neque innuunt, neque vero innuere possunt, ea esse a praecedentibus separata ac discissa. Immo particula *δέ*, qua in exordio utitur Lucas, mutuum omnium nexum, arctamque necessitudinem demonstrat. Neque enim alia illi subesse vis potest, quam vel *parti-*

[40]) Expende rursum quae adduximus testimonia.
[41]) Lib. I. cap. VIII.
[42]) Luc. XXII. 32.
[43]) Joh. XV. 15.
[44]) Cf. Luc. XII. 4.
[45]) Luc. XXII. 25—33.
[46]) Ibid. v. 31.
[47]) Ibid.

culae adversativae, vel *signi* quo ἀπόδοσις suae respondens προτάσει ostenditur, vel *tesserae* qua continuatio exhibetur. Harum vero significationum nulla est, quae *coniunctionis habitum* sequentia inter ac antecedentia non praeferat.

181. Cuius habitus haud paullo illustrius *e rebus ipsis* argumentum depromitur. Quum enim contentiose de honoribus, deque celsiore dignitatis gradu apostoli disputarent, nihil habuit [48] antiquius Christus quam illos commonere, necesse esse, ut qui reliquis μείζων, omniumque ἡγούμενος futurus erat, eam sibi dictam legem in suo obeundo munere existimaret, quam ipsemet sua agendi ratione praemonstraverat, non quam οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν sequi solent.

Tum brevibus utramque describens ac sibi mutuo opponens, adiecit: „Reges quidem gentium iis dominantur quibus praesunt, magnos affectant titulos, unde εὐεργέται nuncupantur; at enimvero quamquam ego penes vos fuerim *dominus* ac *magister*, aliter tamen me gessisse probe nostis. Neque enim imperium exercui, sed servivi: neque recubui, sed ministravi: neque magnis studui nominibus, sed vos omnes amicos fratresque compellavi. Hoc igitur exemplar quum omnium vestrum animis, tum illius potissimum oculis obversetur, qui μείζων καὶ ἡγούμενος [49] futurus est. Etenim non secus ego de vobis statuo, testamentoque dispono, ac de me Pater disposuerit. Disposuit vero de me Pater, ut [50] per humilitatem, exinanitionem, ignominias, tentationesque multiplices regnum consequerer, deliciis caelestibus perfruérer, omnemque in caelis ac in terra potestatem obtinerem. Simili igitur pacto et ego de vobis dispono, ut per humilitatem, dolores, convicia, famem, sitim, tentationesque omnigenas eo perveniatis quo ego perveni, dignique sitis qui post famem et sitim *edatis et bibatis super mensam meam in regno meo:* et post contemptus atque dedecora *sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* Et vos quidem hactenus hanc plenam asperitatibus, angustamque viam decurristis, ac *mecum in tentationibus meis permansistis.* Sed non admodum vobis prodesset incoepisse, nisi ad extremum usque fideles permaneretis. Neque enim coronabitur nisi qui legitime certaverit; neque salute potietur nisi qui ad finem usque perseveraverit. Permanebitis ne itaque mecum in tentationibus meis, sicut hucusque permansistis? et quum ego abiero, neque vobis amplius visibiliter adero, vosque visibili cura tuebor, tenaces ne eritis propositi? *Ecce, o Simon, Simon,* ego video satanam in omnes se vertentem partes, ut vos a proposito deiiciat, vosque ab ea fidelitate, quam mihi hactenus in tentationibus meis exhibuistis, abducat. Video imminere periculum quo pervertamini: video fidem vestram, vestramque salutem periclitari. Sed egomet ipse, qui quum visibiliter vobiscum essem, nihil reliquum feci ut vos visibiliter custodirem, protegerem, roborarem; non patiar, non sinam ut a vobis visibiliter seiunctus [51] praesidio careatis quo visibiliter sustentemini. Quare *ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Memineris eas a te erga fratres

[48]) Luc. XXII. 23. seqq.

[49]) Ibid. v. 26.

[50]) Ibid. vv. 29. seqq.

[51]) Ibid. v. 22.

implendas esse visibiliter partes, quas ego mortalis adhuc et visibilis erga eos implevi: memineris me propterea singularem tui curam gessisse, quod voluerim ut tu meis stabilitus precibus fratres tuos, discipulos meos, meosque amicos stabilires."

182. Quo sane *rerum* nexu nullus evidentior, nullus desiderari intimior potest. Quum igitur et illud constet, *verbali* quoque *nexu* cum praecedentibus consequentia vinciri; sponte sua fluit, ea *duplici modo* quum *verbali*, tum *reali* sibi mutuo cohaerere. Hac autem partium arctissima coniunctione ostenditur: I. Petrum esse qui *μείζων*, quique futurus *ἡγούμενος* praedicitur: II. illius *ἐξουσίαν*, singularemque dignitatem efferri verbis, *στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου:* atque adeo III. Petrum esse, cui Christus visibilem defert stabilitatis, constantiaeque tutelam, quemque centrum roboris, efficiensque mutuae societatis, unitatisque principium constituit.

Quisque porro cernit quam sint ista praeclara, ut Petri praerogativae, eiusque primatus comprobentur. Ac primatus sane comprobatur I. potioris iuris, auctoritatisque, quo prae apostolis reliquis Petrus est, diciturque *μείζων καὶ ἡγούμενος:* primatus II. eo pertinens ne dissipata ecclesiae membra periclitentur, sed ut iuncta copulataque vincant: ac primatus III. cuius nobilissima functio haec est, ut *tentatam fratrum fidem* tueatur atque confirmet.

Quare iure suo orthodoxi patres nullo insigniori titulo primatum Petri exornari posse [52] censuerunt, quam si illum *fidei principatum*, et *principatum in episcopatu fidei* dicerent: ac iure suo, et ad normam penitus institutae a Christo oeconomiae Leo magnus [53] scripsit: „Connexio totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit; et haec quidem connexio totius corporis *unanimitatem* requirit, sed praecipue exigit *concordiam sacerdotum*, quibus etsi dignitas sit *communis*, non est tamen ordo *generalis*, *quoniam* et inter beatissimos apostolos *in similitudine honoris* fuit *quaedam discretio potestatis*, et quum *omnium par* esset *electio*, *uni tantum* datum est, *ut ceteris praeemineret.*"

[52]) Testimonia huc spectantia non repetimus, utpote quae alibi dederimus.

[53]) Epist. XII. ad Anastasium thessalonic. cap. XII.

CAPUT XII.

Plenius agitur de verbis Christi apud Lucam XXII. 31—33: — ea proprie ad unum Petrum nominatimque referuntur: — ad apostolos ex aequo omnes pertinere protestantes non pauci contendunt: — refutantur, locorumque similium abusus notatur: — cuiusmodi fuerit tentatio, qua satanas exagitatos victosque apostolos ambivit: — tentatio fuit omnium gravissima, qua illorum fidem impeteret: — Christi pro Petro preces, quove illae spectarint: — vulgatior participii ἐπιστρέψας interpretatio: — permittitur, ac totius incisi, καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου, sententia eruitur: — qua Petri praerogativae confirmantur.

183. Exordium [1] sane brevissimum, quod Lucas his verbis [2] interserit, εἶπε δὲ ὁ κύριος, indicium praebet minime obscurum orationis, cuius ductus, seriesque nonnihil immutetur. Idem porro in consequentibus manet qui loquitur, ac res qua de agitur, cum iis arctissime iungitur quae antevertunt. Superest igitur ut immutatio, transitusque orationis non aliunde quam *ex iis* repetatur, *quos Christus alloquitur.* Ad *omnes* autem *ex aequo apostolos* verba hactenus fecerat. Reliquum igitur est, ut *iam nonnisi ex iis unum alterumve compellet.* Quemnam vero compellat? luculenter declarat, subdens [3]: *Σίμων, Σίμων.* Simonis namque nomen in libris novi testamenti *ἁπλῶς* adhibitum, non alium denotat praeter Simonem Johannis filium, ac *Petri* cognomine divinitus cohonestatum. Hinc vetusti codices, corbeiensis, et s. Germani primus atque alter legunt: *ait autem Dominus Petro: Simon, Simon.* Hinc scriptores ecclesiastici non pauci, Cyprianus [4], auctor [5] librorum de vocatione omnium gentium, Arnobius iunior [6], et Cassiodorius [7] nomen *Petri* interponunt. Atque hinc nemo est orthodoxorum patrum, qui *Simonis* appellatione Petrum non intellexerit. Petrus igitur est, quem Christus nominatim compellat, quem seorsum alloquitur, et ad quem proprie spectant quae illico consequuntur.

Consequitur [8] vero: *ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου.* Quod incisum *nexu duplici, materiali et grammatico,* quem particula *δέ*, verborumque structura ostendit, ac *logico et reali,* quem sententiarum *συνάφεια* postulat, cum praecedentibus verbis, *Σίμων, Σίμων,* copulatur. De Petro igitur,

[1]) Videsis Lib. I. cap. VIII.
[2]) Luc. XXII. 31.
[3]) Ibid.
[4]) Epist. VII. ad Clerum.
[5]) Lib. I. cap. XXIV.
[6]) In Ps. CVI.
[7]) In Ps. LXXIV.
[8]) Luc. XXII. 32.

eoque solo accipiendum est quod dicitur: *ego autem pro te oravi, ne deficiat fides tua.*

Ac de Petro rursum, *eoque solo* accipienda sunt, quae eiusdem continuatione sententiae Christus [9] addit: *καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.* Sane vix haec protulerat Jesus, quum ille quem alloquebatur, respondit [10]: *Κύριε, μετὰ σοῦ ἕτοιμός εἰμι καὶ εἰς φυλακὴν καὶ εἰς θάνατον πορεύεσθαι.* Eum autem fuisse Petrum, insequentia [11] Christi verba demonstrant: *λέγω σοι, Πέτρε.* Petrus igitur is est, ad quem Christi sermo, quaeque Christi sermone continentur, *unice* referuntur.

184. Displicent ista Grotio [12], displicent et aliis [13] e protestantium numero, qui propterea statuunt, sermonem Christi ad Petrum *ita* pertinere, ut ad reliquos item apostolos *non minori iure* pertineat. Verum si talis ratio est prolati a Christo sermonis, unde I. factum arbitrabimur ut Christus qui *antea* omnes *universim* compellabat apostolos, ac *plurali forma* constanter usus aiebat [14]: *ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως, ἐγὼ δέ εἰμι ἐν μέσῳ ὑμῶν, ὑμεῖς δέ ἐστε οἱ διαμεμενηκότες μετ' ἐμοῦ, κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν βασιλείαν, ἵνα ἐσθίητε καὶ πίνητε, καὶ καθίσησθε:* idem mox novam prope orationem auspicatus subiecerit [15], *Σίμων, Σίμων*, et pro plurali forma *singularem* substituerit, inquiens: *περὶ σοῦ, ἡ πίστις σου, καὶ σύ?* ut Lucas, interiecto inciso, *εἶπε δὲ ὁ κύριος,* orationem temperari inflectique ostenderit? Haec omnia protestantes negligunt, nulloque in numero habent, ut quae *propria* sunt Petri, eadem apostolis omnibus fuisse *communia* facilius persuadeant.

Ad haec II. nihil evidentius quam isto in commate [16]: *Ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου· καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου*, Simonem quem Christus alloquitur, et pro cuius fide Patrem deprecatur, *a fratribus* secerni quos illi stabiliendos, roborandosque committit. Fratrum autem qui illi committuntur nomine, *inprimis* [17] veniunt apostoli. Hi ergo a Simone distinguuntur, neque ad eos magis spectant Christi verba, fusaeque preces, quam illis confirmandi munus tribuatur.

Praeterea III. orationis *ἀκολουθία* flagitat, ut *de uno eodemque* accipiantur quum [18] verba, *ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ,* tum quae [19] sequuntur, *λέγω σοι, Πέτρε· οὐ μὴ φωνήσει σήμερον ἀλέκτωρ, πρὶν ἢ τρὶς ἀπαρνήσῃ μὴ εἰδέναι με.* Sed posteriora haec *ad unum Petrum* referri, tam *diserta Petri ipsius appellatione*, quam *eo quod de Petro praedicitur*, quodque illius *proprium unice* fuit, luculenter significatur.

Denique IV. pergit [20] evangelista: *Καὶ εἶπεν αὐτοῖς· ὅτε ἀπέστειλα ὑμᾶς*

[9]) Ibid.
[10]) Ibid. v. 33.
[11]) Ibid. v. 34.
[12]) In comm. ad h. l.
[13]) Cf. Wolfii Curas ad h. l.
[14]) Luc. XXII. 25—31.
[15]) Ibid. v. 32.
[16]) Ibid.
[17]) Id paullo inferius demonstrabitur.
[18]) Luc. XXII. 32.
[19]) Ibid. v. 34.
[20]) Ibid. v. 35.

ἄτερ βαλαντίου καὶ πήρας καὶ ὑποδημάτων, μή τινος ὑστερήσατε; οἱ δὲ εἶπον· οὐδενός. Sed quorsum illud, καὶ εἶπεν αὐτοῖς, *et dixit eis*? nonne qui antea loquebatur Christus, orationem prosequitur? dubio procul, atque ideo eiusmodi verba ab evangelista interseruntur, ut discrimen innuatur *non illius qui loquitur*, *sed eorum ad quos sermo dirigitur*. Hoc autem discrimen inde rursum apparet, quod sicuti in praecedentibus[21] *unus* est qui respondet, ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ, ac *unus* qui appellatur, λέγω σοι: ita in consequentibus[22] respondent *omnes*, οἱ δὲ εἶπον, ac *omnes* interrogantur, εἶπεν αὐτοῖς. Ad unum igitur Petrum spectant quaecumque omnia prece Christi, verbisque, καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου, significantur; ac ferri nullo modo potest ut ad omnes *ex aequo* apostolos protendantur.

185. Ad omnes tamen *ex aequo* apostolos protendi oportere, inde sibi efficere posse protestantes pollicentur, quod haec penes Johannem[23] habeantur Christi verba: Ἐγὼ περὶ αὐτῶν ἐρωτῶ. Ac[24] mox: Πάτερ ἅγιε, τήρησον αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου, ᾧ δέδωκάς μοι, ἵνα ὦσιν ἕν, καθὼς ἡμεῖς. Ὅτε ἤμην μετ' αὐτῶν ἐν τῷ κόσμῳ, ἐγὼ ἐτήρουν αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου· οὓς δέδωκάς μοι ἐφύλαξα, καὶ οὐδεὶς ἐξ αὐτῶν ἀπώλετο, εἰ μὴ ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ. En, inquiunt, pro omnibus *ex aequo* apostolis Christus oravit: omnibus *ex aequo* ac *immediate* prospexit: ac omnes *eodem numero* habuit, neque *unum alteri* anteposuit. Haec autem sibi minime constarent, si quae Lucas narrat, de uno seorsum Petro acciperentur. De omnibus igitur ex aequo apostolis accipiantur necesse est.

Quae dum audio, mirari equidem satis non possum *vel* praeposteram textuum collationem, *vel* manifestam deducendi ἀσυλλογιστίαν. An ut mutuo Scripturae concilientur, negari debent, vel secus ac postulent certissimae interpretandi leges intelligi, quae alicubi forte tradantur? quisque sentit utrumque esse perabsurdum, et ad committendas secumipsis, non item componendas Scripturas idoneum. Nihilominus hanc ineunt protestantes rationem, ac ut ea apte interpretentur quae scribit Johannes, negant vel male detorquent quae Lucas testatur. Profecto si huic me vellem dedere viae, non aegre comprobarem, verba[25], ἐγὼ περὶ αὐτῶν ἐρωτῶ, ita *ad apostolos* referri, ut *ad fideles omnino omnes ex aequo* pertineant. Additur[26] namque: οὐ περὶ τούτων δὲ ἐρωτῶ μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν πιστευόντων διὰ τοῦ λόγου αὐτῶν εἰς ἐμέ, ἵνα πάντες ἓν ὦσιν. Atqui me ita disserentem iure protestantes risu exploderent, graviterque monerent, ut prioribus verbis[27] diligentius inspectis animadverterem, tale esse quod iis subiungitur incisum, οὐ περὶ τοῦ κόσμου ἐρωτῶ, ἀλλὰ περὶ ὧν δέδωκάς μοι, ut nequeant illa nisi ad solos apostolos referri. Cur vero non ista sibi quoque dicta censent? aut cur animum ad ista

[21]) Ibid. vv. 33—34.
[22]) Ibid. v. 35.
[23]) Joh. XVII. 9.
[24]) Ibid. vv. 11—13.
[25]) Ibid. v. 9.
[26]) Ibid. v. 20.
[27]) Ibid. v. 9.

non advertunt, quum Christi apud Lucam sermonem enarrandum aggrediuntur? si hoc se pacto gererent, illico assequerentur, talem esse contextum, ut quidvis potius facilius sit, quam eum sermonem ab *uno Petro* ad *omnes communiter apostolos* transferre.

186. Ceterum qua ipsi via consensionem eorum ostendent quae Johannes refert; eadem nos quae penes eum sunt cum iis quae Lucas describit, conciliabimus. Illis vero *ad harmoniam* adducendis sat est considerare, *hac* veluti lege pro fidelibus[28] orasse Christum, ut suam ipsi fidem ad apostolorum praedicationem exigerent. Oravit *pro fidelibus* immediate Christus, oravit[29] et *pro apostolis*; sed pro his *tamquam magistris ac pastoribus*, pro illis vero *tamquam discipulis et ovibus*. Oratio igitur *pro fidelibus* a Christo fusa eo inprimis spectavit, *ut iidem supernis donarentur gratiis*, quibus *possent* ac *vellent* apostolis obsequi, et praedicato ab apostolis verbo firmissime adhaerere. Quod quum Scripturarum omnium *ἀναλογίᾳ*, tum adhibitis a Christo verbis[30], *διὰ τοῦ λόγου αὐτῶν*, perspicue confirmatur.

Jamvero ratione non dissimili et pro fide *unius Petri*, et pro fide *omnium apostolorum* orasse Christus dicendus est. Oravit pro fide unius Petri, sed *tamquam eius*, qui *omnium caput*, *omniumque firmamentum* futurus erat. Oravit et pro fide omnium apostolorum, sed ut orandum *pro iis* erat, *qui nihil seiuncti a capite*, *nihil a suo firmamento avulsi sibi merito pollicerentur*. Quare precibus pro Petro oblatis id a Patre Christus impetravit, ut ille quamquam acerrime tentatus, *in se* stabilis, immotusque redderetur: oratione vero pro apostolis consequutus est, ut hi nullo tempestatum turbine, nullisque procellis *a Petri consortio*, *eademque cum eo tenenda promulgandaque fide abstraherentur*.

187. Ac opportunissimae sane fuerunt preces, quum omnes in aperto vitae, salutisque discrimine versarentur. Quod ut Christus significaret, exorsus sic est[31]: *Σίμων*, *Σίμων*, qua nominis vehementi repetitione animos erexit, intentosque fecit: *ἰδοὺ ecce* iam illud instat ac urget quod me sollicitum habet, quodque vobis impendet: *ὁ σατανᾶς adversarius ille κατ' ἐξοχὴν* et homicida ab initio *ἐξῃτήσατο*[32] *ὑμᾶς vos depoposcit* ut illi dedamini. At quo consilio, quemve in finem? metaphora[33] e re frumentaria petita subdit Jesus: *τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον*, *ut vos tritici instar cerneret*[34], *ventilaret*, *cribraret*, concussosque inter paleas[35] igni destinatas reiiceret. Quo vero pacto, quove

[28]) Ibid. v. 20.

[29]) Ibid. vv. 9. seqq.

[30]) Ibid. v. 20.

[31]) Luc. XXII. 31.

[32]) Verbum *ἐξαιτέω* classicis scriptoribus est, *postulo ad quaestionem*, *ad supplicium*. In N. T. est *ἅπαξ λεγόμενον*, et collatione loci ex Job. I. 11—12. apparet, sensu non dissimili adhiberi.

[33]) Metaphorae ex hoc fonte petitae occurrunt in Scripturis frequentissimae.

[34]) Hisce omnibus verbis latini patres apud Sabbatier reddunt *σινιάζω ἀπὸ τοῦ σείω*, *concutio*, unde *σινίον*, *cribrum*.

[35]) Matth. III. 12. coll. Luc. III. 17.

pugnae genere de tanta apostolorum caede sibi satanas blandiebatur? ex ope quam illis Jesus tulit, de periculo, deque tentatione quae omnibus ingrueret, iudicandum est. Subiecit porro Jesus: *ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου.* Non flores igitur ac fructus, non ramos et truncum, sed *radicem ipsam* petebat satanas, ut apostolos funditus labefactaret. Petebat *fidem* quae bonorum omnium *radix* est, ac *origo*, *principiumque* coniunctionis cum Christo. Tentatione igitur omnium deterrima *ὁ σατανᾶς ἐξῃτήσατο* adgredi tum Petrum, quum apostolos ceteros, ut illos simul omnes victos prostratosque a Christo penitus separaret.

188. In tanto autem eorum discrimine, qui cum Christo in suis tentationibus hucusque permanserant, quos ille tuendos custodiendosque a Patre susceperat, quosque futuros testes, principesque evangelii legatos designaverat; neque sibi neque illis defuit, sed praesentissimam opem, qua victores existerent, iis aperuit verbis quae nuper adduximus, inquiens: *ἐγώ*, *ego* qui[36] te beatum nuncupavi, quique credis me esse Filium Dei viventis, *ἐδεήθην*, *oravi*, meisque precibus certissime impetravi quod petii, et quidem oravi *περὶ σοῦ*, *pro te*, cui petrae nomen, indiciumque firmitatis constantiaeque indidi, et super quem aedificaturum me ecclesiam meam spopondi, *ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου*, *ne fides tua*, quae petrae instar fundamentique esse debet, *non solum non frangatur*, *sed ne*[37] *levissime quidem concutiatur: καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου*, *et tu*, quemadmodum Vulgatus ista reddidit, *aliquando conversus confirma fratres tuos*.

Heic autem diligentius modo non quaeram, *aut* quae sit participii *ἐπιστρέψας* germana significatio, aut *quo* adverbium *ποτὲ* referri proprie debeat, *aut* quem habitum Petrum inter fratresque Christus constituerit; sed illud sumam quod omnes concedunt, quodque ii etiam profitentur[38], qui e verbis Salvatoris hunc prodire sensum existimant: *et tu posteaquam meo auxilio, meaque prece adiutus ab ea resipueris culpa*, *qua tentatione victus me negaturus es*, *confirma fratres tuos*, *illisque animos ac robur adiicito.* Sumam videlicet quod Theophylactus[39] huius commentarii assecla nulli secundus his verbis complectitur: „*Ἐδεήθην οὖν, φησίν, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου. εἰ γὰρ καὶ πρὸς μικρὸν μέλλεις σαλευθῆναι, ἀλλ' ἔχεις ἐναποκείμενα τὰ σπέρματα τῆς πίστεως. κἂν τὰ φύλλα ἔῤῥιψε τὸ πνεῦμα τοῦ ἐπηρεάζοντος, ἀλλ' ἡ ῥίζα ζῇ, καὶ οὐκ ἐκλείψει ἡ πίστις σου. Σὺ δὲ ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου. τὸ μὲν πρόχειρον νοῆσαι, τοῦτ' ἔστιν, ὅτι ἐπειδή σε τῶν μαθητῶν ἔξαρχον ἔχω, μεθ' ὃ ἀρνησάμενός με, κλαύσεις, καὶ εἰς μετάνοιαν ἔλθῃς, στήριξον τοὺς λοιπούς. τοῦτο γὰρ προσήκει σοι ὡς μετ' ἐμὲ ὄντι τῆς ἐκκλησίας πέτρᾳ καὶ στηρίγματι. Νοήσειε δ' ἄν τις τοῦτο οὐ μόνον περὶ τῶν τότε*

36) Matth. XVI. 17.

37) Quam significationem et verbum ἐκλείπω patitur, et contextus flagitat.

38) Hi autem sunt plures, tam catholici quam protestantes.

39) In comm. ad h. l.

ἀποστόλων εἰρῆσθαι, ὡς ἂν ὑποστηριχθῶσιν ὑπὸ τοῦ Πέτρου, ἀλλὰ καὶ περὶ πάντων τῶν ἄχρι τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος πιστῶν. Rogavi igitur, dicit, *ut non deficiat fides tua.* Quamvis enim brevi tempore concutiendus sis, habes tamen recondita semina fidei, ut etiam si folia abiecerit spiritus invadentis, radix tamen vivet, et non deficiet fides tua. *Tu vero conversus confirma fratres tuos.* Planus horum intellectus is est: quia te habeo ut principem discipulorum, postquam negato me fleveris, et ad poenitentiam veneris, confirma ceteros. Hoc enim te decet, qui post me ecclesiae petra es et firmamentum. Intellexerit autem quis non solum de apostolis dictum quod confirmati fuerint a Petro, sed de omnibus qui usque ad consummationem saeculi futuri sunt fideles."

Christus igitur I. a reliquis Petrum secrevit: II. peculiarem illius curam gessit: illum III. immotae fidei charismate auxit: illi IV. ceterorum omnium tam apostolorum quam fidelium, tam pastorum quam ovium stabilitatem ac in vera fide constantiam commisit: unde V. illius magisterio ac auctoritati reliquos prorsus omnes subiecit. Quid iam propterea concludendum est? quod nemo non cernit, quodque omnes contuentur, *nobilissimas hisce praerogativas contineri, et exsortis cuiusdam auctoritatis primatum significari.*

CAPUT XIII.

De sincera participii ἐπιστρέψας significatione: — communior interpretatio: — quae illi refragentur: — ex ordine promuntur: — eamque acceptionem probari non posse colligitur: — quae illius loco anteferenda sit: — adducitur, usuque loquendi, adiunctisque sermonis communitur: — incidens obiectio: — expeditur, dictaque confirmantur: — altera eodem pertinens enarratio: — quae illam commendent: — ubi paucis de lectione variante, καὶ σὺ ἐπίστρεψον: — qui hoc in contextu ἀδελφοὶ nominentur: — hi sunt apostoli: — de imperativo στήριξον: — deque dignitate auctoritatisque praestantia qua unus prae omnibus Petrus excelluit.

189. Sepositam paullo superius [1] indaginem de vera sinceraque participii *ἐπιστρέψας* significatione, in praesentia adgredior, non quod illam tuendis asserendisque Petri ornamentis necessariam arbitrer: haec enim sibi praeclare constant quaecumque tandem eiusdem acceptio praeferatur; sed quod e re esse putem, agitatam a plurimis controversiam non omnino praeterire, difficultates vero si quae complanari possint, diluere, veritatemque, disiectis tenebris, sua in luce, suoque in splendore collocare.

[1]) n. 188.

Casaubonus [2] itaque, Hackspanius [3], Wolfius [4], Stockius [5], Pricaeus [6], Schleusner [7], ac ne omnes commemorem, Theophilus Kuinoel [8] auctores sunt: I. participium ἐπιστρέψας ad culpam, negationemque Petri perspicue satis referri: proindeque II. non minimum eos falli, qui adverbii potestatem eidem subiiciunt, et πάλιν καὶ ἀμοιβαίως interpretantur. Quod posterius ut Wolfius [9] efficiat, his utitur argumentis: „Novam istam interpretationem non patitur *tum* series sermonis, in quo de lapsu futuro diserte agitur, *tum* vero eventus rei, quandoquidem Petrus et paulo post lapsus est, et efficaci Domini adspectu ad poenitentiam perductus, *et communior notio* verbi ἐπιστρέφειν, quippe quod alias cum μετανοεῖν coniungitur a Luca, Act. III. 13, *et saepe eumdem significatum* apud τοὺς LXX. obtinet, ut Jes. VI. 10, et I. Reg. VIII. 33." De priori vero capite sic habet Pricaeus: „Accedo iis qui ἐπιστρέψας heic exponunt, *conversus*, nempe ad poenitentiam: sic fere supra XVII. 4. Qui Petrum tam periculose lapsurum vidit, eumdem itidem praevidit congruam poenitentiam acturum: nil opus itaque cum eruditis quibusdam hoc loco ad hebraismum recurrere. *Tu*, inquit Christus, *cum resipueris*, *fratres tuos*, nempe reliquos apostolos, aut quosvis alios qui vel per te vel per illos fidem amplexuri fuerint, *confirma*, ne cadant nempe, aut saltem cum ceciderint, tuo exemplo doce eos de venia non desperare. Sane Eulogius apud Photium ideo claves putat datas ei praeter ceteros apostolos, ut post negationis vulnus et medelam poenitentiae, τῷ καθ' ἑαυτὸν ὑποδείγματι πρὸς τοὺς ἐξαμαρτάνοντας φιλανθρωπότερον διατίθοιτο· οἱ γὰρ ἄλλοι ἀπείραστοι μεμενηκότες, τάχα ἂν ἀποτομώτερον αὐτοῖς διακέχρηντο."

Unde Kuinoel relata Grotii, Bengelii, Thalemani et van Hegel interpretatione, qua ἐπιστρέψας reddunt *rursum* ac *vicissim*, subdit: „Hanc rationem ipse olim amplexus sum, sed iterata loci pertractatione in vulgari verborum ἐπιστρέψας στήριξον interpretatione acquiescendum esse intellexi. Nam negari quidem nequit, verbum hebraicum שׁוּב aliis verbis [10] ita iungi, ut partes adverbii agat, et in versione alexandrina [11] ἐπιστρέφειν vim obtinere adverbii πάλιν. Sed qui e libris N. T. hanc in rem afferuntur loci, Act. VII. 42, XV. 36, diversi generis sunt. Neque hoc loco haec interpretatio necessaria est, sed commode verba reddi possunt: *et tu aliquando conversus*, *seu ubi resipueris*, *fratres tuos confirma*. Obiecerunt quidem de Petri abnegatione in sequentibus demum sermonem esse, eamque Christum commemorasse, postquam Petrus affirmasset, se cum magistro carcerem et ipsam necem adire paratum esse; sed, ut recte animadvertit Olshausenus, Petri fidem vacillaturam esse, significatur verbis quae praecesserunt, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου."

[2]) In Exercitt. Anti-Baronianis pag. 640.
[3]) In notis pag. 370.
[4]) In curis ad h. l.
[5]) In observatt. ad N. T.
[6]) In notis ad h. l.
[7]) In lexico N. T. ad v. ἐπιστρέφω.
[8]) In comm. ad h. l.
[9]) l. c.
[10]) Vide Gesenii Lex. Hebr. ad v. שׁוּב.
[11]) Ps. LXXXV. 7—8, I. Reg. IX. 6.

190. At ego contra in hac versor omnino sententia, futurum numquam ut eruditi interpretes de hac participii ἐπιστρέψας significatione cogitassent, nisi evangelica historia Petri casum, negationemque retulisset. Ac nemo sane eorum est qui contendat, aut vero contendere iure possit, talem esse verbi ἐπιστρέφειν nativam, insitamque vim, quae eam acceptionem *necessario* postulet, alteram autem *necessario* reiiciat ac damnet. Verbum namque est suapte natura, usuque loquendi [12] πολύσημον, sive quum *transitive*, sive quum *intransitive* usurpatur: sive quum *proprie*, sive quum *metaphorice* adhibetur; adeoque ex sese non potius exigit ut *conversus* et *resipiscens*, quam ut *vicissim* adverbiali significatione reddatur. Quare eo tota contentio redit, ut vocato in examen contextu, adiunctisque sermonis diligenter expensis, de alterutra interpretatione iudicetur. Jam vero tam quae *antecedunt* et *comitantur*, quam quae *subsequuntur* ita se mutuo habent, ut cum acceptione de Petri *conversione ac resipiscentia* nullatenus componi posse videantur.

191. Et ad *antecedentia* quod attinet, I. *nulla* iis *mentio* [13] continetur sive lapsus, sive negationis, qua Petrus *a lege profitendae fidei* esset defecturus. Neque Petrus igitur, neque ex apostolis quispiam quum Christum audivit pronunciantem, καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας, de negatione, deque lapsu cogitare potuit. Nefas porro est eas verbis notiones adnectere, quae audientium animos mentesque [14] subire non potuerint. Immo II. quae antecedunt, comparata sic sunt, *ut animum a quavis lapsus cogitatione avocare debuerint.* Etenim iis quidem periculum exprimitur, quod ex satanae machinationibus Petro, ceterisque cum eo apostolis [15] ingrueret; sed omnes continuo, ac prae omnibus Petrus de praesentissima Dei ope [16] monentur, qua invicti immotique consisterent. Quaevis igitur futuri lapsus cogitatio quam longissime removebatur. Secus enim III. Petrus et cum eo apostoli ita rationes subducere debuissent: opem quidem sibi divinam praesto fore, qua inflammatos satanae impetus retunderent; futurum tamen ut hi quadamtenus praevalerent. Quis porro ausit vel Petro vel omnibus universim apostolis eiusmodi iudicium tribuere? Non sinunt igitur *antecedentia*, ut ἐπιστρέψας de poenitentia, lapsusque reparatione intelligatur.

192. Quam significationem ipsa quoque *comitantia* excludunt. Participium enim ἐπιστρέψας ita *subito* in oratione comparet, ut eiusdem potestas *obvia*, nexuque partium *conspicua* ac *determinata* censeri debeat. Quid vero in partium serie, ductuque deprehenditur, quo mentem illico resipiscentiae conversionisque potestas occuparet? nihil prorsus. Talis igitur significatio *a comitantibus* abhorret.

Ad haec: ἐπιστρέψας proxime nectitur cum adverbio temporis ποτέ,

[12]) Cf. Schleusneri Lexicon N. T. ad v. ἐπιστρέφειν.

[13]) Luc. XXII. 31—33.

[14]) Credo hanc esse non ultimam legitimae interpretationis regulam.

[15]) Luc. XXII. 31.

[16]) Ibid. v. 32.

neque divelli ab eo potest, si de Petri conversione intellectum reddatur, *quum resipueris*. Adverbium autem *ποτέ*, non secus ac latinum *aliquando*, sive *de tempore praeterito* [17], sive *de futuro* [18] usurpetur, constanter *notionem* praefert *temporis* [19] *indefiniti* aut certe *remotioris*, ac numquam, quod sciam, *tempus definitum*, illudque *iam instans* repraesentat. Ut igitur ἐπιστρέψας de conversione intelligi, ac referri ad conversionem possit, necesse est notio illi *indefiniti temporis*, vel certe *remotioris* subiiciatur; adeo ut verba Christi hunc reddant sensum: *et tu quum aliquando resipueris*, *negationisque crimen poenitentia absterseris*, *confirma fratres tuos*. Sed conversio Petri iam instabat, ac aliquot elapsis horis futurum erat, ut contractam negatione culpam amaris lacrimis purgaret. A propria ergo adverbii ποτὲ significatione alienum est, ut ἐπιστρέψας ad poenitentiam conversionemque referatur.

Neque minus *a modo* alienum est, quo ἐπιστρέψας et στήριξον mutuo coniunguntur. Cohaerent enim ἀμέσως, nulla interiecta particula separantur, ipsaque constructionis forma ostendunt, significatam [20] utroque verbo actionem tam *convertendi se*, quam *fratres stabiliendi*, *in unum idemque* ἀόριστον *tempus* adverbio ποτὲ expressum, *conspiraturam*. Quod falsum plane esset, si ἐπιστρέψας de conversione sumeretur. Quum enim Petrus a negatione resipuit, quumque [21] στραφεὶς ὁ κύριος ἐνέβλεψε τῷ Πέτρῳ, ac ipse [22] ἐξελθὼν ἔξω ἔκλαυσε πικρῶς: tum profecto non confirmavit fratres, sed ipse contra restitutus, confirmatusque fuit.

Accedit *habitus*, quo sibi incisa sermonis respondent, et cum quo mentionem lapsus nulla ratione componas. Ita namque se mutuo excipiunt:

ἐγὼ δὲ ἐδεήθην	*καὶ σύ*
ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου	*ποτε ἐπιστρέψας στήριξον*
περὶ σοῦ.	*τοὺς ἀδελφούς σου.*

Atqui ab hac membrorum συναφείᾳ, arctissimaque conspiratione nihil luculentius abhorret quam idea ac mentio lapsus, quo ille ipse excideret, pro quo I. nominatim oravit Jesus, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου, *ut fides tua non deficiat*, idest per usitatam [23] μείωσιν, *ut fides tua invicta perstet*; quemadmodum et consequens στήριξον innuit, suadetque, ἐκλείπω ita opponi τῷ στηρέω, ut ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου idem valeat ac ἵνα στερεὰ διαμείνῃ ἡ πίστις σου: et a quo II. nominatim exegit, ut iam ipse confirmatus divinitus, officii vicem *confirmando* fratres rependeret.

193. Ad ea venio quae *subsequuntur*, quaeque perspicuitate non dis-

[17]) Joh. IX. 13, Rom. VII. 9, Gal. I. 13.

[18]) Rom. I. 10.

[19]) I. Cor. IX. 7, Hebr. I. 5, II. Petr. I. 10.

[20]) Phrasi ἐπιστρέψας στήριξον unica effertur actio certo quodam affecta, temperataque modo, qui participio ἐπιστρέψας innuitur.

[21]) Luc. XXII. 61.

[22]) Ibid. v. 62.

[23]) Quemadmodum Exod. XX. 7, Ps. LXXVIII. 50, Matth. XII. 32, Joh. XIV. 18, Rom. I. 16, Hebr. XIII. 2.

simili eam participii ἐπιστρέψας acceptionem excludunt quam improbamus. Itaque[24] respondente Petro, ac pro tanto quo auctus beneficio fuerat, his verbis gratiam referente: *Κύριε, μετὰ σοῦ ἕτοιμός εἰμι καὶ εἰς φυλακὴν καὶ εἰς θάνατον πορεύεσθαι*, subiecit[25] continuo Jesus: *Λέγω σοι, Πέτρε, οὐ μὴ φωνήσει σήμερον ἀλέκτωρ, πρὶν ἢ τρὶς ἀπαρνήσῃ μὴ εἰδέναι με.* Nimirum his *primum* et Petri casum, et miserrimam eiusdem negationem Jesus significavit. Omnia igitur movent, et cum *subsequentibus antecedentia* commiscent, qui ἐπιστρέψας de conversione a crimine interpretantur.

194. Adversus quam interpretationem et illud postremo facit, quod etsi unicum esset, decretorium tamen censendum foret, quod eiusdem auctores, assertoresque neque ad *tempus* advertant, neque secum *adiuncta* reputent, quibus voluit Jesus ut oblatae pro Petro preces *suum exitum* sortirentur. Perspicuis namque eiusdem oraculis liquet, *non antea* ipsum confirmationem fratrum, apostolorumque tutelam cuipiam credidisse, quam[26] e mundo abscederet, ad Patrem[27] rediret, Sanctumque Spiritum, eumque Paracletum[28] e caelis mitteret. Quamdiu enim in mundo ipse visibilis mansit, quamdiu ante reditum ad Patrem, effusumque Spiritum cum apostolis versatus est; tamdiu suorum curam ipsemet[29] gessit, ex iisque neminem perdidit, *εἰ μὴ τὸν υἱὸν τῆς ἀπωλείας, ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ.* Postulavit autem ne *tum* Petri fides deficeret, quum illi munus officiumque roborandi stabiliendique fratres *primum* incumberet. Quum igitur hoc officium non antea Petrum obstrinxerit, quam Patris dexteram Jesus repetiisset; manifestum sane est, fusas pro eius fide preces *ad tempus illud* pertinere, quod cum Jesu ad Patrem reditu *incoepit*, quodque porro *consequutum est.* Quid igitur illos agere putabimus, qui verba: *Ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου· καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου*, ad Petri casum referunt, deque eiusdem negatione, poenitentiaque accipiunt? putabimus id agere, quod est omnino perversissimum, ut in expositionis delectu nulla temporis, nullaque adiunctorum ratio habeatur.

195. Subvertimus hactenus quae nobis improbanda videbantur, eaque reiecimus quae falsa putabamus; illud absolvendae quaestioni[30] iam est reliquum, ut interpretationem proferamus quam *unice veram* esse credimus, illamque idoneis argumentis demonstremus. Finge igitur id tibi muneris esse iniunctum, ut quae Lucas graece scripsit, hebraice[31] interpreteris. Quoniam apprime nosti alexandrinis interpretibus solemne esse, hebraico שׁוּב graecum ἐπιστρέφω substituere; sine ulla dubitatione sic ea verteres: וְאַתָּה תָּשׁוּב

[24]) Luc. XXII. 33.

[25]) Ibid. v. 34.

[26]) Joh. XVII. 11—12.

[27]) Ibid. XVI. 5—7.

[28]) Ibid. XIV. 25—26.

[29]) Ibid. XVII. 12.

[30]) Ideo enim utile est falsa refutasse, ut quae vera sunt firmius stabiliantur.

[31]) Qua de re ne admiratio subeat, recolito dictionem N. T. ad hebraicam typum maxime accedere.

תְּחַזֵּק אֶת־אַחֶיךָ. Ea autem sic versa, quenam pacto *latine* redderes? quum שׁוּב in hac *συντάξεως* forma vim propriam frequentissime exuens *adverbialem potestatem* induat; idcirco תָּשׁוּב idem esse existimares ac *πάλιν, iterum, rursum.*

Quam acceptionem eo retineres constantius, quo plenius perfectiusque cognosceres, non aliter ab alexandrinis verbum *ἐπιστρέφειν* saepissime usurpari. Ac ita sane usurpatur ubi[32] legimus: וַיָּשָׁב וַיִּבֶן, *καὶ ἐπέστρεψε, καὶ ᾠκοδόμησε, et iterum aedificavit.* Ita ubi[33] dicitur: אָשׁוּב וְרִחַמְתִּים, *ἐπιστρέψω καὶ ἐλεήσω αὐτούς, iterum miserebor eorum.* Neque alio sensu occurrit sive apud Joelem[34]: יָשׁוּב וְנִחָם, *ἐπιστρέψει καὶ μετανοήσει, eum iterum poenitebit;* sive apud psalmographum[35]: הֲלֹא אַתָּה תָּשׁוּב תְּחַיֵּינוּ, *ὁ θεὸς σὺ ἐπιστρέψας ζωώσεις ἡμᾶς, nonne tu rursum vivificabis nos?* sive apud Nehemiam[36]: וַיָּשׁוּבוּ וַיִּזְעָקוּךָ, *καὶ πάλιν ἀνεβόησαν πρὸς σέ, et rursum ad te clamarunt.*

196. Quum itaque adverbialem participii *ἐπιστρέψας* significationem tam praeclare *loquendi usus* commendet; ea nobis verissima erit, si aeque commode *cum serie ductuque orationis* consentiat. Haec autem consensio tanta est, ut vix maior in votis esse posse videatur. Nihil enim concinnius, nihil ad harmonicum parallelismum hac membrorum dispositione venustius:

Ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ,	*Καὶ σύ ποτε πάλιν*
ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου.	*στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.*

Ego autem oravi pro te, ut fides tua invicta perstet; et tu iterum aliquando confirma fratres tuos.

197. Sed quorsum, petent aliqui, illud *πάλιν, iterum?* an secunda, iterataque vice Petrus erat confirmaturus fratres, quos iam antea primum confirmasset? Ut respondeam, difficultatemque penitus e medio tollam, animadverto I. adverbium *πάλιν ad duplicem distinctumque terminum* referri posse, ad *personam* primum, ad *actum* deinde, *munusque confirmandi.* Profecto si ad personam referretur, constaret sibi difficultas, neque idonea suppeteret ratio qua perspicue complanaretur. Sed nihil evidentius quam *πάλιν* referri ad *actum*, ac *orationem* sic esse *tacite*[37] *comparatam*, ut subiectus illi sensus huc redeat: „Sicuti ego pro te rogavi ut immotus in fide perstares; ita et tu iterum aliquando simile erga fratres tuos confirmandi munus expleto."

Praeterea II. eiusmodi est adverbium *πάλιν*, quod pro contextuum discrimine, non una sed multiplici significatione adhibetur; quas inter ea postrema

[32]) II. Reg. XXI. 3. coll. II. Paral. XXXIII. 3.

[33]) Jerem. XII. 15.

[34]) Joel. II. 14.

[35]) Ps. LXXXV. 7.

[36]) Nehem. IX. 28.

[37]) Indicia enim, signaque comparationis crebro supplenda sunt. Cf. Glassium, Lib. I. Tract. V. can. XXXI.

non est qua idem notat ac *itidem* et *vicissim*. Hoc sensu plus semel apud profanos scriptores, neque infrequenter apud sacros [38] occurrit. Incisum ergo, *καὶ σύ ποτε πάλιν στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου*, sic aptissime redditur: *et tu vicissim aliquando* [39] *confirma fratres tuos.*

Cui interpretationi vindicandae illustrandaeque et illud III. conducit, quod verba שׁוּב et *ἐπιστρέφω* non notionem tantum *temporis*, *actusve qui repetatur*, verum etiam *ἀντιστροφῆς* non raro praeseferant. Hac notione adhibentur ubi [40] legimus: מִי יוֹדֵעַ יָשׁוּב וְנִחָם, *τίς οἶδεν εἰ ἐπιστρέψει καὶ μετανοήσει; quis scit, an non* contritioni nostrae *vicem rependens ignoscat?* eamdemque obtinent notionem ubi [41] dicitur: הֵשִׁיב עָלֶיךָ יְהוָה כֹּל דְּמֵי בֵית־שָׁאוּל, *ἐπέστρεψεν ἐπὶ σὲ κύριος πάντα τὰ αἵματα τοῦ οἴκου Σαοὺλ*, id est ex interpretatione Vulgati, *reddidit* [42] *tibi Dominus universum sanguinem domus Saul.* Fas igitur est in eo quem versamus contextu, *ἐπιστρέψας* reddere *πάλιν*, nimirum *ἀμοιβαίως* ac *vicissim.*

198. Quibus ego nihil prorsus adderem, nisi alia se mihi interpretatio offerret, quae cum hac non minus *splendore* quam *simplicitate* suo merito comparetur. Sane video in graecis utriusque testamenti libris frequentissimum esse usum verbi *ἐπιστρέφω*, ut *benevola mentis animique in aliquem conversio*, *susceptaque de eo cura* exprimantur. Ad hunc stabiliendum usum ista praeter alia pertinent [43]: *ἐπίστρεψον κύριε, convertere Domine et eripe animam meam: ἐπιστρέψας ἐζωοποίησάς με, conversus vivificasti me: ἐπιστρέψας παρεκάλεσάς με, conversus consolatus es me: ἐπίστρεψον δή, convertere autem, et respice de caelo: ἐπίστρεψον κύριε, convertere Domine, et exorabilis esto super servos tuos: ἐπιστρέψατε πρός μέ, καὶ ἐπιστραφήσομαι πρὸς ὑμᾶς, convertimini ad me, et ego convertar ad vos: ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐπιστραφείς, Jesus autem conversus et videns mulierem αἱμοῤῥοοῦσαν, dixit, confide filia: καὶ στραφεὶς πρὸς τὴν γυναῖκα, et conversus ad mulierem* (Magdalenam), *dixit Simoni, ... remittuntur ei peccata multa: καὶ στραφεὶς πρὸς τοὺς μαθητάς, κατ' ἰδίαν εἶπε, et conversus ad discipulos*, illis *seorsum dixit, beati oculi qui vident quae vos videtis: καὶ στραφεὶς ὁ κύριος ἐνέβλεψε τῷ Πέτρῳ, et conversus Dominus sollicite inspexit* (non solum *ἀνέβλεψε*, sed *ἐνέβλεψε*) *Petrum: στραφεῖσα ἐκείνη λέγει αὐτῷ· ῥαββουνί, conversa illa* (Maria) *dicit ei, rabboni:* et ne sim nimius, hoc altero absolvam exemplo, *ἰδού, στρεφόμεθα εἰς τὰ ἔθνη, ecce convertimur ad gentes.*

[38]) Exempla praebebit Schleusner in Lex. N. T. ad v. *πάλιν*.

[39]) Gallice vero: *et vous, à votre tour, confirmez un jour vos frères.*

[40]) Joel. II. 14.

[41]) II. Sam. XVI. 8.

[42]) Syrus vertit, *rependat, retribuat;* utitur enim verbo ܦܪܥ.

[43]) Ps. VI. 4, LXX. 22, LXXXIV. 6, LXXIX. 15, LXXXIX. 15; Jerem. XV. 19, Zach. I. 3, Matth. IX. 22, Marc. V. 30, Luc. VII. 44, X. 23, XIV. 25, XXII. 61; Joh. I. 38, XX. 16; Act. IX. 40, XIII. 46.

Qua exemplorum copia perspicue ostenditur: I. non minus graeco *ἐπιστρέφω*, quam latino *converto* apud vulgatum interpretem, vim significationemque subesse *propensi animi, curaeque sollicitae quae de aliquo suscipiatur:* ad haec II. coniunctione verbi *ἐπιστρέφω* cum altero verbo, sive copula inter utrumque existat, sive absit, *non tam actionem duplicem, quam unam eamdemque efferri, illamque eleganti quadam imagine repraesentatam.* Manifestum id est quum dicitur: *convertere et eripe animam meam*, idest, *animo in me benevolo memet libera;* ac rursum: *conversus consolatus es me*, idest, *tua me benevolentia recreasti.* Quum itaque Christum audimus ita Petrum compellantem: *ego autem rogavi pro te, ne deficeret fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos:* si quemadmodum par est, receptum in Scripturis loquendi usum tenemus, idem nobis esse debet ac si eum audiremus dicentem: *sicuti ego ad te conversus pro te rogavi, ne deficeret fides tua; ita et tu aliquando ad tuos fratres conversus* (conversione non poenitentiae ac luctus, sed *tutelae* et *protectionis*) *illos confirma.*

199. Cum quo Christi sermone ea mihi utiliter conferri posse videntur, quae Deus Jeremiae pollicetur [44], inquiens: לָכֵן כֹּה־אָמַר יְהוָה אִם־תָּשׁוּב וַאֲשִׁיבְךָ לְפָנַי תַּעֲמֹד וְאִם־תּוֹצִיא יָקָר מִזּוֹלֵל כְּפִי תִהְיֶה יָשֻׁבוּ הֵמָּה אֵלֶיךָ וְאַתָּה לֹא־תָשׁוּב אֲלֵיהֶם׃ *Διὰ τοῦτο τάδε λέγει κύριος· ἐὰν ἐπιστρέψῃς, καὶ ἀποκαταστήσω σε, καὶ πρὸ προσώπου μου στήσῃ· καὶ ἐὰν ἐξαγάγῃς τίμιον ἀπὸ ἀναξίου, ὡς στόμα μου ἔσῃ· καὶ ἀναστρέψουσιν αὐτοὶ πρὸς σέ, καὶ σὺ οὐκ ἀναστρέψεις πρὸς αὐτούς. Propterea haec dicit Dominus: si conversus fueris* ad populum meum, illique medeberis, *et ego convertar ad te*, te assumam, efficiamque *ut stes coram facie mea*, meam gratiam experiaris, tuumque mihi commodes ministerium; *et si eduxeris*, separaverisque *pretiosum a vili*, *sicuti os meum eris*, prophetae apud me dignitate excelles, verbaque mea ad filios Israel deferes; *convertentur illi ad te*, tuamque opem implorabunt, ut ab eis factum legimus [45], *et tu non converteris ad eos*, neque illorum auxilio indigebis: *te namque*, ut e vestigio subditur, *dabo populo huic in munitum aeris murum: oppugnabunt te, sed non praevalebunt, quia ego tecum ut te servem, eripiamque.* Quid iamvero opportunius, quam verba, *καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου*, sic interpretari: *et tu aliquando curis, studiisque tuis ad fratres tuos conversus, illis opem ferto, illosque confirma?*

200. Neque alium profecto sensum ob oculos habuisse dicendi sunt interpretes syrus, arabs et persicus, qui vertunt: *et tu aliquando convertere, et confirma fratres tuos*: quam lectionem suo suffragio confirmant codex cantabrigiensis, qui legit, *σὺ δὲ ἐπίστρεψον, καὶ στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου:*

[44]) Jerem. XV. 19.

[45]) Jerem. XXI. 2.

item Gelasius qui[46] textum sic refert: *et tu aliquando converte, et confirma fratres tuos:* ac forte etiam Augustinus[47] inquiens: *vade, et conforta fratres tuos.*

Etenim I. haec verba istis prorsus sunt gemina, *convertere Domine, et eripe animam meam;* atque simili idcirco sensu accipi debent. Eo vel magis II. quod altera notio *conversionis a culpa* omnino praepostera videatur. Me namque latet, excogitari nec ne aliquid possit *vel* minus hisce concinnum, *et tu aliquando poenitentiam agito, et confirma fratres tuos; vel* abruptum magis subitumque, quam ut poenitentia indicatur, nulla culpae mentione iniecta. Fixum igitur maneat, utraque lectione *ἐπιστρέψας* et *ἐπίστρεψον conversionem* quidem Petri *ad fratres* exprimi, sed *conversionem providentiae* ac *tutelae*, non autem *poenitentiae* ac *lacrimarum.* Quemadmodum enim *ἀποστρέφειν voluntatem* crebro[48] designat *alienam*, *aversamque*, *quae deserit neque opem fert;* ita hoc loco *ἐπιστρέφειν pro voluntate* sumitur *propensa* ac *sollicita*, *quae adest, iuvatque.* Et quemadmodum Christus inquiens: *ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου*, se ad Petrum *convertit*, suamque in Petrum propensam voluntatem declaravit; ita subdens: *καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου*, illi iniunxit ut ad fratres se aliquando converteret, ac simili benevolentiae officio erga eosdem fungeretur.

201. Ubi investigari iam debet, quinam *proprie οἱ ἀδελφοί σου* nuncupentur. Quamquam enim ii primum ac per se *fratres* dicantur, qui ex eisdem sunt orti parentibus; loquendi tamen usus obtinuit, ut *qui singulari quodam modo coniuncti essent*, hi *ἀδελφοὶ infinite* vocarentur. Quam ob rem et iudaei, et christiani, utpote eadem religione copulati, *fratres*[49] appellantur. Ac *fratres* item audiunt[50] collegae, quique eiusdem muneris officia explent. E quo illud proxime repetendum arbitror, quod *ipsi inter se apostoli fratres* vocentur. Ac apostolos sane alloquebatur Christus, inquiens[51]: *vos nolite vocari rabbi, unus est enim καθηγητὴς praecessor* ac dux *vester, πάντες δὲ ὑμεῖς ἀδελφοί ἐστε.* Ad illos pertinent quae profligata iam morte[52] repetiit: *ἀπαγγείλατε τοῖς ἀδελφοῖς μου.* Paulum titulo fratris compellat Petrus[53], scribens: *καθὼς καὶ ὁ ἀγαπητὸς ἡμῶν ἀδελφὸς Παῦλος.* Et in Apocalypsi[54] angelus non aliud usurpat nomen, inquiens: *σύνδουλός σού εἰμι καὶ τῶν ἀδελφῶν σου ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν τοῦ Ἰησοῦ.* Ratio igitur loquendi, utpote laxa adeo atque infinita, nihil praebet certi, quo potestas vocum, *τοὺς ἀδελφούς σου*, accurate determinetur.

[46]) Epist. XV.

[47]) Serm. CCX.

[48]) Matth. V. 42, II. Tim. I. 15.

[49]) Act. XXII. 5, XXVIII. 21. coll. Matth. XXV. 40, Act. VI. 3, IX. 30, X. 1, XI. 29; I. Cor. V. 11.

[50]) Act. XXI. 20, I. Cor. I. 1, II. Cor. I. 1, II. 12, Ephes. VI. 22.

[51]) Matth. XXIII. 8.

[52]) Ibid. XXVIII. 10. coll. Joh. XX. 17.

[53]) II. Petr. III. 15.

[54]) Apoc. XIX. 10. coll. XXII. 9.

202. Sed quae vocum potestas *usu loquendi* incerta est, eadem *contextu, adiunctisque sermonis* ita circumscribitur, ut nefas sit, τῶν ἀδελφῶν nomine alios quam *apostolos* intelligere. Ac re sane vera I. hi dicuntur[55] ἀδελφοί σου, quos satanas cribrandos depoposcerat, qui de gradu honoris secumipsis contenderant, qui cum Christo in suis tentationibus hactenus permanserant, quos ipse a Patre custodiendos, servandosque acceperat, quosque communiter plurali forma compellaverat, εἶπεν αὐτοῖς, ὑμεῖς οὐχ οὕτως, μείζων ἐν ὑμῖν, ἐν μέσῳ ὑμῶν, ὑμεῖς ἐστε οἱ διαμεμενηκότες, διατίθεμαι ὑμῖν, ἐξῃτήσατο ὑμᾶς. Haec autem coniunctim omnia *solis* conveniunt *apostolis*. Apostoli ergo appellatione τῶν ἀδελφῶν σου significantur.

Ad haec II. dictio, ἀδελφοί σου, *notionem* praefert *coniunctionis, societatisque* eos inter qui ἀδελφοὶ dicuntur, ac Petrum qui pronomine σοῦ designatur. Soli autem sunt apostoli, qui in unum cum Petro collegium, ac in unam eamdemque convenisse familiam, in libris novi testamenti perhibentur. Iidem igitur sunt, qui suavissimo τῶν ἀδελφῶν nomine a Christo memorantur.

Quo eos reipsa nominé venire, integra III. orationis series patefacit. Quum enim *apostolis pariter omnibus* maxima quaedam pernicies e tentatione satanae impenderet: ἰδού, ὁ σατανᾶς ἐξῃτήσατο ὑμᾶς τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον: Christus qui *illos pariter omnes* in suam fidem, patrociniumque susceperat, hactenus custodierat, ac porro erat conservaturus, pro victoria Petri εἰδικῶς oravit, ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου: tum continuo adiecit, καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου. Aut igitur apostoli sunt qui vocantur ἀδελφοί, et quibus *per Petrum* Christus consuluit; aut illis in discrimine omnium maximo defuit, quosque obiecto periculo deterruerat, non item facta spe, promissoque auxilio recreavit. Quod posterius quum incredibile sit, et a verbis iuxta ac ab officio optimi Servatoris alienissimum; reliquum est, ut ἀδελφῶν nomine designati apostoli intelligantur.

203. De quibus ita Jesus ad Petrum: καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου. In qua sententia ut omnia sint perspicua, restat ut paucis vis propria, insitaque imperativi στήριξον potestas declaretur. Est autem στηρίζειν *verbum architectonicum*, unde cum aliis vocibus ad τεκτονικὴν spectantibus crebro[56] coniungitur: idem porro valet ac στερεὸν ποιεῖν, *efficere ut aliquid firmum consistat, neque quati, labefactarique possit.* Hinc *usu metaphorico* ac in bibliis frequentissimo *ad significationem moralem* traductum id denotat, quod latine dicimus, *fulcire animos, vires suggerere, atque in arrepto proposito stabilire.* Hac significatione accipienda ista[57] sunt: Γίνου γρηγορῶν, καὶ στήριξον τὰ λοιπὰ ἃ ἔμελλες ἀποβαλεῖν. *Esto vigilans, et confirma cetera*[58] *quae moritura erant.* Eadem significatione scribit[59] Petrus: Ὁ δὲ θεὸς πάσης χάριτος, ὁ καλέσας ἡμᾶς εἰς τὴν αἰώνιον αὐτοῦ δόξαν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ,

[55]) Luc. XXII. 31—33.

[56]) I. Petr. V. 10.

[57]) Apoc. III. 2.

[58]) Non pauci codices legunt, ἃ ἔμελλες ἀποβάλλειν.

[59]) I. Petr. V. 10.

ὀλίγον παθόντας, αὐτὸς καταρτίσαι (ipse vos, ceu vivos spiritualesque lapides apte coniungat) ὑμᾶς, στηρίξαι, σθενώσαι, θεμελιώσαι.

Dubitari vero non potest, formulae, *στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου*, sensum inesse moralem, sensum videlicet illi simillimum, quo verbum *στηρίζειν* ad spiritale ecclesiae aedificium translatum adhibetur *modo*[60] *de Deo et Christo eius*, a quibus ecclesia habet ut sit, invictaque perseveret: *modo*[61] *de apostolis*, qui πνευματικῶν χαρισμάτων communione creditas sibi oves stabiliunt: ac *modo de episcopis*, qui ab apostolis[62] missi, et a Spiritu-sancto regendae ecclesiae[63] praefecti, iubentur[64] advigilare, suamque operam in id conferre, ne qui stant, decidant, et qui periclitantur, infeliciter corruant. Quum itaque Petro dicitur, *καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου, munus illi officiumque iniungitur, quo architecti instar divinitus electi partes ecclesiastici aedificii contineat, roboret, immotasque tueatur.*

204. Quasnam vero partes confirmandas recepit? quodve confirmationis genus praeceptum illi fuit? *de partibus* nulla esse potest controversia, quum hae significentur verbis, *στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου:* fratrum autem nomine venire *apostolos*, ex iis constet quae[65] disseruimus. Apostolos igitur sibi creditos, commissosque *ἀμέσως* habuit. Proxime, inquam, ac *ἀμέσως*, siquidem *ἐμμέσως fideles prorsus omnes tuendos* susceperit. Rerum enim natura non sinit, ut universae fidelium concionis ei tributa cura denegetur, quem Christus ad confirmandos nominatim apostolos designarit. Si cui namque *pastorum tutela* adscribitur, eidem *ovium quoque tutelam* adscribi manifestum est: et si cui praecipitur ut *columnas* sustentet, eidem quoque praecipi ut *minores lapides* suffulciat, nemo sanus diffiteatur. Verbis igitur, *στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου*, quibus Petro confirmatio *apostolorum* *ἀμέσως* tribuitur, eidem *ἐμμέσως universitas fidelium* confirmanda, tuendaque commendatur.

Ac *eo quidem confirmationis, protectionisque genere*, quo nullum sive necessarium magis, sive praestantius. Confirmatio enim praecipitur, qua imminens ex astu, fraudibusque satanae pernicies averteretur. Impendebat autem pernicies[66] excidendi a fide. Eius igitur confirmationis *auctor* instituitur Petrus, qua fieret, *ne columnae ecclesiae, minoresque partes iactura fidei e loco motae proturbataeque ab ecclesiastico aedificio funditus separarentur.* Quo sane confirmationis iure officioque nihil sublimius, nihil pro quo impensiores gratiae Christo Servatori habeantur, ac omnino nihil quo *vel habitus Petrum inter et apostolos, universitatemque fidelium divinitus constitutus evidentius ostendatur, vel Petri ἐξουσία, potiorque auctoritas splendidius demonstretur.*

205. Eo namque Petrus *prae apostolis primum*, ac *prae fidelibus deinde omnibus supremi instar architecti* constituitur, qui eorumdem *in fide constan-*

[60]) Rom. XVI. 25, I. Thess. III. 13, II. Thess. II. 17, I. Petr. V. 10.

[61]) Rom. I. 11, Luc. XXII. 32.

[62]) I. Thess. III. 2.

[63]) Act. XX. 28.

[64]) Apoc. III. 2.

[65]) nn. 201—202.

[66]) Luc. XXII. 32.

tiam, atque *ex constantia obortam fidei unitatem* protegat atque stabiliat. Nemini autem obscurum esse potest quae inde extiterit *sive* eminens eiusdem ὑπεροχή, *sive* gradus praerogativa cum eximia quadam auctoritate coniuncta. Haec enim potior auctoritas *ipsa* I. verbi στηρίζειν *significatione* comprobatur, e qua consequens est partes omnes firmandi, stabiliendique aedificii obnoxias illi esse oportere, cui στηριγμός, *ipsa stabiliendi, fulciendique actio* concreditur. Comprobatur II. *usu in bibliis recepto*, quo στηρίζειν *significatione morali* de iis adhibetur solum, qui iure excellunt, iubendique potestate fruuntur. Adhibetur [67] enim *de Deo, de Christo, de apostolis, deque iis qui apostolis vicaria ordinatione succedunt;* ita vero adhibetur, ut eorum functio ac munus στηριγμοῦ appellatione designetur. Sed quotquot commemoravimus, proprio singuli stabiliendi munere αὐθεντικῶς defunguntur.

Ad haec III. praeceptum Petro impositum confirmandae fratrum fidei *cum officio* conseritur quo ad deferendam Petro obedientiam fratres obstringerentur. Eo igitur praecepto Petrum inter fratresque *is inductus fuit habitus*, quo ad subditos praepositi referuntur, adeo ut Petrus praeesset, fratresque vicissim subessent atque obtemperarent. Praeterea IV. non *antea* Christus Petro indixit, ut fratres confirmaret, *quam* illius fidem redderet invictam: *ego*, inquit, *rogavi pro te ut non deficiat fides tua; tu quoque ad fratres conversus illos aliquando confirma.* Fides igitur Petri, orante Christo, consequuta est, *ut norma esset infallibilis evangelicae veritatis.* Officium autem semet subiiciendi, suamque fidem ad infallibilem normam [68] exigendi, ex ipsis rerum naturis *necessario* permanat. Rationem igitur ecclesiae suae ita Christus disposuit, ut quotquot futuri erant fideles fidem suam, *rerum id natura flagitante*, ad fidem praedicationemque Petri componerent. Quare V. ἐξουσία, propriusque Petri primatus *duplici coniunctim titulo* stabilitur, titulo *externo missionis*, qui his continetur verbis *Christi legislatoris*, καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου: titulo deinde *interno singularis charismatis*, quem *Christus donorum omnium largitor* expressit inquiens, ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου.

Atque haec prorsus omnia VI. complexi mihi accuratissime videntur Stephanus dorensis antistes, et Theodorus studita, quorum prior in libello supplici quem Martino I. in Secretario altero lateranensis synodi obtulit, suam de primatu Petri fidem edidit, inquiens: „Beatus Petrus *praecipue* ac *specialiter* firmam prae omnibus habens in Dominum Deum nostrum et immutabilem fidem, convertere aliquando et confirmare exagitatos consortes suos et spiritales meruit fratres; utpote οἰκονομικῶς *super omnes* ab ipso qui propter nos incarnatus est Deus, *potestatem accipiens et sacerdotalem auctoritatem.*" Theodorus vero Paschalem I. non secus ac Petrum ipsum [69] alloquens, scribebat:

[67]) n. 203.

[68]) Norma enim quae non sit infallibilis, par non est fidei, uti oportet, proponendae.

[69]) Quod antiquis patribus est usu

„Tibi dixit Christus Deus noster, *et tu aliquando conversus confirmabis*[70] *fratres tuos.* Ecce tempus, ecce locus, opitulare nobis qui es a Deo ad hoc ordinatus: porrige manum quantum fieri potest: *habes potestatem a Deo, eo quod omnium princeps es.*"

CAPUT XIV.

Comparatio inter utrumque testimonium Luc. XXII. 31—33, et Matth. XVI. 17—18: — principes huius comparationis auctores: — quibus ea maxime capitibus contineatur: — quaeque sint cum his copulata: — quo pacto de ipsis etiam apostolis intelligi possit ac debeat Christi praeceptum, καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου: — explanatur atque in protestantes animadvertitur: — aliquot demum insigniora corollaria cum iis quae disseruimus intime cohaerentia, proponuntur.

206. Nonnisi perpaucos inveniri posse autumo, qui aut evangelia commentariis explanantes, aut praerogativarum Petri defensionem suscipientes, suarum esse partium non duxerint quae Lucas narrat *cum iis conferre* quae Matthaeus litteris consignavit. Cuius instituendae comparationis caussas habuere omnino duas, illasque praeclaras: ac principio quidem manifestam locorum similitudinem, ac propemodum dixerim germanitatem: deinde vero summi nominis, summaeque auctoritatis antecessores, quorum vestigia legerent, ductumque sequerentur. E quorum numero mihi prae aliis commemorandi succurrunt Gelasius I [1], Pelagius II[2], Gregorius magnus[3], Vitalianus[4], Hadrianus[5] et Nicolaus[6], qui hanc comparationem diserte proponunt ac diligenter inculcant; tum Leo IX. qui in litteris ad Michaelem constantinopolitanum non modo receptam usu comparationem repetit, verum etiam monet: precibus quarum Lucas meminit, id a Patre Christum pro Petro consequutum esse quod illi apud Matthaeum spoponderat.

Digna sunt verba Leonis, quae recitentur: „Taliter sancta ecclesia, inquit ille, *super petram, idest Christum, et super Petrum*[7] *vel Cepham* aedificata

receptum, ut qui crederent, Petrum in propria sede et vivere et praeesse.

[70]) Legebat enim in suis codicibus στηρίξεις, non στήριξον.

[1]) Epist. V. ad Honorium.

[2]) Epist. V. ad Eliam aquileiensem, ceterosque Istriae episcopos.

[3]) Lib. VI. epist. XXXVII. ad Eulogium alexandrinum.

[4]) Epist. ad Paulum cretensem archiepiscopum.

[5]) Epist. ad Carolum Magnum pro cultu sacrarum imaginum, et septima synodo.

[6]) Epist. VIII. ad Michaelem imperatorem.

[7]) Qui propterea a Gregorio nazianzeno ὕστερον τὸ τῆς ἐκκλησίας ἔρεισμα, et a Paschasio Radberto, *primus super*

est, ut inferi portis nullatenus foret superanda, quemadmodum pollicetur ipsi Veritas: *portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Cuius promissionis *effectum* se precibus impetrasse a Patre, idem Filius protestatur dicendo ad Petrum: *ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Erit ergo quisquam tantae dementiae, qui orationem illius, cuius velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? nonne a sede principis apostolorum, romana videlicet ecclesia, tam per eumdem Petrum, quam per suos [8] successores reprobata et convicta atque expugnata sunt omnium haereticorum [9] commenta, et fratrum corda in fide Petri, quae hactenus non defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?"

207. Ne igitur hac comparatione neglecta, sive caussae defuisse, sive maioribus non id quod decebat omne detulisse videamur; sic illam inibimus, ut potiora quibus constat capita, quo fieri accuratissime poterit, explicemus. Inter quae capita illud I. considerandum venit, sibi prorsus respondere *quum* quae *Patri* apud Matthaeum, quaeque *Christo* apud Lucam, *tum* quae *Christo* apud priorem evangelistam, quaeque *Petro* apud posteriorem tribuuntur. Sicuti enim *Pater* est, qui apud illum superna revelatione *Petri fidem* erigit ac illuminat: *μακάριος εἶ, Σίμων βὰρ Ἰωνᾶ, ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι, ἀλλ' ὁ πατήρ μου ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς:* ita *Christus* est, qui apud hunc *Petri fidem* confirmat, invictamque efficit: *ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου.* Et sicut *Christus* est qui, Matthaeo referente, munus sibi potestatemque *τοῦ οἰκοδόμου* vindicat: *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*: ita Petrus est cui, teste Luca, *τοῦ βεβαιωτοῦ* dignitas asseritur: *καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.* Quare II. utriusque testimonii membra hoc commode pacto disponuntur:

I. *Ὁ πατήρ μου, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἀπεκάλυψέ σοι.*	I. *Ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου.*
II. *Ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.*	II. *Καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.*

E qua mutua membrorum relatione intelligimus III. duplicem Petro competere distinctam proprietatem, *πέτρας* primum ac *fundamenti*, *confirmatoris* deinde atque *architecti.* Utramque vero dotem proprietatemque IV. eo spectasse, ut Petrus *praerogativarum consortio ad Christum propius accederet, apostolisque reliquis antecelleret.* Ac antecelluit sane, tum quia *omnium petra, fundamentumque* constitutus: tum quia *omnibus uti constantiae, stabilitatisque auctor* praepositus. Quo factum est V. *ut apostolis ex aequo omnibus ac fidelibus universis summa quaedam conspirandi cum Petro necessitas* incumberet: ac fidelibus quidem universis, ne seiuncti a Petro ab ipso item

fundamento nuncupatur. Cf. Mamachium, Orig. et Antiquitt. Christ. Lib. V. P. I. pag. 537.

[8]) Ut enim citata epistola loquitur Hadrianus: „Petrus vices suas vicariis suis pontificibus relinquere dignoscitur ecclesiae curam gerendi."

[9]) Quod est ex ecclesiastica historia compertissimum.

Christo, qui sibi illum ceu conspicuum totius aedificii fundamentum suffecit, divisi seiunctique corruerent: apostolis vero omnibus, ne si a Petri fide dissiderent, ab ipsa quoque conspicua orthodoxiae regula aberrarent, quam in Petro, eiusque fide ac praedicatione Christus collocavit.

208. Sentio quid possit non sine quadam probabilitatis specie reponi: opus non fuisse apostolis Petro *confirmante*, utpote qui ab ipso Christo et missionem suam et ἀσφαλείας donum ἀμέσως acceperint. At ego vero ne repetam quae occasione non dissimilis admodum difficultatis paullo superius[10] explanavi; quaeram I. quo pertineant quae de Petro narrantur[11] in Actis, sive quum superna revelatione edoctus[12], omnium primus declaravit, advenisse iam tempus quo ipsae etiam gentes in fidelium coetum reciperentur: sive quum solemniter atque αὐθεντικῶς[13] edixit, caeremonialium institutionum obligationem iam penitus interiisse. Si quid video, probant ista luculenter, iis Petrum in utraque contentione defunctum esse partibus, quas illi Christus demandaverat, inquiens: *καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.*

Ad quas Petri partes II. non obscure allusit[14] Paulus, quum se Hierosolymam venisse testatus est, ut videret Petrum, cum eo de evangelii praedicatione conferret, dexteram societatis acciperet, ne in vacuum curreret aut cucurrisset.

209. Ac sane III. duo sunt controversiarum genera toto caelo diversa: initio quidem, *utrum apostoli promissionem infallibilitatis a Christo fuerint ἀμέσως consequuti:* tum vero *quem modum*, *quamve exequendae promissionis rationem Christus delegerit.* De promissione namque infallibilitatis, quae apostolis ἀμέσως facta fuerit, nemo est qui ambigat, nemo qui illam non affirmet ac defendat. Tota igitur quaestio *ad modum rationemque refertur*, qua illam exequutioni mandandam Christus decreverit. Scripturis autem edocti credimus, *una cum aliis tam internis quam externis mediis, praesidiisque et istud selegisse*[15] *Christum*, ut in Petro, eiusque fide ac praedicatione quoddam veluti conspicuum παράδειγμα reponeret, quod apostolorum oculis constanter obversaretur, et a quo ipsi numquam vellent recedere.

Quod ut plenius distinctiusque intelligatur, proderit IV. animadvertisse, *exequutionem promissae infallibilitatis cum ea apte satis componi, qua Deus charisma exequitur, quod confirmationem in gratia nuncupare solent:* utraque enim multiplicem internorum, externorumque munerum seriem complectitur: ac utraque a Deo quum per se et immediate, tum per institutas secundas caussas atque mediate perficitur. Inter secundas vero exequendae infallibilitatis caussas suum esse locum Christus voluit confirmationi, quae a Petro auctore exspectanda esset, quaeque ab ipso proposita αὐθεντικῶς fide exhiberetur.

[10]) Cap. XIII.

[11]) Opportune Bengelius in Gnom. ad ista verba, *στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου*, ait: „Fecit hoc Petrus non multo post, Act. II. seq.; et in utraque sua epistola, ubi hoc ipsum verbum saepe repetitur, I. Petr. V. 10, II. Petr. I. 12, III. 17.“

[12]) Act. X. 28—45, XI. 1.

[13]) Ibid. XV. 7—10.

[14]) Galat. I. 18, II. 2.

[15]) Luc. XXII. 32.

Duo igitur praeter cetera statuit, quibus infallibilitatis exequutionem obtineret: ac primo quidem suo numine ita Petro adesse, ut ipse numquam a veritate caelitus revelata aberraret: deinde vero apostolorum omnium ita animos praeparare, voluntatesque dirigere, ut iidem et perspicue viderent fas non esse a Petri fide discedere, et constanter vellent in una eademque cum Petro fide perseverare.

210. Cuius divinae prorsus oeconomiae V. alterum, neque insigne minus, ut arbitror, specimen habebitur, si memoria reputentur quae *de ecclesia* scribit Paulus, quum[16] esse illam docet *στύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας*, Christique promissionibus munitam ita stabilitamque, ut a veritate desciscere nullatenus possit. Quod suo ipsius ore[17] Jesus pronunciavit, inquiens: *καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς*. Etenim tanta, tamque praeclara in retinenda veritate constantia, quae oppugnari possit, expugnari nequeat, ac semper victrix in acie consistat; quo tandem pacto ecclesiae inest? *ἁπλῶς* ne simpliciterque, an *σχετικῶς* potius et comparate? postrema quae retulimus verba, quaeque fusius alibi[18] examinavimus, ac ita se habent: *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς:* perspicue luculenterque demonstrant, excellentiam, stabilitatemque columnae ac firmamenti veritatis ecclesiae convenire ***non absolute***, ***simpliciterque***, ***sed comparate ad suppositam illi petram***, cum qua cohaerens ac devincta robur suum, suamque vim tueatur.

Id sensere Patres, disertisque verbis significarunt. Ac diserta profecto sunt ista Origenis[19]: „Nec enim adversus *petram*[20], supra quam Christus ecclesiam aedificat, ***nec adversus ecclesiam*** portae inferi praevalebunt.“ Diserta haec Augustini[21]: „Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae,“ quaeque *propterea* neque ecclesiam vincunt super illam aedificatam. Tum ista quoque diserta, quae alexandrinus Cyrillus ad verba Salvatoris, *tu es Petrus*, ... subiicit[22]: „Petram, credo, nihil aliud quam inconcussam et firmissimam discipuli fidem vocavit, ***in qua ecclesia ita fundata et firmata esset, ut non laberetur***, et esset inexpugnabilis inferorum portis.“ Neque aliter Leo[23] de Petro inquiens: „Hunc in consortium divinae unitatis assumptum, id quod ipse (Christus) erat, voluit nominari dicendo: ***tu es Petrus***, ***et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam***, ut aeterni templi aedificatio mirabili munere gratiae Dei ***in Petri soliditate consisteret***, ***hac ecclesiam suam firmitate corroborans***, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portae contra illam inferi praevalerent.“ Qui alibi[24] commemorata Petri fide, ait: „Tantum in hac fidei sublimitate (sibi Christus) complacuit, ut sacram inviolabilis petrae acciperet

[16]) I. Tim. III. 15.

[17]) Matth. XVI. 18.

[18]) Cap. VII.

[19]) In cap. XVI. Matthaei, v. 18.

[20]) Ubi exploratum est, *petrae* nomine Petrum significari.

[21]) In Ps. con. partem Donati.

[22]) De Trinit. lib. IV.

[23]) Epist. IV. ad episcopos gallicanos provinciae viennensis, cap. I.

[24]) Serm. LII. cap. I.

firmitatem, *supra quam* fundata ecclesia portis inferi et mortis legibus praevaleret." Christi autem ad Petrum verba hoc commentario [25] explanat: „Super hanc, inquit Dominus, fortitudinem aeternum exstruam templum, et ecclesiae meae caelo inferenda sublimitas *in huius fidei firmitate consurget.* Hanc confessionem inferi portae non tenebunt." Concinnunt his quae Simplicius [26], quaeque [27] Gelasius docent: quae leguntur in Romano Diurno [28] Garnerii curis edito: quae Theodorus studita [29] inculcat: quaeque precibus Sacramentarii Leonini [30] continentur: „Deus qui ecclesiam tuam *in apostolica soliditate fundatam* ab inferorum eruis terrore portarum." Et rursum: „Tui muneris, tuaeque virtutis est, ut *ecclesia tua in apostolica soliditate fundata* infernarum non vincatur terrore portarum."

Ad exequutionem igitur promissionis divinae de invicta ecclesiae constantia postremo loco non pertinet, *ut talem illi Deus mentem, animumque iugiter inserat, quo et invictissime nolit a Petro, Petrique fide discedere, ac invictissime velit cum Petro, Petrique fide consentire.* Promisit utique Deus ecclesiam fore immortalem ac semper invictam; *sed non minus declaravit, illius robur firmitatemque e coniunctione cum ea petra pendere, quam ipsemet exstruendo a se aedificio aeterni instar fundamenti praeiecerat.* Sicuti ergo *ne fallax videatur promissio, Deique fides evacuetur*, necesse est ut semper ecclesia triumphet; ita *ne fallax sit promissionis exequendae declaratio* necesse est, ut divino Spiritu acta informataque ecclesia ab ea numquam petra separetur [31], cum qua illam Deus coniunxit, et e qua voluit ut suam firmitatem, constantiamque mutuaretur.

211. Quae si uti par est teneantur, modum rationemque ostendunt, qua tributa divinitus *apostolis singulis ἀσφάλεια cum dependentia a Petri confirmatione* dextere componatur. Etenim infallibiles dubio procul futuri erant apostoli, utpote [32] testes praeordinati, iisque aucti [33] promissionibus, quibus ab errandi periculo certissime eximerentur; sed *inanis* esse non potuit *Petri praerogativa*, neque *inane impositum illi munus, στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου,* neque *inanis οἰκονομία a Christo instituta*, qua in communi omnium discrimine uni ἀμέσως Petro consuluit, ac per Petrum ceterorum incolumitati prospexit. Ad quam *οἰκονομίαν* ista pertinent Leonis [34] praeclarissima verba: „Commune erat *omnibus apostolis* periculum de tentatione formidinis, et divinae protectionis auxilio *pariter* indigebant, quoniam diabolus *omnes* exagitare, *omnes* cupiebat elidere; et tamen *specialis* a Domino *Petri cura* suscipitur, et *pro fide Petri proprie*

[25]) Serm. LXXXIII. cap. II.

[26]) Epist. IV. ad Zenonem Augustum.

[27]) In commonitorio ad Faustum, et epist. XIV. ad Acacium.

[28]) Tit. I. cap. II.

[29]) Lib. II. epist. LXIII. ad Naucratium.

[30]) In prima oratione Missae XVII. pro die festo ss. Petri et Pauli, et praefat. Missae XXI. pro eodem festo.

[31]) Matth. XVI. 18.

[32]) Act. I. 8.

[33]) Matth. XXVIII. 20.

[34]) Serm. IV. al. III. cap. III.

supplicatur, tamquam *aliorum status* certior sit futurus, *si mens principis victa non fuerit.*

Cognatio igitur textuum, ac mutuus qui promissionem inter exequutionemque existit habitus postulant, ut *ceteris providentiae instrumentis* ad implendam perficiendamque promissam apostolis infallibilitatem spectantibus *illud etiam* connumeretur: *Deum ita praesto illis fuisse, illorumque mentes animosque ita gubernasse, ut obsequi paradigmati quod in Petri fide praeluceret, constantissime iidem vellent, ab eo autem deflectere constantissime nollent.*

212. Explanata ratione, qua *cum apostolorum infallibilitate* possit ac debeat *Petri confirmatio* conciliari: impeditum haud censeo *de ea protestantium interpretatione statuere, qua τῶν ἀδελφῶν nomine venire apostolos inficiantur.* Negavit id[35] Bengelius, qui verbis, *στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου,* hunc subiecit commentarium: „Quod ego tibi facio, tu fac tui similibus, quos antea labefecisti. Fecit hoc Petrus non multo post Act. II. seq., et in utraque sua epistola, ubi hoc ipsum verbum saepe repetitur, I. Petr. V. 10, II. Petr. I. 12, II. 14, III. 16 — 17. — *Fratres tuos*, non *nostros;* nam alio modo fratres habet Petrus, alio Dominus. Fratres Petri erant apostoli ceteri, Matth. XXIII. 8.; *sed quia hi postea non eguerunt confirmatione Petri, accipiendum est de aliis fidelibus imbecillioribus.*" Bengelio suffragatus est Koecherus[36], ac post utrumque similia repetiit Kuinoel[37] scribens: „Per τοὺς ἀδελφοὺς intelligi possunt apostoli reliqui, *sed quia hi postea non eguerunt Petri confirmatione, latiori sensu hoc vocabulum accipiendum est, ita ut omnino Christi sectatores intelligantur.*"

Sed nemo facile hanc disputandi formam adprobet, ac sibi nemo facile persuadeat, interpretationem hermeneuticis iisque perspicuis communitam argumentis negligi *ideo* posse, *quod ratio modusque singula quaeque conciliandi non reperiatur.* Praeterea verum ne est conciliari non posse quae dissita ac secumipsis pugnantia perhibentur? atqui ea multipliciter in concordiam adduci demonstravimus. Sit igitur extra controversiam positum: I. difficultatem conciliationis praeposteram esse normam, qua de legitima interpretatione iudicetur: II. ea dici a protestantibus pugnantia quae non aegre mutuo componuntur: ac III. non aliam verborum Christi, *στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου,* interpretationem admitti posse, nisi qua *τῶν ἀδελφῶν* nomine ipsi *ἀμέσως* apostoli intelliguntur.

Cum hoc autem commentario, quem hactenus pro facultate expolivimus, ea nexa sunt consectaria quae operae pretium esse arbitror ex ordine referre, ut universa tractatio novo quodam veluti perfusa lumine nitidius splendescat.

COROLLARIUM I.

213. Duplex in Scripturis *cognatum schema* adhibetur *fundamenti et confirmatoris,* quo Petrus tamquam *origo, unitatisque ecclesiasticae principium*

[35]) In Gnom. ad Luc. XXII. 32.
[36]) In Analectis ad h. l.
[37]) In comm. ad h. l.

repraesentatur. De priori schemate nihil admodum habeo quod adiiciam; de posteriori vero istud suppetit quod paullo vehementius inculcem. Inter *varios* nimirum *unitatis modos*, quibus suam distingui ecclesiam ordinavit Christus, illum eminere, qui *una eademque fidei professione* [38] comprehenditur. Ad hunc autem obtinendum consequendumque, *institutam* ab eo I. fuisse *ministrorum hierarchiam*, quorum munera actusque [39] eo pertinerent, ut occurreremus omnes *εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως*, neque essemus *νήπιοι κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας:* tum vero II. ipsam hierarchiam *ad monarchiam* fuisse revocatam, ac illius vim omnem, firmitatemque suspensam e consensione atque societate cum Petro, *cui uni* dictum est: *ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου:* et *cui uni* praeceptum, *καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.*

COROLLARIUM II.

214. Quare hi mihi Petri *ὑπεροχήν*, praestantiamque expressisse insigniter [40] videntur, qui illam *primatum fidei*, *fidei principatum* ac *principatum in episcopatu fidei* nuncuparunt. His enim formulis nihil effertur aliud quam *ius potius*, *eminensque auctoritas* praescribendae fidei, eiusque professionis determinandae, qua fidei unitas et sinceritas custodiuntur. Hoc autem iure tum Petrum a Christo auctum novimus, quum illi dixit: *στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.* Praeclare Bernardus, dum ita [41] Innocentium II. alloquitur: „Oportet ad vestrum referri apostolatum pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei, *ea praesertim*, quae *de fide* contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi [42] non possit fides sentire defectum. Haec quippe huius praerogativa sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: *ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua?* ergo quod sequitur, a Petri successore exigitur: *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Id quidem modo (ingruebant enim Abaelardi errores) necessarium. Tempus est, ut vestrum agnoscatis, pater amantissime, *principatum*, probetis zelum, ministerium honoretis. In eo plane Petri impletis [43] vicem, cuius tenetis et sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia *confirmetis*, si vestra *auctoritate* conteratis fidei corruptores.“

COROLLARIUM III.

215. Quum audiri omnes debeant, quibus verbi ministerium, suoque obeundam nomine legationem Jesus commisit, officiumque tuendae fidei, servan-

[38]) Eph. IV. 5.

[39]) Ibid. vv. 11—15.

[40]) Cf. Ambrosium de Incarnat. cap. IV. n. 32.

[41]) Epist. CXCVIII.

[42]) Hoc est quod Christus ait, *ne deficiat fides tua*; quodque Cyprianus epist. LV. exprimit inquiens de Petri successoribus: *ad quos perfidia habere non possit accessum.*

[43]) Hinc appellatio vicariorum Petri facta frequenter romanis antistitibus.

daeque unitatis demandavit; is tamen prae omnibus audiendus est, qui *fidei principatum*, ac *principatum in episcopatu fidei* obtinuit, et cui iniunctum legimus, *στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.* Hic autem est Petrus. Is igitur audiri prae omnibus debet, eiusque fides supremae instar normae haberi, quae numquam deseratur. Quod Petrus cognomine Chrysologus litteris ad Eutychem datis [44] significavit inquiens: „In omnibus hortamur te, frater honorabilis, ut his quae a beatissimo papa romanae civitatis scripta sunt, *obedienter* attendas; quoniam beatus Petrus, qui in propria sede et vivit et [45] praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.“

Unde Johannes VIII. in epistola [46] ad Petrum Comitem, quum plura alia praeclarissime, tum ista nominatim scribit, quibus viro nobilissimo auctor est, ut Michaelem bulgarorum regem ad societatem, coniunctionemque cum Petri cathedra provocet, eidemque suggerat: „Ut evangelicam legat historiam, et videat ibi *praecipue soli Petro*, aliis ista vel illa opinantibus, Christum Dei vivi filium revelatum, et *singulariter* dictum: *ego pro te rogavi*, *Petre*, *ut non deficiat fides tua.* Ergo si istis falsa putantibus, Petro veritas *praecipue* revelata est: et si pro fide Petri oratum *singulariter* est a Filio ne deficeret; consideret sapiens rex quam laudabiliter fecerit urbem quaerens, ad quam iste talis et tantus apostolus venit et praedicavit; cui Patre revelante veritas Filii patefacta est, et cuius fides, quia Filius rogavit, non defecit..... Hanc itaque fidem suggere semper et suade pio regi sitire: hanc non alibi *praecipue* quaerere nisi Romae, ubi plantata est et radicata a beato Petro, qui hanc sicut veraciter cognovit, veraciter et praedicavit: quoniam sicut aqua numquam potest alibi tam munda vel tam limpida quemadmodum *in fonte*, unde *originem* [47] protrahit, inveniri; ita et fides numquam omnino poterit alibi tam pura vel tam nitida reperiri, sicut in ecclesiae nostrae *vivario*, ubi eam non tecta perstillantia, quibus litigiosa mulier, idest haeretica pravitas comparatur, sed *ille polorum claviger* ubertim et purissime congregavit, qui ex ipso fonte vivo hanc caelitus hausit, et limpidissimam conservandam mandavit.“

COROLLARIUM IV.

216. Ab hac Petri praerogativa, qua prae omnibus audiendus est, alia seiungi ornamenta nequeunt, quibus vel *summus Dei discipulus* [48] a Prudentio, vel *ecclesiae figura* [49] ab Augustino, vel *os discipulorum* ac *orbis magister* [50]

[44]) Epist. XXV. inter Leoninas edit. Balleriniorum.

[45]) Unde Xystus III. in litteris ad Johannem antiochenum scribit, non aliter fidei doctrinam a Petri successoribus traditam accipi oportere, ac si ab ipso Petro traderetur, *qui in suis successoribus quod accepit hoc tradidit.*

[46]) Epist. LXXVI.

[47]) Alludit ad solemne schema, quo Petrus *uti fons ac origo* auctoritatis atque orthodoxiae exhibetur.

[48]) Con. Symmachum lib. II. vv. 1. seqq.

[49]) Serm. LXXVI.

[50]) Hom. LXXXVIII. al. LXXXVII. in Joh. n. 1.

a Chrysostomo, vel *candelabrum* et *discipulorum lingua* ac *praedicantium vox* [51] ab Ephraemio syro, vel *praedicator summus* [52] ab hierosolymitano Cyrillo nuncupatur. Ista namque omnia, quaeque istis propinqua apud Patres saepe recurrunt, eo suapte natura pertinent, ut I. principatus in episcopatu fidei Petro tributus intelligatur: ut II. ea esse Petri fides credatur, cum qua orthodoxorum omnium fides consentire debet: ac propterea ut III. compertum omnibus sit, catholicam fidem eo prope modo fide Petri repraesentari, quo ramorum varietas unitate radicis, et rivulorum multitudo unitate fontis repraesentantur.

COROLLARIUM V.

217. Lex est Christi solemnissima et a Paulo saepe repetita [53], neminem aeternae salutis fore compotem, qui sinceram germanamque fidem non sancte custodierit. Sincerae autem germanaeque fidei exemplar et paradigma ipsa est Petri fides. Lege igitur Christi consensio atque unitas cum fide Petri eorum haberi numero debent, quae ad consequendam salutem necessario postulantur. Hanc legem tulit Christus, quum Petro dixit, *στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου:* atque de hac lege toties loquuntur Patres, quoties vel I. ea docent quae praecedentibus consectariis retulimus: vel II. cum utroque Anselmo, lucensi [54] et havelburgensi [55] tradunt, fidem in Petri cathedra vigentem eam esse, quae numquam sit defectura. En verba posterioris Anselmi: „Sciens Dominus alias ecclesias haeretica impulsione nimium vexandas, et ecclesiam romanam, quam ipse supra Petrum fundaverat, *numquam in fide debilitandam*, dixit Petro: *ego rogavi pro te ...;* ac si aperte ei dicat: tu qui hanc gratiam accepisti, ut aliis in fide naufragantibus, *semper in fide immobilis et constans permaneas*, alias vacillantes confirma et corrige, et tamquam omnium provisor et doctor et pater et magister omnium curam et sollicitudinem gere. Merito ita *privilegium praelationis super omnes* accepit, qui *in conservanda integritate fidei prae omnibus privilegium* a Domino susceperat.“

COROLLARIUM VI.

218. Vera fides, veraque ecclesia eo cohaerent arctissimo nexu, ut ne animo quidem concipi seiuncta possint. Vera autem fides neque est, neque alia esse ab ea potest, quam Petrus summus Dei discipulus, magister orbis, os discipulorum, fratrumque confirmator tenet ac tenendam proponit. Nullus igitur a Christo nuncupatus coetus, idemque ab hac fide dissidens, aut retinere nomen, aut dignitatem verae ecclesiae tueri potest. Praeclare [56] Aelredus: „Nemo, fratres, vos seducat inanibus verbis, nemo vobis dicat, ecce heic Christus, vel

[51]) Encom. in Petrum et ceteros apostolos.

[52]) Catech. XI. n. 3.

[53]) Marc. XVI. 16, Joh. III. 18, Rom. III. 3. seqq.

[54]) Con. Guibertum pseudo-pontificem.

[55]) Adversus Graecos.

[56]) Comm. in Isaiam.

ecce illic, ***quum in fide Petri semper sit Christus***, quam sancta romana ecclesia mutuavit a Petro, et servat in petra quae est Christus. Haec est ecclesia romana, cui qui non communicat, ***haereticus est.*** Illius interest consulere omnibus, iudicare de omnibus, omnibus providere, ad quam in Petro vox ista dirigitur: ***et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*** Quidquid ista statuerit, suscipio, approbo quod approbaverit, quod damnaverit damno." A quibus ne tantillum quidem ista dissident [57] Jacobi Cardinalis Vitriaci: „Patet ergo, quum super hanc petram, pro qua Dominus rogavit ut non deficiat fides eius, post Christum [58] aedificata sit et fundata Christi ecclesia, quod omnes qui a romana ecclesia recedunt, qui absque fundamento aedificant in vanum laborantes, et ab eo qui a Domino Cephas vocatus, ***separati, acephali et monstrosi homines merito sunt reputandi.***"

COROLLARIUM VII.

219. Si quae cognitio eximii cuiusdam momenti censeri debet, illa sane est, qua *tesseram verae fidei*, *veraeque ecclesiae*, atque hanc tutam, expeditamque perspicimus. Necessitas enim utriusque cognoscendae, amplectendaeque *summa* est, ac *summi* idcirco *ponderis* est viam, rationemque tenere, qua in illarum *certam notitiam facile* deducamur. Atqui in Petro ea tessera residet, quam si ob oculos habuerimus, fiet numquam, ut in exquirenda vera fide, veraque ecclesia a proposito nobis scopo aberremus. Etenim neque alia esse potest vera fides, nisi quam is tradit, qui fratres in fide confirmandos recepit: neque alia vera ecclesia, nisi quam Christus aedificavit ac porro aedificare pergit. Sed quemadmodum uni Petro Christus praecepit, *στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου:* ita non aliam aedificavit aut aedificat ecclesiam, nisi quae Petro tamquam conspicuo fundamento incumbit.

Si qui igitur de invenienda vera fide, veraque ecclesia curam gerunt, hi quaerant ubi Petrus est, ac ubi Petri fides custoditur: tam enim indubitatum est illud [59] Ambrosii, ***ubi Petrus***, ***ibi ecclesia***, quam istud [60] Stephani Larissae antistitis, ***in Petri confessione omnes mundi conquiescere ecclesias:*** quaerant quinam tot inter christianos coetus gloriosum ecclesiae nomen sibi vindicantes, cum Petro consentiat, traditamque e Petri cathedra fidem sequatur; quem quum repererint, nihil ultra quaerant, sed invento felicissimo thesauro perfruantur. „Neque enim ignoramus, ut verbis utar Petri alliacensis ad Clementem VII, sed firmissime tenemus et nullatenus dubitamus, quod sancta sedes apostolica est illa cathedra Petri, supra quam, Hieronymo teste, fundata est ecclesia, de qua sede in persona Petri in ea sedentis dictum est: ***Petre***, ***rogavi pro te***, ***ut non deficiat fides tua.***"

[57]) Orientalis Hist. cap. LXXV.

[58]) Qui Petro contulit ut alterum a se esset conspicuum fundamentum.

[59]) In Ps. L. n. 30.

[60]) In libello ad Bonifacium II. apud Labbé T. IV. p. 1692.

COROLLARIUM VIII.

220. His ita praestitutis, nihil eo evidentius esse arbitror quod Cyprianus [61] docet: *tractatu longo atque argumentis opus non esse*, ut in gravissima de vera fide, veraque ecclesia quaestione iis persona detrahatur qui *asserunt noctem pro die*, *interitum pro salute*, *desperationem sub obtentu spei*, *perfidiam sub praetextu fidei*, *antichristum sub vocabulo Christi; ut dum verisimilia mentiuntur*, *veritatem subtilitate frustrentur*. „Probatio namque est ad fidem *facilis compendio veritatis*. Loquitur Dominus ad Petrum: *ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus*, *et super istam petram aedificabo ecclesiam meam*, *et portae inferi non vincent eam*. *Et tibi dabo claves regni caelorum, et quae ligaveris super terram, erunt ligata et in caelis: et quaecumque solveris super terram*, *erunt soluta et in caelis*. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: *pasce oves meas*. Super unum aedificat ecclesiam suam.“ Quae propterea neque *ab uno*, super quem aedificata est, divelli, neque aliam profiteri fidem potest, nisi quam ille *unus*, idemque Petrus proponit.

CAPUT XV.

Criticorum aliquot de capite XXI. Johannis opinio: — quantopere a vero aberret, paucis innuitur: — tum de eorum sententia agitur quae leguntur vv. 15—18: — an ea spectent ad unum Petrum: — qui negent, et quanam de caussa: — certis argumentis confutantur: — de formula, ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων; — subiecta ne an obiecta conferantur: — opinionum dissidia: — conferri subiecta demonstratur: — quae exinde ad Petri ἐξουσίαν extollendam orthodoxi patres collegerint: — vindicantur: — et comparatione cum iis instituta quae narrant Matthaeus XVI. 18—19. et Lucas XXII. 31—33, nova, pleniorique luce perfunduntur.

221. Quum ante Hugonem Grotium una omnium tam catholicorum quam protestantium mens esset, postremum evangelii *κατὰ Ἰωάννην* caput eidem esse apostolo, cui reliqua tribuuntur, adscribendum; editis ab illo in Scripturam commentariis non defuere, qui eius legentes vestigia iudicandum aliter esse crediderint. Hos inter connumerandi veniunt [1] Clericus, Pfaffius, Moerlius, Semlerus, Paulus, et De Wettius, quibus si animum adiicimus, postremi capitis auctor non ipse credi debet Johannes, sed ephesinus coetus, qui Johanne adhuc superstite ac probante illud interseruerit. Verum, qnod facile erat coniicere,

[61]) De unit. ecclesiae.

[1]) Cf. Griesbachii adnotat. ad Joh. XXI.

huius insolentiam, temeritatemque opinionis non catholici[2] solum unanimes, sed ipsi etiam magno numero protestantes acerbissimis verbis exagitarunt. Profuerit legisse quae scribunt Millius[3], Wetestenius[4], Calovius[5], Basnagius[6], Hofmannus[7] et[8] Adamus Osiander: ex his enim perspicuum erit affirmari nihil potuisse, quod quavis vel tenuissima probabilitatis specie minus commendaretur.

Quotquot enim sunt *critica indicia*, sive *externa*, sive *insita* hoc probant, unum eumdemque esse auctorem quum postremi capitis, tum reliquorum. Probant *indicia externa*, sive quae *e codicum consensione*, sive quae *e priscis versionibus*, *christianaque traditione* depromuntur: horum enim instrumentorum nullum est, quo postremum caput Johanni non vindicetur. Probant *insita indicia*, neque ea minus quae *e colore dictionis*, quam quae *e narrationis forma* ac *ipsa veluti scribentis facie* petuntur: qui enim color, quae facies in ceteris capitibus, in postremo quoque extant ac refulgent. Probant denique *ipsae quae opponuntur difficultates*, quarum ne una quidem est, quae non simillima cavillationi videatur, quaeque non fuerit a viris doctis[9] egregie explanata. Unde mirum esse non debet, si Tholuck[10] quum ab eximia eruditione, tum ab iudicii critici sagacitate insignis contenderit, reos esse impudentis temeritatis, qui postremum caput alteri quam Johanni asserendum esse arbitrantur.

222. Itaque quum Johannis certissime sint quae postremo evangelii capite continentur, integrum nobis est non aliter eo uti ac instrumento fide dignissimo et *θεοπνεύστῳ*, cuius auctoritate ac sententiis praesentem quam versamus de Petri praerogativis controversiam explicemus. Ad quam explicandam, dirimendamque non minimum ista[11] conferunt: *Ὅτε οὖν ἠρίστησαν, λέγει τῷ Σίμωνι Πέτρῳ ὁ Ἰησοῦς· Σίμων Ἰωνᾶ[12], ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων; λέγει αὐτῷ· ναί, κύριε, σὺ οἶδας, ὅτι φιλῶ σε. λέγει αὐτῷ· βόσκε τὰ ἀρνία[13] μου. Λέγει αὐτῷ πάλιν δεύτερον· Σίμων Ἰωνᾶ, ἀγαπᾷς με; λέγει αὐτῷ· ναί, κύριε, σὺ οἶδας, ὅτι φιλῶ σε. λέγει αὐτῷ· ποίμαινε τὰ πρόβατά[14] μου. Λέγει αὐτῷ τὸ τρίτον· Σίμων Ἰωνᾶ, φιλεῖς με; ἐλυπήθη ὁ Πέτρος, ὅτι εἶπεν αὐτῷ τὸ τρίτον· φιλεῖς με; καὶ εἶπεν αὐτῷ· κύριε, σὺ πάντα οἶδας· σὺ γινώσκεις, ὅτι φιλῶ σε. λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· βόσκε τὰ πρόβατά[15] μου.*

Sane quum testimonii ad faciendam fidem adhibiti *ea sit potior dos*, ut perspicuitate refulgeat; nescio an istis evidentiora postulari merito possint. Omnia siquidem tam *propria* quam *translata*, tam *seorsum* quam *coniunctim*

[2]) Cf. Simonii Hist. Critic. N. T. lib. I.

[3]) Proleg. §. 249.

[4]) Not. ad Joh. XXI.

[5]) Bibl. Illustrat. ad Joh. XXI.

[6]) Annal. ad an. Domini XXXIII. §. 154.

[7]) Observatt. ad Pritii comm. in N. T. pag. 965.

[8]) Exercit. edita Tubingae an. 1756, *De authentia cap. XXI. Johannis.*

[9]) Cf. Millium et Wetestenium ll. citatis.

[10]) Commentar zum Evangel. Johannis. 3. Aufl. Hamburg. 1831. pag. 353.

[11]) Joh. XXI. 15—18.

[12]) Al. *Ἰωάνου* seu *Ἰωάννου*.

[13]) Al. *πρόβατα*.

[14]) Al. *προβάτια*, *oviculas*.

[15]) Al. *προβάτια* aut *ἀρνία*.

plana sunt ac expedita. Fac enim I. expendas verba *seorsum:* ea sunt *vulgatissima*, sive propria, sive metaphorica significatione usurpentur. Fac II. ea *coniunctim* expendas: phrases ac formulae quae ex iis coalescunt, nihil exhibent quod clara distinctaque notitia non percipiatur. Fac postremo III. *res ipsas* consideres, quae vocabulis, phrasibusque efferuntur: eae sunt quidem nobiles, excelsae, et ad ostendendam Christi curam de *unitate ecclesiae* omnium accommodatissimae; vim tamen facultatemque rationis non praetergrediuntur, cumque iis notitiis apte consentiunt, quas dicere *rationales* solemus. Universa igitur oratio splendet, eoque suapte natura fertur, ut Petrus reliquis antepositus apostolis, ac institutus supremus, oecumenicusque pastor intelligatur.

223. Improbant ista protestantes, nervosque idcirco omnes intendunt, ut tantum splendorem infuscent, obducant tenebris, aliamque esse subiectam verbis potestatem persuadeant. Quod ut assequantur facilius, gradibus veluti quibusdam incedunt, ac principio, praeeuntibus [16] Hackspanio, Pfaffio [17], Samuele Basnagio [18], Bernardo Sandenio [19], et [20] Laurentio Moshemio, graviter serioque defendunt: *nihil esse in Christi verbis proprium, nihil quod ad unum spectet Petrum, ac nihil quod non debeat omnibus commune apostolis existimari.*

Cuius caussam, rationemque sententiae si ab iis poscas, caussam rationemque proferunt *non hermeneuticam, sed dogmaticam*, et quum *ex analogia* quam vocant *fidei*, tum *ex eo desumptam, quod reliqui item apostoli pascendi munus officiumque a Christo acceperint.* Illud vero incredibile quod minime advertant, non hoc peti, utrum ceteri item apostoli pascendi munus dignitatemque, Christo auctore, obtinuerint; sed I. utrum eo quem adduximus Johannis loco obtinuerint: utrum II. eodem gradu, eademque amplitudine ac dignitate: et utrum III. in eo apud Johannem testimonio nihil occurrat non commune, nihil quod Petrum omnibus praehabitum significet. Sed ista protestantes non distinguunt, ac ex iis profecti, quae omnibus *indubitata* sunt, praecipites deinde ruunt, ac in ea delabuntur, quae cum Scripturarum doctrina nullo artificio concilies.

224. Et conciliari profecto cum ea nequit, quod de verbis Christi *ad omnes ex aequo apostolos* pertinentibus affirmant; quum luce clarius sit, *illa esse propria* [21], *et ad unum nominatim Petrum referri.* Sane I. narrationem auspicatur [22] Johannes inquiens: *ὅτε οὖν ἠρίστησαν, λέγει τῷ Σίμωνι Πέτρῳ ὁ Ἰησοῦς.* His autem manifestus continetur orationis transitus, qui sicuti ratione contextus habita, *e persona loquentis* repeti nequit, quum idem sit Christus qui dicere pergit; ita repetatur oportet *quum e re qua de agitur* ab iis diversa, de quibus antea sermo fuerat, *tum e persona quacum agitur*, quae est Simon

[16]) In notis pag. 481.

[17]) In Origg. Ecclesiast. pagg. 33. seqq.

[18]) In Annal. Politico-Ecclesiast. ad an. XXXIII. §. 157.

[19]) In diss. edita Regiom. an. 1696.

[20]) In der *Sittenlehre der H. Schrift*, Part. III. pag. 415.

[21]) Lib. I. cap. X.

[22]) Joh. XXI. 15.

Petrus, quum antea ad discipulos indiscriminatim omnes verba dirigerentur. Transitus igitur, orationisque progressio significata verbis, *ὅτε οὖν ἠρίστησαν, λέγει τῷ Σίμωνι Πέτρῳ ὁ Ἰησοῦς*, flagitant ne ad apostolos pariter omnes, sed ad unum seorsum Petrum consequens Christi sermo referatur.

Enimvero II. comparetur cum *antecedentibus*, quae ad illos communiter omnes pertinent. Formulae in iis repetitae, hae sunt[23]: *λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, ἐνέγκατε, δεῦτε, ἀριστήσατε, δίδωσιν αὐτοῖς*: scilicet omnes sunt *pluralis numeri*, *pluresque* designant. At in eo de quo disserimus contextu, hae constanter[24] occurrunt: *λέγει τῷ Σίμωνι Πέτρῳ ὁ Ἰησοῦς, ἀγαπᾷς με, βόσκε, λέγει αὐτῷ πάλιν, ποίμαινε, λέγει αὐτῷ τὸ τρίτον, φιλεῖς με*: scilicet sunt omnes *singularis numeri*, ac unum singularemque Simonem Petrum demonstrant. Quemadmodum igitur absonum foret praecedentia *ad unum* coercere; ita videri absonum debet consequentia *ad omnes* qui aderant amplificare.

Neque prorsus video III. quo tandem pacto significare Christus evidentius potuerit, sibi *cum uno Petro* esse sermonem. Orditur enim[25], inquiens: *Σίμων Ἰωνᾶ, ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων;* tum ne syllabam quidem addit, quae ad alium quam ad Simonem Jonae filium dirigatur. Perconctor igitur *propria* ne sit an *communis* appellatio Simonis Jonae filii. Credo *propriam* esse, ac uni Petro convenire. Unus igitur proprie est Petrus, quem Christus alloquitur, quem interrogat, et cui agnos ovesque alendas, regendasque committit.

Praeterea IV. quid sibi vult *comparata* loquutio, *ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων;* ea sane ostendit a ceteris qui aderant, Petrum *secerni*. Sed si a ceteris Petrus *secernitur*, et Petrum a ceteris *secretum* Christus compellat; qua prudentia, veritatisque specie, quae illi dicuntur, *communia* omnibus existimantur?

Quae V. si *communia* forent, eiusmodi quoque duci deberent quae in eadem orationis serie ne levissime quidem immutata *subsequuntur*: ac proinde *commune* omnibus duci deberet quod subiicitur[26]: *Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ὅτε ἧς νεώτερος, ἐζώννυες σεαυτὸν καὶ περιεπάτεις, ὅπου ἤθελες· ὅταν δὲ γηράσῃς, ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σου, καὶ ἄλλος σε ζώσει καὶ οἴσει, ὅπου οὐ θέλεις.* Sed interprete Johanne[27], haec pertinent *ad unum Petrum*, rationemque martyrii depingunt, qua *unus* Petrus glorificaturus erat Deum. Demonstravimus igitur quaecumque omnia praesenti Christi sermone continentur, *propria* esse, ad *unum* Petrum dirigi, *primamque ex iis conditionibus* complecti, quae ad statuendas tuendasque Petri praerogativas requiruntur.

225. Neque minus perspicue *conditionem alteram* complectuntur in eo sitam, ut quod *proprie* Petro adscribitur, *ad excellentiam* spectet, *maioremque in ecclesiastico ministerio dignitatem* praeferat. Expendatur enim *comparatio* inclusa verbis, *ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων;* tum consideretur, *quinam* mutuo

[23]) Joh. XXI. 10—15.
[24]) Ibid. vv. 15—18.
[25]) Ibid. v. 15.
[26]) Ibid. v. 18.
[27]) Ibid. v. 19.

termini componantur. Non me praeterit aliquos e protestantium[28] numero reperiri qui putant conferri simul *obiecta* non *subiecta*, conferri simul non *σὺ καὶ οὗτοι*, sed *μὲ καὶ τούτους*, atque adeo subiectam verbis Domini sententiam talem esse: *diligis me plus quam hos diligas?* At vero hanc mecum enarrationem reputare non possum, quin illius auctoribus nonnihil subirascar. Ea namque est, quae tam *a persona eius qui interrogatur*, *quique interrogat*, quam *ab obvio sensu*, et *grammaticae legibus* vehementissime abhorret.

Qui enim I. *interrogatur*, est Petrus, is nimirum qui tractus a Patre noverat, solemnique professione[29] confirmaverat, *Jesum esse Christum*, *germanamque prolem Dei viventis:* is pro cuius in fide constantia[30] Jesus oraverat, et cui fratres stabiliendos, roborandosque tradiderat: is qui suam in Jesum propensissimam voluntatem[31] declaraverat, inquiens: *Κύριε, μετὰ σοῦ ἕτοιμός εἰμι καὶ εἰς φυλακὴν καὶ εἰς θάνατον πορεύεσθαι:* is quem Jesus omnium primum inter apostolos[32] suimetipsius praesentia post devictam mortem recrearat: is demum qui sub hoc ipsum tempus[33] ut *citius* ad Jesum accederet, cuiusvis impatiens morae, atque ardentissima actus caritate se mari dedit, quum reliqui interea discipuli navigio vecti *tardius* appropinquarent. Estne igitur qui non cernat ab ingenio, ab indole, Petrique persona alienissimam fuisse interrogationem, maiori ne caritate Jesum ipsum, quam apostolos, discipulosque reliquos prosequeretur? Eiusmodi namque interrogatio II. hunc redderet sensum: *potiori ne amore in Deum et creatorem*, *quam in homines*, *creaturasque ferretur;* scilicet *servaret ne primum maximumque mandatum*, *an illud contra summo scelere transgrederetur.* Qua sane interrogatione nihil mihi succurrit, quod a Petri persona, eiusque charactere longius aberret.

Immo III. quod magis ab ipsa persona ac *interrogantis* dignitate dissideat. Auctor enim interrogationis est Jesus, cui propterea adscribitur, quod *semel*, *iterum* ac *tertio* a Petro postularit, *sibi ne*, *an sociis potius ac fratribus primas amoris deferret.* Verum quis hanc Jesu sollicitudinem tribuat, aut hanc illi mentem commodet eo solum dignam, qui zelotypia ureretur, vel aemulationis stimulo pungeretur?

Ad haec IV. *quem* Jesus significabat *amorem*, inquiens: *ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων;* rectum ne an praeposterum, *caritatem* ne an *cupiditatem?* cupiditatem nemo sanus dixerit. De caritate ergo interrogabat. Sed caritas in proximum e radice subolescit caritatis in Deum, et nisi ista antecesserit, consequi illa non potest. Ne igitur Christus de cupiditate loquutus censeatur, reiici interpretatio debet, qua simul *obiecta* conferri perhibentur.

226. Quam interpretationem V. non ipsi solum catholici constanter improbarunt, sed protestantes quoque non pauci improbandam esse docuere. Hos

[28]) Videsis Oederum in Animadvers. sacris, pag. 545.

[29]) Matth. XVI. 17.

[30]) Luc. XXII. 31—33.

[31]) Ibid. v. 33.

[32]) Luc. XXIV. 34, I. Cor. XV. 5.

[33]) Joh. XXI. 7—8.

inter Bengelius[34] verba, *πλεῖον τούτων*, exponit, ***magis quam hi***, idest, ***condiscipuli tui.*** Tum subdit: „Sic *οὗτος* ***hic*** v. 21. Antea Petrus se ***plus his*** praestiturum dixerat, Matth. XXVI. 33, nunc autem simpliciter dicit, ***amo te***; non addit, ***plus his.***" Consonat Bloomfield[35], qui tria ex ordine statuit: ac inprimis sensum, ***diligis me plusquam hi me diligant***, esse unice verum: huic deinde sensui optimos quosque veteres, recentioresque interpretes suffragari: alteram postremo acceptionem ieiunam esse, longissime petitam, et a rebus ipsis personisque abhorrentem. Unde Rosenmüllerus[36] tamquam in re minime dubia scribit: „*Ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων;* ***amas me magis quam hi ceteri?*** nam *τούτων* hoc loco est masculini, non neutrius generis, nec quae est Whitbii sententia, ad navigium et pisces v. 8, sed ad reliquos apostolos refertur."

Sane VI. ***lex*** est ***grammaticis certa***, usuque scriptorum comprobata, ad verborum ***collocationem*** attendi tum maxime oportere, quum ***e constructionis forma*** anceps videri potest, quinam mutuo termini referantur. Constructio autem verborum, *ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων;* ea est, qua non satis definitur, ***obiecta*** ne potius, *μὲ καὶ τούτους*, an ***subiecta***, *σὺ καὶ οὗτοι*, ad invicem comparentur. Ipsa igitur inspici ***collocatio*** debet, eaque inspecta ambiguitas e medio tolli. Quonam vero modo, ne ista inspectio nobis sit fraudi? eo qui suapte sponte intelligitur, quique a grammaticis traditur: ***ut ii mutuo termini relati censeantur, qui sunt iuxta positi, seque*** *ἀμέσως* ***excipiunt.*** Quare si inter *μὲ* et *τούτους* relatio intercederet, ita fuissent verba disponenda: *ἀγαπᾷς τούτων με πλεῖον;* quum igitur disposita secus sint, legamusque, *ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων;* concludi debet, ***subiecta, non obiecta, Simonem et discipulos, non Christum et discipulos*** ad invicem referri.

Eo vel magis VII. quod Johanni infrequens haud sit, ***obiecta comparata*** *ἀμέσως* iungere, ***subiecta*** vero, interiecto comparativo, tum etiam dividere ac separare, quum nullum imminet ex ambiguitate periculum. Jungit ***comparata obiecta*** scribens[37]: *μήτι πλείονα σημεῖα τούτων ποιήσει.* Ac iterum iungit, dum[38] ait: *μείζονα ταύτης ἀγάπην οὐδεὶς ἔχει.* At ***subiecta*** dividit et separat quum[39] alibi, tum[40] inquiens: *μὴ σὺ μείζων εἶ τοῦ πατρὸς ἡμῶν.* Ac denuo[41]: *οὐκ ἔστι δοῦλος μείζων τοῦ κυρίου αὐτοῦ.* Liquet igitur non Christum sed Petrum cum apostolis reliquis conferri; Christum vero de eo interrogare, non utrum Petrus maiore ipsum amore quam socios, discipulosque diligeret, sed utrum ***impensiore eum caritate***, quam socii ac apostoli, prosequeretur.

227. E quibus efficitur quod christiani patres uno ore testantur, ***singularem ac plane eximiam Petro collatam fuisse dignitatem.*** Ad rem[42] Am-

[34]) In Gnom. ad Joh. XXI. 15.

[35]) In notis ad h. l.

[36]) In scholiis ad h. l.

[37]) Joh. VII. 31.

[38]) Ibid. XV. 13.

[39]) Ibid. VIII. 53, XIV. 28.

[40]) Ibid. IV. 12.

[41]) Ibid. XIII. 16, XV. 20.

[42]) In Lucam, lib. X. n. 175.

brosius: „Non est dubium credidisse Petrum, et credidisse quia dilexit, dilexisse quia credidit. Unde et contristatur quia tertio interrogatur, *amas me?* is enim interrogatur de quo dubitatur. Sed Dominus non dubitat, qui interrogat non ut disceret, sed ut doceret quem elevandus in caelum *amoris sui veluti vicarium* relinquebat.... Ideo quia *solus* profitetur ex omnibus, *omnibus antefertur.* Denique tertio Dominus, non iam *diligis me*, sed *amas me* interrogat: et iam non *agnos*, ut primo, quodam lacte pascendos, nec *oviculas*, ut secundo, sed *oves* pascere iubetur perfectiores, *ut perfectior gubernaret.*" Quibus simillima tradunt Origenes [43], Zeno veronensis [44], Chrysostomus [45], Cyrillus alexandrinus [46], Bonifacius I. [47], Leo [48], Gregorius [49], et nobis aetate propinquior Bernardus [50], inquiens: „Cui non dico episcoporum, *sed etiam apostolorum* sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves? si me amas, Petre, pasce oves meas."

Profecto I. quemadmodum non potest non videri *eximia merces*, quae *caritati* virtutum omnium praestantissimae respondeat; ita nequit non esse *propria* ac *sublimior ea remuneratio*, quae Petri in Christum *maiori*, *propensiorique caritati* rependitur. Haec autem remuneratio effertur verbis: *βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου.* Sapienter igitur monuit Leo [51], *pascendarum ovium curam Petro specialius demandari.*

Enimvero II. iam Petrus una cum apostolis reliquis a Christo audiverat [52]: *καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ πατήρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς:* atque idcirco una cum ipsis id acceperat totum, quod ad munus auctoritatemque apostolatus pertinens his alibi [53] verbis exprimitur: *Ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς. πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρός, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν.* Ne igitur statuamus *nihil proprii*, *nihil eximii ac praestantis* subesse verbis, *βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου*, *quibus tamen remuneratio maioris*, *impensiorisque caritatis continetur*; fateamur necesse est, tribui *per ea* Petro nobiliorem quamdam, potioremque dignitatem, qua Christi ovile dirigeret atque gubernaret.

228. Praeterea III. non uno nomine praesens Christi oraculum cum eo consentit quod refert, describitque [54] Matthaeus. In hoc praecedit *singularis confessio*, qua testatus Petrus est, Jesum esse Christum, verumque Dei viventis filium: in illo professio antecedit *maioris caritatis*, quam tum Petrus edidit, quum Christo interroganti, *ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων;* respondit, *ναί, κύριε.* In hoc ut *singularem eximiamque fidem praemio donet*, subiicit Jesus: *κἀγὼ*

[43]) In cap. VI. epist. ad Rom.

[44]) Lib. I. Tract. XIII. n. 8, lib. II. Tract. XIII. n. 2.

[45]) In Joh. hom. LXXVIII. al. LXXVII.

[46]) In Joh. lib. XII. pag. 1118.

[47]) Epist. ad Rufum thessalonicensem.

[48]) Epist. LXXXVIII.

[49]) Lib. IV. epist. XXXII.

[50]) De Consid. lib. II. cap. VIII.

[51]) l. c.

[52]) Joh. XX. 21.

[53]) Matth. XXVIII. 18—20.

[54]) Ibid. XVI. 16. seqq.

δὲ σοὶ λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος κ. τ. λ.: in illo ut *maiorem impensioremque caritatem remuneretur*, continuo addit: βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. Quum vero in altero *merces solum promittatur*, quemadmodum formulae ostendunt futurae significationis, οἰκοδομήσω, δώσω, ὃ ἐὰν δήσῃς, ὃ ἐὰν λύσῃς: in altero contra *eadem repraesentetur*, ut verba, βόσκε καὶ ποίμαινε, praesentis significationis aperiunt; inferri debet, relatam a Matthaeo promissionem iis *compleri* quae Johannes commemorat. Quare duo Christi oracula eo cohaerent nexu, *quo promissio*, *promissionisque exequutio devinciuntur*. Quae vero ita se ad invicem habent, spectari, exponique debent *non absolute*, *sed comparate*. Quod si fiat, perspicuum erit, formulis, βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου, illud ipsum, diversa licet imagine, significari, quod formulae, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς, ἔσται δεδεμένον, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς, ἔσται λελυμένον, praeseferunt. Atqui postremae formulae eximiam, singularemque Petri ὑπεροχήν, supremamque auctoritatem certissime[55] probant. Eadem igitur est ὑπεροχή, potiorque in pascendo auctoritas, quae prioribus significatur.

Tandem IV. Scripturis[56] testantibus futurum erat, ut Petrus ποτέ, *aliquando* fratres, ipsosque apostolos, tamquam alter a Christo architectus, sustentaret ac regeret. Sed *quando*? non alibi declaratur quam apud Johannem, atque his omnino verbis: βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. His igitur verbis *proprium munus*, *ac potior continetur auctoritas*, qua Petrus fratres prorsus omnes, *maximos*, *medios*, *minimos* confirmaret.

CAPUT XVI.

De potestate vocum Joh. XXI. 15—18: τὰ ἀρνία μου καὶ τὰ πρόβατά μου: — de earumdem ambitu: — is patet infinite, omnesque complectitur tum praesides doctoresque, quum subditos atque discipulos: — concors hac de re christianae antiquitatis suffragium: — de amplitudine oraculorum Matth. XXVIII. 19: μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, et Joh. XXI. 15—18: βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου: — eadem ne sit an diversa: — diversam esse ostenditur: — Petrique praerogativae confirmantur.

229. Quae sub extremum praecedentis capitis *de summa ac plane singulari Petri auctoritate* deduximus, non minima lucis accessione perfundentur, si adhibita a Christo verba paullo expendantur intimius ac pressius enarrentur.

[55]) Capp. V. seqq. [56]) Luc. XXII. 32.

Prima autem quae se verba offerunt, ista sunt[1]: *τὰ ἀρνία μου, καὶ τὰ πρόβατά μου:* de quibus *duo* potissimum statui debent, quum *quae illis significatio insit*, tum *quem praeferant ambitum*, *quare*, ut logici loquuntur, *extensione accipiantur*. Frustra vero lectores non omnino tardissimos monerem, neque *ἀρνία*, neque *πρόβατα proprie* accipi, sed *metaphorice*, eaque significatione quam Christo solemnem fuisse novimus. Solemne porro fuit Christo quemadmodum *semetipsum* schemate *pastoris*, ita *fideles* quos iam collegerat, quosve ad consummationem usque saeculi erat collecturus, imagine *agnorum, oviumque* repraesentare.

Ac semetipsum quidem pastoris schemate exhibet[2] his verbis: *Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός:* eodemque schemate illum exhibent Paulus[3] a quo dicitur, *ὁ ποιμὴν τῶν προβάτων*, itemque Petrus quum[4] scribit: *Ἦτε γὰρ ὡς πρόβατα πλανώμενα· ἀλλ' ἐπεστράφητε νῦν ἐπὶ τὸν ποιμένα καὶ ἐπίσκοπον τῶν ψυχῶν ὑμῶν:* ac denuo quum[5] addit, *καὶ φανερωθέντος τοῦ ἀρχιποιμένος, κομιεῖσθε τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον.* Neque mirum, quum duplex antecesserit insigne vaticinium, quo Christus futurus *pastor* praenunciabatur: alterum Ezechielis[6]: *Καὶ ἀναστήσω ἐπ' αὐτοὺς ποιμένα ἕνα, καὶ ποιμανεῖ αὐτούς, τὸν δοῦλόν μου Δαυϊδ, καὶ ἔσται αὐτῶν ποιμήν:* alterum Michaeae[7] a Matthaeo[8] relatum: *Ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅςτις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ*, מִמְּךָ לִי יֵצֵא לִהְיוֹת מוֹשֵׁל בְּיִשְׂרָאֵל, *ex te mihi egredietur ut sit dominator in Israel.*

230. Cum hac autem *pastoris* appellatione Christo facta, altera eaque cognata nectitur, qua credentes, Christique asseclae *ovium*, *agnorumque* nominibus significantur. Ac sunt enimvero hanc in rem ista[9] luculenta: *Ἰδού, ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμᾶς ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων:* et in loco parallelo[10]: *ἰδού, ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμᾶς ὡς ἄρνας ἐν μέσῳ λύκων.* Tum[11]: *Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός· ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τῶν προβάτων: τὴν ψυχήν μου τίθημι ὑπὲρ τῶν προβάτων: καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχω, ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης· κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν*: et ne sim nimius[12], *ἦτε γὰρ ὡς πρόβατα πλανώμενα.* Hinc Christi effatum suavissimam spirans caritatem[13]: *Ἐγώ εἰμι ἡ θύρα τῶν προβάτων:* atque hinc divina eiusdem praedictio[14], *καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν.*

231. Quod si *ἀρνία καὶ πρόβατα* ipsi sunt *fideles sive iam collecti, sive in unum Christi ovile iugiter colligendi, quinam* ac *quotnam* ii censeri debent

[1]) Joh. XXI. 15—18.
[2]) Ibid. X. 11.
[3]) Hebr. XIII. 20.
[4]) I. Petr. II. 25.
[5]) Ibid. V. 4.
[6]) Ezech. XXXIV. 23.
[7]) Mich. V. 2.
[8]) Matth. II. 5—6.
[9]) Ibid. X. 16.
[10]) Luc. X. 3.
[11]) Joh. X. 11. seqq. Cf. ibid. vv. 26. seqq.
[12]) I. Petr. II. 25.
[13]) Joh. X. 7.
[14]) Ibid. v. 16.

qui Petro demandantur, quum illi semel, iterum, tertioque[15] dicitur, *βόσκε τὰ ἀρνία μου*, et, *ποίμαινε τὰ πρόβατά μου?* eorum **numerus** atque **amplitudo** definienda I. e verbis est, quae Jesus usurpat. Utitur autem *infinitis loquutionibus*, *τὰ ἀρνία μου, τὰ πρόβατά μου,* quaeque fideles universos sive qui iam essent, sive qui essent deinde futuri, suo ambitu complectuntur: nullus enim vel extitit, vel extiturus aliquando erat fidelis, qui non item inter agnos, ovesque Christi numeraretur.

Praeterea II. alia prorsus est verborum complexio, qua in Scripturis *circumscriptum, definitumque ovile* significatur. In Actis[16] enim ubi *de particulari grege* sermo est, dicitur: *Προςέχετε οὖν ἑαυτοῖς, καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους, ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ:* et apud Petrum[17]: *Ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ θεοῦ, ἐπισκοποῦντες μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἑκουσίως.* Particularis igitur grex non *ποίμνιον absolute, simpliciterque*, neque absolute ac simpliciter *ποίμνιον τοῦ θεοῦ*, verum aut *ποίμνιον, ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους*, aut *τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον* nuncupatur. Dum vero Christus Petrum alloquitur, *ποίμνιον* illi credit *absolute, simpliciterque, nullisque plane adstrictum limitibus: βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου.* Universos igitur singulosque fideles illius curae, potestatique Christus subiecit. Inter fideles vero iam collectos eminebant apostoli; ipsos ergo apostolos Petro regendos, pascendosque commisit.

Qua de re III. nemo ambigat qui memoria recolat, *eamdem esse extensionem* vocum, *τὰ ἀρνία μου, τὰ πρόβατά μου*, et[18] *τὴν ἐκκλησίαν μου.* Sed appellatione *ecclesiae meae* omnes omnino, ac ipsi quoque apostoli comprehenduntur. Quemadmodum igitur una cum ceteris *ipsi etiam apostoli* aedificandi super Petrum erant; ita una cum ceteris *ipsi quoque apostoli* Petro regendi, pascendique traduntur.

Sane IV. quod Christus Petro iniunxerat, eius cura studiisque[19] *aliquando* implendum, inquiens: *καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου:* idipsum iniungit, ac *tempus implendi officii iam advenisse declarat*, addens: *βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου.* Quamquam enim multo pateat latius, quod verbis *βόσκειν καὶ ποιμαίνειν*, quam quod verbo *στηρίζειν* effertur; nihilominus *τὸ στηρίζειν* principem continet partem illius officii, quod *βόσκειν καὶ ποιμαίνειν* significant. Ad numerum igitur *τῶν ἀρνίων καὶ τῶν προβάτων μου* ii quoque pertinent, qui *ἀδελφοί σου* nuncupantur. Appellatione autem *τῶν ἀδελφῶν σου* ipsi *ἀμέσως* apostoli ostenduntur. Sic ergo fideles ceteri *ovium, agnorumque extensione* comprehenduntur, ut ipsi inprimis apostoli comprehensi existimari debeant.

[15]) Ibid. XXI. 15—18.
[16]) Act. XX. 28.
[17]) I. Petr. V. 2.
[18]) Matth. XVI. 18.
[19]) Luc. XXII. 32.

232. Quod christianis patribus adeo innotuit, ut disertissimis quoque sententiis patefecerint. Has alii[20] non sine industriae laude collegerunt, ac penes eosdem magno descriptae numero conferri possunt; sat nobis erit Leonis, quo cum ceteri consentiunt, verba recitare. Sic igitur[21] ille: „De toto mundo *unus Petrus* eligitur, qui et *universarum gentium vocationi*, et *omnibus apostolis*, *cunctisque ecclesiae pastoribus praeponatur;* ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, *omnes* tamen *proprie* regat Petrus, quos *principaliter* regit et Christus.“ Ideo autem *omnes sive pastores sive greges proprie regat* Petrus, quod, ut Basilius[22] et Asterius amasenus[23] loquuntur, *Christus post se Petrum ecclesiae suae pastorem constituerit.*

E qua persuasione patrum mentibus animisque defixa repeti debet quod iidem de *discrimine* monent *agnos inter atque oves*, quodque de fidelibus prorsus omnibus, sive hi praesint, sive subsint, Petri curis, auctoritatique subiectis affirmant. Huius discriminis totidem meminit verbis Eucherius lugdunensis, vel Bruno potius astensis inquiens[24]: „Prius *agnos*, deinde *oves* commisit ei, quia non solum pastorem, sed *pastorum pastorem* eum constituit. Pascit igitur Petrus *agnos*, pascit *et oves;* pascit *filios*, pascit *et matres;* regit *et subditos et praelatos*. *Omnium* igitur pastor est, quia praeter agnos et oves in ecclesia nihil est.“ Praeiverant Ambrosius et Petrus Chrysologus; illius verba superius[25] dedimus, iste vero[26] sic habet: „Commendat *oves*, *ovium* commendat *germina*, quia *foecunditatem gregis sui* (quae foecunditas dos est pastorum) pastor praescius noverat.“ Consequuti autem sunt Isidorus hispalensis et Bernardus, e quibus alter[27] docet, *agnorum nomine ecclesiarum praelatos notari;* alter vero de Petri successore scribit[28]: „Tu es cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii caeli ianitores et gregum pastores; sed tu *tanto gloriosius*, *quanto et differentius* utrumque *prae ceteris* nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, *singuli singulos*, tibi *universi* crediti, *uni omnes*. Nec modo *ovium*, sed et *pastorum* tu unus omnium pastor. Unde id probem, quaeris? ex verbo Domini: *pasce agnos meos, pasce oves meas*.“

233. Quibus, uti par erat, constitutis, haud aegre fieri satis quaestioni potest: *idem ne sit*, *an alius contra diversusque eorum ambitus*, *quae apostolis universis indicuntur*[29], πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, ac in loco gemino[30], *πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα, κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει: quaeque ad unum spectant Petrum*, *βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου*. Sane ab appellatione *gentium omnium*, *uni-*

[20]) Cf. Mamachii Origg. et Antiquitt. Christ. T. V. part. I. pagg. 203. seqq.

[21]) Serm. IV. al. III.

[22]) Constitutt. Monast. cap. XXII. n. 5.

[23]) Hom. in ss. Principes Apostolorum.

[24]) Serm. de Natali ss. apost. Petri et Pauli.

[25]) n. 227.

[26]) Serm. VI.

[27]) Epist. ad Eugenium toletanum.

[28]) De Consid. lib. II. cap. VIII. n. 15.

[29]) Matth. XXVIII. 19.

[30]) Marc. XVI. 15.

versaeque creaturae ipsi manifeste eximuntur apostoli, utpote qui instituendas gentes, hominumque genus evangelio imbuendum suscipiant. Contra vero appellatione *ovium*, *agnorumque* ipsi etiam comprehenduntur apostoli, unum si exceperis Petrum. Hae igitur formulae, loquutionesque non minus distinguuntur *subiecto* ad quod pertinent, quam *terminorum* ad quos protenduntur *amplitudine*. Fieri porro nequit, ut *pares* dignitate sint, censeanturque, qui non eosdem habent obnoxios; illeque *potior* existimandus est, cui non *maior* modo *numerus* regendus, informandusque committitur, verum etiam *ii* in tutelam traduntur, *de quorum aequalitate* dubitatur. Petrus igitur ad quem spectant verba, *βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου,* quique his verbis *ipsos etiam apostolos* in fidem recepit; quum *ceteris christianis omnibus*, tum *iis quoque dignitate*, *praestantiaque excelluit*, *quibus Salvator praecepit*, *μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη*, et, *κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει.*

Quod ut significarent Patres, dicere Petrum consueverunt [31] *ἀρχηγὸν* et *ἄρχοντα τῶν ἀποστόλων*, illique delatam in ipsos apostolos *προστασίαν* affirmarunt. E quo fonte eae etiam defluxere voces illis solemnes, quibus ut *proprio veluti charactere* Petrum distinguerent, eum [32] et *patrem patrum*, et *sanctum patrem patrum*, et *apostolico culmine sublimatum*, et *summum omnium praesulum pontificem*, et *pontificem maximum*, *et episcoporum episcopum* salutarunt. Quae profecto eiusmodi sunt, ut Petri praerogativas insigniter commendent, illius vero *ἐξουσίαν*, celsioremque auctoritatem evidentissime patefaciant.

[31]) Isidorus pelusiota lib. II. epistt. LVIII — CXC.

[32]) Episcopi orientales in libello ad Agapitum Pontificem, apud Labbé, T. V. pag. 999; patres africani in epist. lecta in synodo lateranensi sub Martino I, apud Labbé T. VII. pag. 131; Tertullianus de Pudicit. cap. I.

CAPUT XVII.

Explanantur verba βόσκε καὶ ποίμαινε: — in quo differant: — quid e vulgatissimo usu denotent: — quamve Petri auctoritatem praeferant: — singula expenduntur sermonis adiuncta: — loci paralleli comparantur: — supremaque Petri potestas adstruitur: — quo ea spectet, quove fuerit consilio instituta: — declaratur collatis iis quae habentur Joh. X. 3—4—8—26—27, et Ephes. IV. 11. seqq.: — tum ideo instituta ostenditur, ut Petrus esset pastor universalis, doctor oecumenicus, principium atque efficiens ecclesiasticae unitatis origo: — nonnulla colliguntur praeclariora consectaria: — ac finis tractationi imponitur.

234. Quamquam explorata satis videri debeat *potior dignitas, sublimiorque auctoritatis gradus*, ad quem Christus Petrum evexit; diligentior tamen ac prope dixerim enucleatior inspectio verborum *βόσκειν καὶ ποιμαίνειν* pro eo quo adhibentur contextu, non minimum conferet, ut plenius utrumque comprobetur. Illud autem principio animadvertendum occurrit, *eadem significatione βόσκειν καὶ ποιμαίνειν* sumi, qua voces *ἀρνία καὶ πρόβατα* usurpantur. Hae vero usurpantur *μεταφορικῶς*: eadem igitur translata significatione *βόσκειν καὶ ποιμαίνειν* accipiuntur.

Jamvero tam *proprie*, quam *metaphorice* nonnihil ab invicem potestate distant. De quo discrimine egerunt pluribus quum alii [1], tum Strodtmannus [2] et [3] Wetestenius, collectisque exemplis ostenderunt, *latius τὸ ποιμαίνειν, angustius τὸ βόσκειν* patere. Hoc enim *usitata loquendi ratione* valet *alium pascere, ac alteri suppeditato cibo providere*; sed longe est amplior, multoque nobilior potestas quae *τῷ ποιμαίνειν* subest. *Omnes enim curae, providentiaeque actus complectitur, insignique imagine a fastu atque ambitione alienissima, munera omnia, functionesque eorum significat qui praesident.*

235. Cuius significationis tot ferme adsunt testes, quot prisci scriptores laudantur. Homero solemne est, *appellationem pastoris regibus* indere, quare [4] et *Ἀγαμέμνονα* et *Δρύαντα* vocat *ποιμένα λαῶν*, idest, *βασιλέα ὄχλων*, uti scholiastes advertit. Hinc apud Hesychium, *ποιμήν· βασιλεύς*: atque hinc illa [5] apud scholiastem Odysseae animadversio, *ποιμένος* nomine *καταχρηστικῶς* usum esse Homerum, ut *simplicem pastorem* efferret; *κυρίως* enim non *ποιμένα*, sed

[1]) Cf. Koecheri Analecta ad Joh. XXI. 15—18.

[2]) Syllog. I. Different. graec. §. 23.

[3]) In notis ad h. l.

[4]) Iliad. I. 63—263, Odyss. IV. 532.

[5]) Ad Odyss. XI. 82.

βουκόλον dicere illum debuisset. Erat enim antiquis populis *rex*, teste [6] Platone, *νομεὺς καὶ τροφὸς ἀγέλης ἀνθρωπίνης.*

Mitto cetera quae facili negotio e Memorabilibus Xenophontis [7], ex Aiace Sophoclis [8], ex Euripidis Phoenissis [9], aliisque graecis scriptoribus repeti possunt; et ad biblia venio, in quibus [10] Cyrus a Deo ipso רֹעֶה, *ποιμήν, νομεύς, pastor, legumque auctor* vocatur; de sacerdotibus vero prisci foederis dicitur [11]: *Sacerdotes non dixerunt, ubi est Dominus, et legisperiti non noverunt me,* וְהָרֹעִים פָּשְׁעוּ בִי, *καὶ οἱ ποιμένες ἀσεβοῦν εἰς ἐμέ.* Immo *de pastoribus novae oeconomiae,* qui pastoribus ac sacerdotibus prioris opponuntur, legimus [12]: *Καὶ ἀναστήσω αὐτοῖς ποιμένας οἳ ποιμανοῦσιν αὐτούς, non sine auctoritate* profecto, qua veteres pastores summa potiebantur. Eadem significatio aliis, iisque prope innumeris testimoniis [13] sic adhaeret, ut merito *communis ac vulgatissima* habeatur. Unde illa [14] in novi testamenti libris: *ὅςτις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου Ἰσραήλ: ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ:* et, *ποιμανεῖ αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ.* Neque aliunde profecta explicatio est, qua [15] *ποιμαίνειν* per *ἐπισκοπεῖν* declaratur, et [16] *ὁ ποιμὴν καὶ ἐπίσκοπος*, veluti nomina eiusdem potestatis coniunguntur.

236. Cum his autem consertum est, iis usum esse verbis Christum, dum Petrum *singulari praerogativa* auxit, illique praecepit, *βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου*, quae aut significatione non sunt *synonyma*, vel si tamquam synonyma accipiuntur, significatione tamen exui nequeunt, *qua ius potestatemque praeseferunt.* Jus vero non est *uniusmodi*, sed *multiplex*, *infimum*, *interiectum*, *summum*, *latius patens* vel *angustius adstrictum.* Vestigandum igitur superest, *quale*, *quantumve* illud sit, quod verbis *βόσκειν καὶ ποιμαίνειν* Petro adscribitur. Verba namque sunt *ἀδιάφορα*, ac suapte natura, usuque loquendi non idonea magis ad efferendum *ius infimum*, *mediumque*, quam *supremum*, quodque amplissime porrigatur. Quare *adiuncta* considerari debent, inspici *subiectum, obiectumque* sermonis, *ceteraque testimonia conferri*, quae huic *ἐκ παραλλήλου* respondent. Quod si qui praestiterint, ea comperient, quae *Petri primatum* evidentissime probant, *supremam illi tributam potestatem* ostendunt, eumque *summum caput*, atque *oecumenicum catholicae ecclesiae episcopum doctoremque institutum* demonstrant.

237. Sane I. inter *adiuncta sermonis duo* potissimum extant, quorum

[6]) Politic. pag. 263.

[7]) Lib. III. nn. 1—2.

[8]) v. 360.

[9]) v. 1157.

[10]) Is. XLIV. 28.

[11]) Jerem. II. 8.

[12]) Ibid. XXIII. 1—4.

[13]) II. Regg. V. 2, VII. 7, I. Paral. XI. 2, XVII. 6, Ezech. XXXIV. 2—5—7—10—23, XXXVII. 24, Mich. V. 2.

[14]) Matth. II. 6, Act. XX. 28, Apoc. II. 27.

[15]) I. Petr. V. 2. coll. Act. XX. 28.

[16]) I. Petr. II. 25.

alterum est: ad eum dirigi verba *βόσκε καὶ ποίμαινε*, cui dictum iam[17] fuerat, *καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ πατήρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς*, quemque propterea Christus dignitate apostolatus iam ornaverat: *alterum* vero, verbis *βόσκε καὶ ποίμαινε* praemium remunerationemque contineri, qua Christus *unum Petrum* propter *eiusdem primatum caritatis* auctum, cumulatumque voluit. Quibus inspectis adiunctis, video alterutrum affirmandum esse, vel *nullam* Petro *auctoritatem* conferri, quum ei dicitur, *βόσκε καὶ ποίμαινε*, vel *auctoritatem* conferri *ea maiorem*, qua suscepto munere, obtentaque apostolatus dignitate, apostoli indiscriminatim omnes potirentur. At *primum ex duobus* verba ipsa reiiciunt, quibus significandae potestatis notio insita est. Posterius igitur teneatur oportet. Auctoritatis autem *praestantia* duplici e fonte dimanare potest, vel quod *ad plures* se porrigat *actus*, sitque adeo, ut aiunt, *intensione maior*; vel quod *plures* habeat *obnoxios*, atque adeo *nonnisi extensione* excellat. Talis igitur auctoritas Petro facta existimari debet, quae *intensione* aut *extensione*, vel *intensione simul ac extensione* sit ea potior, quae ceteris indiscriminatim apostolis conveniret.

Quam consequutionem II. probat, ac ex iisdem Christi verbis Isidorus hispalensis[18] deducit, negataque, ut loqui amat, *apostolorum cum Petro parilitate, uni seorsum Petro* dignitatem *capitis* vindicat, qua universo ecclesiae corpori praeest, illudque gubernat.

238. Ac merito III, quum *orationis* quoque *subiectum* idipsum persuadeat. Non enim e *pluribus unum* alloquitur Jesus, sed[19] Simonem Petrum, *λέγει τῷ Σίμωνι Πέτρῳ ὁ Ἰησοῦς:* eum videlicet Simonem, a quo impensiorem caritatem[20] postulaverat, quem prae ceteris saepissime ornarat, quemque inter ceteros *μείζονα καὶ ἡγούμενον* futurum praedixerat. At vero neque ego existimo, neque quemquam existimaturum confido, ea *omnibus* censeri *communia* posse, quae illi *seorsum* conferuntur, a quo impensior exigitur caritas, quique iam fuerat multiplici charismatum copia a reliquis secretus, iisdemque antepositus. Non igitur communis, sed eximia ac singularis ea est potestas, quam Petrus accepit, quaque illum verbis *βόσκε καὶ ποίμαινε* Christus honestavit.

Quod nemini incredibile videbitur IV, qui ad *obiectum Petri curis demandatum* mentem appulerit. Hoc enim exprimitur vocibus, *τὰ ἀρνία μου, τὰ πρόβατά μου*, quibus *ipsos* comprehendi *apostolos* neque paucis neque levibus argumentis[21] effecimus. Quum igitur ipsos etiam apostolos in fidem Petrus receperit, plane non viderent quae coniunctissima sunt, qui eamdem Petri, illorumque auctoritatem esse contenderent. Verum si Petrus *auctoritate* praestitit, *quonam praestantiae genere* antecelluisse apostolis dicendus est? *eo ne* quod *sola extensione*, *an eo* quod *extensione simul ac intensione contineatur?*

[17]) Joh. XX. 21.

[18]) Epist. ad Eugenium toletanum.

[19]) Joh. XXI. 15.

[20]) Ibid.

[21]) Cap. XVI.

Auctoritate *extensione* maiore illum eminuisse, inde liquido eruitur, quod inter creditas sibi oves apostolos quoque ipsos numerarit. At neque auctoritate caruisse quae foret *intensione* maior, sin minus eo nomine ostenditur, quod aliquos ipse edere actus potuerit, quos apostoli reliqui edere non possent; eo certe colligitur, quod actus apostolis *communes*[22] non citra *capitis* *ὑπεροχὴν* et *oecumenici pastoris* *ἐξουσίαν* Petrus exsequeretur.

239. Accedunt V. loci significatione simillimi, quibus edocemur, nihil contineri[23] phrasibus, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν: δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν: ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς: ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς: καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου:* quod non exprimatur formulis, *βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου.* Huius enim *ἰσοδυναμίας* *duplex* suppetit *ratio*, altera quae *ex infinita* petitur *significatione* verborum *βόσκειν καὶ ποιμαίνειν*, quamque urgendam esse contextus persuadet: ac altera quae inde ducitur, quod postremis formulis *exequutio earum promissionum*, *destinationumque* exhibeatur, quas priores phrases repraesentant. Priores autem phrases potestatem referunt non *communem*[24], sed *propriam*, sed *summam*, quamque ipsimet apostoli revererentur.

Jure igitur VI. Patres cum Chrysostomo[25] statuunt, verbis Christi tributam fuisse Petro *τὴν προστασίαν τῶν ἀδελφῶν*, iisque tantumdem significatum ac *praeesto fratribus universis*; ac iure Theophylactus[26] ea repetens quae perenni traditione ad eum usque devenerant, scribit: *Τῷ Πέτρῳ τὴν προστασίαν τῶν τῆς οἰκουμένης προβάτων ἐγχειρίζει, οὐκ ἄλλῳ δέ, ἀλλὰ τούτῳ ταύτην δίδωσι, πρῶτον μέν, ὅτι πάντων ἔκκριτος καὶ στόμα τοῦ χοροῦ παντός, ἔπειτα δεικνὺς αὐτῷ, ὅτι χρῆ θαῤῥεῖν, ὡς τῆς ἀρνήσεως ἐξειλημμένης.*

240. Quibus expoliendis, confirmandisque opportunissimum erit, quae Christus et Paulus *de munere pastoris* tradunt, nonnihil expendere, tum praesens effatum cum eo quod est apud Lucam[27] *propius componere.* Itaque inter munera pastoris illud semel ac rursum, ceu omnium gravissimum, Christus[28] connumerat, *quod ab eo oves erudiantur, salubribus informentur doctrinis, et ad rectam sinceramque fidem provehantur: Ὑμεῖς οὐ πιστεύετε· οὐ γάρ ἐστε ἐκ τῶν προβάτων τῶν ἐμῶν. καθὼς εἶπον ὑμῖν, τὰ πρόβατα τὰ ἐμὰ τῆς φωνῆς μου ἀκούει, κἀγὼ γινώσκω αὐτά, καὶ ἀκολουθοῦσί μοι.* Paulus vero de instituto a Christo in ecclesia ministerio[29], ait: *Καὶ αὐτὸς ἔδωκε, τοὺς μέν, ἀποστόλους, τοὺς δέ, προφήτας, τοὺς δέ, εὐαγγελιστάς, τοὺς δέ, ποιμένας καὶ*

[22]) Quae *ὑπεροχὴ* eo pertinebat, ut reliqui apostoli consentire cum Petro deberent, huic autem ius esset consensionis imperandae.

[23]) Matth. XVI. 18—20, Luc. XXII. 32.

[24]) Cap. III. seqq.

[25]) In Joh. hom. LXXXVIII.

[26]) Comm. in Joh. XXI. 15.

[27]) Luc. XXII. 31—33.

[28]) Joh. X. 3—4—8—26—27.

[29]) Ephes. IV. 11.

διδασκάλους. Ubi idem sunt qui audiunt διδάσκαλοι et ποιμένες, quemadmodum *tam verborum syntaxis* ostendit, quum omnes qui munere dividuntur, particulis separantibus, τοὺς μέν, τοὺς δέ, distinguantur, ποιμένες contra ac διδάσκαλοι particula καὶ copulentur: *quam locus plane geminus* [30] demonstrat, in quo ποιμένες silentio premuntur, utpote τῶν διδασκάλων nomine abunde significati.

Quum igitur eo maxime spectet pastoris officium, ut creditae illi oves sincera fide, puraque doctrina imbuantur; quibus Christi verbis Petrus ordinatur *pastor oecumenicus*, iisdem ad dignitatem, gradumque *magistri*, *doctorisque universalis* extollitur. Institutum vero eum fuisse *pastorem oecumenicum* his verbis, βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου, non est cur novis argumentis [31] comprobemus. Eisdem igitur delata illi fuit *auctoritas magistri*, *doctorisque universalis*.

Qua auctoritate aliquando illum perfuncturum, numquam praeclarius aperuerat Christus, quam quum [32] Petro indixit: καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου. Si enim Petrus quoad ipsos etiam apostolos debuit esse fidei στήριγμα: et si ad ipsos quoque apostolos e Petri, ut ita loquar, fonte redundare στηριγμὸς debuit; quinam censeri poterunt ab eius institutione, magisterio ac proposita αὐθεντικῶς doctrina immunes atque soluti? Christi ergo ordinationi debetur, ut Petrus sit, credaturque magister ac doctor universalis.

241. Jamvero Paulo auctore [33], idcirco Christus in ecclesia ποιμένας καὶ διδασκάλους constituit, *ut* authentica eorumdem institutione ὁ καταρτισμὸς τῶν ἁγίων obtineretur, aedificaretur mysticum eiusdem corpus, ubique regnaret τῆς πίστεως ἑνότης, ac nemo esset qui parvuli instar fluctuantis quovis doctrinae vento raperetur, ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, ἐν πανουργίᾳ πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης. Quare illis, eorumque ministerio attribuit, ut essent, haberenturque ἀφὴ τῆς ἐπιχορηγίας iuncturae et mystici corporis nervi, qui virtute in eos a Christo capite permanante κατ' ἐνέργειαν ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἑκάστου μέρους reliquo corpori suppeditarent incrementum εἰς οἰκοδομὴν ἑαυτοῦ ἐν ἀγάπῃ ad aedificationem eiusdem in caritate, illudque τῇ κεφαλῇ cum capite, quod est Christus, συναρμολογῶσι καὶ συμβιβάζωσι pulcherrima harmonia ac firmissimis vinculis devincirent.

Porro si Christo in statuendis pastoribus ac doctoribus id consilii *universim* fuit, quod Paulus memorat: et si eas illis adscripsit partes, quas, eodem praeeunte, recensuimus; quid vel *de consilio* existimabimus quo Petrum posuit *pastorem oecumenicum*, *doctoremque universalem*, vel *de partibus ac iuribus* quae illi concessit? Putabimus destinatum fuisse Christo, ut *per Petrum*, *eiusque authenticum ministerium* efficeretur καταρτισμὸς τῶν ἁγίων, exstrueretur

[30]) I. Cor. XII. 28.
[31]) nn. 234. seqq.
[32]) Luc. XXII. 32.
[33]) Ephes. IV. 12. seqq.

corpus eiusdem mysticum, fidei unitas formaretur, ac fideles stabilirentur, ne errorum fallacia in transversum abrepti a suscepta semel doctrinae sanctitate devii recederent. Putabimus dotem esse ornamentumque Petri, ut princeps credatur iunctura, atque *ὄργανον* potissimum, quod *κατ' ἐνέργειαν* ab eo acceptam, qui illi dixit, *σὺ εἶ Πέτρος, στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου*, iungat atque in unum corpus universitatem fidelium copulet, copulatamque contineat.

Quae quum ita sint, apparet I. fideles omnes, pastores ac oves, sacerdotes et plebes, clericos et laicos comparate ad Petrum non esse *καταρτίζοντας* sed *καταρτισθέντας*, non esse *οἰκοδομοῦντας* sed *οἰκοδομήν*, non esse *ἀφὴν τῆς ἐπιχορηγίας* sed *τὸ σῶμα συναρμολογούμενον*, non esse *τὴν ἐνέργειαν* sed *τὴν αὔξησιν*. Apparet II. institutionem pastoris oecumenici, doctorisque universalis, atque adeo institutionem primatus, Christo ordinante, referri *ad συνάφειαν corporis mystici et fidei unitatem*, quibus fiat ut corpus sit unum atque cohaerens, non dissipatum et schismate avulsum, ac ut omnium una sit vox, unaque fides, ut unum esse aeternum Verbum, unaque Veritas demonstretur.

242. De hoc autem instituendi primatus consilio atque scopo praeclarissima habent orthodoxi patres, dum Christi apud Johannem verba contemplantur. Uni dictum est, scribit frequenter [34] Augustinus, *pasce oves meas*, ut unitas commendaretur, ac in uno Petro unitas pastorum figuraretur. Uni dictum est, repetit [35] Asterius, *pasce oves meas*, ut unum sub uno pastore futurum gregem ostenderetur. Similia tradunt Leo [36], et [37] venerabilis Beda, quique illos diu antiquitate praecessit Cyprianus, inquiens [38]: „Ad quam unitatem redigens Christus ecclesiam, denuo dicit, *et erit unus grex et unus pastor*."

Sed ubinam, Cypriano interprete, Christus dicit, *et erit unus grex et unus pastor? Destinatione*, quum dicit [39], *καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν: re* vero *ipsa et exequutione*, quum Petrum alloquens ait, *βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου*. His enim *implet* quod antea *destinaverat*; efficit ut quod Ezechiel de ipso [40] praedixerat, *suscitabo super eos pastorem unum*, ac [41] rursum, *pastor erit unus omnium eorum*, ad Petrum quoque *ἀναλόγως* protendatur; unde oeconomiam ecclesiae suae ita disponit, ut qua ratione unitas singularum ecclesiarum, eadem unitas ecclesiae universalis formetur.

Sane quaenam est in singulis ecclesiis caussa externae, conspicuaeque unitatis? non utique *fidelium multitudo ac pluralitas*, sed *unitas sacerdotis ac pastoris*, cui fideles morem gerunt, et cum quo coniuncti unitatis formam mutuantur. Eatenus, scribit [42] Cyprianus, singulae ecclesiae unitatem referunt,

[34]) Serm. CXXXVII. cap. III, Serm. CXLVII. cap. II, Serm. CCXCV. cap. IV.

[35]) Hom. in ss. apostolos Petrum et Paulum.

[36]) Serm. IV. cap. III.

[37]) Hom. in ss. apostolos.

[38]) Epist. LXXVI. ad Magnum.

[39]) Joh. X. 16.

[40]) Ezech. XXXIII. 33.

[41]) Ibid. XXXVII. 24.

[42]) Epist. LXIX. ad Florentium Pupianum.

quatenus de unaquaque verissime dicitur quod sit *plebs sacerdoti coadunata, et pastori suo grex adhaerens*. Ex unitate igitur sacerdotis ac pastoris, cui singulares plebes adhaerent, unitas singularum ecclesiarum existit ac prodit. Modo autem non dissimili unitas oecumenici pastoris caussa est principiumque illius unitatis, qua catholica quoque ecclesia una est crediturque; adeo ut ad ecclesiam quoque catholicam pertineat Cypriani descriptio, quod *ea sit plebs sacerdoti coadunata, et pastori suo grex adhaerens*.

Neque enim alia est huius descriptionis *formalis potestas*, quum ad *universalem ecclesiam*, *ecclesiasque particulares* refertur; sed discrimen totum *materiale* est, eoque redit, ut *pro alterutra relatione* alia sit ac diversa vocum *plebis* atque *gregis* extensio. Quum enim *particularis* ecclesia describitur, gregis, plebisque appellatione *portio* venit[43] *singulis sacerdotibus*, *pastoribusque adscripta*, quaeque[44] *a singulis in solidum tenetur;* quum vero de *universali* ecclesia sermo est, iisdem gregis, plebisque nominibus *universitas ovium, singulariumque pastorum* significatur, cui unus praeest supremus pastor Petrus, ab eoque in unitate continetur.

E primatu igitur Petri repeti debet, quod *singulares greges*, *singularesque pastores in unum ovile sub uno pastore principe colligantur:* ac ex eo repeti pariter debet, quod Petrus sit *caussa*, *principiumque catholicae unitatis*, cui *haeresis* et *schisma* refragantur: quod *caussa* sit, *principiumque duplicis consensionis*, quarum altera *unitate fidei*, altera *unitate corporis* absolvitur: et quod *caussa* idcirco sit, *principiumque duorum ornamentorum*, quae catholicam ecclesiam *uno rectam veritatis Verbo, unoque animatam caritatis Spiritu* demonstrant.

243. Haec autem omnia ob oculos habuisse mihi Bernardus videtur, quum[45] scripsit: „*Pasce oves meas*. Quas? illius vel illius populos civitatis aut regionis aut certi regni? *oves meas*, inquit, cui non planum non designasse aliquas, sed adsignasse omnes? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et forte praesentes ceteri condiscipuli erant, cum committens *uni*, *unitatem* omnibus commendaret *in uno grege*, *et in uno pastore*, secundum illud: *una est columba mea*, *perfecta mea*. Ubi *unitas*, ibi *perfectio*. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed divisionem recedentes ab unitate; inde est, quod *alii singuli singulas* sortiti sunt plebes scientes sacramentum. Denique Jacobus, qui videbatur columna ecclesiae, *una* contentus est *Hierosolyma*, Petro *universitatem* cedens.“ Quasi diceret, ministerio atque[46] ἡγεμονείᾳ singulorum pastorum *unitas singularium ecclesiarum* formatur, custoditurque; sed *unitas catholicae ecclesiae* referri in acceptis debet ministerio atque ἡγεμονείᾳ Petri, cui Christus *universitatem* commisit, quem *pastorum pastorem* ordinavit, et cui non greges solum plebesque, sed *sacerdotes quoque ipsos*, *pastoresque* subiecit.

[43]) Epist. LV.

[44]) De unit. ecclesiae.

[45]) De Considerat. lib. II. cap. VIII.

[46]) Hebr. XIII. 7.

244. E quibus quisque facile sentit: I. unam eamdemque esse sententiam, quae e luculentioribus testimoniis [47] de Petri primatu colligitur: II. eò pertinere primatus institutionem, ut conspicua ecclesiae unitas, quam schismata, haeresesque pessumdant, illius virtute formetur, formataque defendatur: III. hunc instituendi primatus finem non minus formulis, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, et, *στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου*, quam his, *βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου*, demonstrari: IV. descriptis oraculis Petro conferri ius eximium, atque consortii expertem potestatem, qua conspicuam in catholica ecclesia unitatem communionis et fidei, corporis atque symboli tueretur: postremo V. non aliter e verbis, *βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου*, evidenti consequutione deduci, alienos esse ab ovili Christi, qui adversus Petrum oecumenicum pastorem rebellant; quam e verbis, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, et, *στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου*, aut Leo [48] collegerit, ***nimis a compage huius aedificationis alienus est***, ***qui beati Petri confessionem non capit***, aut [49] Beda concluserit, ***a cuius societate confessionis quisquis deviaverit***, ***quamvis sibi magnus videatur***, ***ad aedificium ecclesiae non pertinet.***

245. Atque haec habui quae de gravissima quaestione proponerem, unde manum e tabula continuo moverem, nisi iis fortasse non paucis occurrendum esse arbitrarer, qui de me conquerantur, quod nimium prolixitati indulserim, neque mihi, orationique meae aequos certosque fines circumscripserim. Quibus, si *benevoli* sint, respondebo, ut quidquid peccati hac de caussa contraxerim, bono animo, quo communi utilitati prospectum volui, ignoscere ne graventur; sin minus, sciant nos esse compendiis paullo infensiores, quod ea dispendia esse putemus, scribendique rationem minime sectari Caii Amafinii [50], quam non fuisse subtilem diligentemque inde Tullius eruit, quod illius praeceptiones *et facile* ediscerentur, *et ab indoctis* probarentur. Nisi ista suffecerint, addam quae in re non dissimili Plinius [51] scripsit: „Sicut veremur, ne quibusdam pars aliqua, secundum cuiusque naturam, non probetur, ita videmur posse confidere, ut universitatem omnibus varietas ipsa commendet. Nam et in ratione conviviorum, quamvis a plerisque cibis singuli temperemus, totam tamen coenam laudare omnes solemus, nec ea quae stomachus noster recusat, adimunt gratiam illis, a quibus capitur.“

Quamquam arbitror neque necessariam, neque opportunam satis hanc esse excusationem, quod mihi videar non immerito coniicere longe futuros plures

[47]) Matth. XVI. 18—20, Luc. XXII. 31—33, Joh. XXI. 15—18.

[48]) Epist. XXXIII. al. XXIX. n. 1.

[49]) Hom. de Feria III. Palmarum.

[50]) Quaestt. Tuscul. lib. IV. n. 3.

[51]) Lib. II. epist. V.

qui nobis vitio vertant, quod plura omiserimus, aliaque delibanda potius quam plenius gustanda obtulerimus. Sed quid egissem? id egi quod vires ferebant, quodque exsilium patiebatur. Praeterea ut Columellae verbis [52] absolvam: „Non adseveraveram, quae vastitas eius scientiae contineret, cuncta me dicturum, sed plurima. Nam illud in unius hominis prudentiam cadere non poterat. Neque enim est ulla disciplina aut ars, quae singulari consummata sit ingenio. Quapropter ut in magna silva boni venatoris est, indagantem feras, quamplurimas capere, nec cuiquam culpae fuit, non omnes cepisse, ita nobis satis abundeque est, tam diffusae materiae, quam suscepimus, maximam partem tradidisse.“

[52]) De re rust. lib. V. cap. I.

A. M. D. G.

LEMMATA CAPITUM

PROLEGOMENA

Caput V.

LIBER PRIMUS

Caput I.

Caput II.

Caput III.

Caput IV.

Caput XV.

Caput XVI.

Caput XVII.

Caput XVIII.

Caput XIX.

Caput XXV.

Caput XXVI.

Caput XXVII.

LIBER SECUNDUS.

Caput I.

Caput IX.

Caput X.

Caput XI.

Caput XII.

pag.

Caput XIII.

Caput XIV.

Typis C. F. Meyeri Weissenburgii.